UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

Visual Library

Th. 400a.

N V
22.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HISTORIA PROVINCIÆ PARAQUARIÆ SOCIETATIS JESV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HISTORIA

PROVINCIÆ

PARAGUARIÆ

SOCIETATIS JESV.

HISTORIA PROVINCIÆ PARAQUARIÆ SOCIETATIS JESV.

AUTHORE

P. NICOLAO DEL TECHO

EJUSDEM SOCIETATIS SACERDOTE

Gallo-Belga Insulensi.

Collegij Soctis Jesu
dono P. Joannis

Paderborne 1683
Kloppenburg SJ.

LEODII,

EX OFFICINA TYPOG. JOAN. MATHIÆ HOVII,

Sub signo Paradisi Terrestris. M DC LXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EXCELLENTISSIMO

PRÆSIDI

ET AMPLISSIMIS

SENATORIBVS

SENATUS REGII INDICI

FELICITATEM.

VT Regi Catholico hiſtoriam meam inſcriberem, palmaris me ratio impellebat, Præſes excellentiſſime, & Senatores ampliſſimi: Eam enim mihi ſcribenti identidem occurrebat, nihil à me præclari recenſeri poſſe, quod non aut Catholicorum Regum auſpiciis incœptum patratumque fuiſſet, aut ab iiſdem tanquàm à fonte derivatum: & pronum erat opinari, omnia eò refundi debere, unde prodierant. Sed ne operi meo tantum nomen præfigerem, mea me tenuitas retraxit. Aquilarum eſt in ſuprema aëris regione irretortam oculorum aciem in Solem vibrare: minoribus verò avibus ſecurius eſt, contractiores gyros agendo, ſolaribus radiis contentas eſſe.

Quamquàm nec ſic invenio tenuitatis meæ remedium: nam radii, ſi longè ab ſua origine ſpectentur, ſine caligatione tolerari poſſunt; at ſi juxta ipſum Solem reſpicere præſumas, non ſecus ac Sol, debilium oculorum aciem refringent. Rex Catholicus Sol eſt, utrumque mundum clementiſſimâ gubernatione illuminans: Ejus Adminiſtri radii ſunt, tantò ſuæ origini ſimiliores, quantò propiores. Vos pænè immixti ipſi Soli eſtis, & ampliſſimus Veſter Ordo ex propinquo diademate ita illuſtratur, ut radios vix diſtinguas à Sole. In Vobis reſidet Regiæ Majeſtatis genius: Veſtri Ordinis Regium nomen eſt, Regium ſigillum, Regia decreta, Regia omnia. Sed retrogredi in mea non eſt poteſtate: evolavit opus è manibus Vobis dedicatum, cogarque fulgorem Veſtrum planè Regium debili acie oculorum ſuſtinere. Hoc uno in temerario volatu lætus, quòd poſtquam Veſtris me fulgoribus tantiſper aſſuefecerim, aliquantulam oculorum firmitatem adipiſci ſperem, cujus adminiculo, nictantibus licet palpebris, in Regis ſplendorem timidos oculos dirigere audeam, & non invitâ neceſſitate eò aliquouſque aſſurgere, quò eniti parvitatis verecundiâ retardabar.

Planiùs loquar, Rex Catholicus fons est, unde omnis potestas emanat, quam Vos, velut aquæductus, pro personarum & locorum exigentia, æquali authoritatis ac prudentiæ laude dispensatis: & hactenùs in Paraquariensis Provinciæ nostræ homines ita dispensastis, ut gratias immortales mereamini; quas à me integras pro calami modulo referretis, nisi obvium esset æstimare, multùm aquæductibus deberi, sed Fonti plurimùm; nec aliquid detrahi rivorum laudi, quod origini asseritur. Hac ductus ratione, quamvis operis mei fronti Vestram Celsitudinem inscripserim, id me feciſſe volo omnes intelligant, ut per Vestra merita gradum faciam ad reddendas Regi grates, & ornandam debitis laudibus Catholicam Majestatem, quæ Vobis benefaciendi, mihi scribendi, & Minimæ Societati nostræ in his Australibus Americæ regionibus Apostolicè agendi, ampliſſimam materiam præbuit. Et profectò dudum erat cùm Paraquariensis nostræ Societatis Provincia aliquam ejusmodi occasionem sibi offerri desiderabat, gaudetque tandem eam sibi oblatam fuisse, quæ non poterit gratissima non esse Regi, & ampliſſimo Vestro Ordini, in id præcipua cura intentis,

ut Christiana Fides inter Barbaros propagetur, & inter Hispanos incorrupti mores ſerventur: quibus in rebus quid Societas noſtra optimis votis obſecundans patraverit, hiſtoria hæc Veſtro nomini dedicata explicabit. Quam cùm aſpectu Veſtro dignati fueritis, ſperamus futurum, ut Regi Catholico, per tranſennam ſaltem, inſinuetis, poſt quæſitam Majorem Dei gloriam nihil Societati JESU in Paraquarienſi Provincia carius fuiſſe, quàm per bonam & malam famam, per immenſos terrâ mariſque labores, per cruentas mortes, & innumera pericula, Ejus Majeſtati aliquouſque ſerviiſſe. Quod dum peto, nihil alienum exigo à Veſtrâ dignitate, aut commodo; nam ſimul ac Rex ea per Vos cognoverit, ſimul etiam intelliget, quantum Veſtræ prudentiæ virtutiſque debeatur, qui ex ejus ſententia eos viros tantis rebus adhibuiſtis, authoritate confirmaſtis, commeatu inſtruxiſtis, contra quadruplatores & ſycophantas defendiſtis, Regiaque pecuniâ aluiſtis, per quos tanta, quanta narrabimus, patrata ſunt: & in Veſtrum Ordinem redundabit maxima pars gloriæ: in ea enim opinione ſum, ut exiſtimem poſt Regem, Vobis omnia deberi, ſine quorum auxilio,

consilio, & fulcimentis, parùm aut nihil nostra Societas in his regionibus confeciſſet. Quod ut magis in comperto ſit, res paulò altiùs repetenda eſt, & ductilibus velut canalibus ad id, quod volo, deducenda.

Simul ac lubitum eſt Divinæ Providentiæ, omnem fermè Americam Hiſpanæ gentis religioni & fortitudini committere, prima cura Regum Catholicorum fuit, eos adminiſtros eligere, quibus novi Orbis immenſum onus Athlanticos humeros exigens tutò imponeretur. Et hactenùs tanta fuit felicitas in electione, ut miraculo proximum ſit, tantam molem imperii ab ipſo novi Orbis exordio non tantùm inconcuſſam conſervari, ſed etiam non unis in locis ad invidiam veteris Mundi ornari, firmarique potuiſſe. Principia turbulenta fuêre, ſed non aliena ab cæterorum imperiorum conditione; nec talia, qualia togati hominis armata prudentia, Caroli Quinti felicitate animata, componere nequiverit. Extinctis bellis civilibus, novus Orbis ita munitus eſt, ut ſecundo jam fermè ſæculo auro & argento Americano inhiantes, Hiſpani nominis hoſtes nihil valuerint ex immenſo

propè imperio decerpere. Quod quamvis magnam partem Catholicorum Regum auſpiciis & Hiſpanorum virtuti fortitudiniqúe debeatur, tamen nemo negabit præcipuam laudem Senatui Indico deberi, cujus conſilio arces conſtructæ, aditus omnes obſtructi, Prætores exercitatiſſimi impoſiti, milites opportunè delecti, naves & arma ſubmiſſa, omniaqúe ſic adminiſtrata, ut admireris paucorum virorum ſtupenda perſpicacitate & vigilantiâ trium millium leucarum littora tam tuta eſſe, quàm exiguæ inſulæ firmiſſimum propugnaculum. Ampliſſimus Veſter Ordo è longinquo Orbem hunc integrum feliciùs munivit, quàm alii exiguas provincias è propinquo. Nam de ornatu quid loquar? principalium urbium ſplendor, Senatuum provincialium Majeſtas, Magiſtratuum & privatorum hominum commoditas, cæteraqúe Americanorum Regnorum decora, linguæ ſunt, quæ prædicant Regum Catholicorum & Senatûs Indici integritatem temperantiamqúe non ex novo Orbe diteſcere, ſed ejus ſingulas partes ditare & ornare volentium. Verùm minima ſunt hæc merita, ſi conferantur cum initio & progreſſu Religionis

in hunc novum Orbem introductæ, & hactenùs propagatæ, conservatæque. Exhausit vires suas Hispania, & debilitata latera vicinis hostibus exponere non dubitavit, ut Religionem firmaret in America. Poterant Reges Catholici, poterat Senatus Indicus, acceptâ novi Orbis docendi curâ, conscientias suas exonerare, singulis oppidis & regionibus Christianæ Religionis ministros merè necessarios imponendo: & id forsan feciſſent alii populi; sed Americani Moderatores imperii, auspice Rege Catholico, non antè desierunt, quàm barbarissimas nationes integritate Religionis, & sacrorum Majestate, tam sacram & magnificam facerent, quàm ipsa est Hispania. Septemdecim fermè sæcula lento gradu processere interim, dum variarum nationum Reges, Principes, & præcellentes viri fœminæque veterem Orbem Episcopatibus, Monasteriis & sacris ædificiis ornarent; sed sesquisæculo hæc omnia tam luculenter in hoc novo Orbe præstita sunt, ut quod singulis & omnibus veteris Mundi sacris exornatoribus Ecclesia debet, hoc paucis Regibus Catholicis, integerrimorum Consiliario-

rum ope adjutis, debere se fateri teneatur. Ab Summis Pontificibus magnum favorem insigniaque privilegia multi Cæsares meruere, quòd singuli aliquantulæ parti Ecclesiæ decorandæ defendendæque opes suas insumpserint; sed nullorum facta æquiparari possunt cum Senatorum Indicorum operibus, quorum consilio Catholici Reges totius Americæ Archiepiscopatus, Episcopatus, dignitates, Canonicatus, & cætera cathedralium Ecclesiarum decora, Regiâ planè munificentiâ dotavêre: & insuper nullos admittentes incomparabilis liberalitatis corrivales, ubique juventutis ephebia, litterarum palæstras, propugnacula Religionis, & pietatis refugia erexêre, erectaque in omnem posteritatem locupletavêre. Nullus in immensa mole terrarum sanctissimæ Inquisitionis minister sacro ferro vastissimi corporis ulcera secat, nullus Indorum, Æthiopum, aut Hispanorum paroeciis præest, nullus sacra administrat, qui Regiis stipendiis honestissimè non vivat. Quæ Religiosorum domus eâdem liberalitatem non sentit? Quæ classis aut navis, ex Hispania in Americam navigans Christianæ Doctrinæ Magistros ex omnibus Religiosorum

Ordinibus depromptos commeatu Regio & litteris Senatus Indici instructos non advehit? Quæ tam semota plaga? quis novi Mundi angulus? quæ ora tam ab nostris moribus abhorrens, cui eidem auxiliatricem manum profusissimâ munificentiâ non porrexerint? Digni planè novorum Orbium imperio, qui integrum hunc Orbem, barbarum antè & incultum, Hispanum fecêre & Catholicum. Sed Deum immortalem quanto sumptu? Verba perdere non lubet: in propaganda, conservanda, & ornanda Religione, Justitiaque per novum Orbem administranda, triplò plus insumitur, quàm in ærarium Madritense inferatur. Qui refragari volet, adeat quinquaginta ærariorum Regiorum in America quæstores, qui post initas rationes cogentur asserere, Potosinum montem eviscerari, pleraſque auri argentique fodinas exhauriri, integrarum regionum thesauros insumi, omnium quæsturarum arcas pænè evacuari, uni Religioni conservandæ augendæque. Si ulteriùs eosdem quæstores interrogas, cur tantum in eam rem conferant? uno ore affirmabunt, se ad id cogi innumeris Diplomatibus Regum Catholicorum, & Sena-

tûs Regii Indici, identidem jubentium non parci ſumptibus, ubi de Religione ſtabilienda propagandaque agitur. Novum hunc Orbem creavit Deus, & Hiſpanæ nationi tradidit ornandum. Novum hunc Orbem redemit Chriſtus, & pretium Redemptionis in ejus incolas diſpertiendum Hiſpanis commiſit. In veteri mundo exornando poliendoque innumeræ nationes per tot ſæcula inſudavêre, alteri mundo una ſuffecit Hiſpania, tam argenti & auri, ubi de Religione agitur, quàm ſanguinis, prodiga. Quod ſi ad fontem recurramus, fatendum erit Regibus Catholicis, & eorum Conſiliariis, omnia deberi, unde omnia promovendæ exornandæque Religionis adminicula & conſilia prodeunt. Quæ eo fine à me ſigillatim explicata ſunt, ut ſcopum meum pertingerem, & oſtenderem minimæ Societatis JESU Paraquariæ provinciam, inſignem ingrati animi labem contracturam, ſi quando tota quanta eſt America Regem Catholicum, & Senatum Regium Indicum, Religionis propagatores conſervatoresque agnoſcit; non in eoſdem omnia ſua refunderet.

Quam labem ne contrahat, quidquid lucis per tot annos in illustranda hac ultima America accepit, in Regem Catholicum tanquàm Solem, & in Vos, Præses excellentissime, & Senatores amplissimi, tanti Solis principales radios lubentissimè reflectit: fateturque, infidelitatis & feritatis tenebris hanc partem Orbis adhuc oppressum iri, nisi benignè nobis affulsissetis. Quod quamvis passim in hac mea historia pro vero constet, tamen non erit abs re ex multis pauca expromere, in nostræ gratitudinis & Regiæ Vestræque Liberalitatis prælibamentum.

Postquàm, Summo Numine aspirante, Minima JESU Societas per reliquas Mundi partes in lucrandis animis felicitatis experimentum dedit, Philippus Secundus, prudentissimus meritorum æstimator, eam motu suo & sumptibus suis Peruviæ Regno adhibuit. Atque ex hac origine Chileni Regni, Tucumaniæ, Paraquariæque innumeri populi avitis tenebris adhuc sepulti, illustrari cœpere. In quibus Regionibus, per modum expeditionum Apostolicarum, nullo fixi fermè loco, Prætorum Quæstorumque Regiorum adjuti ope

Socii per viginti annos ingenti animarum emolumento labores continuavêre; donec auctis jam rebus, de nova Societatis Provincia, quam Paraquariam nominant, fundanda ageretur. Cujus principia Philippus Tertius, Regum piissimus, egregiè juvit, centum circiter & viginti Socios subsidiarios ex Hispania in novam provinciam profecturos liberali commeatu prosequutus. Philippi verò Quarti, Regum clementissimi, auspiciis & expensis, ducenti omninò variis temporibus eòdem navigavêre. Qui omnes postquàm Boniaëris portum tenuêre, ad semotissima ampliſſimarum regionum loca, accepto ex ærario publico commeatu, eorumdem Regum munificentiâ transportati sunt, repetitis litteris jubentium, ut Societas promulgando per Barbarorum terras Evangelio adhiberetur, & adhibita aleretur, in omnibus oppidis, quæ ipsa constrùeret, aut ab aliis constructa in suam curam reciperet: & insuper sacra supellex pro novis templis, oleum pro cohonestando Venerabili Sacramento, & pharmaca pro ægrotis subministrarentur. Quæ omnia, & alia plurima, in Collegia, aliasque sedes collata

beneficia, si quis per otium ad calculum reducat, ingentem Regiæ liberalitatis cumulum reperiet, & fateri tenebimur, nos mamillâ Regum Catholicorum materno planè affectu nutriri. Quibus in rebus quid Senatui Regio Indico debeamus, sciunt, qui norunt eo indicante ad eas expensas inclinari Regum animos, commeatuum litteras expediri, diplomata favorabilia ad Prætores & alios Magistratus confici, calumniatorum technas dissolvi, difficultates amoveri, facilitari omnia: & eò progressum esse, ut cùm Societas aliquando tardaret, eam ad petenda Sociorum subsidia, & fruendum liberalitate Regum, ultrò accerseret, stimularetque. Ob quas res quamvis multùm debeat Paraquariensis Societas iis, qui prioribus temporibus sub aliis Regibus Rempublicam tractavêre, tamen nemo inficias ibit, longè plurimum deberi Philippo Magno, & ab eo selectis Senatoribus, qui exhausto per diuturna bella ærario, triplò plura præstitêre, quàm eorum decessores paratissimâ tempestate. Quando ex æmulatione summæ pote-

ſtatis imperium Hiſpanicum infeſtis undique armis impetebatur; quando Batavus, Suecus, & Anglus furebant; quando Gallus Italiam, Germaniam, & Belgium, quà Hiſpano parent, & Hiſpaniæ fines laceſſebat; quando hinc inde rebelles populi regni interiora infeſtabant, & quotidie ex Cadmæo velut ſemine ſeges ferrea erumpebat: quando contra tantos hoſtes ſex exercitus Hiſpanici alebantur, quaternæ claſſes exornabantur, immenſi imperii fines præſidiis firmabantur, & ærarium tantis rebus ſimul procurandis exhauriebatur: eo, inquam, tempore Philippo Magno, & Patribus Indici Senatûs, animus nunquàm defuit ad inſtruendos commeatus & alendos Evangelii Præcones in Tucumaniam Paraquariamque profecturos. Ulláne ſatis prædicatio eſſe poteſt tantæ pietatis? Hoc nempe eſt regna & imperia poſtponere Religioni. Non hîc tamen ſiſto, ſed gradum facio ad majoris laudis materiam. Magnum planè & Catholicum eſt, quod Reges Hiſpaniæ præteritis temporibus in alias Americæ partes

Regio planè ſumptu ſacrorum ſubſidia ſubmiſerint; verùm ea demum pietas non caruit illicio, Peruano argento, & Mexicano auro, in Hiſpaniam largiter revecto. Sed Tucumania, Paraquariaque, nec aurum, nec argentum in Hiſpaniam remittit; plus in his excolendis inſumitur, quàm tribuant: planè igitur omnem laudem excedit, quòd Philippus Quartus in tali rerum ſtatu, non alio, quàm Religionis propagandæ inſtigante Zelo, eas provincias conſtanter adhuc juverit, & nihil diminutâ pietate adjuvare pergat. Atque hæc ſingularis religio in memoriam revocat Philippi Secundi vocem cedro dignam, qui ſuadentibus nonnullis Aulicis, ut Philippinas Inſulas Chriſtiano ritu ab Hiſpanis excoli cœptas deſereret, quòd ob ſoli inopiam Regio fiſco futuræ eſſent graves, & expenſæ proventibus majores; reſpondit, ſe pro unius ædiculæ ſacræ, aut Neophyti in Fide conſervatione, non ſolùm Indiarum, verùm etiam reditus omnes Hiſpaniæ lubenter expenſurum, neque ullâ ſoli inopiâ retardatum iri ab Evan-

gelii promulgationem: ad quam ob Apoſtolici muneris vices ſibi delegatas obligari ſe non ignoraret. Quod olim feliciſſimo & pacatiſſimo tempore Regum prudentiſſimus verbis expreſſit; Philippus Magnus turbatiſſimâ tempeſtate, & evacuato concatenatis bellis ærario, conſtanter in hac ultima America factis exequutus eſt; eò majori gloriâ, quò Paraquariam Tucumaniamque Philippinis inſulis fiſco Regio inutiliores eſſe conſtat. Hoc nimirùm eſt ex Magno fieri Maximum. Hoc eſt habere adminiſtros, quales Vos eſtis, Præſes excellentiſſime, & Senatores ampliſsimi, recta ſuadentes. Hoc eſt adferre animos ad conſultationes zelo amplificandæ Dei gloriæ præoccupatos. Hoc eſt politicam exercere longè diverſam ab iis, qui Summi Numinis cultum eatenùs quærunt, quatenùs ſtatui augendo expedire exiſtimant: & facere, ut Catholici nomen Regio adnexum ultima terrarum efficaciter pervadat. Hoc denique eſt Apoſtolorum meritis ſe inſerere. Nam ſi Gregorio magno Anglorum Apoſtoli titulum benigna poſteritas indide-

rit, quòd pauculos Sacerdotes in Angliam prædicatum miserit; quo jure Catholicam Majestatem, & Vestrum ampliſsimum Ordinem, tanti nominis honore privabimus, qui non in anguſtum regnum paucos Evangelii Præcones, ſed continuatâ per tot annos religione, tranſmiſſis & alitis numeroſiſſimis Sacerdotibus, barbariſſimas & incultiſſimas integri Orbis nationes Chriſto aſſeritis? Quid igitur mirum, ſi Veſtræ Celſitudini hiſtoriam rerum geſtarum in reductione ad Fidem Auſtralioris Americæ Paraquarienſis, Societatis provinciæ nomine dedicem, ultrò fatentis Vobis deberi, quidquid ipſa patravit. Vos tanta, quanta de JESU Sociorum laboribus hoc opere denarro, præſtitiſtis. Nam ſi Ducibus, bellum auſpiciis ſuis gerentibus, quamvis ab prælio abſint, Victoriarum gloria attribuatur: quanto potiori jure ob bella Domini veſtro conſilio & ope feliciter geſta, & profligatas tot in locis dæmonum phalanges, triumphus Vobis concedetur. Quare ſine oſtentationis domeſticæ periculo facinora Sociorum

recenſebo, hoc maximè nomine, quòd omnis gloria in Vos tanquàm in duces & authores redundatura ſit. Ita tamen id exequar, ut ſtylus meus ferreus, quaſi ſiderite aut magnete tactus, gradus omnes meritorum Veſtrorum inquietè percurrat, donec in polo ſuo requieſcat. In Rege, inquam, tantorum geſtorum apice, quem ſi Religionis Solem, utrumque mundum illuminantem, Athlantem Fidei, Eccleſiæ Catholicæ principale ſidus, firmamentum, & decus appellaverim, eum aliquouſque adumbravero, non deſcripſero. Cui pro colophone apprecor, ut talibus Adminiſtris, quales Vos eſtis, Præſes Excellentiſſime, & Ampliſſimi Senatores, diutiſſimè fruatur, ſub quibus pergamus bella Domini bellare. Non nobis deeſt animus, nec materia deerit, Regiâ & Veſtrâ benevolentiâ inflammatis. Non nos ſycophantiæ & calumniæ æmulorum ab præclaris conatibus abſterrebunt, tali patrocinio defenſos. Non nos granditas laborum ab lucro animarum retardabit, Regio favore protectos. Ebullit adhuc ad novas pugnas

in plerorumque pectoribus generosus sanguis, Deo & Regi Catholico consecratus. Nullus degener Majorum gloriâ contentus domi torpebit. Non sufficit nobis Itatinos, Paranenses, Urvaïcenses, Guairanios, Cuioënses, Chiloënses, Chunos, & alios à me denarratos in hoc opere populos Apostolicè percurrisse: non sufficit per octingentarum leucarum spatia (nam tantum hæc Provincia ab suâ origine in longum patuit) tot oppida fundasse. Non sufficit paludes, antra, rupes, intacta nemora, & pleraque vastissimarum terrarum loca excussisse. Ad Chaquenses terras, & ultra Paraquarium positas, Sociorum sanguine tingi cœptas, nobis eundum est, ut Philippi Magni & Vestra tempora novis victoriis felicitare pergamus. Inter quos labores, dum sacro igne calebimus, inflammata ad Superos vota mittemus, flagitabimusque, ut pro propagata in hoc novo Orbe, & præsertim in his Australioribus provinciis, Religione, Deus Optimus Maximus in Europa, & alibi, Catholicæ Majestatis dilatet imperium, hostium consilia di-

ſturbet, victorias multiplicet, & Veſtram Celſitudinem ſub Rege magno diutiſſimè conſervet incolumem, donec cum iis, qui erudiunt multos ſicut ſtellæ, ſimul omnes in æternum fulgere jubeamini. Ita futurum animitùs apprecatur,

CELSITUDINIS VESTRÆ

Servus Humillimus & Obſequentiſſimus

NICOLAUS DEL TECHO
Societatis IESV Sacerdos.

PRÆFATIO
AD SOCIOS IESV IN EVROPA.

NE res Paraquariæ Societatis JESU Provinciæ scribere aggrederer, multæ me rationes absterrebant, Reverendi Patres, Fratresque Carissimi: videbam enim in hac Barbarie iis me adminiculis destituendum, quæ ad politè cultéque scribendum requiruntur. Nec ignorabam in tanta vastitate terrarum difficillimum fore, rerum gestarum monumenta conquirere, simulque congerere, unde delectus semel haberi posset. Atque ut nihil dissimulem, ad agendum potiùs, quàm ad otiosè scribendum, mea me indoles (quæ Dei vocantis gratia est) impellebat magis; glorioſiusque mihi videbatur inter tot fortissimos JESU Milites verbi Divini gladio, quàm stylo rem agere. Ex altera verò parte alia me invitamenta urgebant ægerrimè ferentem glorioſissimos Sociorum labores, æternâ alioquin memoriâ dignos, ingratâ oblivione sepeliri. Satiùs itaque ducebam, non tam cultè scribere velle videri, quàm tot præstantissimorum virorum facta ignorari. Nam quis, aiebam, ex hac barbarie cultum expectet, aut latinitatem ex America? Et quamvis difficillimum mihi videbatur, rerum gestarum memorias conquirere; maximè tamen adjuvari me posse sperabam superstitum virorum, quibuscum versabar, consortio, à quibus facilè erat multa rescIri, quibus aut ipsi interfuissent, aut ab iis, qui interfuerant, audiissent. Adde, quod vacua laboribus intervalla, ut jam res sunt constitutæ, novo scriptionis exercitio sufficere posse videbantur. Sic in utramque partem vacillabat animus, cùm nonnulli Paraquarienſis Provinciæ Primores, quibus omnia mea debebam, nutantem impulerunt ad scribendum, ultrò oblatis quibusdam rerum gestarum memorialibus. Quæ cùm tentabundus in ordinem dirigere incœpissem,

non diu pòst plurifariàm distractus, & multarum rerum notitiâ destitutus, manum ab opere retraxi. Donec Patris Florentii Montmorencii, ex Vicario Generali Rectoris Insulensis, & interjecto tempore Reverendi Admodùm Patris Generalis nostri Gossuini Nikel, Româ non unæ litteræ mihi redditæ sunt, quibus significabant, rem gratam Societati me facturum, si incœptum opus perficerem. His accessit quorumdam Provincialium meorum benevolentia, qui ejusdem Generalis monitu summâ curâ voluntatéque omnia rerum gestarum monumenta ex provinciæ archivis mihi in mediâ Barbarie degenti attulêre, coramque non semel injunxêre, ut omninò manum operi adhiberem. Igitur quamvis ab quovis Collegio octoginta centúmve leucis semotus degerem, & nulla fermè suppeteret copia idoneorum librorum, ad quorum cotem latinum stylum vicennali barbaricæ linguæ usu obtusum exacuerem; opus sepositum in manus resumpsi, ratus elegantiæ defectum rerum dicendarum veritate (quæ præcipua historiæ pars est) abundè compensatum iri. Nam longè aliud est (ut benè Nicolaus Trigaultius, popularis meus, simili in causâ adnotavit) scribere quæ vides, quàm quæ per manus translata, longoque usu corrupta ex aliorum relationibus acceperis. Et arridet dictum Divi Hieronymi, monentis historias Græcorum ab iis, qui Athenas viderint, & tertium Virgilii librum, qui à Troade per Leucatem & Acroceraunia ad Siciliam, & inde ad ostia Tiberis navigârunt, quàm ab aliis (umbraticis nempe hominibus) magis intelligi. Sex supra viginti anni sunt, ex quo è Belgio per Hispaniam in Paraquariam navigavi. Ex itinere septem mensibus in Brasiliâ hyemavi, subsequenti quadriennio in Tucumania degi, reliquos viginti annos in Urvaïcensi & Paranensi Provincia erudiendis Barbaris, quamvis tantâ exercitatione indignissimus, insumpsi: & licet toto eo tempore ne semel quidem ad Collegia diverterim, prima tamen quæque hujus Provinciæ columina mihi nota fuêre, è quorum consortio, & Indorum diuturna consuetudine, multa de rebus gestis & Barbarorum moribus cognovi. Igitur si non culta, certè explorata narrabo. Cur verò Vos, Patres Reverendi, & Fratres carissimi, nominatim, & non potiùs ex more quemvis Lectorem in limine statim alloquor, non alia ratio me movit, quàm quòd Vos sitis futuri, quos popularium vestrorum remota gesta resciendi

pia curiositas instigatura sit. Et, ut ingenuè fatear, aliquem locum opportunum quærebam, pleriſque Europæ Societatis JESU Provinciis, nomine Paraquariæ noſtræ, gratias agendi ob miſſos in hanc Auſtralem Americam ſelectiſſimos Socios, de quorum honeſtiſſimis facinoribus ſi glorietur Paraquaria Societatis Provincia, id illud eveniet, quod corniculæ aliarum avium plumis ſe jactanti, & mox poſt ſpoliationem deridiculo habitæ. Id ne nobis contingat, ingenuè fatemur, Paraquariam campum generosè præliantibus præbuiſſe : Europæas verò Provincias milites in arenam ſubmiſiſſe tales, quales cum pleraruмque nationum laude hæc hiſtoria recenſebit : gaudebuntque, opinor, in ſinum ſuum recipere, quos palæſtra aut arena Apoſtolicorum præliorum auctos famâ Heroës effecit, qui ſi in Europa remanſiſſent, fortè ſine nomine & gloriâ inter gregarios militaſſent. Speramusque eos futuros incitamentum iiſdem Europæis Provinciis, ut more Majorum pergant mittere ſubſidiarios, quos Paraquaria noſtra, ſubminiſtratâ Apoſtolicè agendi materiâ, ad populares ſuos fuſo ſanguine, aut Apoſtolicis facinoribus illuſtres aliquando remittat. Id tamen non ita dictum velim, ut detractum eam eorum laudi, qui in America nati, & in Societatem recepti, Apoſtolico Marte imperii Chriſtiani fines per ampliſſimas Provincias feliciſſimè dilatarunt: nam quamvis eorum gloriam Europæos laudando nebuloſa taciturnitate obſcurare vellem, per ipſas ſilentii nebulas ultrò ſe proderent fulgentiſſima Petri Agnaſci, Rochi Gonſalvii, Antonii Ruiſii, Didaci Alfari, Chriſtophori Mendoçæ & Melchioris Vanegæ, aliorumque præſtantiſſimorum in omni genere virtutum nomina, quorum non parva laus eſt, ardentiſſimè ſemper optaſſe, ſubſidiarios ex omni Europa Socios in has Provincias mitti, & advectos omni officiorum genere proſequutos fuiſſe; ultrò fatentes immenſæ meſſi ſe impares, & innumeras Barbarorum regiones cymmeriis ignorantiæ tenebris adhuc obrutum iri, niſi Europæa auxilia creberrimè tranſmiſſa fuiſſent. Porrò rationi conſentaneum fuit, ut quemadmodùm in exercitibus Europæis variarum linguarum milites Regi Catholico ſerviunt, ſic ad debellandas barbaras nationes ſelectiſſimi ex quavis gente Athletæ concurrerent, eo maximè nomine, quòd delectus virorum Apoſtolicorum ſit à Deo Optimo Maximo, alligari non

se sinente, sed ex quavis natione idoneos eligente, ut fructum adferant, & fructus eorum maneat; non sine magna Regis Catholici gloria, ad cujus imperium dilatandum Deus ipse per se idoneorum militum ex quovis populo delectum habet, electosque virtute & armis Apostolicis instruit.

O nimium dilecte Deo, cui militat Æther,
Delectosq; viros mittunt ad classica Divi!

INDEX CAPITVM SEU CONTEXTUS TOTIUS OPERIS.

LIBRI PRIMI.

CAPUT I. *Institutum operis & divinæ opis imploratio.*

CAP. 2. *Lusitani primi Paraquariam infeliciter explorant.*

CAP. 3. *Hispani fluvium Argenteum & Paraquariam pro Rege Catholico primi occupant.*

CAP. 4. *Barbari in primos fluminis Argentei colonos insurgunt.*

CAP. 5. *Prima pro finibus inter Hispanos & Lusitanos pugna.*

CAP. 6. *Petrus Mendoça ad flumen Argenteum & Paraquarium coloniam ducit.*

CAP. 7. *Arx Boni-aëris fundatur, & infeliciter cum Barbaris pugnatur.*

CAP. 8. *Novi coloni fame vexantur; & Petrus Mendoça Prætor moritur.*

CAP. 9. *Gesta sub Ioanne Oïola Propræture usque ad ejus necem.*

CAP. 10. *Dominicus Irala in Prætorem electus deserto Boni-aëris castro de fundanda Paraquariæ metropoli agitat.*

CAP. 11. *Vrbs Assumptionis Paraquariæ caput ædificatur.*

CAP. 12. *Paraquarienses Barbari in urbis Assumptionis colonos conjurant.*

CAP. 13. *Alvarus Nunius Prætor novos colonos inducit.*

CAP. 14. *Exploratâ terrâ in Hispaniam deportatur.*

CAP. 15. *De Paraquariæ urbium fundatoribus.*

CAP. 16. *Paraquariæ descriptio.*

CAP. 17. *De Chileni regni urbibus & earum fundatoribus.*

CAP. 18. *Chileni regni descriptio.*

CAP. 19. *De Tucumaniæ rebus.*

CAP. 20. *De primis Tucumaniæ repertoribus, & urbium fundatoribus.*

CAP. 21. *De supradictarum regionum statu.*

CAP. 22. *Catholicorum Regum felicitas & Religionis cura commendatur.*

CAP. 23. *Societas in Tucumaniam accersitur.*

CAP. 24. *Primus Societatis in Tucumaniam adventus, & labores.*

CAP. 25. *Franciscus Angulus & Alfonsus Barsena in Tucumaniæ metropoli Apostolicè elaborant.*

CAP. 26. *Alfonsus Barsena Estecenses ad Fidem adducit.*

CAP. 27. *Franciscus Angulus & Alfonsus Barsena Cordubensem tractum Apostolicè percurrunt.*

CAP. 28. *Socii è Brasilia missi à piratis vexantur, & appellunt.*

CAP. 29. *Cordubensis ditio ab Alfonso Barsena & Emmanuële Ortega utiliter excurritur.*

CAP. 30. *De mirabili Alfonsi Barsenæ & Emmanuëlis Ortegæ transvectione.*

CAP. 31. *Salsi fluminis accolæ Societatis curæ subduntur.*

CAP. 32. *Brasilorum Sociorum primi in Paraquaria labores.*

CAP. 33. *Emmanuël Ortega & Thomas Fildius Guairaniam Apostolicè lustrant.*

CAP. 34. *Socii peste grassante per Paraquariam & Guairaniam multa faciunt memoratu digna.*

CAP. 35. *Emmanuël Ortega plura millia baptizat.*

CAP. 36. *Villaricæ Societatis sedes ponitur.*

CAP. 37. *Ioannis Salonii utiles labores.*

CAP. 38. *Alfonsus Barsena Calchaquinos pacificat.*

CAP. 39. *Alfonsus Barsena Lullos & alios populos Christianos facit.*

CAP. 40. *Petrus Agnascus & Ioannes Fontius in Tucumaniam veniunt.*

CAP. 41. *De prima ad Frontones expeditione.*

CAP. 42. *A Societate Mataranorum cura suscipitur.*

CAP. 43. *Barsena & Agnascus plura Barbarorum idiomata discunt.*

INDEX CAPITUM.

Cap. 44. *Frontonum expeditio disturbatur.*
Cap. 45. *De prima Societatis in Chilenum regnum introductione.*
Cap. 46. *Sociorum Chilenorum domi forisq; egregii labores.*

LIBRI SECUNDI.

Caput 1. *Nova subsidia in Tucumaniam & Paraquariam inducuntur.*
Cap. 2. *Salonius & Lorençana per Paraquariam excurrunt.*
Cap. 3. *Assumptionis urbs à Sociis excolitur.*
Cap. 4. *Guairania lustratur.*
Cap. 5. *Res in Assumptionis & Sanctæ Fidei urbibus benè geritur.*
Cap. 6. *Gaspar Monroius Omaguacis Christo lucrandis insistit.*
Cap. 7. *Piltipicone conciliato pax cum Omaguacis stabilitur.*
Cap. 8. *Reliquæ Omaguacarum res narrantur.*
Cap. 9. *Tucumania multifariàm excolitur.*
Cap. 10. *Orto Chilensi bello fundationes Collegiorum disturbantur.*
Cap. 11. *Alfonsus Barsena moritur, & laudatur.*
Cap. 12. *De Ioannis Salonii morte.*
Cap. 13. *De ultimis Ortegæ & Fildii in Guairania laboribus.*
Cap. 14. *Socii subsidiarii & veterani Tucumaniam excolunt.*
Cap. 15. *De Societatis sede Corduba posita.*
Cap. 16. *Res Christiana apud Diaguitas promovetur.*
Cap. 17. *Numerosum Diaguitarum oppidum ad Christi partes transit.*
Cap. 18. *Quatuor alia oppida Fidem recipiunt.*
Cap. 19. *Socii apud Diaguitas de vita periclitantur.*
Cap. 20. *Lulli & aliæ gentes excoluntur.*
Cap. 21. *Stephanus Paëz Socios Tucumaniæ & Paraquariæ inspicit.*
Cap. 22. *Assumptionis urbs ægerrimè fert Sociorum discessum.*
Cap. 23. *Emmanuëlis Ortegæ vexatio.*
Cap. 24. *Sociorum per Tucumaniam labores.*
Cap. 25. *Ludovicus Valdivia Chilenos Christo & Regi conciliare adlaborat.*
Cap. 26. *Pergit Valdivia Chilenos Barbaros ad partes trahere.*
Cap. 27. *Captivorum memorabilis exitus.*
Cap. 28. *Ludovicus Valdivia in Hispaniam navigat.*
Cap. 29. *Societas Paraquaria metropoli restituitur.*
Cap. 30. *Marcelli Lorençanæ vexator castigatur.*
Cap. 31. *Petrus Agnascus moritur & laudatur.*
Cap. 32. *Reliqui Sociorum per Tucumaniam labores.*

LIBRI TERTII.

Cap. 1. *Peruana Societatis Provincia dividitur.*
Cap. 2. *Claudius Aquaviva jus Provinciæ Paraquariæ concedit.*
Cap. 3. *Didaci Torres ortus, educatio, Religionis tyrocinium, studia, & navigatio.*
Cap. 4. *Gesta ejus in Iulidis & Cuscensi Rectoratu.*
Cap. 5. *Facta ejusdem in variis Peruanæ provinciæ locis.*
Cap. 6. *De Procuratione Didaci Torres.*
Cap. 7. *Quitensem Provinciam fundat.*
Cap. 8. *Ad fundandam Paraquariensem proficiscitur.*
Cap. 9. *Socios in novam provinciam inducit.*
Cap. 10. *Prima Congregatio provincialis celebratur.*
Cap. 11. *Nova Sociorum subsidia ex Europa appellunt.*
Cap. 12. *Portus Boni-aëris Societatis sede occupatur.*
Cap. 13. *De rebus Chileni Collegii.*
Cap. 14. *Societatis sedes apud Araucanos ponitur.*
Cap. 15. *Araucani Indi describuntur.*
Cap 16. *Araucani Indi excoluntur.*
Cap. 17. *Ad insulam Sanctæ Mariæ Socii utiliter navigant.*
Cap. 18. *Chiloë insula temporario Societatis domicilio occupatur.*
Cap. 19. *Castrensis urbs à Sociis excolitur.*
Cap. 20. *Chiloënses Insulani fructuosè à Sociis adeuntur.*
Cap. 21. *Societas ob exagitatum servitium personale vexatur.*

CAP. 22. *Mendoça civitas Societatis sede ornatur.*
CAP. 23. *Cuioënses Indi doctrinâ Christianâ imbuuntur.*
CAP. 24. *Cordubensis sedes vexatur ob servitium personale.*
CAP. 25. *Occasione servitii Personalis sedes Esterensis deseritur.*
CAP. 26. *In Sancti Michaëlis urbe sedes Societatis erigitur.*
CAP. 27. *Calchaquina vallis à Societate pacificatur, & diuturno labore percurritur.*
CAP. 28. *Didacus Torres Conceptionis urbem in Frontonum finibus excolit.*
CAP. 29. *Paraquariæ status.*
CAP. 30. *Guairania describitur.*
CAP. 31. *Iosephus Cataldinus & Simon Maçeta Guairaniæ urbeculas à peccatis expiant.*
CAP. 32. *Societas in Guairania duo oppida fundat.*
CAP. 33. *Ab Societate Paranensium cura suscipitur.*
CAP. 34. *Inter Paranam & Paraquarium Societas oppidum fundat.*
CAP. 35. *Novum oppidum bello affligitur.*
CAP. 36. *Oppidum Divo Ignatio sacrum alio loco inter belli tumultus reædificatur.*
CAP. 37. *Guaicuræorum mores.*
CAP. 38. *Guaicuræorum regio ab Societate aditur.*
CAP. 39. *Societas sedem apud Guaicuræos ponit.*

LIBRI QUARTI.

CAPUT I. *Appellunt subsidiarii, & sedes in portu Boni-aëris stabilitur.*
CAP. 2. *Societas Sanctæ Fidei urbem sede occupat.*
CAP. 3. *Ignatii Loiolæ inter Beatos relati celebritas & miracula.*
CAP. 4. *Didacus Torres Provincialis multa per totam provinciam utiliter ordinat.*
CAP. 5. *Chiloënses insulæ Apostolicè excoluntur.*
CAP. 6. *Ioannes Darius, & Didacus Boroa Diaguitas pacificant & excolunt.*
CAP. 7. *Servitium personale Regiâ authoritate compescitur.*
CAP. 8. *Guaicuræorum Ducis filius baptizatur.*
CAP. 9. *In Assumptionis urbe gesta narrantur.*
CAP. 10. *In Sancti Iacobi Tucumaniæ metropoli Societatis sedes restituitur.*
CAP. 11. *De Antonii Ruisii vitæ primordiis.*
CAP. 12. *Antonii Ruisii vita continuatio.*
CAP. 13. *Guairaniæ Socii rem Christianam egregiè promovent.*
CAP. 14. *In Guairania inter varias turbas res Christiana promovetur.*
CAP. 15. *Paranenses primùm adeuntur.*
CAP. 16. *Guaicuræi utcumque curantur.*
CAP. 17. *De legatione Ludovici Valdiviæ ad Regem Catholicum.*
CAP. 18. *Ludovicus Valdivia finitimos populos rebelles Regi Catholico conciliat.*
CAP. 19. *Ludovicus Valdivia interiores populos cum Prætore pacificat.*
CAP. 20. *De mittendis Sociis deliberatur.*
CAP. 21. *Martinus Aranda, Horatius Bechius & Didacus Montalvanus mactantur.*
CAP. 22. *Martini Aranda vita.*
CAP. 23. *De Horatio Bechio & Didaco Montalvano quædam memorabilia.*
CAP. 24. *Quatuor Societatis sedes stabiliuntur sumptibus Regiis.*
CAP. 25. *Societas privatim publicèq; vexatur.*
CAP. 26. *Didacus Torres Tucumaniam Paraquariamq; lustrat.*
CAP. 27. *Guaicuræi excoluntur.*
CAP. 28. *Guaicuritii primùm ab Romero adeuntur.*
CAP. 29. *Martinus Xaverius Vitasum in Guairaniâ vioritur & laudatur.*
CAP. 30. *Socii in Guairania inter adversa rem Christianam promovent.*
CAP. 31. *Guarambareæ expeditionis initium, progressus & finis.*
CAP. 32. *De Baltazare Senia.*
CAP. 33. *De sedibus novæ Paraquariensis provinciæ.*
CAP. 34. *De primis Paraquariæ Provinciæ Sociis.*
CAP. 35. *De novæ Provinciæ benefactoribus.*

INDEX CAPITUM.

LIBRI QUINTI.

CAPUT 1. *Petrus Oniatus Provinciam iniit.*
CAP. 2. *Num Societati expediat sedes apud Indos ponere.*
CAP. 3. *Paranensis provinciæ descriptio.*
CAP. 4. *Rochus Gonsalvius inferiorem Paranensis Provinciæ partem explorat.*
CAP. 5. *Rochus Gonsalvius Itapuanum oppidum fundat.*
CAP. 6. *Rochus Gonsalvius constructum ab se Sanctæ Annæ oppidum Franciscanis concedit.*
CAP. 7. *De Guaranorum moribus.*
CAP. 8. *De variis Guairaniæ rebus.*
CAP. 9. *Gesta apud Guaicuræos.*
CAP. 10. *De Chileni regni rebus.*
CAP. 11. *Monasterium monialium provinciæ capitibus facessit negotium.*
CAP. 12. *Diploma & sententia Pauli Quinti.*
CAP. 13. *Prætor Paraquariæ ab armorum consilio avocatur.*
CAP. 14. *Iaguapuani oppidi initia.*
CAP. 15. *In Sancti Ignatii oppido turbatur.*
CAP 16. *Iosephus Cataldinus novi oppidi fundamenta jacit in Guairania.*
CAP. 17. *Marcellus Lorençana Guairaniæ Socios inspicit.*
CAP. 18. *De Guaicuræorum rebus.*
CAP. 19. *De Ioannis Vianæ procuratione.*
CAP. 20. *De Collegiornm & sedium in Hispanorum urbibus statu.*
CAP. 21. *Didaci Gonsales Holguini mors.*
CAP. 22. *Calchaquina vallis ab Societate duabus sedibus occupatur.*
CAP. 23. *De Calchaquinorum moribus.*
CAP. 24. *Rochus Gonsalvius primus superiorem Paranæ partem explorat.*
CAP. 25. *Ab Rocho Gonsalvio inferior Paranæ pars sæpè percurritur.*
CAP. 26. *Expeditio ad Tucutienses in Guairania.*

LIBRI SEXTI.

CAPUT 1. *Variis Tucumaniæ in Regionibus per Socios patrata narrantur.*
CAP. 2. *De Chilenorum Sociorum rebus.*
CAP. 3. *De rebus in Guairania gestis.*
CAP. 4. *De Divi Thomæ Apostoli itineribus.*
CAP. 5. *De prima Neophytorum communione.*
CAP. 6. *Egregia Neophyti virtus describitur.*
CAP. 7. *Ludovicus Valdivia multa facit memoratu digna.*
CAP. 8. *Chiloënses Insulæ excoluntur.*
CAP. 9. *De Chunorum & Huillorum moribus.*
CAP. 10. *Melchior Vanegas & Matthæus Stephanus ad Chunos navigant.*
CAP. 11. *Ad Paranam res gestæ narrantur.*
CAP. 12. *Iaguapua sede Societatis occupatur.*
CAP. 13. *Vrvaicensis provinciæ descriptio & inventio.*
CAP. 14. *Rochus Gonsalvius Vrvaicensem provinciam primus adit.*
CAP. 15. *Rochus Gonsalvius Conceptionis oppidum condit.*
CAP. 16. *De Gabriële Perlino.*
CAP. 17. *Variorum Collegiorum res summatim narrantur.*
CAP. 18. *De Calchaquinis Sociis.*
CAP. 19. *Guaicuræorum dux baptizatur.*
CAP. 20. *Gesta Sociorum apud Guaranos.*
CAP. 21. *Ludovicus Valdivia in Europam renavigat.*
CAP. 22. *Chilenorum Sociorum vexationes & labores.*
CAP. 23. *De Æthiopum Baptismis.*
CAP. 24. *De Chileni regni rebus.*
CAP. 25. *De rebus Paranensibus.*
CAP. 26. *Exploratio Vrvaïcæ fluvii disturbatur.*
CAP. 27. *Rochus Gonsalvius oppidum ad Vrvaicam frustra fundare tentat.*
CAP. 28. *Corporis Christi oppidi fundatio.*
CAP. 29. *Iosephus Cataldinus frustra Ibitirambetanos ad oppidum reducere contendit.*
CAP. 30. *De Francisci Vasquii Truxillii procuratione.*
CAP. 31. *Provinciæ status.*

INDEX CAPITUM.

LIBRI SEPTIMI.

CAP. 1. *Initium Provincialatûs Nicolai Durandi varietate rerum consignatur.*

CAP. 2. *De vita & morte Ioannis Vianæ.*

CAP. 3. *Ignatius & Xaverius recenter inter Sanctos relati celebrantur.*

CAP. 4. *De variis rebus per Chilenum regnum gestis.*

CAP. 5. *De vita & moribus Melchioris Vanegæ.*

CAP. 6. *Per Chiloënses Insulas gesta narrantur.*

CAP. 7. *Iarosii explorantur.*

CAP. 8. *Guaicuræi excoluntur.*

CAP. 9. *De Paranensium Sociorum rebus.*

CAP. 10. *De Lauretana Virgine.*

CAP. 11. *De vita & morte Ioannis Vasæi.*

CAP. 12. *Apud Ibitirambetanos Guairaniæ populos Socii Divi Xaverii sedem construunt.*

CAP. 13. *In Taiaobæ terrarum aditu Antonii Ruisii comites septem mactantur.*

CAP. 14. *De cæteris rebus per Guairaniam gestis.*

CAP. 15. *Riocensis Collegii initia & gesta per Tucumaniam narrantur.*

CAP. 16. *De expeditione ad Cuioënses & morte Dominici Gonsales.*

CAP. 17. *Acaraiense oppidum ab Societate ædificatur.*

CAP. 18. *Obstaculum Evangelicæ prædicationis ab Vrvaïca amovetur.*

CAP. 19. *De Ioannis Quaracii Arioli moribus & morte.*

CAP. 20. *De Thomæ Fildii vita & morte.*

CAP. 21. *Apud Tucutienses in Guairania Sancti Iosephi oppidum conditur.*

CAP. 22. *De itinere ab Antonio Ruisio aperto & Divi Xaverii coloniæ augmento.*

CAP. 23. *Apud Taiatienses in Guairania Incarnationis oppidum fundatur.*

CAP. 24. *Socii variis in Guairaniæ locis de vita periclitantur.*

CAP. 25. *Chilense regnum ab provincia avellitur.*

CAP. 26. *Ioannis Romeri vitæ initia, Religionis tyrocinium, navigatio, & primi in Peruvia labores.*

CAP. 27. *Ejusdem gesta variis in locis & procuratione Romana.*

CAP. 28. *Reliquæ Ioannis Romeri exercitationes & virtutes.*

CAP. 29. *De Comitiis provincialibus & Gisparis Sobrini in Europam navigatione.*

CAP. 30. *Iguazuani oppidi fundatio.*

CAP. 31. *Apud Piratinienses ad Vrvaicam Sancti Nicolai oppidum ædificatur.*

CAP. 32. *Rochus Gonsalvius inferiorem Vrvaicæ partem explorat.*

CAP. 33. *Nicolaus Durandus Provincialium primus in Guairaniam penetrat.*

CAP. 34. *Nicolaus Durandus Guairaniam lustrat.*

CAP. 35. *Nicolaus Durandus Paranam inspicit.*

CAP. 36. *Inter excitatas turbas duo ad Vrvaicam oppida ab Societate exstruuntur.*

CAP. 37. *De rebus apud Iapeivienses factis.*

LIBRI OCTAVI.

CAPUT 1. *Didaci Torres vitæ postrema.*

CAP. 2. *Rochus Gonsalvius ad Ibicuitum oppidi fundamenta jacit.*

CAP. 3. *Barbari oppidi surgentis opus disturbant.*

CAP. 4. *Caasapaminiensis colonia ædificatur sub nomine Candelariæ.*

CAP. 5. *Gesta apud Iguazuanos.*

CAP. 6. *Michaël Sotomajor moritur.*

CAP. 7. *Exempla virtutum in Assumptionis urbe exhibita.*

CAP. 8. *Sancti Pauli oppidum in Guairania conditur.*

CAP. 9. *In Taiaobæ terris novi oppidi fundamenta jaciuntur.*

CAP. 10. *Taiaobani oppidi fundamenta bello concutiuntur.*

CAP. 11. *Antropophagorum cerimoniæ in mactatione captivorum.*

CAP. 12. *Archangelorum oppidum in Taïaobæ terris fundatur.*
CAP. 13. *Expeditio ad campestres populos frustratur.*
CAP. 14. *De reliquis Guairaniæ rebus.*
CAP. 15. *De Chaquensi expeditione.*
CAP. 16. *De procuratione Gasparis Sobrini.*
CAP. 17. *De subsidiariorum Sociorum periculo.*
CAP. 18. *De Gaspare Sobrino.*
CAP. 19. *Caaroënses & Iiviſenſes Religioni utcumque conciliantur.*
CAP. 20. *Apud Iiviſenſes Rochus Gonſalvius Aſſumptionis oppidum condit.*
CAP. 21. *Apud Caaroënſes Sanctorum omnium colonia fundatur.*
CAP. 22. *Barbari in necem Sociorum conſpirant.*
CAP. 23. *Rochus Gonſalvius & Alfonſus Rodericius mactantur.*
CAP. 24. *Geſta poſt utriuſque necem.*
CAP. 25. *Rochi Gonſalvii cor portentosè loquitur.*
CAP. 26. *Sociorum occiſorum cadavera recuperantur.*
CAP. 27. *Petrus Romerus ad necem quæritur.*
CAP. 28. *Ioannes Caſtillius trucidatur.*
CAP. 29. *Geſta poſt Ioannis Caſtillii necem ab Niezuvio.*
CAP. 30. *Parricidæ ad occidendos Piratinienſes Socios convolant.*
CAP. 31. *Iiviſenſes caſtigantur.*
CAP. 32. *De Caaroënſibus vindicta ſumitur.*
CAP. 33. *Exuviæ occiſorum Sociorum in tutum recipiuntur & honorantur.*
CAP. 34. *Rochi Gonſalvii vitæ tenor & virtutes.*
CAP. 35. *Alfonſi Rodericii vita.*
CAP. 36. *De Ioannis Caſtillii moribus.*
CAP. 37. *Gualachi excoluntur & apud eos Conceptionis oppidum fundatur.*
CAP. 38. *Guiravera ad Chriſti Fidem ſollicitatur.*
CAP. 39. *Mamalucorum adventus.*
CAP. 40. *Sanctorum Michaëlis & Antonii oppida conduntur.*
CAP. 41. *Sancti Thomæ oppidi fundatio.*
CAP. 42. *In Boni-aëris portu turbatur.*
CAP. 43. *De Nicolao Durando Maſtrillo Provinciali.*

LIBRI NONI.

CAPUT 1. *In Tucumaniæ & Boni-aëris regionibus geſta narrantur.*
CAP. 2. *De expeditione Gasparis Oſorii ad Chaquenſes.*
CAP. 3. *Alfonſius Aragona & Didacus Vaſſaurus moriuntur.*
CAP. 4. *In Niezuvium movetur.*
CAP. 5. *In Iguaſuana colonia turbatur.*
CAP. 6. *De cæteris Paranæ rebus.*
CAP. 7. *Caaroënſis oppidi reſtauratio urgetur.*
CAP. 8. *Caaroënſe oppidum reſtauratur.*
CAP. 9. *Divi Franciſci Xaverii coloniæ fundatio.*
CAP. 10. *IESV-Mariana colonia in Guairania conſurgit.*
CAP. 11. *In IESV-Mariano oppido variè turbatur.*
CAP. 12. *De Mamalucorum origine, moribus & ſociis.*
CAP. 13. *Occaſio Guairaniæ depopulationis.*
CAP. 14. *Mamaluci oppidum Divi Antonii depopulantur.*
CAP. 15. *Divi Michaëlis oppidi depopulatio.*
CAP. 16. *IESV-Marianæ coloniæ devaſtatio.*
CAP. 17. *Geſta poſt depopulationem narrantur.*
CAP. 18. *Simon Maçeta & Iuſtus Vanſurkius latrones uſque in Braſiliam inſequuntur.*
CAP. 19. *Per totam Guairaniam res turbantur.*
CAP. 20. *Loquacia Ariolorum oſſa venerationi ſubducuntur.*
CAP. 21. *Inſignis veterator exploditur.*
CAP. 22. *Sancti Petri oppidum apud Gualachos fundatur, & apud eoſdem egregiè laboratur.*
CAP. 23. *De Calchaquinorum rebellione.*
CAP. 24. *De Caaiguarum moribus.*
CAP. 25. *De expeditione ad Caaïvas.*
CAP. 26. *Ad Vrvaicam Aſſumptæ Virginis oppidum conſtruitur.*
CAP. 27. *Ibapirius debellatur.*
CAP. 28. *Ad Vrvaicam duorum oppidorum fundamenta jaciuntur.*
CAP. 29. *Simon Maçeta in Braſilia fruſtra procurat captivorum libertatem.*

Cap. 30. *JESV-Marianum oppidum utcumque restauratur.*
Cap. 31. *In Guairania multa fiunt memoratu digna.*
Cap. 32. *Sancti Pauli oppidum devastatur, & Incarnationis colonia describitur.*
Cap. 33. *Socii in Guairania & alibi variè vexantur.*
Cap. 34. *Societas per Tucumaniam egregiè laborat.*
Cap. 35. *Apud Caapienses & Caasapaguaçuenses oppida conduntur.*
Cap. 36. *Tapensis provincia primùm aditur.*
Cap. 37. *Socii Vrvaicenses peste afflatis opitulantur.*
Cap. 38. *Apud Iguazuanos gesta narrantur.*
Cap. 39. *De reliquis Paranæ rebus.*
Cap. 40. *Sanctorum Xaverii & Iosephi coloniarum depopulatio.*
Cap. 41. *De deferendis Taiobanæ factionis oppidis agitur.*
Cap. 42. *Tria oppida Taiobanæ factionis transmigrant.*
Cap. 43. *Duæ coloniæ in Gualachorum regione positæ ab Mamalucis deseruntur.*
Cap. 44. *Transmigrantium calamitates describuntur.*
Cap. 45. *De transmigratione Lauretani, & Sancti Ignatii oppidorum agitatur.*
Cap. 46. *Lauretani & Ignatiani transmigrant.*
Cap. 47. *De continuanda transmigratione consilia capiuntur.*
Cap. 48. *Societas ad Itatinensem provinciam Christo subjugandam invitatur.*

LIBRI DECIMI.

Caput 1. *Per Tucumaniam gesta congeruntur.*
Cap. 2. *Inter belli tumultus Socii multa agunt memoratu digna.*
Cap. 3. *Marcellus Lorençana moritur & laudatur.*
Cap. 4. *Francisci à Valle mors.*
Cap. 5. *Guairanii transmigrationem continuant.*
Cap. 6. *Transmigratores ab Vrvaicensibus & Paranensibus liberaliter excipiuntur.*
Cap. 7. *Transmigratores oppida reædificant.*
Cap. 8. *Antonii Ruisii tolerantiæ religiosæ exempla.*
Cap. 9. *Tapensis provinciæ descriptio.*
Cap. 10. *Oppidi Sancti Michaëlis fundatio.*
Cap. 11. *Sancti Thomæ oppidum constituitur.*
Cap. 12. *Alia loca fundandis oppidis designantur.*
Cap. 13. *De Vrvaicensium Sociorum laboribus.*
Cap. 14. *Sociorum Vrvaicensium labores.*
Cap. 15. *De Guaranæ gentis Matrimoniis.*
Cap. 16. *Itatinensis provincia describitur.*
Cap. 17. *Iacobus Rançonierius primus Itatinensem provinciam explorat.*
Cap. 18. *Societas in Itatinensi regione quatuor oppida fundat.*
Cap. 19. *De Itatinensium Sociorum laboribus & ulterioribus spebus.*
Cap. 20. *Sancti Iosephi colonia destruitur.*
Cap. 21. *Angelorum coloniæ depopulatio.*
Cap. 22. *Divorum Petri & Pauli oppidum Mamaluci destruunt.*
Cap. 23. *Gesta post devastationem oppidorum in Itatinensi provincia.*
Cap. 24. *De rebus in Tucumania gestis.*
Cap. 25. *Ioannis Darii ortus, educatio, & officia.*
Cap. 26. *De quibusdam Ioannis Darii virtutibus.*
Cap. 27. *De cæteris ejusdem actis & dotibus.*
Cap. 28. *In Paraquaria Socii vexantur.*
Cap. 29. *Acaraienses & Iguazuani transmigrant.*
Cap. 30. *De Vrvaicensibus coloniis*
Cap. 31. *Sanctorum Michaelis & Thomæ oppidorum incrementa.*
Cap. 32. *Sancti Iosephi oppidum fundatur.*
Cap. 33 *Nativitatis Virgineæ colonia apud Araricanos ponitur.*
Cap. 34. *Sanctæ Annæ oppidi fundatio.*
Cap. 35. *Oppidi Sanctæ Theresiæ initia.*
Cap. 36. *Sancti Ioachimi oppidi initia.*
Cap. 37. *Franciscus Vasquius Provincialis Indorum oppida lustrat.*
Cap. 38. *Apud Itatinenses duo oppida reædificantur.*
Cap. 39. *Status provinciæ sub Francisco Vasquio Provinciali.*

INDEX CAPITUM.

LIBRI UNDECIMI.

CAPUT 1. *Didacus Boroa præfecturam init, & Socii per Tucumaniam rem benè gerunt.*

CAP. 2. *Expeditio ad Chiriguanas.*

CAP. 3. *Didacus Boroa Paranam lustrat.*

CAP. 4. *Didacus Boroa Vrvaïcam inspicit.*

CAP. 5. *Didacus Boroa cismontana Tapensis provinciæ oppida adit.*

CAP. 6. *Didacus Boroa ad Tapensis provinciæ colonias trans Igaïm positas pergit.*

CAP. 7. *Didacus Boroa oppida Tapensis provinciæ cis Igaïm posita perspicit.*

CAP. 8. *De reliquis Missionariorum rebus.*

CAP. 9. *Petrus Spinosa à Barbaris trucidatur.*

CAP. 10. *Petri Spinosæ vita.*

CAP. 11. *Convictus Esterensis & Estecense Collegium dissolvuntur.*

CAP. 12. *Didacus Boroa utiliter provinciæ partem lustrat.*

CAP. 13. *Gesta per provinciæ Collegia narrantur.*

CAP. 14. *Imago Beatæ Virginis in Sanctæ Fidei Collegio portentis claréscere incipit.*

CAP. 15. *De particularibus Paranæ rebus.*

CAP. 16. *Socii Vrvaicenses multa faciunt memoratu digna.*

CAP. 17. *Ad Tebiquarim utiliter excurritur.*

CAP. 18. *De variis rebus per Tapensem provinciam patratis.*

CAP. 19. *Christophorus Mendoça captivos in libertatem asserit.*

CAP. 20. *Christophorus Mendoça variarum regionum populos sollicitat ad Fidem.*

CAP. 21. *Christophorus Mendoça ab Ibiaënsibus mactatur.*

CAP. 22. *Supplicium de occisoribus sumitur.*

CAP. 23. *Series vitæ Christophori Mendoçæ.*

CAP. 24. *Arioli post factam multorum hominum & infantûm stragem reprimuntur.*

CAP. 25. *Ob defensionem Indorum Societas vexatur.*

CAP. 26. *De procuratione Ioannis-Baptistæ Ferrusini.*

CAP. 27. *Itatinenses Socii variè afflictantur.*

CAP. 28. *De vita & morte Didaci Rançonierii.*

CAP. 29. *Antonii Ruisii præfecturæ initium adversis rebus insignitur.*

CAP. 30. *IESV-Marianum oppidum à Mamalucis destruitur.*

CAP. 31. *Sancti Christophori coloniæ devastatio.*

CAP. 32. *Sanctæ Annæ incolæ oppidum suum deserunt.*

CAP. 33. *Gesta post devastationem oppidorum narrantur.*

LIBRI DUODECIMI.

CAPUT 1. *De Cæsaris Gratiani & Blasii Gutieres virtutibus.*

CAP. 2. *Cordubæ Comitia provincialia celebrantur.*

CAP. 3. *De reliqua Antonii Ruisii vita.*

CAP. 4. *De Antonii Ruisii virtutibus & quibusdam memorabilibus.*

CAP. 5. *Sancti Ioachimi oppidum destruitur.*

CAP. 6. *Sanctæ Theresiæ colonia ab Mamalucis vastatur.*

CAP. 7. *Per Tapensem provinciam variè turbatur.*

CAP. 8. *Gesta apud Vrvaicenses narrantur.*

CAP. 9. *Nicolaus Enartius moritur & laudatur.*

CAP. 10. *De rebus Cordubensium Sociorum.*

CAP. 11. *Variæ excursiones per Tucumaniam factæ.*

CAP. 12. *Apud Ocloias oppidum conditur.*

CAP. 13. *Divi Caroli & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli oppida ab Mamalucis destruuntur.*

CAP. 14. *Post iteratam pugnam Neophyti oppida deserunt.*

CAP. 15. *Variâ fortunâ pugnatur, & Divi Nicolai oppidum cis Vrvaicam retrahitur.*

CAP. 16. *Mamaluci ab Neophytis fugantur.*

CAP. 17. *Tapensis provinciæ transmigrationis initium.*

CAP. 18. *Tapensis transmigratio continuatur.*

CAP. 19. *Transmigrationis difficultates describuntur.*

CAP. 20. *Neophytis Europæa arma concedunt.*

CAP. 21. *Post transmigrationem fugitivorum receptacula indagantur.*

CAP. 22. *Expeditio ad sylvestres Paranæ popopulos.*

Cap. 23. *Itatinenſes variis calamitabus afflictantur.*
Cap. 24. *Socii per Tucumaniam fructuosè excurrunt.*
Cap. 25. *Oclaiarum oppidum traditur Franciſcanis.*
Cap. 26. *Gaſpar Oſorius & Antonius Riparius ad Chaquenſem provinciam pergunt.*
Cap. 27. *Gaſpar Oſorius & Antonius Riparius trucidantur.*
Cap. 28. *De Gaſpare Oſorio memorabilia.*
Cap. 29. *Antonii Riparii vita.*
Cap. 30. *Ioannis Cerecedæ & Gonſalvii Iuſtæ virtutes.*
Cap. 31. *Didacus Alfarus ab Mamalucis mactatur.*
Cap. 32. *Didaci Alfari vita.*
Cap. 33. *Claudius Ruïerius Alfari ſucceſſor Neophytos ad Caracaras domandos mittit.*
Cap. 34. *Geſta in Aſſumptionis urbe narrantur.*
Cap. 35. *Didacus Boroa Itatinenſem regionem luſtrat.*
Cap. 36. *Per Tapenſem regionem excurritur.*
Cap. 37. *Expeditio ad Iiviſenſes.*
Cap. 38. *Exploratur Vrvaicæ pars ſuperior.*
Cap. 39. *De Calchaquinenſi bello.*
Cap. 40. *De reſiduis rebus ad Paranam & Vrvaicam geſtis.*
Cap. 41. *De procuratione Franciſci Diaſtanii.*
Cap. 42. *De turbis Ianuarienſibus.*
Cap. 43. *In Sanctorum & Divi Pauli oppidis perniciosè turbatur.*
Cap. 44. *Indorum defenſores commendantur.*
Cap. 45. *Franciſci Diaſtanii & ſubſidiariorum Sociorum appulſus.*
Cap. 7. *Mamaluci cum Neophytis infeliciter pugnant.*
Cap. 8. *Poſt pugnam geſta narrantur.*
Cap. 9. *Puellæ duæ ab Mamalucorum ſervitute ſe redimunt.*
Cap. 10. *Multi ex eadem captivitate ſe liberant.*
Cap. 11. *Franciſcus Lupercius Paranam & Urvaicam luſtrat.*
Cap. 12. *Ex Cordubenſi Collegio utiliter excurritur.*
Cap. 13. *Eſterenſium Sociorum expeditones.*
Cap. 14. *Horatius Morellius moritur & laudatur.*
Cap. 15. *In aliis Collegiis res geſtæ narrantur.*
Cap. 16. *Ludi ſæculares celebrantur in Hiſpanorum urbibus.*
Cap. 17. *Ab Indis Societatis primum ſæculum etiam exornatur.*
Cap. 18. *Conjugum felix transfugium.*
Cap. 19. *Duæ puellæ fugâ è captivitate clabuntur.*
Cap. 20. *Neophytorum vexatores caſtigantur.*
Cap. 21. *De Alfonſo Nieto de Herrera.*
Cap. 22. *De Collegii Cordubenſis rebus.*
Cap. 23. *De Ioannis Dias Ocaniæ vita, & de miſſionibus Cordubenſibus.*
Cap. 24. *Iter fruſtra tentatur ad Chaquenſem provinciam.*
Cap. 25. *Apud Calchaquinos multa fiunt memoratu digna.*
Cap. 26. *De vita & morte Petri Marques.*
Cap. 27. *De rebus Vrvaicenſibus.*
Cap. 28. *Franciſcus Lupercius Itatinenſes luſtrat.*
Cap. 29. *Expeditio ad Villaricanos.*

LIBRI DECIMI-TERTII.

Caput 1. *Franciſcus Lupercius ſtatum ſuæ Provinciæ inſpicit.*
Cap. 2. *Socii per Tucumaniam egregiè laborant.*
Cap. 3. *Apud Calchaquinos ſedes Societatis reſtituitur.*
Cap. 4. *Ex itinere ad Abipones Matarani excoluntur.*
Cap. 5. *Expeditio ad Abipones.*
Cap. 6. *De Abiponum moribus.*

LIBRI DECIMI-QUARTI.

Cap. 1. *De conſecratione Epiſcopi Paraquarienſis controvertitur.*
Cap. 2. *Societas reperti ad Vrvaicam auri falsò accuſatur.*
Cap. 3. *Iterum iterumq; inquiritur in aurum Vrvaicenſe.*
Cap. 4. *Calumniæ author palinodiam canit & caſtigatur.*
Cap. 5. *Duo Senatores Regii rurſum in aurum inquirunt.*

INDEX CAPITUM.

Cap. 6. *Criminatio de missо extra Americam Vrvaicensi auro exploditur.*
Cap. 7. *Calumnia de impeditis ab Societate Regiis vectigalibus expungitur.*
Cap. 8. *De utilitate Sociorum Europæorum.*
Cap. 9. *Aliæ sycophantiæ de traductione catecheseos diluuntur.*
Cap. 10. *Societatis de consecratione sana doctrina.*
Cap. 11. *De Sociis Cordubensibus.*
Cap. 12. *Res gestæ per varia loca carptim narrantur.*
Cap. 13. *Mulier vidua pro servanda castitate mactatur.*
Cap. 14. *Apud Itatinenses in Foïensi oppido graviter turbatur.*
Cap. 15. *Petrus Romerus ultra Paraquarium facem Evangelicam infert.*
Cap. 16. *Petrus Romerus Divæ Barbaræ oppidi fundamenta jacit.*
Cap. 17. *Barbari in necem Petri Romeri & Sociorum conjurant.*
Cap. 18. *Petrus Romerus, Matthæus Fernandius & Gonsalvius Neophytus mactantur.*
Cap. 19. *Gesta post Petri Romeri necem.*
Cap. 20. *Petri Romeri vitæ series.*
Cap. 21. *De Petri Romeri oratione, mortificatione, & obedientia.*
Cap. 22. *De cæteris Petri Romeri virtutibus.*
Cap. 23. *Ioannes Baltodanus moritur & laudatur.*
Cap. 24. *Provinciæ status.*

FINIS.

APPRO-

APPROBATIO ORDINARII.

HIstoria Provinciæ Paraquariæ Societatis JESU, Authore Patre NICOLAO DEL TECHO Societatis ejusdem Sacerdote, Gallo-belga Insulensi, typis dari poterit. Datum Leodii vigesimâ-octavâ Maii 1673.

JO. ERNEST. BARO DE SURLET
Canonicus & Vicar. generalis Leodien.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

DIDACUS DE VALDES Societatis JESU in Provincia Toletana Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi factâ à Reverendo Admodùm Patre nostro JOANNE PAULO OLIVA Præposito Generali, facultatem facio, ut liber inscriptus *Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis IESV, Authore Patre* NICOLAO DEL TECHO *Societatis ejusdem Sacerdote, Gallo-Belga Insulensi*, & ejusdem Societatis gravium, doctorumque hominum judicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostrâ subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. In hoc nostro Collegio Societatis JESU Villaregiensi, die secundâ Decembris, Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo-primo.

DIDACUS DE VALDES.

Locus (✠) *sigilli.*

PROTESTA-

PROTESTATIO.

CUM Sanctissimus D. N. Urbanus Papa VIII. die 13. Martii anno 1625. in Sacra Congregatione S. R. & Universalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5. Julii anno 1634. quo inhibuit, imprimi libros hominum, qui Sanctitate, seu Martyrii famâ celebres è vita migraverunt, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia, tanquàm eorum intercessionibus à Deo accepta, continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarii, & quæ hactenùs sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Junii 1631. ita explicaverit, ut nimirùm non admittantur Elogia Sancti, vel Beati, absolutè, & quæ cadunt super personam: benè tamen ea, quæ cadunt suprà mores, & opinionem; cùm protestatione in principio, quòd iis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes auctorem. Huic Decreto, ejusque confirmationi, & declarationi, observantiâ, & reverentiâ, quâ par est, insistendo; profiteor me haud alio sensu, quicquid in hoc Libro refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humanâ dumtaxat authoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur. Iis tantummodò exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo adscripsit.

HISTO-

HISTORIÆ PROVINCIÆ PARAQUARIÆ SOCIETATIS JESU.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I. Institutum operis & divinæ opis imploratio.

AMERICA est omnis in Borealem & Australem divisa partem. Pars Australis gemino circumfusa mari, Peruanos & Brasilos ad utrumque littus aliquousque protensos habet: neutris ad interiora terræ multùm se recipientibus, nisi quà argenti aurique fames, aut bonitas glebæ, hinc Lusitanos, inde Hispanos allicit. Quidquid verò inter Brasiliam, & Peruviam terrarum est, & deinceps inter mare Athlanticum, Pacificumque, longissimo tractu ad fretum usque Magellanicum intercipitur, id omne fermè Chileni, Tucumanes, Paraquariique, & iis subcensitæ regiones latissimè habitant. Porrò novus hic orbis, ad normam veteris, in duas ingentes peninsulas isthmo distractus, proximè elapso sæculo, externum imperium bono suo pati coactus est: nam inde factum singulari Dei beneficio, & Catholicorum Regum incredibili curâ, sumptuque, ut quaquà latè imperat Hispanus, regnet etiam Fides Christiana: quòd si aliquæ nationes hactenus Christum non agnoverint, non Hispano Regi, sed aut Barbarorum pervicaciæ, aut, quod ubique fieri solet, privatorum quorumdam mortalium moribus, vitio verti debet. Cæterùm quid per reliquam Americam ab Societate JESU ad introducendam conservandamque Fidem Christianam gestum sit, alii narrabunt: mihi verò jussu Majorum res Paraquatiæ, Tucumaniæ, & Chilensis regni, latissimarum ad Austrum regionum, quæ anno millesimo sexcentesimo septimo in unam Societatis provinciam coaluerunt, compendiosè scripturo, commodum visum est de Hispanorum in eas terras ingressu, de fundatis ab iisdem urbibus, de Sacrorum prima introductione, & rerum ante fundationem provinciæ ab Societatis hominibus gestarum primordiis, duobus initialibus libris pauca prælibare, ut reliqua deinde magis in comperto sint: placuit enim Orlandinum imitari, qui res ab Divo Ignatio, & primis ejus sociis ante Societatis confirmationem patratas, totidem libris summatim comprehendit, antequam fundatæ Societatis initia progressumque explicatiùs per annos digerat. Nec displicet magnorum virorum exemplo rerum scribendarum authoritati fideique præcavere, obtentu Religiosæ professionis mendaciorum securæ, & veritati consecratæ.

Tu verò bonorum omnium author Deus (nam Numine non invocato, & sine divinis auspiciis, Religiosum scriptorem calamum exerere non decet.) Tu, inquam, qui vires tot Societatis nostræ Heroibus in his Australibus novi Orbis regionibus ad dilatandum Christianum imperium infudisti, mihi etiam eadem vestigia ab quinque jam lustris non æquis passibus sequenti, assiste. Tu stilum Latinũ longo barbaricæ linguæ usu obtusum, Sedium tuarum assistricis Sapientiæ cote exacue, & si quid pro conditione humani judicii aberret, in rectum veritatis tramitem suaviter reduc. Tu rerum scribendarum in infinita prope copia delectum suggere, ut ad posteras ætates, longinquosque populos dexteræ Tuæ operâ, pro augenda Tui Nominis & servorum tuorum gloria, non omninò indecorè transmittantur.

CAPUT II. Lusitani primi Paquariam infæliciter explorant.

BELLUM Pizarrus in Americam intulerat, & Hispani, eo duce, Ingæ Regis divitiis intenti, maximam terrarum partem mari Pacifico adjacentem occupatum ibant; cùm pluribus insedit animus per maris Atlantici littora viæ compendium inquiri posse, quo minori periculo circumductuque Peruvia, quam auri argenti-

que feraciſſimam fama vulgaverat, adiretur. Primus, quod ſciam, tentandi itineris author fuit Martinus Soſa, qui pro Joanne ſecundo Luſitaniæ Rege Braſiliam in colonias diviſerat, rexeratque, & optabat Hiſpanorum æmulatione, novarum terrarum detectione Regi ſuo utilitatem adferre. Quod ut aſſequeretur, Alexium Garciam ingentis audaciæ virum cum filio & tribus Luſitanis, frequentique Indorum comitatu ex Auſtrali Braſilia, quantum viribus humanis eniti poſſet, interiores Americæ populos exploratum amandat: qui, poſt emenſa trecentarum leucarum ſpatia terreſtri itinere, ad Paraquarii fluminis vicina loca cùm perveniſſet, ut erat non unius linguæ Barbaricæ & tractandorum Indorum peritus, effecit ut duo Paraquarienſium circiter millia ſibi, ceu duci, lubenter adhærerent, quibuſcum militari more, in Peruviæ fines, vivente adhuc Ingâ Rege, delatus, multam vim argenti infecti factique prædabundus corraſit. Quibus ſpoliis onuſtus, duobus è comitibus ſuis Luſitanis in Braſiliam auxilii ergò miſſis, in Paraquariam rediens, fœdum in modum à Barbaris trucidatus eſt. Alexii filio ob ætatem rebus agendis inutilem, Barbari pepercêre: cujus pater apud poſteros memorabilis erit, qui tantillo comitatu, nondum explorato itinere, quidquid ferè terrarum eſt inter utrumque Americæ Auſtralis mare, per ferociſſimos populos & viarum difficultates emetiri primus auſus, docuit nihil impervium hominibus mortem famæ & poſterorum utilitati poſtponentibus. Cùm verò Alexii comites in Braſiliam reduces multa de detectis populis, de Paraquarienſium amicitia, & Regis Ingæ divitiis narrarent: & inſuper argenti aurique fruſta pro indubitato rei teſtimonio oſtentarent, magna alacritas, ſtudiumque iterandæ expeditionis omnibus injectum eſt. Quare ſexaginta Luſitani, & Braſilorum affatim, Georgio Sedenio duce, in auxilium Alexio Garciæ, quem vivere credebant, per eadem pericula mittuntur. Quibus Paraquario jam proximis, Indi Alexianæ necis complices, vindictæ metu, commeatum pernegant, mox in reluctantes involant; Georgium Sedenium inter primos dimicantem occîdunt, cæteros fugant. Fugati à Barbaris Paranenſibus in cymbas carioſas excepti, ubi ad medium fluminis pervenêre, ſubducto luto, quo Indi picis loco utuntur, cum cymbis armati ſubmerguntur, mactanturque: Paranenſibus ob nuditatem per notas aquas ad littora enatantibus. Sic Luſitanorum ſpes, imprudentiâ Sedenii, aut perfidiâ Barbarorum, evanuit, Deo Paraquariam, & adjacentes Regiones Catholicis Regibus reſervante.

Alexius Garcia Paraquartum primus detegit.

Georgii Sedenii & ſociorum cades.

CAPUT III.

Hiſpani fluvium Argenteum & Paquarium pro Rege Catholico primi occupant.

PAULO poſtquam hæc geſta ſunt, Sebaſtianus Gavotus rei nauticæ peritus, qui pro Rege Angliæ Virginiam inſulam invenerat, Carolo Quinto Cæſari ſe ſiſtit, ſpondens, ſi ſineretur, per oram ipsâ Braſiliâ Auſtraliorem aperturum ſe breviſſimum in Peruviam iter, aut Americæ Auſtralis interiora detecturum. Placuit ea res Cæſari ad ſpem ditiſſimi dominii inhianti, & omnes vias ad præoccupandas novi orbis nobiliſſimas provincias indaganti: quocirca ſtatim quatuor naves armari, & trecentis militibus inſtructas Gavoto tradi jubet, qui anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo tranſmiſſo Athlantico mari in flumen Argenteum (cujus oſtium & littora ante quindecim annos Joannes Solis Hiſpanus, & quadriennio poſt Magallanes luſtraverant) invectus, adverſo eo tandiu navigavit, donec in eâ parte ſe ſiſteret, ubi Urvaica flumini Argenteo commiſceatur: inde Alvarum Ramonem Urvaicæ littorales populos exploratum miſit: qui triduo poſtquam diſceſſerat, nave ad ſirtes alliſâ convulsâque à Barbaris cum magna comitum parte trucidatur. Sed Gavotus conſtructo ad oſtium Carcaranialis in flumen Argenteum influentis Sancti-ſpiritus caſtro, centum & quinquaginta leucas adverſo fluvio emenſus, ibi tandem anchoras fixit, ubi Paraquarium magnam aquarum molem in flumen Argenteum evolvit. Adverſo verò Paraquario quadraginta leucas progreſſus, devictis qui obſiſtebant Barbaris, tandem ea littora attigit, in quibus Alexium Garciam Luſitanum ab Paraquarienſibus ſpoliatum interfectumque docuimus: Ibi dum Gavotus explorat omnia, multa ex argento inſtrumenta in Barbarorum teſquis cùm repetiſſet, neſcius Alexianæ peregrinationis & cladis, æſtimans eas eſſe Paraquarii fluminis nativas divitias, raptim omnia à Barbaris redimit: & quaſi

1530. Sebaſtiani Gavoti navigatio.

Alvarus Ramon cæditur.

Caſtrum Sancti-Spiritus.

jam

jam negotium ingens patraviſſet, munito Sancti-Spiritus caſtro, relictoque ad præſidium duce Nunio Larâ cum centum & viginti militibus in Hiſpaniam properè renavigavit.

CAPUT IV.

Barbari in primos fluminis Argentei colonos inſurgunt 1531.

POST Gavoti diſceſſum Nunius Lara, contractâ cum vicinis populis amicitiâ, utcumque ſe ſuſtentavit, donec Mangora Timbuſiorum dux commercii ergo ad Hiſpanorum caſtrum frequenter ventitans flammas illiciti amoris conciperet, quas ei excitabat formoſæ mulieris aſpectus. Non latuit Luciam Mirandam (ſic matrona vocabatur) & Sebaſtianum Hurtadum ejus conjugem apud Aſtigitanos in Bæticâ natos Barbari procacitas: quare illa inter honeſtatis clauſtra ſe coarctans ita dona coram marito ab Barbaro recipiebat, ut ſatis oſtenderet nolle ea eſſe perverſi amoris pignora. Mangora tamen omnem viam tenebat eâ fruendi; quare ſpecie benevolentiæ apud Sebaſtianum Hurtandum contendit, ut remiſſionis ergò ad ſuas terras cum conjuge ire ne gravaretur, ibi omni officiorum genere ab ſuis popularibus exceptum & largè donatum iri. Sed carior Sebaſtiano erat quâvis ſpe uxoris integritas, quapropter apud Barbarum excuſat militiæ peregrinæ leges eas remiſſiones non permittentis, & ſeveriùs inter externos vivere jubentis. Mangora fruſtratâ ſpe ferox, Siripo germano fratre in partes tracto, omnes Hiſpanos perdere deſtinat, ut unicâ abutatur muliere. Nec diu fuit cùm ſeſe homini commoda occaſio obtulit: cognito enim ab Nunio Larâ caſtri præfecto Ruiſium Moſqueram & Sebaſtianum Garciam Luciæ conjugem cum quadraginta militibus ad proximas inſulas annonæ contrahendæ ergò amandatos fuiſſe, Mangora quater mille Barbaros raptim armari & in paludibus Hiſpanorum caſtro vicinis clam collocatos ſignum invaſionis expectare jubet: ipſe interim triginta juvenes cibis onuſtos, prout ſolebat, in caſtrum inducit, illataque ſubſidia ſummâ diſſimulatione largiens cum Hiſpanis in multam noctem largiter epulatur: donec omnibus pænè ſomno ſepultis, partitis inter comites proditionis conſcios officiis, armamentario ignem injiceret, excubitores mactaret, portas dirueret, & admiſſis popularibus in Hiſpanos ſopitos attonitosque incurreret. Multi antequam peti ſe ſcirent ſagittis tranſadiguntur: alii proditionis adhuc neſcii, ad extinguendum ignem ſolliciti dum properant, mactantur: pauculi in caſtri aream per cuneos eniſi magnam Barbarorum ſtragem fecerunt: inter quos Nunius Lara multis licet vulneribus confoſſus, ut Mangoram victoriâ exultantem facinoris ducem vidit, obluctando ſibi viam ad eum facit, multumque in perduellem indignatus nequicquam reluctantem enſe pectori adacto tranſverberat proſternitque; nec attolli jacentem paſſus ictus repetit donec conſtaret expiraſſe: continuatoque furore præcipua quæque hoſtium capita demetit. quod dum facit circumventus à multis Mangoræ commoritur: reliquis commilitonibus à multitudine oppreſſis non meliorem fortunam expertis. Cladi ſuperfuere Lucia Miranda, belli occaſio, & quatuor hiſpanæ mulieres, totidemque pueri, quos ſexus & ætas acerbioribus fatis reſervavit. Cæde patrata Siripus fraternæ libidinis hæres conceſſa popularibus ſuis rerum & captivorum prædâ, unicam ſibi Luciam abduxit, nihilque non tentavit, quò ejus conſtantiam everberaret: nunc eam numeroſæ gentis Dominam, nunc pro amiſſo marito omnium rerum egente Domini multis hominum millibus imperitantis ſponſam appellans. Verùm nobilis matrona nullâ re cruciabatur magis, quàm quod ſe videret amari à Barbaro, damnabatque multis verbis ſexum ſuum, qui ſe incolumem, & formam, quæ ſe tanto damno præ ceteris amabilem feciſſet: nec adduci poterat ut vellet blandis oculis novum herum intueri. Aliquot jam dies inter Barbari blandientis & Luciæ abnuentis controverſias abierant, cùm exploratores Sebaſtianum Hurtadum Luciæ conjugem ſiſtunt. Is ex Inſulis redux conſpectâ caſtri ruinâ, & ſuorum ſtrage, ſuſpicatus quod erat, Tymbuſiorum excubitoribus ad uxorem ſe tradiderat ducendum: quem ut vidit Siripus zelotipiâ ardens arceri confeſtim & ſagittis confodi jubet: patratumque fuiſſet ſcelus ni Lucia interceſſiſſet: quam ut demereretur Barbarus eâ lege mariti vitam ei condonavit, ut deinceps ab conjugio abſtinerent; ſi ſecus

Mangoræ conjuratio.

Mangoræ & Nunii Laræ cades.

Siripi libido Luciæ Mirandæ caſtitas.

Sebaſtiani Hurtadi conjugalis amor.

Siripi zelotipia.

facerent, mortem obituros. Acceptatâ conditione ita ambo aliquamdiu convixêre, ut sese tantùm oculis libarent: donec eos furtim conjugio vacantes, indicante veteri uxore, Siripus reperiret: tum enimverò barbarum in modum excandescens, Luciam cremari jubet, quæ ab amplexu conjugis abrepta, bustoque imposita, Deum precabatur, ne se peccatorum suorum pœnitentem despiceret, sed purgatam, ad æternam patriam ab turpi servitute transferret: inter quæ vota igne suffocatur. Sebastianus interim cognominis Divi mortem repræsentans, arbori alligatus, inter pias ad Superos preces, Barbarorum sagittis transfossus, interiit: exemplum uterque futurus humanæ sortis plerumque enormiter ab nostris spebus aberrantis. Speramus tamen fidele par conjugum piis animi affectionibus expiatos, ad Superos evolasse.

Sebastiani Hurtadi & Luciæ Mirandæ tragicus exitus.

CAPUT V.

Prima pro finibus inter Hispanos & Lusitanos pugna.

QUADRAGINTA verò Hispani, quos annonæ contrahendæ ergò, Mosquerâ duce, ad insulas iviſse paulò suprà demonstravimus, postquam miserabilem sociorum casum, castrique ruinam lamentati sunt, humatis corporibus, non suppetente alio consilio, ad proxima Brasiliæ loca navigantes, ibi munitum oppidulum fabricavêre, ubi Polus Antarcticus viginti-quinque supra horizontem gradibus elevatus conspicitur: & jam initâ cum vicinis Barbaris amicitiâ sementem fecerant: & nescio quis Odoardus Peres Lusitanus cum numerosa familia ab Rege suo è patria in Brasiliam exulare jussus, ad Mosqueram se conferens, novorum colonorum numerum auxerat: cùm Martinus Alfonsus Sosa Brasiliæ oræ ad Austrum vergentis præfectus, Odoardum per certos nuncios monet, ut in eam Brasiliæ partẽ, in quam exulare jussus fuerat, concederet; simulque per eosdem homines Mosqueræ, & sociis denunciat, si tutò & pacificè vivere vellent, jurarent in verba Regis Lusitaniæ, cujus dominio subjectam terram incolerent. Sed Mosquera per eosdem nuncios Sosæ respondet, cõtroversiam adhuc esse inter Reges de partitione Indiarum; nec ad se, nec ad eum eam rem pertinere: cæterùm sibi & commilitonibus in animo esse, eam terræ partem, quam occupârant, Carolo Quinto Cæsari Regi suo asserere.

Hispani castrum ad Brasiliæ oram constituunt.

Repugnant Lusitani.

Paulò postquàm hæc gesta sunt, navis Gallica ad Cananæam insulam, portui, quem Mosquera insederat, obversam, casu appellens, cupidinem injecit Hispanis conquirendorum armorum, inopiaque sublevandæ. Quare nocte intempestâ ducentis Indis in societatem facinoris assumptis, cymbisque impositis, ex improviso, incautos adoriuntur, & nequicquam reluctantes Gallos, navi & armis spoliatos secum abducunt. Quâ re patratâ, cognito Lusitanos adventare, quatuor tormentis bellicis navalibus in munitiunculam suam inductis, se ad defensionem parantes, extra vallum in nemusculo, quod inter mare & oppidulum erat, insidias collocant: cæteris in propugnaculo se continentibus. Lusitani circiter octoginta magnam Indorum multitudinem trahebant, qui nihil de insidiis, nihil de tormentis bellicis suspicati, paucitate Hispanorum despectâ, tanquam si ad castigandos latrunculos irent, exscensione factâ contemptim procedebant. Ubi verò insidiarum locum prætergressi vallo successêre, simul tormenta Hispani explodunt, simul ex insidiis terga hostium feriunt: mox turbatos fugientesque, irruptione ex oppido factâ, insequuntur, & ad viæ angustias redactos, pro libitu mactant. Facta cæde, cum fœderatis Indis occisorum navigiola conscendentes, prosperò vento usi, Sancti Vincentii Lusitanorum oppidum invadunt, direptâque domoRegiâ, spoliis onusti, eâdem celeritate ad suum oppidulum redeunt: quâ in expeditione aliquot Lusitani Hispanis non illibenter adhæsêre. Atque hæc, quod sciam, prima pugnarum fuit, quæ in ipsa America inter Catholicos Europæos commissa est. Non diu pòst Mosquera & socii totius Brasiliæ viribus impares, vindictæ metu ad Sanctæ Catharinæ insulam, sub vigesimo-octavo latitudinis Australis gradu sitam, migravêre; eam eousque incolentes, donec auctis jam rebus, ad fluvium Argenteum postliminio se retraherent.

Navis Gallica intercipitur.

Lusitani cæduntur.

Hispani castrum deserunt.

CAPUT VI.

Petrus Mẽdoça ad flumen Argenteum &

INTEREA cùm Sebastianus Gavotus in Hispaniam redux de rebus ab se inventis sparsisset famam, narrassetque regiones Paraquario conterminas non ut Brasiliam violento Sole torreri, nec ut Australiores terras immodicâ hyeme rigere, sed

mediâ temperie gaudere; vastissima Paranæ littora innumeris populis ad servitium idoneis habitari; piscationem, venationemque multò quàm in quavis Europæ parte esse magis variam; & super hæc ostenderet auri argentique frusta, & multa ex his metallis instrumenta ab Paraquarienſibus Alexii interfectoribus redempta, quæ falsò hujus fluminis divitias arbitrabatur, ita Hispanorum animi permoti sunt, ut plerique in eam provinciam mitti ambirent. Exinde certè Parana ab Gavoti argento aut argenti spe fluvius Argenteus specioso magis quàm veridico nomine dicitur appellatus. Eadem Gravotus Carolo Quinto Cæsari cùm retulisset, Senatusconsultum habitum est, decretumque ut numerosa colonia in eam Americæ partem duceretur. Delectu habito, duo millia supra ducentos, præter nauticam turbam, duce Petro Mendoça primariæ nobilitatis viro, Cæsaris dapifero, fluminis Argentei & Paraquarii prætoriam potestatem adepto, quatuordecim navibus imponuntur: quos inter eminebant (nam Hispana nobilitas in spem Argenti exarserat) Didacus Mendoça prætoris frater, Franciscus Mendoça Maximiliani Romanorum Regis quondam œconomus, Carolus Dubrinus Caroli Quinti Cæsaris collactaneus, Joannes Osorius classis legatus, sanguine & bello Italico clarus, Ludovicus Peres Divæ Theresiæ frater, Bernardus centurio Genuensis, amplissimum gradum apud Doriam olim meritus, Jacobus Ramua Flander, ut taceam Gusmanos, Riberas, Rocas, Bracamontios, Manriques, Aguilarios, Lucanos, Ajolas, Iralas, & alios nobiles adeò notabili numero, ut duo & triginta domorum illustrium, dominiorumque hæredes (Majoraſgos Hispani vocant) in eâ classe censerentur. Hi omnes anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto Gadibus solventes, ubi æquatorem secuere, ab se invicem tempestate distracti in varias partes delati sunt. Didacus Mendoça Prætoris frater recto itinere cum paucis navibus pacato jam mari ad fluvium Argenteum cursum fæliciter direxit. Prætor cum reliquis ad Brasiliæ portum Januarienſem se contulit, ubi dum ventos præstolaretur, Joannem Osorium legatum suum ob comitatem & animi robur invidiæ obnoxium, ambitionis temerè insimulatum, quòd insinuasse diceretur brevi rei summam ad se derivandam, non auditâ causâ, pugionibus confodi jussit; tantâ plerorumque indignatione ut idcirco multi in Brasiliâ remanserint, & alii de deserendo duce consiliâ contulerint; sed antequam defectio penitus coalesceret, Prætor è Brasiliâ quantociùs solvens non diu pòst Didaco Mendoçæ in fluminis Argentei ostio naves planarum carinarum ad usum transvadationis fabricanti se iungit, qui auditâ Osorii nece dixisse fertur, vereri se, ne acerbum fratris facinus totius classis infortunio plecteretur.

Paraquarium coloniam ducit.

Fluminis Argentei nominis origo.

Nobilitas primorum Paraquaria colonorum.

1535.

Joannes Osorius inconsultò necatur.

CAPUT VII.

Arx Bŏni aëris fundatur & infæliciter cum Barbaris pugnatur.

PRÆTOR reunitis viribus classem promoveri, & ad alteram fluminis Argentei ripam transmitti iubet, in quam omnium primus cùm insiluisset Sanchius del Campo Prætoris cognatus, sociis exscensionem suadens, commendatâ bonitate aëris, occasionem dedit arcem quinquaginta ab ostio leucis, & trigesimo ferme quinto altitudinis Australis gradu, Bonæ spei promontorio ex paralello obversam, statim ibi condi cœptam, Boni-aëris nomine sub Beatæ Virginis tutelâ nuncupandi. Sed fabricam arcis urgentibus indigenæ insurgunt, aliquot Hispanos ex insidiis mactant, reliquos, ne vallo exeant, incursionibus terrent. Quibus rebus permotus Prætor, Didacum Mendoçam fratrem ad reprimendam inhospitalem gentem cum quantâ vellet militum manu amandat. Is trecentis peditibus, & aliquot ex primâ nobilitate equitibus secum assumptis, expeditione susceptâ, postridiè quam discesserat, eò pervenit, ubi ingens palus extremâ sui parte rivum efficiebat; in cujus alterâ ripâ, tria circiter Barbarorum millia in pugnam se explicuerant. Coacto belli consilio plerique autumabant expectandum hostem facilè & tutò in transvadatione opprimendum. Sed Didacus Mendoça statim invadendum censuit, jussitque explorato vado pedites transvadare; in quos Barbari tantâ celeritate irruperunt, ut nec sclopeta aquis corrupta explodere, nec ex arte pugnare Hispanis spatium datum sit. Barbarorum tamen magna clades facta est, donec Bartholomæus Bracamontius, & Parafernus Ribera peditum ductores, numero oppressi

Portus Boni aëris nominis origo.

Nobilium Hispanorum cades.

caderent: occisis plerisque peditibus, pauci equites in confertissimos irruere ausi, deridiculo Barbaris fuêre; nam equi ex recenti navigatione flaccidi & enerves, frænorum ex longa dissuetudine impatientes, rigidâ cervice immotos equites telis hostium exponebant; quocirca sessores nullo negotio fugati deturbatique sunt. Inter primos Joannes Manriques eques nobilissimus obtruncatur, obtruncatorem Didacus Mendoça dum lanceâ transadigit, ipse lapide missili & Barbarorum concursu, nequicquam protegente Ramiro Gusmano, prosternitur. Occiso duce fit fuga, Barbaris interim pro more gentis cadaverum capita obtruncantibus, & diu capillis jactata circumlataque insolenter ostentantibus. In fuga & pugna universim ducenti & viginti-quinque Hispani, ingens pro paucitate numerus, desiderati sunt. Lucanus eques vulneribus confossus, ignobili fluvio, in cujus littore fugiens occidit, nomen suum, perseverante adhuc famâ, dedit. Narrant multos Osorianæ necis complices eâ in pugnâ cecidisse. Ut scias quo fato iis pereundum, qui violenta machinantur. Accepto cladis nuncio, mirum quantum Prætor fratris & tot nobilium virorum neci indoluerit: dolorem auxit funesta mors Medrano equiti nobilissimo in vindictam (ut suspicio est) Osorianæ etiam cædis in ipsa arce sine indicio parricidæ illata.

Didacus Mendoça trucidatur.

Medrani funesta mors.

CAPUT VIII.

Novi coloni fame vexantur. & Petrus Mendoça Prætor moritur.

HAs clades, consumptò advectitio commeatu, sequuta fames adeò fœdâ, ut humanis cadaveribus & nefandis rebus multi vitam sustentarent: repertus qui fratris demortui viscera comederet, & patibularia cadavera ad usque ossa roderet: nam extra vallum progredi Barbarorum atrocitas, ferarum metus, & ducum severæ leges neminem sinebant. Inventa tamen mulier est, quæ animo reputans famis incommoda, maluit se Barbarorum ferarumque periculo committere, quàm lenta rabie torqueri: quapropter clam omnibus abiens, per campos diu vagata, tandem sub noctem in antrum successit, ubi cùm leænam parturientem invenisset, renovato antiquitatis exemplo, obstetricari est ausa, non sine suo commodo: nam leæna feritatis oblita quotidianam prædam suis catulis & suæ obstetrici ex æquo cousque permisit, donec illa in Barbarorum manus incidens, post variam fortunam, ab Hispanis redempta, postliminio arci restitueretur. Ob fugam vero temeritatis & inobsequii accusata, inaudito severitatis exemplo in pœnam extra vallum feris exposita est: periisseteque nisi Dei beneficio leæna, quam in partu iuverat, inter socias prima adventasset & contra cæterarum rabiem innocentem obstetricem defendisset. Quâ re perspectâ, ne crudeliores feris homines viderentur, soluta absolutáque est: & Maldonata (nam id ei nomen erat) testis luculentissima rei probatissimæ suis casibus diu supervixit. Quis tantæ severitatis judex fuerit, absente tantisper Prætore, incertum est. Certum tamen adeò severas tum fuisse leges, ut lactucæ furtum miles auribus luerit, & alter ob subreptum olus infamiâ deformatus sit. Vigente adhuc apud novos colonos Europæorum judiciorum integritate: quæ utinam in posteris perseveraret ad vindictam magnorum scelerum impunitate passim sese corroborantium. Prætor acerbitate rerum exanimatus, cùm de Gavoti argento, de terrarum adiacentium conditione, de spe fundandarum urbium per se & milites suos quaquaversum missos quæsiisset, & omnia minora votis apparerent, susceptæ expeditionis pertæsus, constructâ in Tymbusiorum finibus Corporis Christi arce, & Mosquerâ cum sociis ex Brasiliæ finibus in colonorum numerum recepto, raptim armari navim iubet: constituto quæ in Boni aëris præfectum Francisco Ruisio, & qui sui Prætoris vices gereret Joanne Oiola Guipuscoensi, soluit in Europam. Verùm incomodissimâ navigatione usus, consumpto exiguo commeatu, ad sordidas escas redactus, ex fœtæ canis comestâ carne in furorem cum aliquot comitibus actus miserum in modum exspiravit. Fama est plures ex his, quos secum Petrus Mendoça in hanc expeditionem traxerat, sub Borbonio in obsidione Romana meruisse; unde reduces pudore odiosæ militiæ in hanc Americæ partem navigasse, & ideo plerosque iram Dei meruisse.

Maldonata leæna obstetricatur.

Feris exponitur.

Ab leæna liberatur.

Judiciorum severitas.

Arx Corporis Christi.

Mors Petri Mendoça Prætoris.

CAPUT IX. Gesta sub Joanne Oiola prætore usque ad eius necem.

INTEREA Joannes Oiola prætor eodem itinere, quo olim Gavotus, cum aliquot navibus in Paraquarium penetrans, cognito inter Austrum & Occidentem partim fluviatili, partim terrestri itinere, regionem auri argentique feracem adiri posse, eò ire constituit. Abiens, Dominico Iralæ, cui suas vices commiserat, in mandatis dat, ut per sex menses reditum suum in superiori Paraquarii parte præstoletur: si intra id tempus non redirer, jusso absolutum iri. Absente Oiolâ Salazarius & Gonsalvus Mendoça ex portu Boni-aëris annonæ ergo in Paraquarium etiam navigantes, cum Guaranis populis amicitiâ contractâ, locum reperêre condendæ arci maximè opportunum: partitisque inter se officiis Gonsalvus Mendoça arcem Virgini in cælum Assumptæ consecratam ibi construxit, ubi nunc eodem nomine Assumptionis urbs Paraquariæ caput visitur; Salazario interim tabidos milites & fame pænè confectos ex portu Boni-aëris advectum eunte. Sed dum ultro citroque navigatur, Caracaræ gens barbara Hispanis infensi, dissimulato odio ab Alvarado Corporis Christi arcis præfecto auxilium contra alios Barbaros sibi dari dolosè postulavere. Alvaradus nihil doli subesse suspicans Ildefonso Figueroâ duce quinquaginta Hispanos milites non illibenter concedit, qui ubi subiere nemusculum Caracararum oppido adjacens, confestim à Barbaris undequaque ex insidiis consurgentibus ad unum omnes occidione occiduntur. Calente adhuc sanguine Barbari magno numero ad Corporis Christi arcem diminuto præsidio infirmam convolant, aditum multiplici ratione tentantes: actumque erat de omnibus, ni summi Dei beneficio tunc temporis Ramuam hominem Flandrum rei nauticæ Præfectum ea littora radere contigisset, qui suspicatus quod erat, è duabus navibus tormenta explodens multis occisis loco cedere coëgit. Captivi Caracaræ narrabant pugnæ tempore supra Christi Corporis arcem hominis speciem abs se visam candidâ veste induti, & fulgore oculos respicientium perstringentis, ensemque minitantis, & eo conspecto attonitos multos è popularibus suis cecidisse. Quæ res quia in diem Divo Blasio sacrum incidit, sæpè alias in Argentei fluminis expeditionibus Hispanis benefico; creditum est, objectam Barbaris cælestis hominis speciem, Divi Blasii fuisse, quem exinde Paraquariæ coloni inter Tutelares repositum præcipuo honore colunt. Sub idem tempus Dominicus Irala per Paraquarium navigans pænè etiam Paiaguarum dolo periit: nam cùm derepente quadringenti circiciter Paiaguæ in adverso littore constitissent, & per numerosos nuncios colloquium commerciumque eâ conditione expetissent, ut utrimque positis armis negotiarentur; & Iralâ admissâ lege suos exarmari bonâ fide jussisset, Barbari ex improviso in exarmatos involavêre, stragem facturi, ni Hispani resumptis armis ad defensionem se accinxissent. dum in littore pugnatur, naves Hispanorum ab aliis Barbaris obsidentur: diu terrâ fluvioque dubiâ fortunâ certatum est; donec tormenta majora ex navibus explosa depressis Barbarorum navigiolis navalem victoriam Hispanis fecere. Iralæ generositas cæteros in littore pugnantes ad fugam compulit. quadraginta è nostris vulnerati, duo occisi, Caravacalius vir fortis intra triduum ex vulnere obiit. Ex hostibus dux & multi alii cecidere: reliqui ad locum, ubi eos ingens multitudo præstolabatur, fugere. Inter has res jam octavus mensis abierat, ex quo Iralam fatigabat Oiolæ mora, deliberabátque num adhuc eum præstolaretur, an se subduceret famis & hostium periculis; cùm eximprovisò audit vocem Barbari in adverso littore portitorem postulantis, qui ut advectus fuit, lachrimis obortis tristia se nunciare ostendit: jussus expromere doloris causam, altùm ingemiscens, narrat se Oiolæ necis spectatorem fuisse. Inquirenti verò Iralæ rei gestæ seriem, hæc fermè retulit. Joannes, inquit, Oiola, cui ego in itinere volens adhæsi, postquam Paraquario discessit, totam eam terræ molem, quæ inter hunc portum Peruviæque fines jacet, fæliciter emensus, à Samococis, & Sivococis Peruviæ montium accolis grande auri argentique pondus contraxerat, retulerátque ad Paraquarium; sed reduci, Paiaguæ hominum atrociſſimi, ad omne obsequium simulatâ promptitudine parati, operam & cibos liberaliter primùm obtulerunt, donec crederent eum, & ejus socios tutò opprimi posse: observatis itaque Hispanorum nocturnis stationibus, gentis primores singulis occidendis

Irala Oiola substituitur.

Arx ad Paraquarium ponitur.

Caracararum dolus.

Figueroæ & commilitonum cædes.

Simonis Ramuæ opportunum auxilium.

Divus Blasius Hispanis favet.

Paiaguarii perfidia.

Paiaguæ vincuntur.

Joannes Oiola cum socio truciatur.

plures

plures assignant, incubiâque nocte uno eodémque temporis momento sopitos adoriuntur jugulantque. Ex omnibus Oiola unus nescio quo casu effugerat, vicinæ paludis cannis se abdens, unde retractus evitatæ mortis moram supplicii atrocitate luit, in pagi foro inter insanos Paiaguarum tumultus immaniter trucidatus: sic nullus Hispani sanguinis cladi superfuit. Me verò juvit fuisse Indum: hoc titulo manus cruentas evasi, reservatus, ut tantæ crudelitatis vobis essem nuncius. Ex his casibus Hispani didicere quam non fidendum Barbaris: nam sua est quandoque stupidis astutia, eò periculosior, quò inexpectata magis. posteri lacum ad quem se abditum Oiola confugerat, constante adhuc memoriâ, Oiolanum appellavêre.

Lacus Oiolanus.

CAPUT X.

Dominicus Irala in Prætorem electus deserto Boni-aëris castro de fundandâ Paraquariæ metropoli agitat.

SUBLATO Oiola, Dominicus Irala iusso absolutus, secundo flumine commilitones ad novam Assumptæ Virginis arcem deducit, quo cùm concurrissent comitiorum ergò Hispani undequaque evocati, examinato Caroli Quinti Cæsaris diplomate recens ex Europâ cum novis subsidiis & pauculis sacerdotibus per Anthonium Cabreram Regium administrum advecto; quo Argentei fluminis & Paraquarii colonis potestas fiebat eligendi Prætoris, si successorem Prætor moriens non legisset; omnium Hispanorum consensu Dominicus Irala præfecturam iniit. Nec impar oneri ferendo fuit. nam præter generis claritudinem multæ eum civiles militaresque dotes exornabant; adeò ut fundatæ novæ provinciæ præcipuum decus tulerit. Nondum solutis electionis comitiis, novus Prætor rogat, num placeret Boni-aëris arcem peste & fame afflictam tantisper deseri, & constructâ, in quo erant, Paraquarii littore, novâ urbe, Hispanos omnes in unum cogi, quò adunatis viribus fortiores essent. Pars suffragatorum censuit non tantum Boni-aëris arcem retinendam, sed etiam multas alias colonias simul instituendas, ut longè latèque Hispanum imperium pervaderet. Indignum esse ad terræ angulum in tantâ vastitate terrarum tot generosos viros arctari: eam videri Cæsaris mentem, volentis præcludere Peruviæ aditum aliis nationibus facilè se in eam insinuaturis, nisi vastissimorum fluviorum littora multis oppidis complecterentur: nec obstare paucitatem Hispanorum multitudini Barbarorum coërcendæ sufficientium. Sic ferme existimabant ii, qui ambitu præfecturas multiplicari amabant. Pars verò sanior, privatis honestamentis publicum bonum præferens, aiebat experimentis compertum fortitudinem prudentiamque Hispanis inesse, sed Barbaris furorem, fraudulentiamque non deesse: Ramonis, Laræ, Mendoçæ, Figueroæ & Oiolæ recentia lugubriaque adesse exempla, quibus infirmari possint paucorum sententiæ; volentium ad multiplicitatem præfecturarum gentem dispalari disjungique. Prætor, ut erat apprimè prudens, ita utrorumque opiniones moderatus est, ut in utramque partem inclinasse putaretur. Nam aiebat optabile quidem esse multis præsidiis immensitatem terrarum comprehendere, sed perpenso præsentium rerum statu commodum non videri. Nec aliter visum iri Cæsari, si præsens adesset. Differri itaque tantisper multiplicitatem oppidorum, non improbari. In fundandâ novâ republicâ caput priùs firmandum, quàm cætera membra. Quare placere sibi arcem Boni-aëris pro tempore deseri, & urbem ad Paraquarii littus, in quo erant loco, condi; quâ benè stabilitâ non difficilè fore colonias propagare, & contra Barbarorum externorumque insultus munire. Capto condendæ urbis consilio, Didacus Abreus ad portum Boni-aëris cum tribus navibus missus, ut milites inde adveheret, reperit auctos adventu Genuensis navis, quæ frustra tentato Magellanico freto, eò nuper fortuito appulerat, maluerátque in Argentei fluminis colonorum album referri, quàm se denuo incogniti maris periculis committere: quamobrem portitores, & nautæ omnes cum Boni-aëris præsidiariis navigantes ad Paraquarium perrexere: unde factum, ut in hanc Americæ partem Trochorum, Aquinatium, Rizorumque familiæ propagarentur. Adunatis colonis Irala Prætor censum habuit: & quod mireris ex tot Europæis tantillo tempore vix sexcenta virorum capita supersesse reperta sunt: reliquis bello, fame, peste, & atrocitate Barbarorum miserum in modum consumptis. Ut scias quantis damnis opes irritamenta malorum quærantur.

Caroli Quinti Cæsaris Diploma.

Irala dotes.

Pars censet colonias novas duci debere.

Pars negat.

Navis Genuensis.

Genuenses Hispanis accedunt.

Census Hispanorum.

CAPUT XI. Urbs Assumptionis Paraquariæ caput ædificatur. 1538.

CENSU facto, tum demum res ordine stabiliri cœpta est: loca arci proxima in domorum areas distributa, ædes sacræ publicæque erectæ, magistratus institutus: denique anno millesimo quingentesimo trigesimo-octavo, vigesimo-quinto Australis elevationis gradu, ducentis & quadraginta à mari leucis, quadragesimo ab Paraquarii ostio lapide, urbs provinciæ deinde caput, conservato arcis nomine, sub Assumptæ Virginis titulo condi cœpta, & pro temporum angustiis contra hostium insultus firmata, hactenus feliciter perennat. Porro Paraquarium flumen, ad cujus littus urbs nova sita est, inter præcipua novi orbis flumina celebratur. Ab origine trecentas omnino leucas, haustis frequenter inclytis amnibus, capaci semper magnarum navium alveo, placidè percurrit, antequam ab Paranâ violenter abreptum, ducentis ab mari leucis fluvium Argenteum junctim conficiant. Illud in concursu notabile, quod quamvis jam eodem alveo decurrant, conservent tamen separatim per aliquot milliaria suum colorem, quasi dedignetur Parana limpidissimas suas aquas cum Paraquarii turbidis undis confundere: aut quasi ægrè ferat Paraquarium gloriâ Regii nominis spoliari. Paraquarium enim Coronatum flumen sonat, inde ortâ derivatione, quòd ejus accolæ plumis avium versicoloribus in utroque littore mirâ varietate volantium se coronent. Nec variegatiores sunt volucrum pennæ, quàm linguæ & mores Barbarorum, littorales Paraquarii sylvas & campos disgregatim habitantium: inter quos ingenii bonitate, & ad urbanitatem aliquam capessendam aptitudine, eminebant Guarani, qui ad amicitiam & conductitia servitia, atque adeò ad Regis Catholici imperium allecti, non ægrè se Hispanis tradidêre. His ita constitutis,

Paraquarii fluminis descriptio.

Notabilis Paraquarii cum Parana concursus.

Paraquarii nominis origo.

CAPUT XII. Paraquariénses Barbari in urbis Assumptionis colonos conjurant. 1539.

SUB Quadragesimæ finem anni millesimi quingentesimi trigesimi-noni, placuit Prætori supplicationem ad honorem Christi passi instituere, ad quam finitimorum remotorumque pagorum indigenæ eo fine convocarentur, ut nostrorum Misteriorum aliquam æstimationem facere inciperent: sed Barbari insolitis servitiis jam exacerbati, eam occasionem secus quàm intendebatur arripientes, conjuratione factâ, supplicationis diem Hispanis occidendis indicunt, & ad suspicionem rebellionis amovendam, præter arcum & sagittas nulla arma adferunt, arbitrati inermes nudosque Hispanos, & ad se flagellandũ paratos, à multitudine facilè opprimi posse. Octo millia conjuratorum adfuisse fama est: & jam Hispani nullius flagitii suspicaces, piâ flagellatione in terga sævituri, se scuticis armabant. Jam rerum sacrarum fercula in propatulo erant, cùm Inda mulier patrandi facinoris conscia, Salazarium herum ex commiseratione clam adit: Et quam tui, inquit, ô Here, ad necem hodie destinati me miseret. Perculit Salazarium inopina ancillæ vox, qui blandimentis extortâ conjurationis serie, summâ dissimulatione pergit ad Prætorem. Prætor accepto rebellionis indicio (quia temporis angustiæ alia consilia excludebant) fingit se de Japitorum nuper in Hispanos rebellium tumultu nuncium accepisse, tantùm non in portis esse. Ad arma conclamatur, sepositis flagellis Hispani sclopeta & enses arripiunt, deinde quasi conjuratorum auxilio contra communes hostes Prætor uti vellet, gentis primores ad prætorium evocat, intromissos in diversa loca injectis vinculis distrahit, raptimque expressâ confessione in furcas rebellionis principes agi jubet. Diceres reliquos sidere aliquo afflatos vim omnem sensumque amisisse; adeò nihil meditati facinoris ausi sunt, ut etiam reorum more supplicia sibi debita deprecarentur, amicitiæ integritatem spondentes. Prætor, oppressis conjurationis capitibus, multitudini pepercit: quo facto ita sibi devinxit Barbaros, ut filias sororesque suas, deficientibus fœminis Europæis, imposterum libenter Hispanis concederent. Ex quibus uxoribus adeò numerosam prolem fecerunt, ut accedentibus ex Europâ novis supplementis, non multis pòst annis plures colonias ducere quiverint, immensam propè provinciam in varias ditiones uni Paraquariensi subditas dividentes.

Indicium.

Conjuratorum capita opprimuntur.

CAPUT XIII. Alvarus Nunius Prætor novos colonos inducit.

INTEREA cùm relatum esset ad Carolum Quintum Cæsarem de morte Didaci Mendoçæ, & adversis fluminis Argentei rebus, ut erat contra difficultates ob-

1540. *Alvarus Nunius Paraquariæ Prætor.* luctantis animi, novorum colonorum supplementum cum alio Prætore eò mittere destinat. Præfecturam ambientibus quamplurimis, Alvarus Nunius, cui gentile nomen à Capite Vaccæ, ingentibus Majorum meritis, obtinuit. Nam ejus avus Petrus Vera pro Rege Catholico Fortunatas insulas subjugarat, rexeratque: quo in magistratu rectè gerendo, patrimonio penitus consumpto, eò adactus fuerat, ut pro tuendâ dignitate, provinciâque retinendâ, acceptâ pecuniæ vi, Mauro homini ditissimo geminos filios postea ab Rege redemptos, oppignoraret. Horum unus Alvarum, de quo sermo est, filium habuerat: qui postquam juventutem avi & patris artibus excoluisset, Pamphilo Narbaëso duce, in Floridam insulam ærario Regio præfuturus navigans, naufragio ad continentis Americæ oram allisus, in Barbarorum manus venit: narrantque primæ notæ scriptores, eum tantæ bonitatis fuisse, ut in decennali captivitate apud Mexicanos populos, invocato Divinæ Triadis nomine, multa supra naturæ vires miracula parârit. Is ergo præfecturam adeptus, septingentis viris, præter imbellem turbam, ex præscripto Cæsaris quinque navibus impositis, Gadibus solvens, commodâ usus navigatione, ubi ad vigesimum octavum latitudinis Australis gradum pervênit, naves huic Americæ parti applicuit, cui Sanctæ Catharinæ insula obvertitur. Inde imbelli nauticaque turbâ mari præmissâ, ipse cum quingentis Hispanis, Alexiana ferme vestigia sequutus, exploratâ quaquaversum per trecentarum leucarum spatium terrâ, anno sesquimillesimo quadragesimo primo Assumptionis urbem feliciter tenuit: de cujus itineris rationibus illud singulare est, quod neminem ex tanto numero terrâ marique amiserit. In præfecturæ aditu, delectu habito, trecentos viros Dominico Iralæ Exprætori tradidit, eo fine, ut adverso flumine Paraquario, quantum humanis viribus posset, occidentem versus eniteretur, nam inter ipsum & Vacam de Castro Peruviæ Prætorem in Hispaniâ convenerat, omni modo illud iter tentandum-que esse, ut Peruvia Paraquariáque mutuis commoditatibus & viribus augescerent. Dominicus Irala, quò jubebatur profectus, ducentis & quinquaginta leucis ab Assumptionis urbe navibus promotis, rediens Prætorem docuit, sibi videri per eam partem adiri Peruviam posse. Dilato tantisper hoc negotio, Prætor ad Ipanæ fluminis barbaros accolas certos homines mittit, rogaturos ut Alexii Garciæ filium popularibus suis restituerent: sed Ipanenses, nunciis ad unum omnibus interfectis, Prætori renunciant, nihil se pacatè unquam responsuros: nuncios abs se interfectos si vindicare vellet, bellum non recusare. Prætor responso exacerbatus, Alfonsum Riquelmium nepotem suum cum trecentis Hispanis & mille Indis amicis ad castigandos inhospitales Barbaros destinat. Commisso prælio quatuor Ipanensium millia cæsa, tria millia in captivitatem abacta; ex Hispanis quatuor, ex amicis Indis centum & quinquaginta desiderati sunt. Hæc victoria, ipso Divi Jacobi Hispaniæ Tutelaris pervigilio parta, populos alios pellexit, ut vellent Hispanis esse vectigales.

Alvari Nunii parentes,

Dotes,

Navigatio,

Terrestre iter.

1541.

Dominicus Irala terram explorat.

Ipanenses vincuntur.

CAPUT XIIII. Exploratâ terrâ in Hispaniam deportatur,

POST Ipanensem expeditionem, Prætor in Peruviam per se viam aperturus, & simul coloniis ducendis opportuna loca exploraturus, pretiosorumque metallorum fodinas scrutaturus, quadringentos Hispanos, ditandi dilatandique spe incitatos, secum navibus imponit. Ex itinere Oiolanæ necis complices castigat: confectis adverso flumine ducentis & quinquaginta leucis, ad insulam applicuit situs amœnitate ubertatéque mirabilem: longitudo ejus triginta passuum millibus, latitudo, nisi quà in acumen desinit, novem milliaribus protenditur: quantis in deliciis apud primos inventores hæc insula fuerit, illud argumento est, quòd paradisum appellarint. Æquali per totum annum cæli temperie gaudet, declinaturâ in calidam, nisi statis quotidie temporibus aër zephiris eventilaretur, nativusque sub zonâ Tortidâ Solis vapor proximi fluvii humoribus, necnon crebris fontibus ubique subsilientibus, & in modicos amnes exuberantibus, temperaretur. Fructuum sponte nascentium ingens copia; sapor verò varietasque adeò singularis, ut quamvis silvestres sint, proximè ad quasvis hortorum Europæorum delicias accedere videantur. Nullo tempestatum discrimine incolæ, quos Aurecones à perforatis

Insulæ amœnæ descriptio.

auribus

auribus appellavêre, terræ semina mandant: vino ex melle factitio utuntur: ferinam, ultro se obtrudentibus feris, admittunt, potiùs quàm quærunt: piscium abundantia etiam major quàm ferarum. Gens bellorum expers, fraudis nescia, & hospitum amans, cæteras nationes nuper repertas probitate indolis longè antecellit: adeò ut bonitatem comitatémque ab ipsa loci conditione hausisse crederetur. Ibi diu classis hæsit, non sine damno, nam genio loci allecti, veterani præsertim milites, ab suo duce discordare cœperunt. Quid, inquiebant, per tot discrimina & barbara littora quærimus? jam decennio toto hinc & inde vectamur, & nihildum præter paludum vligines, inculta montium, ferociam populorum, nova morborum genera, & funera sociorum, vidimus. Nostro & aliorum experimento sapiamus, & tandem, omisso incertarum rerum desiderio, utamur oblatis. Juvenes aurum sibi quærant, nos nostrum senium in hoc otio reponamus, ubi servitiorum ciborumque affatim hujus loci genius etiam nolentibus obtrudit. Hæc præsertim veterani: Tyrones verò, quamvis spem auri nondum deponebant, in eâ tamen opinione erant, ut existimarent in ea insulâ coloniam condi debere, unde facilior frequentiorque esse posset, quàm ex Assumptionis urbe ad Peruviæ fines excursio. Quapropter unà omnes ad Prætorem contendunt, postulantes ut vellet plerorumque votis assentiri, juberétque ibi urbis fundamenta poni. Sed Prætor sui propositi tenax: Quid, inquit, ô socii puerorum more circa poma, contempto aut non agnito auri pretio, hæretis? quis vos fascinavit error, ut præ proximâ summarum divitiarum spe melleas offas approbetis? An per tot maria terram quærere venimus, an aurum? quis Hispaniæ delicias, parentum caritatem, patriæ dulcedinem per tot pericula deserat, ut pisce, pomis, ferinâque inter Barbaros ad satietatem vescatur? Sed privata sunt hæc: Mea Prætoris interest, & vestra, ô milites, publicis utilitatibus insenescere: vitam & privata commoda Regi & publicæ rei obstrinximus. Non lubet memetipsum exauthorare. Nec, ut opinor, Hispanos decet. Aurum quærendum est. His dictis invitos convasare, & naves ad continentis portum transduci jubet, ibi relicto navium præsidio terrestre iter Septemtrionem versus capescit. Cum omni comitatu militari modo pergentibus plerique Mediterranei populi ultro pacem commeatumque obtulere. Cum pauculis leviter bellandum fuit. Peruviæ finibus jam proximis præcursores nunciavere, ex ingenti oppido magnam hominum multitudinem sese effundere: quinque millia hominum videri. Prætor vix aciem instruxerat, cùm Barbari in conspectum se dant, qui ad novam Europæorum speciem & sclopetorum sonitum pavidi, non expectato prælio in fugam sese præcipitantes, vacuum oppidum octo ædium millibus constans Hispanis reliquêre. Hujus oppidi domus nihil ab usu barbarico differebant, nisi quod in fori meditullio turris ex ingentibus lignis serie in orbem constructa, palmarumque corticibus in pyramidem contecta, visebatur. In eâ serpens immodicæ molis, superstitionis ergò, corporibus hominum in bello interfectorum nutriebatur. Dæmon oracula, qualia solet, per id monstrum fundere dicebatur. Longitudo viginti quinque pedum erat, crassitudine bovem æquabat. Scintillabant minimi oculi in portentoso obtusoque capite. Ex rictibus, falcium ad instar, duplici ordine dentes prominebant, lævigata cauda erat, corpus reliquum squammis, grandium paropsidum ad instar, tegebatur. Horruere ad conspectum monstri milites, præsertim cùm plumbeis glandibus irritatū, immenso rugitu edito, & repetito caudæ jactatu, circumvicina loca concussit. Occiso monstro, discordia quovis monstro fædior Prætorem inter & Quæstores Regios inde orta est, quòd ille nollet à militibus suis quintam partem prædæ in ærarium inferri, aiens Regem nec solere, nec decere in tantillarum rerum partem tanto labore partarum venire: cùm nihilominus insisterent, & etiam unum è quinque cervis piscibusque venatione piscationéve captis pro Rege sibi tradi vellent, quamvis Prætor ex suo stipendio, si quid per eam indulgentiam ærario fraudi esset, soluturum se sponderet, ortis simultatibus eò deducta res est, ut invito maxime Prætore re infectâ ad Assumptionis urbem omnibus redeundum fuerit. Ubi instigatione Quæstorum Regiorum, inconsultò & indulgenter rempublicam administrari causantium, ab ducentis circiter civibus

Exploratorum dissensio.

Monstri descriptio.

Discordia fœditas.

tumultuosè conspirantibus vinculis oneratus, in Hispaniam cum præcipuis accusatoribus navigare coactus est. Sed lite ab Cæsare cognitâ, non tantùm absolutus, verùm insuper duorum aureorum millibus annuatim donatus, in senatu Hispalensi integrâ famâ consenuit. Accusatorum sors longè acerbior fuit, qui à Carolo Quinto causam in vinculis dicere jussi, ante pronunciatam sententiam infœliciter periere; uno eorum metu derepentè extincto, & altero in amentiam acto, Supremo Judice Cæsaris judicium prævertente.

Alvarus Nunius absolvitur.

Accusatores divinitus castigantur.

CAPUT XV. De Paraquariæ urbium fundatoribus

RETENTO in Hispaniâ Alvaro Nunio, Carolus Quintus Cæsar Joannem Sanabriam Paraquariæ Prætorem creat, quo antequam navigaret morte sublato, ejus filius cum quadringentorum Hispanorum subsidio, eâdem dignitate potitus, in provinciam proficisci jubetur: quo etiam in Hispaniâ variis negotiis implicito, tandem Cæsaris beneficio iterùm Dominico Iralæ perfectura Paraquariensis asseritur. Iralâ in exploratione terrarum absente, Franciscus Mendoça, ambitæ præter ordinem præfecturæ reus, capite jam minuendus, in ferali schemate palam confessus est, sacerdotem domesticum, & uxorem suam, ob leves suspiciones olim abs se in Hispaniâ fuisse mactatos, eodem plane mense & die quo ipse plectebatur. Quo dicto Divinam vindictam veneratus, docuit soli versione, & mutatione terrarum, irritati Numinis iram præverti non posse. Iralæ successêre Franciscus Vergara & Joannes Ortisius Sarate, qui anno sesquimillesimo septuagesimo-secundo quingentos Hispanos in Paraquariam invexit, quorum Prætorum præsertim auspiciis, factâ jam sobole, Paraquaria provincia multis coloniis occupata est. Earum ego situm quantum ad instituti mei rationes pertinuerit, non servato fundationum ordine, breviter delineabo.

Parricidii pœna.

CAPUT XVI. Paraquariæ descriptio.

PARAQUARIA provincia ab Paraquario nomen mutuata, antequam in duas præfecturas scinderetur, sepositâ Tucumaniâ, id totum terrarum complectebatur, quod Brasiliam inter & Peruviam interjacens ultra fluminis Argentei ostium, mare Atlanticum immensâ propè vastitate excurrit. Magnitudinem ex eo conjicies, quod Paraquarius & Parana, antequam suas aquas misceant, trecentis fermè uterque leucis, innumeris aucti fluminibus, per vastas utrimque regiones æquali majestate ac famâ spatientur; at ubi ducentis ab mari leucis se junxerint, fluvium Argenteum conficiant, qui per octoginta leucarum ostium intrat in Oceanum. Quinquaginta ab tanto ostio leucis urbs Boni-aëris ibi condita est, ubi arcem ejusdem nominis à Petro Mendoça fundatam demonstravimus. Octogesimo fermè inde lapide, non procul ab eodem littore, urbs Sanctæ Fidei posita, ultrò citróque navigantibus multa adfert commoda. Pari iterum percurso intervallo, Hispanorum urbecula (Corrientes vocant) in conctisu Paranæ & Paraquarii visitur, tantorum fluviorum majestate longè impar. Inde adverso Paranâ centum & amplius leucas nitentibus, superato immenso præcipitio, Guairania Brasiliæ obversa regio occurrit, duabus Hispanorum urbeculis, quas Villaricam & Guairam nominabant, olim conspicua. Ad superiorem verò Paraquarii partem Xeresium & altera Villarica, modica Hispanorum oppida, eo fine constructa sunt, ut Paraquaria per eam partem interioribus populis committeretur. Denique urbs Conceptionis ad fluminis Rubri Paranæ influentis paludes, retundendæ ferocissimarum nationum audaciæ diu utilis fuit. His urbibus suberant magno numero Barbarorum nationes, qui affinitatis titulo primum Hispanis liberè servientes, postmodum quasi jure ad continua coactáque servitia adacti, brevi ad paucitatem æquali Hispanorum ac Indorum incommodo redacti sunt. Cæterùm de Assumptionis Paraquariæ metropoli, & recensitarum urbium colonis, sic existimatum velim, eos esse stirpium generosissimarum semina, & adhuc ostentare præcipua Hispanicæ nobilitatis stemmata, nullamque forsan in Americâ provinciam majori nobilium numero fuisse fundatam. Sed tantam nobilitatem magnâ ex parte deformavit conditio loci, nullas opes conservandæ Majorum dignitati subministrantis. Satis constat nullam novi orbis regionem spes Europæorum potentiùs elusisse. Nam Paraquaria aurum, gemmas

Urbs Boni aëris.

Urbs Sanctæ Fidei.

Corrientes.

Guaira & Villarica urbes.

Xeresium & altera Villarica, urbes.

Urbs Conceptionis.

Paraquariæ colonorum nobilitas.

Paraquariæ paupertas.

& argen-

& argentum penitus ignorat; ne ferrum quidem, quo tellus abundat, indigenæ eruunt: & hactenus Hiſpani (ſi Boni-aëris & ſanctæ Fidei cives ob Peruviæ commercium excipias) formas pecuniarum vix agnoſcunt: permutatione rerum antiquæ ſimplicitatis æmuli adhuc utentes. Raris in locis vinum exprimunt, aut triticum ſerunt; panem comedere, aut vinum bibere, vix ipſi primores ſolent. Ex tritico Turcico potum cibumque conficiunt. Reliquas delicias piſcatione venationeque & ex ſylvis quærunt. Quamquam jam ubique multiplicatis boum armentis non parcè ſe ſuſtentant. Inter præcipuas divitias diu ſaccarum & goſſipium modico proventu habuere, donec arborum quarumdam in locis vliginoſis ſponte naſcentium frondes, quas vulgo herbam Paraquarienſem vocant, in pretio eſſe cœpere. Has frondes igne toſtas & in pulverem redactas utriuſque ſexus tum Hiſpani tum Indi aquâ tepidâ immixtas ſæpius in die hauriunt, hauſtasque cum reliquis cibis evomentes oreſim ſibi acui ſentiunt. Multa narrant de hujus pulveris aut herbæ virtute: nam ſi inſomniis laboras, ſomnum conciliare; ſi ſomni gravedine premeris, ſomnum expellere; ſi eſuris, famem ſedare; ſi indigeſtos cibos in ſtomacho cauſaris, famem excitare; & laſſas vires reficere, triſtitiámque necnon varios morbos expellere, dicitur. Huic qui ſe aſſuefaciunt non facilè ab vitioſo uſu extricantur, affirmantes ſi deficiant vires, etiam ſibi deficere, & vitam diu protelare non poſſe: & adeò grave ſervitium hæc levis eſca parit, ut cùm eâ carere non poſſint, tantùm non ſe venditis emant. Prudentes viri, quamvis moderatus uſus vires reficiat, & alias utilitates adferat, eâ ſibi ferè perpetuò interdicunt: quæ ſi intemperanter ſumitur, ebrietatem, macilentiam, & morbos non ſecus ac immoderatum vinum gignit. Vitium tamen hoc non tantùm Paraquariam, ſed Tucumaniam, Chilenſe regnum, & Peruviam, Europæ ipſi jam imminens, ita pervaſit, ut inter Americæ res pretioſas Paraquarienſis herba computetur. Igitur Hiſpanis initio in Paraquariâ cuique ſua goſſipina veſtis & vinum ex melle fictitium ſatis placebat; ſed poſtmodum creſcente hujus herbæ pretio per commercia, habendi libido & luxus etiam crevere, ad quem fovendum Barbari in conficiendo hoc pulvere magis quàm antea vexari cœpere. Vexationem excepit iterata Indorum diminutio, & inde nata iterum Hiſpanorum paupertas: ut ſcias quibus artibus acquiruntur opes, iiſdem etiam ſæpè deperdi. Hæc de Paraquariæ & fluminis Argentei coloniarum initiis pro inſtituto ſatis.

Herba Paraquarienſis.

CAPUT XVII. De Chileni Regni urbibus & earum fundatoribus.

CHILENUM verò regnum continuato littore Peruviæ conterminum, inter mare Pacificum montésque perpetuo ei paralellos, à vigeſimo-octavo uſque ad quadrageſimum quartum circiter altitudinis Auſtralis gradum, exiguâ triginta leucarum, & ſubinde minori latitudine interjacet. In hoc regnum primus, quod ſciam, Didacus Almagrus cum quadringentis Hiſpanis, & Ingæ Regis obtruncati filio ingentem Indorum turbam ſecum trahente, majori ſpe quàm ſucceſſu, anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo-ſexto penetravit. Sed vix exploratâ Coquimbenſi valle, in Peruviam, ad quam ex parte regendam Caroli Quinti Cæſaris litteris accerſebatur, re infectâ rediit. Non diu poſt Petrus Valdivia cum aliquot Hiſpanorum cohortibus vi irrumpens, totum quantum eſt Chilenum regnum in poteſtatem Regum Catholicorum receptum coloniis occupavit. Regni metropolim Divi Jacobi nomine inſignitam, viginti quinque à mari leucis, trigeſimo-quarto latitudinis Auſtralis gradu, ad normam Europæarum civitatum ſolidis ædificiis poſtea ornatam conſtruxit. Urbem Imperialem ibi poſuit, ubi polus antarcticus triginta fermè & octo gradibus ſupra horizontem elevatur. De quâ urbe narrat Lipſius ab hac cauſa Imperialem nominatam, quoniam in pleriſque domibus & portis repererint Hiſpani aquilas bicipites formatas, ut hodie videmus in Romani Imperii ſignis. Unde conficit externis populis hunc novum orbem præteritis temporibus forſan fuiſſe notum. Sed mea opinione levis conjectura eſt: nam cùm Imperiale oppidum fundatum eſt, ab aliquot jam retro annis Caroli Quinti Imperiales Aquilæ per Americam circumferebantur, quas Chileni, cum Peruviæ populis commercium exercentes, noſcere potuerunt: gradu verò quadrageſimo Valdiviam ſibi

Urbs Sancti Jacobi.

Urbs Imperialis.

Urbs Valdivia.

Urbs Coquimbo sive Serena.

cognominem urbem in solo auri probatissimi feracissimo non procul à mari, & Villaricam in mediterraneis ædificavit. Coquimbo sive Serena in Coquimbensi valle, & Angol inter Imperialem & Conceptionis novam etiam urbem, ejusdem auspiciis erectæ sunt. Sed Chileno regno constructis coloniis sic occupato, Araucanæ & Purenæ vallis incolæ nimiâ auri fossione exacerbati, Caupolicano duce, conjurantes, Petrum Valdiviam & Hispanos quamplurimos miserum in modum trucidavere: memorantque Hispani scriptores Chileni Barbari facinus atrox, aurum igne liquefactum in os Valdiviæ per vim & vindictam infundentis, hortantisque ut se tandem auro satiaret, qui nihil nisi aurum sitiret. Franciscus Villagra Valdiviæ successor, popularium vindex, multa bella fæliciter confecit, donec ejus etiam copiæ à Barbaris opprimerentur. Villagræ infortunium sequuta aliquot novarum coloniarum depopulatio, inassueta servitia Barbaris subire renuentibus. Post Villagram Garcia Hurtadus Mendoça, Marchionis Canietæ Peruviæ Proregis filius, cum Prætoriâ potestate multas Hispanorum cohortes, & tormenta bellica in Chilense regnum invehens, Barbaros tanto terrore affecit, ut plerosque in amicitiam receperit. Araucanos & Tucapelanos imperium detrectantes, occiso Caupolicano Valdiviæ mactatore, justo prælio devicit. Valdiviam & Imperialem urbes à rebellibus destructas restituit. Osornum oppidum, quadragesimo & uno circiter gradu abs se ædificatum, commilitonum præcipuis, quos secum è Peruviâ advexerat, partitis agris incolendum attribuit. In Cuioensi provinciâ, Chileni regni transmontana appendice, Mendoçam urbem, duorum oppidorum postea caput, per legatum de suo nomine posuit. Tandem regni præfecturâ Rodericio Quirogæ Sancti Jacobi Equiti relictâ, Peruviâm, quam interjecto tempore Prorex gubernavit, ingenti famâ repetiit. Rodericius Quiroga regnum, variante fortunâ, inter continuos pœnè tumultus administratum, Ildefonso Sotomajori anno præteriti sæculi septuagesimonono tradidit. Is, Sancti Ildephonsi castro in Araucanâ valle condito, Araucanos pro libitu rebellantes aliquousque repressit. adeò ut Martinus Loiola ejus successor utcumque pacatum regnum duodecim Hispanorum urbibus conspicuum regendum per manus acceperit. Quæ verò Hispani per tot annos, cum militari gente belligerando, facinora gesserint, quàm fortiter quique se haberint, quot prælia fæliciter commiserint, non est mearum partium sigillatim enarrare: id præstabunt Chileni belli scriptores: mihi satis sit ea attigisse, quæ ad rerum dicendarum seriem intelligentiamque facere existimavi.

Urbs Osornum.

Urbs Mendoça.

Sancti Ildephonsi castrum.

Chileni atrox facinus.

CAPUT XVIII.

Chileni Regni descriptio.

PORRO, ut hoc addam, nihil Chilensi regione totâ, sive ad amœnitatem deliciosius, sive ad blandæ vitæ usum fingi potest accommodatius. Omni fructuum genere abundat, ostentatque jam in amœnis collibus, fluminum ripis, vallium pratis, fontium marginibus, pleraque quæ America & Europa sparsim parturit. Lactis & lanarum tanta copia, quantam ovibus & boum armentis herbosa pabula ubique præbent. Mellis, tritici, & generosi vini, quantum sibi sufficit, ferax est. Fragorum, & silvestrium pomorum sponte nascentium, rara suavitas: aquarum potabilium per auri venas traductarum tenuitas salubritasque apud frugales Hispanos magnum pretium habet: quamquam non negarim ipsas auri venas Hispanorum plerisque aquis esse pretiosiores. Toto anno tonitrua nulla audiuntur: fulgetra, fulmina, ventorum immoderati impetus, & hujusmodi cœlorum terrores absunt. Terra omnis nullum venenosum animal, aut feras nocivas parit. Repentini tantùm terræ tremores, inter magnarum intervalla fælicitatum, animos hominum quandoque concutiunt: nec alia res in officio magis continet colonos amœnitate camporum & rerum copiâ plerumque ad luxuriam magis, quam ad pietatem, proclives. In totâ Americâ nullum ferè aurum magis probatur, quàm Chilenum; in quo eruendo si ritè & moderatè primis illis temporibus se gessissent Hispani, & cupiditatem ad regum Catholicorum leges accommodassent, diu fælices esse poterant. Sed Chileno regno, constructis ubique coloniis occupato, privati homines, reclamantibus per diplomata Regibus Catholicis, graves indigenis esse cœpere; unde concatenata bella, & ex bellis orta adeò notabilis depopulatio est, ut fælicissimum regnum nihil jam pristini splendoris præter nomen ostentet.

Amœnitas.

Fertilitas.

Divitiæ.

CAPUT XIX. De Tucumaniæ rebus.

TUcumania inter Paraquariam & Chilenum regnum media, ab Oriente partim ipsi Paraquario, partim Argenteo flumini adjacentes terras respicit, ab Occidente Peruviæ montibus terminatur. Versus Austrum planitie camporum ad fretum Magellanicum exporrectâ, quà Septemtrioni ob vertitur, ferocissimis nationibus intercipitur. Intra temperatam zonam tota est, nisi quà extrema sui parte in Torridam aliquousque excurrit: & quod mireris, ea pars frigoribus immodicis obnoxia, utpotè montibus ardua, varias veterum de zonâ torridâ conjecturas luculenter explodit, Cæterùm Tucumania trecentis leucis varia latitudine in conum fermè desinente longa, quadrifariam universim habitatur. Australiores in campis & abruptis montibus nullo fixo loco vivunt, victum venatione quærunt: storeas portatiles pro tentoriis aut domibus habent. Boreales in paludibus piscatione præsertim se sustentant. utrisque eadem ferocitas: Australibus proceritas, Borealibus stupiditas major. Inventa ossa Gigantum quadruplo staturam hominis superantia: quamquam jam vix reperias qui octo pedes excedant, alii tenebris nati, ipso aëre sibi interdicentes, integrâ fere vitâ, factis sub terrâ speluncis sese sepeliunt. Ultimi denique in exiguis pagis per valles & montium asperitates ob Peruviæ vicinitatem, & commercium, aliquanto cultiùs ac lautiùs degunt. Eadem fermè omnibus innata segnities, eadem inertia: æris & argenti, quo non carent, exiguus usus. Aurum multum illis deesse mavelim asserere, quàm Europæis scrutandi diligentiam. Tucumanes ovibus ad portanda onera uruntur, quarum forma cum Camelorum pullis comparari potest: magnum robur earum est: lanarum verò longè major, quàm nostratibus, tenuitas: ex his omnis generis vestes, sericas maximè referentes, texuntur. Sunt item leones, quorum est cum Africanis consimilis figura, magnitudo tamen & magnanimitas longè inferior. Molossi molem non excedunt, nec rabiem, viresque vix exæquant: jubas non alunt, solo fermè rugitu terribiles. At tygrium tanta est ferocitas quanta nullibi terrarum. Principes in Tucumaniâ fluvii duo sunt; unus à sapore Dulcis, alter ab salsedine Salsus nuncupatur. Uterque quamvis innumeris rivis augeatur, torrenti quàm fluvio similior, ne lintrium quidem, nisi per intervalla, capax est. Secundùm hos Carcaranial celebratur: alii denique obscurâ tenuique origine nati, ubi aliquantulum terræ spatium percurrerint, suæ velut inopiæ verecundiâ, aut ab hiatibus absorberi, aut à lacubus antequam nomen nanciscantur, ebibi se sinunt. Horum aliqui lignum & ossa in lapides vertunt, & tumores sub mento hominum & aliorum animalium pendentes, magnarum lagenarum ad instar, gignunt, quos aliorum fluviorum aquæ dissolvunt. Fluminum paucitatem abundè compensant è montibus & silvis fontium scaturigines, & in campis lacus, unde factum, ut olim magna sui parte Tucumania frequentaretur. Satis constat, à primis Hispaniæ colonis aliquot centena capitum millia in non magnis regionibus censita fuisse. Quà Peruviæ contermini erant, Ingæ Regi parebant. Cæteri in factiunculas divisi, Casiquiis adhærebant, non tam moribus, quàm diversitate linguarum notabiles. Rarò duarum triúmve factionum populi ad propulsandos hostes conjurabant: nec aliud Hispanis olim fuit utilius ad debellandos hos populos, quàm quod in commune vix consulerent.

Tucumaniæ situs.

Indigenæ.

Animalia.

Flumina.

CAPUT XX. De primis Tucumaniæ repertoribus & urbium fundatoribus.

PRimus, quod sciam, Tucumaniam detexit, 'nescio' quis Cæsar, Sebastiani Gavoti miles, qui anno sesquimillesimo trigesimo cum tribus sociis ex fluvio Argenteo in Peruviam iter exploraturus, inauditâ prorsus audaciâ felicitatéque, per terras nondum cognitas, per immensas rupes paludésque progressus, Tucumaniam totam, tum Chilensis regni fines, denique Peruviæ maximam partem obiens, tandem ad Cusquensem urbem eo tempore pervênit, quo Franciscus Pizarrus Atavalipam Ingam Cacamarcæ paludibus eductum vinctumque, destinabat ad mortem: confectis hoc in itinere bis mille leucis. Sed quia de terris ab eo milite repertis, multa fabulosa traduntur, quæ post sæculum integrum adhuc fascinant multorum animos, arbitrantium in Australi Americâ terram ab hoc Cæsare Cæsarum dictam, adhuc esse irrepertam, auro argentoque scatentem, & hominum multitu-

Fabulosa Cæsarum regio.

dine

dine politiáque maximè nobilem, plura dicere de eo ſuperſedeo: nam incertis abviisque diverticulis pedem figere non lubet, dum non deeſt vera indubitatáque via, quam teram. Quinquennio pòſt, dum Petrus Mendoça Boni-aëris caſtrum ad fluminis Argentei ripas conſtruit, duo milites memorabili audaciâ per ipſam Tucumaniam in Peruviam evadentes, grandis imperii ſpe animos popularium ſuorum incenderunt. Quocirca anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo, victo ad Chupas Didaco Almagro juniore, cùm Vaca de Caſtro Prorex, pacatâ jam Peruviâ, belli ductoribus, prout ſe fortiter fideliterque bello probaverant, novas provincias in præmium attribueret, Tucumaniam ſortitus Joannes Rocas, ſuperatis Peruviæ montibus, cum ducentis Hiſpanis in aditu fermè provinciæ commiſſo prælio, venenatâ ſagittâ à Barbaris interfectus eſt. Eo ſublato reliqui commilitones, Franciſco Mendoça in ducem aſſumpto, ad flumen Argenteum per ipſam Tucumaniam penetrantes, eò appulerunt, ubi Gavotus in Carcaranialis oſtio caſtrum conſtruxerat. Inde cùm Franciſcus Mendoça adverſo flumine, Aſſumptionis urbis fundatoribus ſe adjunctum ire vellet, à commilitonibus, tumultuosè id renuentibus, pugionibus transfoſſus interiit, parricidis eò unde venerant delapſis. Anno verò præteriti ſæculi quadrageſimo-nono, poſt debellatum Pizarrum, Petri Gaſcæ Protegis authoritate, Joannes Nunius Pradus, adhortatoribus, & ſociis ſeptem Franciſci Mendoçæ aut interfectoribus aut commilitonibus, conductâ in ſpem magnam nobili Hiſpanorum centuriâ, Tucumaniæ interiora pervadens, ad Eſcavam flumen Sancti Michaëlis urbem à Caſtro dictam conſtruxit, quæ ad Calchaquinam vallem primùm, & deinde aliò tranſlata, paulò poſt deſtructa eſt. Idem Cruces variis in locis erectas aſylum omnibus eſſe voluit: unde factum, ut Ethnici ipſi Cruces in ſuis pagis erigentes, inciperent æſtimare, quas deinde adoraturi erant. Indos per Gaſparem Caravacalium, & Alfonſum Truënum religioſos Mercenarios, ad fidem Chriſtianam & Regis Catholici obſequium ſollicitavit. Denique, cum Franciſco Vilagrâ è Peruviâ per Tucumaniam ad Chilenſe regnum militum ſupplementum ducente, de juriſdictione contendens, facto prælio in poteſtatem ejus devenit: à quo libertatem dignitatemque eâ lege recepit, ut Tucumania Chilenſis regni Prætori, acceptis ab eo impoſterum præfectis, ſubderetur. Anno igitur milleſimo quingenteſimo quinquageſimo-tertio Franciſcus Aguirre è Chilenſi regno cum ducentis Hiſpanis à Petro Valdiviâ Prætore miſſus, deſtructo Sancti Michaëlis oppido, urbem Sancti Jacobi, Tucumaniæ deinde metropolim, & Epiſcopi ſedem, ad fluminis Dulcis ripas vigeſimo-octavo latitudinis Auſtralis gradu erexit. Franciſco Aguirre Rodericius Palos nullâ re memorabili geſtâ ſucceſſit. Anno verò ſeſquimilleſimo quinquageſimo octavo Garcia Hurtadus Mendoça Marchionis Caniëtæ Peruviæ Proregis filius, Chilenſis regni Prætor, Joannem Gomeſium Zuritam Tucumaniæ præpoſuit, qui Londino urbe conſtructâ, Calchaquinos, & adjacentes Barbaros Hiſpanis infeſtos repreſſit. Sancti Michaëlis urbem reſtituit: Diaguitas ferocientes, nec non Indos Rubro flumini obverſos in poteſtatem recepit, Famatinæ & Sanagaſtanæ magnaque ex parte Catamarcanæ vallium incolas ſubjugavit. Per Julianum Sedenium conſtructâ Cordubenſi arce Calchaquinos utcumque domuit, percurſis fluminis Salſi & aliorum fluviorum littoribus, ſparſo Hiſpani nominis terrore, octoginta Indorum millia, in unâ Sancti Jacobi ditione in cenſum relata, Regi Catholico vectigalia fecit. Denique rem contra Barbaros ita feliciter geſſit, ut Peruviæ Prorex in præmium Tucumaniam ab Chilenſis regni imperio exemptam, priſtinique juris factam, ei ſubjecerit. Sed ſub id tempus, hoc eſt anno præteriti ſæculi ſexageſimo-primo, Gregorius Caſtanieda cum militum manu ab Prætore Chilenſi ad regendam Tucumaniam miſſus, ipſum Zuritam debellatum in Peruviam amandavit: quo factum, ut deſtructis Caniëtenſi urbe, & Cordubenſi arce, pænè omnes Indi rebellarent: quâ re cognitâ, Prorex Peruviæ Franciſcum Aguirre magnâ cum poteſtate anno ejuſdem ſæculi ſexageſimo-tertio in Tucumaniam miſit, cujus fortitudine & auſpiciis, pleriſque Indorum in poteſtatem receptis, & conditâ Eſtecenſi urbe, res utcumque reſtituta eſt, donec ipſe variis ſe implicans negotiis in Peruviam etiam revocaretur. Sub variis deinde ſibi invicem

Duorum militum audacia.

Joannes Rocas maſtatur.

Et Franciſcus Mendoça.

Sancti Michaëlis urbis origo.

De primis Religionis introductoribus.

Tucumania Chileno Regno ſubcenſetur.

Urbis Londinum.

Tucumania ab Chileni regni regimine eximitur.

subsequentibus Præfectis, accedentibus novis è Peruviâ supplementis, per totam provinciam multæ Hispanorum coloniæ aut restitutæ, aut de novo conditæ sunt. Ex quibus, cæteris bello aut locorum injuriâ deletis, adhuc supersunt, præter Sancti Jacobi metropolim. Corduba, Sancti Michaëlis civitas, Salta, Cucuisensis urbs, Rioca, Estecum, Londinum, & paucula militum præsidiola, quibus subsunt in suas regiones divisi multarum nationum populi, Hispanorum auspiciis & fortitudine, ad Catholici Regis obsequium non sine sanguine, ut alii narrabunt, magna ex parte translati,

Tucumania urbes.

CAPUT XXI. De veteri prædictarum regionum statu.

PORRO totam eam provinciarum à me delineatarum molem, qui mortales, quo corporum habitu, quâ religione, quibus moribus & linguis incolant, quæ terræ cælique, & animalium, nec non novarum secretarumque rerum conditio sit, commodiùs dixero, cùm de singulis locis, vel de illata ad varios populos per Societatem JESU Fidei face, suis temporibus tradam, Num verò ea pars Americæ Australis antiquis sæculis nota fuerit, non admodum utilis mihi indagatio est. Cicero in somnio, globum mundi in duas partes habitabiles dividens, alteram sub axe ad septem stellas, alteram Australem, quam ἀντίξονα ex Græcis ab oppositi axe appellat, instituit. Pomponius Mela veteri mundo adversam terram ἀντίχθονα, & ejus habitatores Antichthones nominat. Præterea nota sunt Aviti declamatoris apud Senecam verba, asserentis fertiles in Oceano terras, ultràque Oceanum rursum alia littora, & alium nasci orbem. Clemens Beati Petri discipulus meminit Oceani, & mundorum, qui trans ipsum sunt; ex quibus confici volunt, partem hanc orbis auditione acceptam, & inspectione olim fuisse usurpatam. At unde novi orbis populi ducant originem, curiosiùs multi inquirunt, quàm certiùs. Lipsius, Aristotelis conjecturas sequutus, Afris navigabilem olim fuisse putat. Ferdinandus Oviedus ab Hespero Hispaniarum Rege Hesperidas insulas dictas, & sub eo cum continenti Americâ ab Hispanis cultas fuisse autumat. Alii Americanos progeniem Judæorum, Regis Oseæ temporibus ab Salmanazaro captivorum, & in terras hactenus incultas octodecim mensium itinere transportatorum, affirmant. Multi ab Sinis Pacificum mare navigantibus, aut ab Septemtrionalibus (quod pronius est credere) propagatos, aut unde unde tempestate advectos æstimant. Ego nulli durus arbiter sedebo, & omnia quæ asserunt, fieri potuisse non inficias ibo: sed quid revera factum sit, ingenuè me nescire fatebor. Tantorum virorum opiniones, ut non ausim infirmare, sic nec affirmare: nam quæ sine ratione asseruntur, falsò plerumque contermina sunt, & æquè odiosum est sine ratione negare, quàm fidei noxium temerè affirmare. Adi Lipsium, Acostam, Pinedam, Solorzanum, & alios viros planè eruditos, qui cum omnem antiquitatem evolverint, seque in omnem partem torserint, erudita, sed non certa de antiquis Americæ rebus tibi proment. Scio diluvii memoriam apud hos populos remansisse: sed utrùm illa memoria ad totius mundi cataclysmum, an ad particularem quarumdam regionum eluvionem, instar Ogygii diluvii, quo Achaia; aut Deucalionis, quo Thessalia inundavit, referenda sit, in medio relinquo. Itaque Platonis Athlantidem, Diluvii rationes, Salomonicam Ophir, transmigrationem animalium, & id genus sexcenta, aliis tractanda prætermitto: nam ego lubens à conjecturis, & fabulosis abstinebo, cùm non desunt vera, quæ asseram.

Utrum Antiquis nota.

Unde sumût originem.

De diluvio.

CAPUT XXII. Catholicorum Regũ felicitas & Religionis cura commendatur.

QUAMQUAM non illibenter præfabor, videri mihi Peruviam, & Australes has provincias, velut alteram Ophir Carolo Quinto Cæsari, ceu Davidi, bella Domini cum Hispanis bellaturo, & Philippo Secundo Regi Catholico Escuriale sancti Laurentii templum Salomonicè constructuro, adeoque Philippis Tertio, & Quarto jam regnanti, Ecclesiam Catholicam, novi orbis opibus ornaturis defensurisque, concessas fuisse divinitus: optandumque, ut tantorum Regum posteri longâ & non interruptâ serie auro & argento Americano potiantur, quo avorum suorum vestigiis insistentes, non minus Catholicum imperium, quàm Hispani nominis gloriam amplificent, Sed ut rem meam agam, Carolus Quintus Cæsar

Author bene apprecatur Regibus Catholicis.

Reges Catholici Episcopales sedes erigunt.

Domos sacras construunt.

Indis favent.

eodem ferme anno, quo Paraquariæ metropolis condita est, aliquot Sacerdotes, & anno præteriti sæculi quinquagesimo tertio primum Paraquariæ Episcopum, cum amplissimis & Cæsareis donis ad sacrorum procurationem submisit. In Chilensi regno, in Tucumaniâ & portu Boni-aëris, Regum Catholicorum authoritate & sumptu, Episcopales sedes erectæ, Canonicorum collegia instituta, & seminaria constructa sunt; præterea in amplissimis his regionibus, eorumdem munificentiâ, Sacerdotes aliti, Religiosorum domus fundatæ, & frequentibus litteris Proreges, provinciarum Prætores, urbium Præfecti, Senatus amplissimi, in mandatis ab Regibus habuere, ut, Indorum vexatione cohibitâ, præcipuam curam in novæ gentis æternam salutem intenderent. Quâ in re, quid JESU Societas, tantorum Regum auspiciis, per Tucumaniam, Paraquariam & Chilense regnum, facem Evangelicam circumferendo, juverit, pro instituto dicere aggredior.

CAPUT XXIII. Societas in Tucumaniam accersitur.

Ratio vocandæ Societatis.

VERUM in his rerum primordiis misera planè novarum provinciarum facies erat: nam præter pauculos Sacerdotes, Indicarum linguarum pœnè ignaros, Episcopi nullos habebant fermè idoneos adjutores. Pleraque Hispanorum oppida, sacramentorum usu destituta, in summâ libertate vitiis scatebant. Quamvis enim Hispana natio frugalis sit, & naturam temperantiæ artibus coërcere noverit: tamen rerum abundantia, & servitiorum: necnon indigenarum fœminarum multitudo licentiaque, ita corruperat mores, ut sortem suam Hispani miserabiliter lamentarentur, dolerentque, ob Sacerdotum & Concionatorum inopiam, ab multis retrò annis inexpiatos, & sine Divini Verbi pabulo impastos vivere & mori: Indorum verò innumerorum salutem, ob easdem causas, domi forisque in desperato esse. Quocirca, etsi Episcopi pro insigni virtute cuperent nostræ Religionis proferre fines, & vitia profligare: tamen in tantâ immensitate terrarum, & Barbararum nationum infinito propè numero, profligatis præsertim Hispanorum moribus, sufficere haudquaquam poterant. Donec illustrissimo Domino Tucumanensi Episcopo cœlitùs injecta mens est, ut vellet Societatem JESU, quam noverat ubique terrarum rei Christianæ utilem esse, in subsidium vocare. Is fuit frater Franciscus Victoria, vir vitæ integræ, qui cùm olim adolescens apud institorem in Peruviâ servulum ageret, ab non nemine visus est insulam gestare, non inani præsagio; quippe fluxarum rerum lucris valere jussis, litteris excultus, in sancti Dominici familiâ ita se omnibus probavit, ut Insulam Tucumanensem, procurante Philippo Secundo, & Pio Quinto Pontifice concedente, omnium primus anno præteriti sæculi septuagesimo-secundo iniverit: & ita Episcopatum administravit, ut ab consilio Limensi amplissimam laudem sit promeritus. Tantus igitur vir, ad Patrem Josephum Anchietam, miraculorum famâ inclytum, Brasiliæ provinciæ pro Societate præpositum, & ad Patrem Joannem Atiensam Peruviæ Provincialem, litteras dat, per viscera Christi utrumque obtestans, ut pro eo, quo majoris Dei gloriæ desiderio flagrabant, è sua Societate selectos aliquot Sacerdotes ad se juvandum mitterent, nullibi terrarum posse ex Societatis instituto utiliùs gloriosiusque operam suam collocare.

Primus Tucumaniæ Episcopus laudatur.

Societatem accersit.

CAPUT XXIV. Primus Societatis in Tucumaniam adventus & labores.

1586.

Franciscus Angulus Missionis Præpositus.

Alfonsi Barsenæ laus

Saltam excolunt.

Socii.

PLACUIT utrique Provinciali optimi Præsulis postulatio, primique è Peruviâ, Joannis Atiensæ Provincialis authoritate, Franciscus Angulus & Alfonsus Barsena Sacerdotes, necnon Joannes Villegas laicus, anno millesimo quingentesimo octogesimo-sexto in subsidium submissi sunt. Reliquis præerat Franciscus Angulus, Inquisitionis Fidei per Tucumaniam Commissarius, vir, ut res postulabat, religionis dotibus abundè cumulatus: quamquam longè notior erat Alfonsi Barsenæ virtus, diu multumque in America tanta cum claritudine nominis versati, ut Alegambe & Sachinus eum à Peruanis populis Peruviæ Apostolum nominatum fuisse asserant. Hi è Potosæo oppido egressi, superatis ægrè montibus, Peruviam à Tucumaniâ discriminantibus, ubi Saltam ante quadriennium conditam urbem tenuere, dici vix potest, quantis Hispanorum lætitiis excepti sint. Hactenus enim Saltenses cives nullum Sacerdotem habuerant, angebanturque, ut solet, ab multis

retrò annis inexpiatarum conscientiarum tormentis, quas, repetitis ab infantia sceleribus, apud nostros Sacerdotes per intervalla Indorum saluti intentos, incredibili animarum sequutâ pace, deposuere. Saltâ distat quinquaginta leucis Estecum Civitas, in qua civitate cives omnes Sacerdote etiam carentes Sacramentis carucre. Quichoam linguam uterque expeditè usurpabant: Tonocoranæ difficultates in Peruano itinere Barsena devoraverat, quarum linguarum beneficio Estecenses Indi, Mysteriorum nostrorum rudes, pro temporis angustiis excoli cœpêre. Atque ut laboris fructus perpetuus esset, ex singulis Hispanorum domibus bini Neophyti selecti, & speciali curâ eruditi sunt, qui deficientibus Sacerdotibus initiales Christianæ legis preces & præcepta domesticos edocerent. Personabant compita & ædes Neophytorum, choris piè & hilariter ea, quæ ab Doctoribus suis didicerant, repetentium, tantâ Hispanorum approbatione, ut longè latéque fama volitaret: satis constat, improbo duorum hominum labore ignorantiam utcumque profligatam, & Confessionum usum, hactenus Indis incognitum, ab omnibus usurpari cœptum fuisse. Mense integro in ea urbe exacto, litteras ab Episcopo Tucumánensi, viæ subsidia sexaginta leucis utrique obviam transmittente, recipiunt, quibus ad sancti Jacobi provinciæ metropolim summis votis accersebantur.

Et Estecum.

Excolendi modus.

CAPUT XXV.

Franciscus Angulus & Alfonsus Barsena in Tucumaniæ metropoli Apostolicè elaborant.

ADventantibus Sociis, Joannes Ramires Velascus Tucumaniæ Prætor, cum Magistratu & frequenti nobilitate obviam longè progressus, inter varia lætitiæ ostentamenta, eos in urbem, quam cives floribus & arcubus triumphalibus vestierant, invexit: invectos Episcopus, supplicatione celebri institutâ, inexplicabili gaudio in templum primùm, deinde luculentâ oratione laudatos in ædes suas secum diversaturos induxit. Cæterùm Deus commodissimâ tempestivitate Societatem in Tucumaniam pervexit: nam, præter Episcopum, in tota provincia quinque solummodo Sacerdotes, & pauculi Religiosi pro instituto suo egregiè planè laborantes, versabantur: sed ex tantillo numero rarus erat, qui linguam Indicam tertiare posset: adeò ut Episcopus sub onere se fatiscere non diffiteretur. Urbs Sancti Jacobi quingentis Hispanorum familiis constabat, in cujus unius urbis ditione octoginta millia sagittariorum varias linguas usurpantium, præter imbellem multitudinem, in album fundatores retulerant: quibus magna ex parte temporum injuriis communi Indiarum malo morte sublatis, adhuc supererat ingens numerus, nullos animarum suarum curatores idoneos facilè habiturus, si Societatem Episcopus in suum auxilium non vocâsset. Læti igitur Patres in amplissimâ animarum messe se esse constitutos, pares tantæ segeti vires exeruere. Et quia non ignari erant parum admodum se profecturos, ni Hispani prælucerent morum exemplo, nihil in publicis privatisque sermonibus inexpertum omisêre, quod ad eorum mores corrigendos pertineret. Pendebant Hispani, pro ingenitâ gentis pietate, ab ore novorum Doctorum, conciones, catecheses, colloquia, lectiones, & ordinarias Societatis operas diu noctúque magno fervore usurpantium. Quotidie insignia reportabantur de Dæmone spolia; sive lascivus fœminarum luxus, sive Hispanorum nimius in Indos dominatus, sive juventutis solita vitia castigarentur. Exhomologesi purgata civitas est universa. Christi Corpore pasti pœnè omnes; pueri doctrinâ Christianâ informari in parentum suorum magistros evadebant: repullulabat ubique obruta vitiis Hispanorum pietas, adeò ut Episcopus ob vocatam Societatem omnibus lætitiis incesseret. Inter tantorum laborum furtiva intervalla, Alfonsus Barsena, præter Tonocotanam linguam, Kakanam etiam finitimis populis maximè usitatam didicerat. Franciscus Angulus linguâ Indorum generali utebatur. His linguarum armis ambo in Dæmonem invecti, nullis laboribus parcebant, quò Ethnici, iniquo domino abjurato, ad Christi partes seriò animum adjicerent: selecti etiam hic Neophyti, qui populares suos domi docerent. Festis diebus, prælata Cruce, socii ingentem Indorum turbam Catechesim ad modulos canentium per urbem ducebant, eo fine, ut ab lasciviis & ebrietate, his præsertim temporibus usitatis, gentem abstinerent, & doctrina suaviùs per modulationem in animos influeret: Episcopo interim ægrè se domi continente, & frequenter

Franciscus Vitoria Episcopus socios amanter recipit.

Status Tucumaniæ.

Numerositas Indorum.

Socii Hispanis prosunt.

Barbaros eruiunt.

Et Baptizat.

sociis Cantantium choros ducentibus adjungente, secumque civium turbas ad gratulandum trahente: quibus artibus, in comperto est gentem novam ita affectam, ut innumerabilis multitudo partim Christianis instituta præceptis, partim etiam ad Christi religionem traducta fuerit. Quot tum Barbarorum millia baptizata sint, non satis liquet: nam primi illi provinciæ nostræ heroës non æquè sua scribere ac multa pro Christo facere amabant; nec mihi sincerè res scribenti lubitum est incerta pro certis ex vaga fama posteritati transmittere. Certum est, præter ingentem baptizatorum variis linguis utentium numerum, Neophytos omnes aliàs baptizatos, confessione Sacramentali nusquam antea usurpatâ, purgatos, & propè innumeros ad legitimam uxorem ducendam, cùm antea plerique Neophyti lege veteri viverent, fuisse inductos. adeò ut Barsena, parcissimus rerum suarum æstimator, miraretur quî tantis laboribus non succumberet.

CAPUT XXVI. Alfonsus Barsena Estecenses ad Fidem adducit.

SECUNDÙM id, Episcopus Tucumanensis, Francisco Angulo, Inquisitionis Fidei commissionibus occupato, apud se retento, Alfonsum Barsenam cum Joanne Villega laico ad Estecensem urbem remittit. Causa mittendi fuit, ut Indigenas Ethnicos in quinquaginta pagis urbi subcensitis ad Fidem Christo dandam sollicitaret, & sacerdotem externum suo nomine Hispanis præficeret. Ex itinere mortales quamplurimos obviis in pagis salutaribus aquis lavit. Esteci, ad expiandos cives, paucos dies commoratus, Ethnicorum vicos, ad quos mittebatur, per abrupta montium, & paludum arundineta, longè abs se invicem disparatos, adiit. Paulò antequam illuc appelleret Barsena, notabili animarum damno, Religiosus quidam Apostata, nescio unde advectus, quamplurimos Ethnicos nullis præceptis ante imbutos sacrilegè, nullo Sacramenti sequuto effectu, baptizaverat; qui interrogati de rebus ad Christi religionem legémque pertinentibus, id modò respondebant, se lotos quidem esse, sed, quòd Hispanæ linguæ rudes essent, quid cum hac lotione percepissent, cognoscere se nequivisse. Hos Barsena ritè eruditos melioribus aquis iterum immersit. Porrò in convertendis ad Christum Estecensibus Indis ita singulos dies partitus fuerat, ut duabus horis antelucanis somnum excutiens, in proxima nemora aut campos longè ab turba se reciperet, Deum oraturus, ut vellet cæleste lumen gentibus impertiri: inde faciebat, sacrificio peracto, verba ad concionem: reliquum matutini temporis spatium catechesi tradendæ cum socio terebat: vespertinis horis, ritè baptizandis Indis, & matrimonio jungendis, expiandisve Neophytis, vacabat; nullâ ferme habitâ corporis ratione. Cæterùm quid per abrupta montium, per abdita sylvarum, vel per paludum arundineta, Indos hinc inde vagos indagando, barbaro cibo contentus, omnibus modis cavens ne aliquis Ethnicus sibi elaberetur, passus uterque fuerit, speramus pro dignitate scripta esse in libro vitæ. Novem solidos menses tenuit hic labor, ingenti planè fructu: nam sex millia Barbarorum supra sexcentos suâ manu Barsena baptizavit, multis parium millibus matrimonium ineuntibus legitimè adfuit: aliarum expiationum iniri numerus non potuit. Quibus rebus perfectis, ambo eò unde venerant, Episcopi vocatu, magnâ omnium ordinum pro re feliciter gesta aggratulatione, rediere.

Multos baptizat.

Apostata damnosi baptismi.

Alfonsus Barsena tempus ritè partitur.

Sex mille Barbaros & sexcentos baptizat.

CAPUT XXVII. Franciscus Angulus & Alfonsus Barsena Cordubensem tractũ Apostolicè percurrunt.

REDUCES, cum Francisco Angulo, ejusdem Episcopi missu, ad Cordubensem tractum eâdem ratione procurandum, nullâ ferme datâ respirandi morâ, properavêre. Centum leucis abest Corduba, ab sexdecim annis ædificata, ab provinciæ metropoli, unde simul discesserant: quo itinere per immensa nemora tygribus passim habitata confecto, incredibili Hispanorum lætitiâ recepti sunt. Sed ubi personuit Barsenæ tuba Apostolica, nullus fuit, qui non conscientias suas apud advenas sacerdores deponere vellet. Ex Indis, Hispanorum servitiis in urbe addictis, ob varietatem linguarum eruditi difficilibus, quingenti, & eo numero plures, statim baptismum recepêre: per tractum verò Cordubensem excursione facta, primo mense trecentos Ethnicos ad Christi Fidem, & quadringentos Neophytos ad legitimum matrimonium, socii perduxere. Ulteriora meditantibus nuncius ad-

Quingentos baptizant.

Item trecentos.

fertur,

fertur, novorum sociorum supplementum è Brasiliâ adventare, quocirca ad eos excipiendos, falce tantisper in amplissimâ messe relictâ, Cordubam redeundum fuit.

CAPUT XXVIII. Socii è Brasiliâ missi à Piratis vexantur & appellunt. 1587.

ACceptis Tucumaniæ Episcopi litteriis, Josephus Anchieta Brasiliæ provincialis, anno millesimo quingentesimo octogesimo-septimo, socios quinque, Leonardum Arminium Italum reliquis præpositum, Joannem Salonium Valentiæ in Hispaniâ natum, Thomam Fildium Ibernum, Emmanuelem Ortegam & Graum Lusitanos, selectos planè viros, in subsidium misit, qui aspirantibus ventis vela facientes, ubi ad Argentei fluminis ostium pervenêre, arbitrantes in tuto jam se esse, ex improviso pyraticam Anglorum hæreticorum in se involantem perspexêre. Capta navi, Hæretici suoptè ingenio in Societatem Jesu infesti, socios indignis probris onerant, & ne Fidei Catholicæ facem ad Barbaras nationes transferant in Insulam desertam, fætore notabilem, mactationi destinatos deponunt. Mutatâ deinde sententiâ, rursum in navim ex malo, ut aiebant, suspendendos recipiunt: aliis interim eorum cistas insolenter explorantibus. In quarum una consecratæ ceræ Agnos magno numero cùm reperissent, mirum quantum in Pontificem Romanum talium rerum consecratorem exarserint, & quantis ludibriorum dehonestamentis sociorum pietatem exagitârint. Hæreticorum uno, cæterorum impudentissimo, sparsas per navis tabulatum sacras ceras prophano pede proculcare auso. Non tulit indignationem Emmanuel Ortega, magni vir animi, Josephi Anchietæ Brasiliæ Provincialis dudum socius, aususque est, objurgatâ piratarum insolentiâ, hæretici hominis ceram proculcantis pedem utrâque manu præhensum ab sacrilegio avertere, vociferans neutiquam permissurum, vidente se, sacra violari. Sed dum hereticus contra connitendo prophanum pedum è manibus Ortegæ extricat, alliso ad navis oram capite, perstricta cute, sanguinem sibi elicuit: quo viso turmatim hæretici in Ortegam involant, nihil repugnantem, impactis prius verberibus, in mare deturbant: deturbatum, diuque cum fluctibus in madida veste colluctantem, & jam navim natationis beneficio prehendentem, eo fine è mari extrahunt, ut duriori morte cum reliquis sociis eum afficiant: & jam consilia de genere necis inferendo agitabant, cùm res accidit memorabilis: nam in illius hominis pede ausi sacram ceram proculcare repentè nata pustula pestilens est, quæ postquam proximas partes serpendo invasit, tantis doloribus reliquum corpus affecit, ut abscisso frustra pede ante viginti quatuor horas sacrilegam animam exhalaret: tanto hæreticorum ad manifestum Dei judicium stupore, ut de inferenda sociis violenta morte abstinuerint. Aliquot tamen diebus, versus fretum Magellanicum ductos, duráque fame maceratos, tandem navi sine velis, & sine cætero navigandi instrumento, ad certum pœnè naufragium imponunt: sed velis & remis non egent qui aurâ Sancti Spiritus afflati navigant: cujus aspirante pro ventis Numine, non diu post, portum Boni-aëris feliciter tenuere. Aliud etiam in eo concursu accidit singulare. Secum traxerant socii Cranium unius Virginis ex Divæ Ursulæ comitatu, visáque hereticâ navi, ne violaretur sacrum pignus, eò loci absconderant, quò facilè non penetraret scrutatrix hæreticorum impietas (& certum est ab eis non repertum) tamen cùm illud socii educere vellent, nusquam amplius repertum fuit, creditumque divinitus aliò translatum fuisse; Virgine scilicet Anglâ popularium suorum sacrilegia dedignante. Appulsos socios excepit Illustrissimus Dominus Paraquariæ Episcopus, multis rationibus socios urgens, ut, mutato Tucumaniæ adeundæ consilio, ad Assumptionis urbem se conferrent, ibi linguam Brasilicam, quam callebant, à Paraquarienſi paucis dialectis differentem, usui esse posse: sed socii imperia Majorum causati, per solitudinem centum & viginti leucarum, Cordubam, primam Tucumaniæ urbem, se contulêre. Adventantes Franciscus Angulus & Alfonsus Batsena, procuratis Hispanorum liberalitate vestibus, pro loci conditione luculenter exceperunt. Post primos congressûs, Leonardus Arminius vir gravis, Theologiæ olim professor, Brasilis sociis Præpositus, statim significavit, ægrè ferre se & socios è Brasiliâ Lusitanorum Provinciâ eò vocatos, quò Peruviæ Hispani Patres operas suas extendebant. quare cùm Patre Grao ad Sanctæ

Ab hæreticis capiuntur.

In Insulam desertam transportantur & educuntur.

Vexantur.

Emmanuel Ortega sacrilego resistit.

In mare dejicitur,

& extrahitur.

Memorabilis sacrilegii pœna.

Socii appelluunt.

Sacrum cranium disparet.

Socii invitantur ab Episcopo Paraquariensi.

Cordubam pergunt.

Arminius & Graus in Brasiliam renavigant.

Fidei urbem se recepit, quâ urbe solitis Societatis officiis procuratâ, cum eodem socio, non diu pòst, in Brasiliam renavigavit. At Ortega, Salonius & Fildius, non illibenter Peruanis Patribus (donec Generalis Præpositus super eâ re consultaretur) se adjunxêre. Franciscus Angulus Thomam Fildium & Joannem Salonium ad Sancti Jacobi urbem secum abduxit. Alfonsus Barsena Emmanuelem Ortegam socium, Apostolus Apostolum accepit: quocum relictam tantisper in Cordubensi agro falcem mirabili proventu receptum ivit.

CAPUT XXIX.
Cordubêsis ditio ab Alfonso Barsena & Emmanuele Ortega utiliter excuritur.

Bis mille & quingenti baptizantur.

Indorum Cordubensium conditio.

Sociorum aruma.

Inedia.

ERANT tum ditionis Cordubensis Indi partim Ethnici, partim sacro initiati fonte. Illi magna ex parte, novis servitiis & morum pravitate feroces, externum imperium rebellando renuebant. Hos (si nomina Christiana demeres) vix ab Ethnicis, deficiente Catechesi, distingueres. Utrosque aggressi Patres per abrupta montium, per sylvarum invia, nullo belligeræ gentis metu, fame totam regionem depopulante, reclamantibus Hispanis, certum adiri mortis periculum asserentibus, quaquaversum longè latéque Christi nomen prædicatum ibant; tanto successu, ut præter innumerabilem turbam confessione expiatam, bis mille & quingentos Ethnicos baptizarint, mille & quingenta paria pellicatu implicita legitimo vinculo conjunxerint, obvios omnes ad Christi amorem inflammare dicendo contenderint. Quibus in rebus patrandis, quot labores exanthlarint, non facilè est compendio complecti. Cordubenses Indi in cavatis sub terrâ cavernis, nullo eminente supra terræ superficiem tecto, uni ab aliis longè semoti, domicatim vivunt: itaque, ut cuniculi, indagandi erant, priusquam erueres; eruti magnitudine beneficiorum obruendi, ut te audirent; audire non renuentes, plerumque perinterpretes ob varietatem linguarum edocendi erant. Ea omnia præstitêre socii; sæviente hyeme, cœlum pro tecto, humum pro lecto habentes, adeò tenui victu, ut quàm plusculos dies numeratò viginti quatuor grana tritici turcici pro omni cibo ad aquæ potum tantùm adderent; quo tritico omninò deficiente, quinque solidos dies, præter Corpus & Sanguinem Christi, nihil penitus ori admoverunt. Et utrique absque dubio moriendum erat, nî cœlum utilissimos homines mirabili modo conservasset, res sic sese habuit.

CAPUT XXX.
De mirabili Alfonsi Barsenæ & Emmanuelis Ortegæ transvectione.

Emmanuelis Ortegæ mirabilis visio.

EMMANUELI Ortegæ fame jam propè enecto Alfonsus Barsena, aliquamdiu per preces consulto Deo, mandat, ut paulò post mediam noctem, sacrificio peracto, ad Hispani hominis villam, quinquaginta fermè leucis dissitam, annonæ ergò iret; se, cùm Catechumenos baptizasset, propè sequuturum. Ortega ægrè se avelli ab optimi Patris latere certo mortis in periculo sinebat, nam præterquam quòd ob diuturnam famem vix jam reciprocaret animam, non ignorabat, per abruptissima loca, & per regiones ferociissimas, Hispanoque nomini infestissimas, sibi iter faciendum. Expiatis tamen totius vitæ noxis jubenti parendum potius quàm oblectandum censuit. Vix iter eques capessiverat, cùm equus, in quo ibat, volare sibi visus est: sic per belligeros, & mortem in occursu minitantes Indos, protegente ubique Numine, incolumis evasit. Sub medium diem defectissimis viribus ex equo tantisper desiliens, in somnis cœlestia ostenta incredibili animi voluptate vidit, quibus ad majora pro Christo audenda & toleranda mirum in modum confortari se sensit. Denique resumpto equo, quamvis in trajectu paludis casu se totum madefeciisset, paulò post meridiem eo, quo discesserat die, Hispanorum villam ingressus, comperit undecim horarum spatio octidui iter se feciisse. Re cognitâ, Hispani Europæum hominem cum Indorum comitatu & commeatu in expeditis equis ad Barsenam mittunt: vix miserant, cùm ipse Barsena aliâ viâ ore hilari eandem villam ingrediens, Ortegam & Hispanos duplicato miraculo attonitos salutat. Miraculi fidem auxit Europæus ille, qui ad Barsenam missus, post duodecim tantùm dies rediit, affirmans in itu & reditu se quàm citissimè iter semper confeciisse. Igitur pro miraculo Deo gratiæ actæ sunt, cui non difficilius est per Angelum transportare Abacuc in lacum leonum, quàm Danieli persimiles viros transportare in domum panis.

CAPUT XXXI. Salii fluminis accolæ Societatis curæ subduntur.

ALFONSUM Barsenam in eâ expeditione diutiùs perseverare volentem, ut quatuor millia Ethnicorum, quorum Casiquios baptizaverat, Christi partibus adderet, & ad fretum usque Magellanicum per ferociſſimas gentes, sine armis, sine comitatu, ire paratum revocavit Episcopus Tucumanensis, ne tantis periculis exponeret virum, quo si aliquando careret, Episcopatum se etiam abdicaturum asserebat. Ut rediit, eum quamvis renitentem totius diœceseos inspectorem summâ cum potestate legitimis tabulis creat, rogatque, ut cum sociis è Brasiliâ nuper advectis Salsi fluminis accolarum omnium curam in se suscipiat. Barsena, Francisci Anguli jussu, admissâ procuratione, Emmanuelem Ortegam, Joannem Salonium, & Thomam Fildium ad eam regionem multis barbarorum millibus scatentem deducit, deductos Tonocotanam linguam docere incipit, per intervalla indigenas omni ope juvat, quorum numerum benè magnum exiguo planè tempore sacro latice perfundit: ducentos circiter & triginta Neophytos pellicatu infames legitimè copulat, multos plane mortales de peccatis numquam confessos expiat; quo in labore morbo contracto, ad urbem referri debuit. Sed per hunc morbum Deus Optimus Maximus Paraquarienſibus salutem dare destinabat.

Barsena multos sacro Fonte abluit.

Ægrotat.

CAPUT XXXII. Brasilorum Sociorum primi in Paraquariâ labores.

1588.

PATRES Brasili, deficiente Tonocotanæ linguæ Magistro, communicato cum Francisco Angulo consilio, in Paraquariam, quò eos Illustrissimus Paraquariensis Episcopus, ob linguæ Guaranicæ peritiam, & Sacerdotum inopiam, invitaverat, perrexêre. Trecentis leucis distat Assumptionis urbs unde discesserant, quo itinere partim terrâ, partim adverso flumine Argenteo Paraquarioque, confecto, collecta ubique copiosa animarum messe, ab Assumptionis civibus tres omnino leucas obviam effusis, tantâ omnium ordinum aggratulatione, excepti sunt, satis ut appareret quàm sincerè animarum suarum culturam expoſcerent. In eâ urbe, Dominicani Episcopi absentis vices gerebat ex eodem ordine vir planè pius, qui suopte ingenio, & sui Præsulis hortamentis, Socios palam laudatos induxit in ædes à civibus paratas, ultrò concessa potestate pleraque Sacramenta in urbe & extra urbem administrandi. Sic præclarissimo Divi Dominici Ordini debemus, quod in Tucumaniam, Paraquariamque inducti simus. Eo tempore pleræque Paraquariæ civitates & Indorum oppida Sacerdote carebant: quare Neophyti passim omnium rudes mixti Ethnicis, nullo consuetudinum discrimine, sine sacrorum usu disciplinâque, vana tantùm Christianorum nomina præferebant: multi mortales ex Barbaris mulieribus orti barbaros mores cum lacte ebiberant, plerique verò Europæi, deficientibus Sacramentis, sortem suam lamentabantur, dolebantque Paraquariensis Reipublicæ corpus, ex nobiliſſimis partibus compositum, multis corruptelis ob sacrorum Medicorum raritatem infici. Quò se verterent Socii, quam partem curandam priùs assumerent, non satis apud se constituebant. Consulto tamen Deo, visum est, Provinciæ caput noxiis humoribus antè purgandum, ut sanitas in subjecta membra efficaciùs influeret. Postquam ergo deferbuit gratulatorum fervor, in ipsâ urbe Assumptionis instrumenta medendi omnia, Conciones, Catecheses, privata publicâque colloquia, exhomologeses, & id genus varia in omnes ordines exprompta sunt. Tenera Hispanorum puerorum indoles pro captu curabatur, gravia concionum remedia maturæ ætati adhibebantur. Fœminarum mollities ferventi alloquiorum cauterio adurebatur: Indigenæ in urbe servitiis addicti præcipuo studio erudiebantur. Denique primo trimestri, eo successu peracta res est, ut seipsam in se urbs immutata vix agnosceret. Curatâ utcumque civitate, ad suburbanos pagos & villas excurrentes, grandem animarum segetem, adhibitâ Baptismi, Matrimonii, Catecheseos & Exhomologeseos falce, per vices collectum ivere: donec caritatis ignis, inter exigua spatia non se continens, sensim serpendo longinqua corriperet.

Et ab Dominicani Episcopi Vicario.

Gratitudo Societatis erga Dominicanos.

Mores mutati.

CAPUT XXXIII. Emmanuel Ortega & Thomas Fildius Guaitaniam Apostolicè lustrant.

JOANNE Salonio reliquis Præfecto in urbe remanente, Ortega & Fildius, adverso primùm Paraquario, deinde per immensa nemora & paludes pedibus incedentes (ut in eis agnoscerem Josephi Anchietæ discipulos) in Guairaniam Brasiliæ obversam regionem, centum & quinquaginta leucarum itinere profecti, pagos

omnes,

omnes; quà transeundum erat, omni Apostolicorum officiorum genere, plurimis præsertim ubique baptizatis, curavere. Primâ molitione trecentos & quinquaginta Ethnicos, quorum Dux, horribili figurâ, picto ad terrorem deformatoque capite, comam ad genua demiserat, è sylvis erutos, ad partes Christi traduxêre. Quot in obviis passim vicis baptizaverint, sigillatim notatum non reperio. In ultimo Paraquariensis ditionis pago, Guairaniæ contermino, mille Ethnicorum capitibus salutares aquas infudêre. Quadringentos maritali vinculo adstrinxêre. Tantis rebus in itinere perfectis, deducentibus, qui obviam venerant, civium Primoribus, primum Guairaniæ Hispanorum oppidum (civitatem Regalem vocant) tenuere. In hujus oppidi vicinia Melgarecus ejus fundator quadraginta millia Barbarorum in album olim retulerat, ex quibus ea tempestate magna multitudo adhuc supererat, serviebatque, centum & quinquaginta Hispanis eam regionem incolentibus. Huc igitur delatis Patribus, quoniam nullum Sacerdotem habebant, magna animarum seges oblata est: quam per mensem integrum, multis mortalibus baptizatis, Hispanis omnibus & Indis, legitimam ætatem habentibus, matrimonio ritè adstrictis, veteribus inimicitiis pravisque amicitiis dissolutis, in Christi horreum intulêre. Deinde adverso Paranâ Huibaioque, octoginta leucarum itinere, Villaricam alteram Guairaniæ urbem ad Huibaii fluminis Paranæ influentis ripam, obvios passim Barbarorum pagos Baptismo & Confessione expiantes, perrexêre. Villaricani festo tympanorum & sclopetorum sono testati sunt, nihil sibi accidere potuisse gratius, quàm si post tot annos, quibus nullum Sacerdotem viderant, talibus viris fruerentur. Quadrimestri spatio Hispanorum omnium conscientiæ purgatæ sunt, & ingens Barbarorum numerus ad partes Christi traductus. Denique explorata regione reperêre Socii, ducenta Ethnicorum millia in Guairaniâ, si non deficerent operæ, ad fidem Christianam reduci posse. Igitur ad Assumptionis urbem, abs se conspecta Salonio relaturi, multis mortalibus in itinere denuo baptizatis, postliminiò rediere.

Multos baptizant.

Guairam excolant,

Et Villaricam.

CAPUT XXXIIII. Socii peste grassante per Paraquariam & Guairaniam multa faciunt memoratu digna.

1589.

ORTEGAM & Fildium fatigatos quadringentarum & quinquaginta fermè leucarum peregrinatione excepit in Assumptionis urbe labor propè immensus: quippe pestis invaserat cives, tantâ cum clade mortalium, ut subinde uno eodemque die centum capita demeteret. Paucis multa complectar, nam verba perdere non lubet. Salonius, Ortega & Fildius, non integro anno quindecies millies pœnitentibus aures præbuere: mille & quingentos Ethnicos baptizavere: cibi & somni immemores summâ curâ vires animi corporisque intenderunt, ne quid humanæ vel divinæ opis cuiquam deesset: & quod mireris, nullo virium suarum aut valetudinis detrimento, Deo scilicet eorum corpora protegente, qui animas aliorum suo periculo protectum ibant. Postquam pestis civibus abundè sepavit, agros invasit, eò majori damno, quò omni subsidio agrestes carerent. In pagis & villis Assumptionis urbi subcensitis, Ortega & Fildius numeratò decies millies morientium expiationes fecere; totidem cadaverum millia suis manibus sepelivere. Quatuor fermè millia Ethnicorum baptizavere, qui fermè omnes statim à susceptо baptismo ad cœlos evolavere. Continuato deinde labore Guairaniam petentes, in civitate Regali, Sacerdote adhuc carente, bis mille homines supra quingentos de peccatis confessos absolvêre: mille capita ex Ethnicis Christiana fecêre: centum & quinquaginta paria ritè conjugio copulavêre. His rebus patratis, Emmanuel Ortega, Thoma Fildio Villaricam Sacerdote etiam carentem ante se amandato, ipse in itinere variis in pagis bis mille & quadringentos sacro latice perfundit: ducentos & quinquaginta supra mille matrimonio alligavit: sacrarum Confessionum, & sepultorum cadaverum, numerus iniri non potuit. In pago uno triginta vetulas centenarias majores, & earum conjuges, fermè omnes ariolandi arte infames, ad Christum adduxit, Deo in corpora sæviente & animas clementer habente. Multiplex ubique Ethnicos Neophytosque corripiebat metus, & passim ex variis nemoribus, Baptismi & Exhomologeseos ergò, miserandis obsecrationibus Ortega accersebatur: sed Villarica petenda fuit, ubi strages corporum erat. In eâ urbe ab utroque Socio tan-

Mille & quingentos ad Fidem adducunt.

Quater mille baptizant.

Mille baptizati.

Item bis mille & quadringenti.

Item sexaginta.

tum

tum laboratum est, quantum vix posteritas credet. Uno eodemque tempore pueri, viri, senes, fœminæ, Hispani, Barbari, cives, suburbani, Neophyti, Ethnicique calamitates deplorabant suas. Alius ex proprio morbo, alius ex moriente patre matréve, gemitus fundebat miserabiles. Hic vitæ necessaria, ille Viaticum ad mortem sibi dari petebat: Baptismum, Confessionem, Extremam-Unctionem, cognatis sepulturam, catechesim simul plures postulabant. Patres omnibus adesse velle, quò res ferret diversim abstrahi, domi curare, in urbe nihil negligere, ad suburbana excurrere, mortuis vivisque opitulari, denique Indos æquali curâ ac Hispanos habere. Fructus laborum fuit, novem mensium spatio, sexies mille supra sexcentos Ethnicos baptizasse, bis mille & octingentis matrimonium ineuntibus adfuisse, quater mille supra centum & sexaginta sepulturæ suis manibus mandasse, innumeros Confessione, Extremâ-unctione & Viatico procurasse: pro certo ab Emmanuele Ortega compertum est, bis mille Ethnicos (si omnes Ethnici vocandi sunt) ad Socios, Baptismi ergò, ex longinquis locis adproperantes, in itinere, ante susceptа sacra, peste enectos fuisse; quorum plerisque, sperandum est, misericordiarum Patrem Filii sui Sanguinis prodigum, gratiam suam non denegasse. Subinde pestis Villaricanorum & suburbanorum corporibus satiata, latè in agros & nemora sese effudit. Nec segnior fuit ruri quàm domi Sociorum virtus, à quibus, semestri excursione, ter mille & centum Barbari Dæmoni erepti, Christo per initiale Sacramentum asserti sunt; sexcenti à pellicatu abstracti, bis mille & quingenti matrimonio Christianorum more ligati. Quæ ego minutim sigillatimque omnia non ægrè recenseo: nam si prophanarum rerum scriptores, hostes in bello occisos, naves raptas submersasque, milites captos, castra eversa, prædam abactam, numeratò posteritati transmittant; cur ego Fidei hostes ad partes Christi traductos, modum victoriarum, Ducum virtutem, frendente Dæmone, triumphante cœlo, minutim computando, censuram piæ posteritatis reformidem? Ab campestri expeditione reduces Ortega & Fildius, bimestri spatio, Villaricanos omni officiorum genere, & se spiritualibus exercitationibus refecêre, donec rursum Ortega in campos sese effunderet.

Pestis strages

Sexties mille & sexcenti ritè abluuntur.

Multi frustra baptismum expetunt.

Ter mille & centum Barbari baptismum recipiunt.

CAPUT XXXV.

Emmanuël Ortega plura millia baptizat.

IBIRAHARUM natio decem virorum millibus constans, triginta à Villaricâ leucis, avito more, sparsim venatione se sustentabat, quorum aliqui, nescio quando baptizati, inania Christianorum nomina, mysteriorum nostrorum rudes, præferebant. Sed hi Ethnicique, excusso Hispanorum jugo, jamdudum rebellaverant, ferocitate indolis adeò terribiles, ut nemo eorum fines attingere auderet. Unus tamen Emmanuël Ortega, gentis linguam utcumque callens, sine comitatu ad eos penetravit, ratus, peste sæviente, minus feroces fore: aut si ferocirent, non defuturas sibi vires, quibus pro Christo necem exciperet. Non vano eventu: nam statim ex peste afflatis bis mille & octingenti, paulò antequam morerentur, abjurato Dæmone, Christo nomen admisso Baptismo dedêre. Cæteri, quamvis idem percuperent, tantisper dilati, donec superstitionibus relictis morum bonitate se probavissent. Qua dilatione effectum, ut trecenti, se Hispanis regendos traditum venientes, salutatibus aquis tingi mererentur. Præterea variis ex locis Neophyti Ethnicique ad Socios ventitabant, summis precibus rogantes, ut ad populares suos, Doctrinæ Christianæ & Sacramentorum conferendorum ergò, se conferrent, quos necesse erat, quamvis templa & ornatissimas Cruces in oppidis suis Sacerdotum nostrorum desiderio erexisse se assererent, sine solatio dimittere, ne longinquæ messi inhiantes præsentem perderent. Paulò postquam hæc gesta sunt, Prætor Villaricanus Emmanuëlem Ortegam ad numerosum Indorum oppidum deduxit, ubi, jactis Apostolicis retibus, egregius piscator hominum ter mille & quadringenta capita, è turbido ignorantiæ lacu educta, melioribus Baptismi aquis immersit. id ægerrimè, ut solet, ferente Dæmone, & oppidi Primores instigante, conflanteque in Ortegam & Hispanos ejus comites conjurationem: patratumque fuisset scelus, ni Superi divertissent. Nocte namque diem sceleri dictam præcedente, cùm Emmanuël Ortega, strati impatiens, quamvis maximè vellet, nullum somnum

Ortegæ magnanimitas.

Bis mille & octingenti baptizantur.

Item ter mille & quadringenti.

Ortega de vita periclitatur.

capere posset, & circa ædes Barbarorum lento gradu inobservatus ambularet, audit nescio quos confabulatores inter se de serie inferendæ sibi necis: quo accepto indicio, Hispanis ad mortem etiam destinatis dissimulanter præmonitis, fugâ se cum illis eripit. Illucescente die conspiratores, cognitâ fugâ, triginta Indos Hispanorum servulos, qui cum dominis suis fugere neglexerant, crudeliter mactant, frustrati sceleris causas solitis ululatibus detestantes.

Ejus comites occiduntur.

CAPUT XXXVI. Villaricæ Societatis sedes ponitur.

EREPTUS periculo Ortega Villaricam contendit, ubi dum cum Fildio de repetendâ Assumptionis urbe agitat; cives omnes deprecatores habuit, obtestantes ne se desererent. Lamentabili voce aiebant, ab multis retrò annis nullum se Sacerdotem habuisse; habendi nullam spem adesse; ab Paraquariæ metropoli ducentis leucis, ab Brasiliæ urbibus immensis spatiis se distare: ex interjectis utrique regioni locis nullum animarum suarum subsidium sperari posse. Nullibi terrarum Socios JESU materiam instituti sui rationibus accommodatiorem reperturos, quàm in Guairaniâ: nam si tantillo tempore tot millia Barbarorum baptizassent, quid sperandum foret si perpetuam sedem Villaricæ ponerent? Hæc Hispani cùm dicerent, & insuper Neophyti, genua & manus Sociorum prensantes, se vix Christo natos deseri flebiliter quererentur, ostenderentque evidens periculum, defectu magistrorum, deserta fide ad avitos mores deficiendi; commota sunt viscera Sociorum, nihil contra obtendentium, nisi quòd à Majoribus suis pro tempore se in Guairaniam missos, non posse suâ voluntate perpetuò remanere: si accederet Joannis Salonii, cujus imperio subdebantur, authoritas, paratos se & vitam & sanguinem pro singulorum salute impendere. Quo responso recreati Hispani Barbariqúe, certos homines citatis itineribus ad Joannem Salonium, ducentis leucis distantem, mittunt, qui cùm eorum postulatis non repugnasset, illicò templum & domus, civium & Neophytorum manibus, Villaricæ condita sunt. Ubi Ortega & Fildius per septem subsequentes annos tanta patravêre, quanta suis locis narrabimus.

Eam expetiit Hispani,

Et Indi.

CAPUT XXXVII. Joannis Salonii utiles labores.

NEC minores erant Joannis Salonii sine socio in Paraquariæ metropoli quinquennio persistentis labores, quorum summa hæc est. Multa singulis annis expiationum millia fecit. Diu noctuque ægris sedulus adfuit. Pellicatus, inimicitias, odia quamplurima, prudenter cohibuit. Complures Ethnicos domi forisque ad Fidem convertit. Quorumdam nocivam avaritiam, nolentium Neophytos ex villis aut aliunde, confessionis doctrinæque Christianæ ergò, ad se vel ad alios Sacerdotes accedere, ne operæ dispendium facerent, hac fermè ratione repressit. A Proprætore ferri legem impetravit, qua Indorum Domini eorum dominio privabantur, quorum Sacramentales Confessiones non procurassent. Octoginta Guaicuræos Ethnicos, proditionis & rebellionis convictos, antequam funestis ab arboribus suspenderentur, ad unum omnes nostra mysteria eruditos, salutaribus aquis tinxit. Denique solus ille tanta egit, quanta ab numeroso Collegio factitari solent. Ipse suæ domus Rector in se solum severum exercebat imperium. Ipse minister, quidquid levissimè peccâsset, inflictis pœnis animadvertebat. Ipse œconomus nullam sui curam, maximam aliorum habebat. In unius hominis domo Catechistam, Concionatorem, Doctorem, Missionarium non desiderares. Ut scias paucitatem non admodum officere, ubi unius egregia virtus adest.

Octoginta Guaicuræos baptizat.

Unus pluribus par.

CAPUT XXXVIII. Alfonsus Barsena Calchaquinos pacificat.

DUM hæc in Paraquariâ geruntur, Alfonsus Barsena, recuperatis viribus, Joannem Ramirum Velascum Tucumaniæ Prætorem ad Calchaquinos rebelles, cum instructis Hispanorum & Indorum copiis, vi armatâ domandos euntem sequutus, utilissimam Reipublicæ operam navavit. Nam cùm Calchaquini, cognito Hispanorum adventu, summa & abrupta montium pro more occupassent, unde ingentia saxa in subjectæ vallis angusta itinera, quà Hispanis transeundum erat, devolverent: Barsem, Hispanis ultrò ire prohibitis, solus ipse per ea itinera ire ausus, ac cacumen ab Calchaquinis occupatum enisus est. Ascendenti, Ibrida primùm

Barsena audacia.

ferox,

ferox, mox Calchaquinorum Ducis filii duo cum centum armatis militibus occurrunt, quos Barsena dicendi vi ita sibi conciliavit, ut pacis inter Calchaquinos & Hispanos faciendæ interpres constitueretur; effecitque, ut ferocissima gens proterva colla Hispanorum jugo utcumque deponerent. Sancitâ pace, exploratáque Barbarorum conditione, nihil nisi sanguinem & ebrietatem spirantium, quamvis Baptismum non renuerent, satis habuit, adultæ ætatis hominibus, ad pacis constantiam sobrietatemque animatis, aliquot infantes sacris undis abluisse: nam prudenter, ex præteritis futura conjiciens, vix dubitabat Sacramento initiatos, magistro deficiente, ingenio præsertim ad pristina vitia sollicitante, in verba Dæmonis rursum juraturos.

Pax sancitur.

Infantes baptizat.

CAPUT XXXIX.

Alfonsus Barsena, Lullos & alios populos Christianos facit.

DIMISSIS copiis, Alfonsus Barsena ad Divi Jacobi urbem redux, circumspiciens quà potissimùm parte Dæmoni bellum inferret, ex Francisci Anguli designatione propinqua loca aggressus est, antequam ulteriora pervaderet. Igitur ad Sancti Jacobi montana delatus, hinc inde ense Evangelico ferox, sexcentos Ethnicos ex Dæmonis servitute in libertatem filiorum Dei asseruit: totidem fermè, ne malo Domino per illicitam libidinem servirent, in vincula matrimonii traxit, ingentem numerum, Kakanâ utens linguâ, expiavit. Secundùm id, cum ipso Francisco Angulo, Sancti Michaëlis urbem numeroso pellicatu liberatum ivit; donec Tonocotanorum, Diaguitarum, & Lullorum, uno tempore procuratione susceptâ, latè sese effunderet, Lullis præsertim Christo lucrandis intentus. Lulli gens ferox, quamvis se subinde serviendi ergò Hispanis permitterent, tamen Europæorum nullus, ne Sacerdos quidem, ad eorum terras, in asperis locis, perfidiæ perpetrandæ opportunis, positas, adire audebat: unus tamen Barsena, reclamantibus omnibus, unico puero Sacrificii administro comitatus, eò se, spreto mortis periculo, ingessit, non sine prospero eventu. Nam ubi per Lullorum fines increbuit, Barsenam famâ notissimum adventare, certatim omnes ex viculis suis, cavernis, & montium saxosis crepidinibus, sese effundentes, ad eum ventitabant, spondentes se in ejus potestate futuros, si ad sua municipia ire non dedignaretur. Barsena, laudata ubique Lullorum alacritate, per aspera montium, vallium abrupta, torrentium vortices, pedibus delatus, fluvios passim obvios natatione transmittens, in id intendebat maximè, ne aliquis curam suam subterfugeret: & profectò magnum operæ suæ pretium retulit, nam in novem mensium expeditione bis mille & ampliùs capita sacris undis lavit, ter mille Neophytos matrimonio junxit, & multa alia, religionis promovendæ causâ, apud ipsos perfecit; ausus etiam imperterrito animo eorum pagum ingredi, qui Hispanis infensi Sancti Michëlis urbem hostiliter inflammârant. Ex tantis laboribus valetudine contracta, ad Sancti Michaëlis urbem delatus, postquam convaluit, urbis domos omnes excutiens, reperit inter servitia nonaginta sex Ethnicos, quos omnes, omnibus lætitiis pro reperto thesauro exiliens, baptizavit. Eodem impetu ad suburbana excurrens, multis mortalibus per Baptismum, & alia Sacramenta, magnam utilitatem attulit. Ad Provincialem suum scribens, aiebat, se sentire intus impetum ardua quæque pro salute animarum amplectendi, & præsentes quasque miserias leves sibi videri, præ iis, quas optabat, infinitos Ethnicos convertendi ergò, offerri: siti se animarum intolerabili torqueri. Quamquam ex aliâ parte se esse paratum ad Majorum nutum, unius Barbari erudiendi causâ, uno eodémque in loco persistere. Aliis litteris enixè ab eodem flagitabat, ut, quoniam ipse senio & morbis debilitatus esset, mitteret in Tucumaniam alios Socios vitæ suæ contemptores, periculorum pro Christo adeundorum amatores, deliciarum osores, Crucis ambitu insignes. Nec his contentus, catalogum multarum nationum tradidit Francisco Angulo, qui suberat, rogans, ut pro potestate indicaret, quas gentes sibi primo loco adeundas putaret. Talia cogitantem, Tucumaniæ Prætor, Regis Catholici, bellorum multitudine impliciti, jussu, pecuniarum subsidia per totam Tucumaniam collectum iturus, Barsenam authoritate apud omnes ordines valiturum secum abduxit: quo factum, ut multò major argenti summa, quàm sperabatur, conflaretur: & tota insuper, quanta est Tucumania, Barsenæ præsentiâ

Sexcentos sacro fonte ablait.

Tonocotanos & Diaguitas procurat.

Lullorum mores.

Lullorum conversio.

Supra bis mille sacris undis immerguntur.

Barsena multos ad Christum adducit.

Zelum animarum egregiè prodit.

Tucumaniâ universam lustrat.

cum ingenti animarum lucro frueretur. Peragratâ Tucumaniâ, ad Lullos iterum profectus, trecentos & quinquaginta una in regione; in alterâ verò undequinquaginta supra ducentos, & insuper oppidum Ethnicorum integrum, baptizavit. Ulteriora meditanti litteræ redditæ sunt, quibus subsidia novorum Sociorum è Peruviâ ventitare nunciabatur.

Fermè sexcentos, & oppidum integrum, baptizat.

CAPUT XXXX.
Petrus Agnascus & Joannes Fontius in Tucumaniam veniunt.

1590.

Joannes Fõtius Socius præficitur.

Petri Agnasci commendatio.

Alfonsus Barsena è Lullis evocatur.

ANNO sesquimillesimo nonagesimo Joannes Fontius, quem Diva Theresia inter cœlo prædestinatos aliquando vidit, & Petrus Agnascus in Tucumaniam animos immensæ messi pares attulere. Ille apud Punenses, & in Chicuitensibus montibus, necnon Aricurana valle, multum elaborans, Peruanos quamplurimos ad ovile Christi reduxerat, & mittebatur ab Joanne Atiensa Provinciali, ut pro Francisco Angulo missioni præesset: sed ut Fontius præfecturæ gradu, sic Petrus Agnascus opinione sanctitatis eminebat, & nullum alium præ illo ex Peruviæ Sociis Alfonsus Barsena in Socium Apostolicarum excursionum sibi dari optaverat. Ubi ambo in provinciam venêre, communicato cum Francisco Angulo consilio, Fontius per litteras monet, ut relictâ Lullorum curâ, Tucumaniæ Prætori ad Londinenses propediem debellandos profecturo se adjunctum veniat. Sed hæc fermè in speciem: nam præcipua causa revocandi fuit, quòd fama percrebuisset, Lullos de mactando Barsenâ consilia agitasse, & vererentur Patres, ne optimus senex immensitate laborum cibique tenuitate (nam præter cucurbitas & aquam nihil ori admovebat) valetudinem penitus profligaret. Acceptis litteris, quamvis inanem de inferendâ ab Lullis sibi nece famam esse sciret, & supersessent sexdecim oppida Lullorum, operam suam in ea regione expetentium: tamen illico pedem è messe retrahens, Joanni Fontio rescribit, nihil parendi studio se habere in mundo charius. *Adero*, inquit, *quamprimùm, ô Pater, & pedibus tuis advolutus dicam, Ecce ego, mitte me, sive ad Lullos me redire, sive ad Calchaquinos, Chaquenses aut Frontones, vel ultimos mundi terminos ire me jusseris: nam insatiabili desiderio eò me mitti cupio, ubi extrema omnia pro lucrandis animis pati possim. Vellem equidem Orienti, Occidenti, Septemtrioni, & Austro me simul totum impendere, & totius mundi barbaras nationes peregrinando complecti: sed id cùm vires humanas excedat, huic me mundi parti lubens volensq; commodabo, cui Deus Optimus Maximus per te me affixerit.* His scriptis, ad Sancti Michaëlis urbem, ubi eum Petrus Agnascus præstolabatur, properè regreditur. Quæ fuerit utriusque sancti viri in optatissimo congressu lætitia, non est exigui calami exprimere. Primus amborum labor fuit, Hispanorum urbes, & suburbana loca, omni officiorum genere excolere: succisivis horis, variis Barbarorum linguis addiscendis, indefessam operam navabant. Fontio interim & Angulo ad fluvium Rubrum, spe ingentis messis, excurrentibus.

Barsenæ obedientia.

Zelus animarum.

Barsenæ & Agnasci occursus.

Linguarum studium.

CAPUT XXXXI.
De prima ad Frontones expeditione.

Fluvius Ruber.

Urbs Conceptionis.

FLUVIUS Ruber, è Peruviæ montibus ortus, ubi planitiem nanciscitur auctus hyemalibus aquis, octo circum se leucas, nisi quà tubera terræ reperiens modicas insulas molitur, singulis annis inundat: quarum aquarum molem infra Paraquarii ostium in flumen Argenteum placidè evolvit. Non procul eò, ad oram paludis, triginta circiter ab ostio leucis, Conceptionis urbem eo fine condidêre Hispani, ut innumerabilis Barbarorum multitudo urbanis & Christianis moribus paulatim assuesceret. Ad eam urbem è Tucumaniæ metropoli ire volentibus, vasta nonaginta leucarum planities, nullis aquis nisi pluviis irrigua, & infesta Barbarorum incursionibus, transmittenda est. Ab viginti annis, quo urbs fundata fuerat, nullum Concionatorem audierant, nullum vitæ castigatorem habuerant, & eo temporis Sacerdote carebant: unde tanta vitiorum senticeta succreverant, vix ut exigua bonæ mentis semina apparerent, & Hispanæ gentis pietas planè suffocata videretur. In ea urbe Fontius & Angulus, ordinatis utcumque Hispanorum conscientiis, ditionis Præfecto ductore, circum omnem latè vicinitatem exploratum euntes, infinitam propè Ethnicorum multitudinem omni subsidio destitutam reperere; satis constabat centum fermè capitum millia ad Christi fidem adduci posse, si idoneorum Sacerdotum copia non deesset. Porrò gentem fermè hanc omnem

Sacerdotibus caret.

Extollitur.

ideo

ideo Frontones Hiſpani vocant, quòd depilatis ſincipitibus, calvitie facta, frontes ſibi producant. E cingulo clavam & ſagittarum manipulos ſuſpendunt. Baculum ſerratis piſcium mandibulis horrentem geſtant, nuda & ad formidinem picta corpora oſtentantes. In factiones diſtracti, quotidiana fermè, pro terrarum finibus, inter ſe exercent prœlia: occiſa hoſtium cadavera longo ordine truncis arborum ad terrorem affigunt, ne terminos finitimi, venationis ergò, tranſgredi audeant: oppida ſua, utpotè ſtoreis plicatilibus conſtantia, pro libitu tranſportant. Agriculturæ non ſtudent. Victum arcu & piſcatione quærunt; hoc uno boni, quòd uni tantùm mulieri aſſueſcant. Singulæ fermè factiones diverſis inter ſe linguis utuntur, adeò notabili varietate, ut in utroque fluminis Rubri littore octonâ idiomata computentur: nec aliud fermè erudiendæ genti magis obſtat, quàm ea linguarum varietas. Sperabat tamen Conceptionis Præfectus, grande Dæmoni vulnus infligi poſſe, ſi Alfonſum Barſenam, quem famâ notum dudum jam optaverat, Joannes Fontius pro poteſtate concederet. Placuit Fontio Præfecti poſtulatio, arbitranti, nulli alii arduum illud negotium melius committi poſſe, quàm homini in aperiendis novalibus exercitatiſſimo. In eam ſpem, ingentem infantium numerum, quaquà latè excurrere potuit, Frontonibus non invitis, ſacro latice perfundit, ſpondens idoneos Magiſtros ſe quantociùs tranſmiſſurum, cùm in Tucumaniam perveniſſet. Vix Fontius & Angulus abierant, quando peſtis graſſata maximam Frontonum partem cum baptizatis infantibus demeſſuit: Cœlo innocentes animas, recèns lavacro expiatas, ne aliquando parentum vitiis corrumperentur, ad ſe tempeſtivè transferre amante. Ex itinere Joannes Fontius Barſenam & Agnaſcum per litteras monet, ut excuſatâ apud Tucumaniæ Prætorem Londinenſi expeditione, Frontonibus adeundis magnos animos parent. Prætor, re cognita, tantum reſtitit, quantum momentum ad res arduas conficiendas in uno Baſena ineſſe uſu compererat. Sed uterque Socius, enervare Majorum imperia non aſſueti, ægrè ab invitiſſimo Prætore facultate extorta, quò mittebantur, Joanne Fontio jam reduce benè adprecante, magnis animis iter capeſſunt. Interim Fontius Calchaquinam vallem ſolus adire auſus, quinque oppidorum infantes omnes, in ſpem adultæ gentis aliquando ad partes Chriſti alliciendæ, baptizavit. Apud quem Tucumaniæ Prætor iterum inſtitit, ut Barſena revocaretur, ſibique tandem concederetur, aiens, receptis in amicitiam decem Ethnicorum millibus, novam urbem, quam Riocam appellarat, nuper abs ſe conditam fuiſſe, nullumque alium, præ Barſena, genti docendæ & reipublicæ ſtabiliendæ præoptari: & ut efficaciùs rem ſuam urgeret, addebat; Riocæ, in partitione terrarum, ſe memorem Societatis fuiſſe, ſolo commodo in urbe, & extra urbem agro fertili, ei aſſignato. Sed Barſena & Agnaſcus Tucumaniæ fines egreſſi ad Conceptionis urbem pervenerant, in Mataranorum oppido ſedem ſtabilem habituri, & inde, prout res ferret, ad debellandos Frontonum animos excurſuri.

De Frontonum conditione.

Alfonſus Barſena expetitur.

Conceditur.

Frontonum infantes baptizantur.

Moriuntur.

Tucumaniæ Prætor Barſenam reti-nere conatur.

Joannes Fontius ad Calchaquinos penetrans quinque oppidorum infantes baptizat.

Rioca urbs conditur.

CAPUT XXXXII.
Ab Societate Mataranorum cura ſuſcipitur.

1591.

MATARANORUM gens, præ vicinis populis, eſt longè docilis. Hos, pro more Barbarorum ſparſim incolentes, in unum oppidum Alfonſus Vera, Conceptionis fundator & Prætor, contraxerat, feceratque, ut plerique Baptiſmum perciperent. Sed, pervagato malo, primos ſacrorum Miniſtros nacti fuerant planè ineptos, adeò ut initialia Chriſtianorum myſteria penitus ignorarent. Neophyti omnes ſacram Confeſſionem, poſt ſuſceptum baptiſma, nunquam uſurparant. Ex ſeptem fermè incolarum millibus complures ſupererant baptizandi, vel infantes, vel adulti. Conditio verò loci nihilo hominibus lætior erat; nam ſolùm ea aqua bibebatur, quæ paſſim luto mixta corruptaque in foſſis manu ductis, cœlo pluente, excipiebatur. Pro omni cibatu triticum turcicum & cucurbitæ erant. Sed ea hominum locorumque calamitas Socios, multa pati & ardua facere pro Chriſto ambientes, exhilarabant magis, quàm deprimebant: qui, partitis inter ſe laboribus, Tonocotanæ linguæ beneficio, brevi effecêre, ut ex tanto numero nullus in oppido reſtaret Ethnicus, aut pellicatu infamis; nullus avitas ſuperſtitiones uſurparet; nullus Dominicis feſtisque diebus abeſſe ab Concione & Catecheſi au-

Mataranorum numerus.

Baptiſmus.

deret. Plerique jam frequenter exhomologesi se purgabant, hebdomadatim in se flagro sæviebant, Corpori Christi magno pietatis sensu communicabant: pendebant omnes ab ore Magistrorum, privatis publicisque colloquiis solita veteribus Christianis exercitia, pro captu gentis, insinuantium.

CAPUT XXXIII. Barsena & Agnascus plura Barbarorum idiomata discunt.

SED is labor nullus erat, si conferretur cum eo, qui à Patribus sumebatur in discendis variarum linguarum à Frontonibus usitatarum idiotismis: nam, cùm præsertim Frontonum causâ venissent, necesse erat linguas eorum priùs nosse, quàm possent utilitatem aliquam adferre. Itaque sesquiennali spatio Alfonsus Barsena, sexaginta quinque annorum senex, insatiabili animarum Christo lucrandarum desiderio flagrans, communicatis cum Petro Agnasco studiis, Guaranicam, Naticam, Quisoquinam, Abiponicam, Quiranguicam, linguas didicit, Vocabulariis, Rudimentis, Catechismis, & Concionibus, ad earum usum compositis: cùm tamen, antequam uterque è Tucumaniâ discederent, Tonocotanam, Kakanam, Paquinam, Quirandicam ad præcepta & lexica eo fine reduxissent, ut Sociis in partem laborum venturis facilitatem ad eas perdiscendas adferrent. Atque ut latiùs utilitas serperet, Petrus Agnascus pleraque, omnia ab Alfonso Barsena præsertim composita, elegantissimo caractere pluries transcripsit, transcriptaque publici juris fecit. Quæ res eò magis mira videri debet, quòd uterque fractissimis essent viribus, & nihil omnino ad aquæ corruptissimæ potum adderent, præter pulmentum ex tritico Indico & cucurbitis factum, raroque piscem fumo duratum adhiberent: adeò ut Petrus Agnascus, Alfonsi Barsenæ, optimi senis, septem millium Indorum, & concurrentium Hispanorum curâ, occupatissimi, justus æstimator, datis ad Joannem Atiensam Provincialem litteris, non dubitârit eum cum Francisco Xaverio cõparare: & vice versa, Barsena Petri Agnasci solidarum virtutum admirator, se tyronem præ illo existimabat, & exercitatissimus senex pleraque ex ejus arbitrio facere amabat. Quæ omnia de immenso utriusque labore paulò fusiùs à me explicata sunt, ne modicis laboribus & incommodis perfuncti, post devoratas unius duarúmve Indiæ linguarum, aut in Europâ Græcæ, & Hæbraicæ, difficultates, placeamus & indulgeamus nobis, perinde quasi pro Christi amore omnium ore decantandum negotium patravissemus.

Barsena laudatur.

Et Agnascus.

CAPUT XXXIIII. Frontonum expeditio disturbatur. 1592.

DEVORATIS tot linguarum difficultatibus, tum demum ad Frontones adeundos uterque adjiciunt animos. Plerique amici ab hoc proposito absterrere conabantur viros utilissimos, denunciantes tantum esse Frontonum in Hispanos homines odium, ut vulgato nomine eos pestes suas appellarent: tantam insuper intercedere plerorumque cum Dæmonibus familiaritatem, ut passim sibilo vocati, ad sortilegia & maleficia facienda adproperent: ferebanturque Frontonibus indicasse Patrum consilia, & conaturos mortem iis procurare, quos suis rebus infensissimos esse scirent. Sed Socii, si id accideret, pro Christo mori lucrum arbitrantes, in Naticarum & Mogosnarum fines, spretis periculis, delati, primum impetum ad debellandas ferociissimas gentes Apostolico more effudêre. Verùm, Deum immortalem, quo successu? Vix in prima oppida facem Evangelicam intulerant, cùm Mogosnæ, non minus acres Hispani nominis hostes, quàm naturâ & moribus immanes, Franciscum Veram ab Aragoniâ, Alfonsi Veræ Conceptionis urbis Præfecti germanum fratrem, & quinque Hispanos homines dolo captos, flagrisque antè discerptos, immaniter trucidant, patratoque facinore ad terræ interiora se recipientes, reliquas omnes Frontonum factiones ad rebellandum sollicitant: Alfonso Verâ ab Aragoniâ, fraternæ necis instigante dolore, in vindictam interim non segniùs bellum parante. Quod cùm, hinc paucorum Hispanorum virtute, inde Barbarorum multitudine per vices prævalente, diuturnum fuerit, egregii planè Apostolicorum virorum conatus, Evangelii seminandi occasione omni præsciså, in aditu penitus disturbati sunt. Quare ad Mataranos regressi, Dei judicia taciti venerantes, nihil satius habuere, quam si se totos Divinæ voluntati conformarent: adeò nihil de inutilitate laboris in tot linguis perdiscendis conquesti, ut etiam

Frontonum perversitas.

Magosnarum crudelitas.

Bellum.

Barsena suo Provinciali scriberet, si juberetur, reliquis Frontonum linguis devorandis, ob unicum obedientiæ lucrum, residuas vires vitamque impensurum. Quamquàm Petrus Agnascus in ea opinione semper fuerat, ut existimaret Frontonum gentem, sementem facere non assuetam, nulloque loco fixam, difficilè excoli posse, & ideò inutilem abs se & Barsenâ in eorum linguis operam poni; & ejus præsertim arbitrio ab adulta gente baptizanda abstinuerant, contenti infantes bello captos, apud Hispanos remansuros, sacris undis initiare. Quidquid sit, sesquiennalis labor tot linguis perdiscendis impensus, tam Frontonibus inutilis, quàm Sociis, obedientiæ regulâ, non proventuum magnitudine, res suas metientibus, æquè glorioſus cecidit, quàm si innumera animarum spolia de Dæmone retulissent, Deo conatum, non eventum, ab hominibus exigente. Per belli intervallum semel Barsenæ impetus fuit, castigatis utcumque Mogosnis, Frontonum fines transgrediendi; feciſſetque, ni adventitiæ aquæ viam omnem præclusissent. Conatu iterum frustrato, ad urbem Sancti Joannis, in Paranæ & Paraquarii concursu sitam, Hispanorum & Indorum invitatu, excurrentes, ex utrorumque cultura per aliquot menses fructus percepêre uberrimos, Hispanis omnibus ad meliorem frugem traductis, & Indorum ingenti multitudine per Baptismum Exhomologesimque feliciter procuratis. Qua messe collecta, ad Mataranos rursum excolendos postliminiò redière.

Barsenæ Virtus.

Urbs Sancti Joannis excolitur.

CAPUT XXXV.

De prima Societatis in Chilensi regnum introductione 1593.

ANNO milleſimo quingenteſimo nonageſimo-tertio, Ioanni Atiensæ, Peruviæ Provinciali, propagatâ per Quitensem, Panamensem & Tucumanensem, dissitissimas inter se regiones, Societate, necnon ingenti variarum virtutum famâ claro, morte sublato, succeſſit Joannes Sebastianus Parricius, in utraque Americâ, si sanctitatis opinionem spectes, nulli secundus. Is post aditum magistratum, Philippi Secundi Regis Catholici mandata per Peruviæ Proregem accepit, volentis in Chilenum regnum JESU Socios induci, ut eorum artibus, potentiùs quàm armorum vi, ferocia Barbarorum colla suavi Christi jugo subderentur. Accelerandæ expeditionis causam præbuere regni Chileni Prætor Martinus Loiola, Divi Ignatii nepos, & urbium Primores, auxilium & decus novis coloniis ab Societate sperantes. Igitur Sebastianus Parricius, satis suapte indole ad dilatandum Christi imperium pronus, jam verò Regis authoritate, & tantorum virorum invitatu, animatus, egregium Sociorum manipulum colligit, qui, quia merentur, nominatim à me appellabuntur. Lecti igitur sunt Ludovicus Valdivia multis in locis mihi laudandus, Joannes Olivares, Ludovicus Stella, Gabriël Vega Sacerdotes, necnon Fabianus Martines & Michaël Telena laïci, quibus præsse jussus est Baltazar Pinna, grandibus per Europam & Americam meritis illustris; nam primus omnium in Sardiniam insulam Societatem induxerat, & in Cæsarauguſtanâ vexatione indigna passus, tolerantiæ laude inclaruerat. In Indias verò delatus, post initum Limæ rectoratum, procurationem Peruanæ Provinciæ apud Regem Catholicum & Franciscum Borgiam Generalem susceperat, unde in Peruviam redux Provinciæ toti & variis Collegiis præfuerat; hoc maximè nomine illustris, quòd in Quitense regnum primus Sociorum coloniam duxerit. Quæ obita munera commendabant authoritate plena canities, & prudentia adversis secundisque succeſſibus exercitatissima. Vix hi è Peruano tractu solverant, cùm inhorruit subitò pelagus, coortâ tempestate adeò tetrâ, ut nautæ nusquam se aliàs periculosiùs navigasse affirmarent: tandem tamen, votis & precibus Sociorum, placato mari, Coquimbensem regni Chileni portum incolumes omnes tenuêre: exscensione factâ, Socii nudatis pedibus Coquimbum, duabus leucis ab portu distantem urbem, vota pro discussa tempestate in æde Franciscanorum soluturi, periere. Cives Coquimbenses novos hospites in domum amplam, sed Dæmonibus lemuribusque infestissimam, induxere, non sine bono omine: nam quamvis primâ nocte terriculamentis iisque deque omnia vertere viderentur, tamen piis Sociorum precationibus altera nocte ita repressi sunt, ut exinde nusquam auditi, vacuum hospitium liberè imposterum habitandum reliquerint. Fuso fugatoque in aditu regni tanto hoste, non dubitatum, quin alibi

Joannis Sebastiani laus.

Philippi II. religio.

Religio armis fortior.

Primi Socii.

Baltazaris Pinnæ laus.

Tempestas.

Coquimbum urbs.

Lemures fugat.

etiam

etiam comprimendus esset, si vires animi Apostolico more intenderentur: qua cogitatione fors animati Socii, quietem, post ærumnosæ navigationis labores, ea in urbe ita cepêre, ut per intervalla statim egregia de Dæmone spolia, expiatis civibus omnibus, reportârint: quibus onusti, ad Sancti Jacobi urbem, regni caput, properavêre. Distat ea urbs, nobilium civium & auri Chilensis potens, ab Coquimbensi portu sexaginta leucis, quo itinere emenso, ubi ab civibus cognitum est Socios adventare, mirum quantum omnium Ordinum alacritas, adornato splendido equitatu, honoris ergò, obviam turmatim sese effundentium, derepentè extiterit: sed Socii diem prævertentes, antelucanis horis urbe inita, destinatæ celebritati sese subduxêre: & ritè adorato in templis Deo, se stitêre Magistratui, operam suam modestè magis quàm speciosè offerentes. Patres Dominicani interim, dum sumptu publico domus apparabatur, Socios hospitio, & omni officiorum Religiosorum genere, per sex hebdomadas liberaliter excepêre.

Coquimbēses adjuti.

Sancti Jacobi civium urbanitas.

Chilenorum Sociorum humilitas.

Patrum Dominicanorū in Socios officia.

CAPUT XXXXVI. Sociorum Chilenorū domi foris-que egregii labores.

AT ubi adornatum domicilium nostrum, & temporarium templum exstructum est, Baltazar Pinna sua cuique ita divisit munera, ut nulla ætas, nullus ordo, nulla conditio ab paucorum Sociorum laboribus utilitatem non perciperet. Sua erat puerulis schola, litteras appellare & formare discentibus: grandiores latinè loqui docebantur, & Ludovicus Valdivia, Dominicanorum Provincialis postulatu, undecim ex suo Ordine Religiosis, & Franciscanorum Mercenariorumque scholasticorum concursu, Philosophiam explicabat. Æthiopes, Indi, Hispani variis modis excolebantur. Sed nihil ita rapuit in admirationem civium animos, quàm ejusdem Valdiviæ felicitas in peregrina câque implicatissima Indorum lingua perdiscenda, cujus beneficio quindecim diebus, postquam in urbem venit, aures pœnitentibus Indis sine interprete præbere, & mense vix exacto ad publicam Concionem verba facere potuit. Ardebat ipse incredibili procurandæ Indorum salutis desiderio, adeò ut Guarporum linguam, ab Generali distinctam, brevissimo etiam tempore devorârit. Nec segniùs respondebant Barbari conscientias suas fidentes Valdiviæ, &; cùm res ferret, inveterata animarum ulcera, nullisque remediis hactenus medicabilia, ab eo tractari permittentes. Domi bis de die Ethnici bello capti, Dominicis diebus Neophyti erudiebantur, ebrietas genti innata prohibebatur. Ænopolæ, ne vellent Indis, sui non potentibus, vinum sine fine vendere, reprimebantur. Quorumdam privatorum hominum avara immansuetudo indigenas indignis modis tractantium cohibebatur. Denique in luxuriosam & vanam juventutem pro concione invehebant Patres, tanto conatu, quanto necesse fuit ad solidandos animos contra mollia vitia, robur & frequentiam ab ciborum abundantia, regionis illecebris, & divitiarum inquinamentis, passim capientia. Fiebant quotidiè illustres in omni hominum conditione metamorphoses: qua in re singulariter memorandus hoc loco videtur Lopius Salazarius, qui sub Sotomajore Prætore Regni, Consilio à secretis fuerat, florebatque nobilitate, divitiis, elegantiâ, & supra ætatem apud omnes Ordines authoritate: præterea in quovis deliciarum genere genium fraudare nescius, vestium splendorem & consortia illecebrosa, divitiarum appendices, sectabatur. Sed audito Ludovico Valdiviâ, adversus mundi fallacias in exequiis florentissimæ puellæ pro concione declamante, ita derepentè in alium virum mutatus est, ut calcatâ mundi pompâ, Christo in futuræ vitæ prototypon assumpto, corporis vires voluntariis afflictationibus penitus labefactaret. Prostrato domestico hoste, regno cœlesti inhians, inter JESV Socios mereri voluit. Limam ad tyrocinium transportatus, adeò fortiter rem gessit, ut duorum & viginti mensium spatio, tyronum Magistro judice, culmen religiosæ perfectionis, quamvis ægerrimo corpore, pertigisse creditus sit. Ad Chilense regnum renavigans, tertio postquam regni metropolim tenuit die, inter Socios, votis Religionis ritè conceptis, animam exhalavit. Hoc etiam memorabilis, quòd ante mortem Christum spectabili specie, æternam gloriam coram spondentem, videre & audire meruerit. Ejus funus concione & solemni sacrificio urbis Episcopus, uterque verò Magistratus, Religiosorum Ordines, & frequens Nobilitas, honorariis officiis cohone-

Lopius Salazarius moritur & laudatur.

stârunt:

ſtârunt: ut ſcias, contemptu mundi, nihil deperdi eorum, quæ mortales etiam poſt mortem æſtimant. Dum in metropoli ſic ferverent omnia, Gabriel Vega & Ferdinandus Aguilera, Chilenæ linguæ periti, Conceptionis urbem, Prætoris ſedem, Araucum, Angol, Imperialem, Valdiviam novas Hiſpanorum colonias, earúmque ditiones, & totius ferè regni Indorum pagos, terrâ marique pervadentes, omni officiorum Apoſtolicorum genere procurabant. Seſquiannum tenuit prima expeditio, in quâ ubique Indi plurimi baptizati, Neophytorum & Catechumenorum ſcholæ inſtitutæ, Hiſpanorum mores caſtigati, omnes denique Societatis artes tanto fervore depromptæ, ut ſingulæ Urbes Collegium expoſcerent: præſertim Martinus Loiola Prætor, qui in nuper exſtructâ à ſe Sanctæ Crucis ab Onies civitate ſedem Societatis ponere, oblato fundo & reditibus, ſatagebat. Sed tot mortalium votis fieri ſatis non potuit, quòd Baltazar Pinna parvulas copias per regni membra diſtrahere, nondum firmato capite, intempeſtivum duceret. Triennio integro in variis excurſionibus poſito, Gabriël Vega, aliquot linguarum Indicarum, & præſertim Chilenæ, ad artis præcepta abs ſe redactæ, peritiâ, & virtutum opinione illuſtris, è vita deceſſit; quem viri probatæ fidei teſtati ſunt, tactu, dum viveret, ægro homini derepentè ſanitatem reddidiſſe: quod quamvis mirum ſit, minùs tamen æſtimo, quàm præclari viri laboribus innumeros omnis conditionis homines, quaquà latè patet regnum, ab ægritudinibus animæ, Sacramentorum & verbi Divini ope, ſanitatem percepiſſe. Reliqui Socii ſuperſtites per regnum Chilenum diu claruere, præſertim Ludovicus Valdivia, poſt Baltazarem Pinnam in Peruviam revocatum, Chilenſis Collegii Rector, & Indorum defenſor acerrimus: de quibus erit alibi ſuus dicendi locus.

Apoſtolica excurſiones.

Baptiſmi.

Urbium erga Societatem ſtudia.

Gabrielis Vegæ mors.

HISTORIÆ PROVINCIÆ PARAQUARIÆ SOCIETATIS JESU

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I. Nova subsidia in Tucumaniam & Paraquariam inducuntur.

EODEM Anno, quo Chilense regnum Societatem accepit, Joannes Sebastianus Parricius Provincialis, in Tucumaniæ Paraquariæque subsidium Joannem Romerum, Gasparem Monroium, Joannem Vianam, & Marcellum Lorençanam Sacerdotes, variis temporibus ex Hispaniâ advectos, necnon Joannem Aquilam Laicum submisit. Et quia Claudius Aquaviva Generalis recentibus litteris mandaverat, Socios è Brasiliâ ab Josepho Anchieta ante quinquennium missos subesse Peruviæ Provinciali debere, Joannes Romerus vir tanto oneri par, pro Joanne Fontio in Peruviam revocato, præesse Tucumaniæ Paraquariæque Sociis jussus est. Cujus prima cura fuit mandata Provincialis sui exequi, jubentis, ex consilio Patrum Seniorum, prædium in Saltensi Tucumaniæ ditione, pro alendis Missionariis ab decessore suo dono acceptum, divendere: nam prima illa Societatis Peruanæ columina prudenter censebant, Deum eorum corporibus non defuturum, qui animarum lucro se totos traderent: nec cum instituti nostri rationibus quadrare, si viri Apostolicis excursionibus destinati implicarentur agrorum procuratione. Amoto eo obstaculo, Joannes Romerus ex designatione Provincialis Socios in regiones sic distraxit. Alfonsum Barsenam, Joannem Salonium, Marcellum Lorençanam & Joannem Aquilam Paraquariæ metropolim insidere; Emmanuëlem Ortegam & Thomam Fildium in Guaraniâ perseverare; Petrum Agnascum atque Gasparem Monroium Omaguacis Christo lucrandis insistere; Franciscum Angulum & Joannem Vianam in Tucumaniæ metropoli rem Christianam curare jussit. Ipse more ducis nullo loco fixus, consilio & manu promptus, ubique aderat, exiguis copiis & seipso immensitatem terrarum occupans.

Joannes Romerus Socii præficitur.

Paupertatis integritati cavetur.

Socii per Provinciæ distribuuntur.

CAPUT II. Salonius & Lorençana per Paraquariam latissimè excurrunt.

JOANNES Salonius de Societate in Assumptionis urbe toto quinquennio perseverarat, cohibueratque animi impetum, volentis ad longinquas expeditiones pergere; ratus nihil gratius Deo se facere posse, quàm si cives & suburbanos in officio contineret. Sed ubi subsidiarii Socii advenêre, ab Barsenâ flagitat, ut sibi cum Marcello Lorençanâ, partim adverso Paraquario, partim per littorales sylvas & paludes, quantum viribus humanis eniti possent, Divini verbi seminandi ergò, ire liceret. Impetratâ missione, exiguo viatici apparatu, se dant in viam. Ibant per paludosa loca umbilico tenus aquis sæpè immersi: luctabantur cum arundinetis: vias tigribus & viperis infestas pervadebant: inundatas eluvionibus terras tranabant, tantâ corporum incuriâ periculoque, ut quandoque supra genua luto paludoso impliciti, pluviam reliquo corpore totâ nocte exciperent. Contigit aliquando, ut uterque ab adventitiarum aquarum murmure perterrefacti, intempestâ nocte, subitam submersionem timerent, quam ut præverterent, nitratum pulverem (uti in his regionibus fieri quandoque solet) ad usum excitandi ignis ex sacculo elicuere: at cùm tenebrarum errore liberaliùs, quàm par erat, escæ applicuissent, concepta flamma ita involuit Salonium, ut excoriatâ facie, & palpebris adustis, ad aliquot dies non sine immenso dolore cœcutiret. Eodem tempore Marcellum Lorençanam ægrotantem Solis immensus ardor, culicum diu noctuque in paludosis locis fodicantium infestatio, nebularum gravitas, ciborum insolitorum usus ad

Salonii facies adteritur.

extrema

extrema deduxit. Refectis tamen utcumque viribus, centum leucas ab urbe progressi, Cucuisenses, Guarambaræos, Piraienses, Itatinos, Atiranos, dissitos inter se Paraquariæ populos, Sacerdotibus magna ex parte destitutos, adivere. Sed Deum immortalem, quali fructu? littorales sylvæ excussæ, latebræ sylvestrium hominum indagatæ, sermo divinus ubique sparsus, omnes denique venatorum Apostolicorum industriæ ita depromptæ, ut magna ferorum hominum multitudo, Baptismo aliisque lustrata Sacramentis, quinque mensium spatio, quo hæc venatio duravit, in casses Christi sese implicuerit. In reditu, sacri venatores pœnè palmam Martyrii reperêre, conspirantibus in utrumque ferocissimis Barbaris, quorum manus non evasissent, nisi, accepto per puerum indicio, torto itinere periculum prævertissent. Triginta ab urbe leucis per Guaicuræorum, in Hispanos nuper rebellium, atque cædibus omnia complentium fines, protegentibus athletas suos Superis, indemnes etiam transiêre.

Salonius & Lorençana de vitâ periclitantur.

INTERIM Alfonsus Barsena, suo more, sermonibus planè divinis, & Sacrorum administratione, diu noctuque æquè in Indos ac Europæos beneficus, solus numerosam urbem pascebat: donec Joannes Romerus, collectâ per quadringentarum leucarum iter magnâ animarum messe, Socios pro munere lustraturus, ex ultima Tucumania adveniret: qui quidquid ad augendam Dei gloriam faciendum pro tempore putavit, facilè confecit. Alfonsum Barsenam, recenti ægritudine atque laboribus Apostolicis pœnè confectum, debitâ cum veneratione amplexatus, tantisper quiescere voluit. Salonium & Lorençanam honestissimis periculis defunctos, ab sua expeditione reduces, paterno amore excepit. Insuper Salonium, pro re Christianâ fideliter quinquennio in urbe administratâ, religiosis laudibus commendavit. Mox, distributis inter paucos officiis, universos Paraquariæ Ordines, Societatis more, curandos suscepit. Sacerdotes urbis pœnè omnes, seditionem movere parates, cum Episcopi Vicario conciliavit; publica juventutis offendicula amovit; corruptos mores, tum per se, tum per emissarios pueros, qui Christianâ libertate turpium sermonum & juramentorum consuetudinem atque alia vitia carperent, correxit. Quâ in re memoratu jucunda mihi videtur duorum puerorum simplex audacia, totidem cives, quòd unico tantum genu flexo Sacro-sanctum Sacrificium indecorè in templo spectarent, reprehendentium: quod adeò venustè & urbanè (summum Regem utroque genu dignum adorari in aurem susurrantes) fecerunt, ut unus civium suo censori equum pro monitione, & alter pretiosa tibialia, narrando prorsus cincinnatulis Europæis exemplo, dono dederint. Inter gravia Concionum negotia Romerus non intermittebat puerorum curam, tantâ cæterorum Sociorum in idem officium propensione, ut ipsemet Barsena, Peruviæ & Tucumaniæ Apostolus, multarumque palmarum vir, in depontanâ ætate nusquam se voluerit ab iis per vices docendis eximium: dicere solitus, rem utilitate metiens, si reviviscerent vires, onus erudiendorum puerorum lubentiùs se, quàm concionum, in summâ celebritate auditorum habendarum, assumpturum. Sed princeps omnium studium erat Indos omni ope juvandi. Romerus tantâ contentione Guaranicè loqui discebat, ut Barsena in suburbanâ excursione, paucorum dierum opus, ejus concionem cùm audisset, non potuerit temperare, quin beatos evangelizantis pedes utrâque manu prehendens summâ veneratione oscularetur. Denique nobiles, cives, plebei, senes, fœminæ, Indi, Æthiopes, Hispani, uno ore fatebantur, post adventum Sociorum planè immutatam Rempublicam. Primores urbis utilitatem, non præsenti solùm fructu, sed futuri spe emolumenti æstimantes, quoquo modo enitendum censuêre, ut bonum, quod quasi per transennam experiebantur, perpetuitatem acciperet. Igitur Magistratus civilis, & Quæstores Regii, ad Regem Catholicum litteras mittunt Societatis laudibus plenas, postulantes ut vellet, Regia authoritate interpositâ, JESU Socios quàm plurimos, imperatâ mansione, submittere: iidem eamdem rem ab Claudio Aquavivâ Generali, & Joanne Sebastiano Patricio Provinciali, amplissimis verbis etiam postulavêre. Nec his contenti, manum operi admoventes, fundum pro templi & domûs nostræ areâ, commodo urbis

CAPUT III.
Assumptionis urbs ab Sociis excolitur.

Joannes Romerus multa facit memoratu digna.

Vitia per pueros utiliter castigata.

Pueros docendi munus commendatur.

Urbs Assumptionis Societatis sedem postulat.

in loco, sumptu publico coëmêre: cujus fundamenta dum jaciunt, Joannes Romerus, sui muneris non negligens, Joannem Salonium & Marcellum Lorençanam in Guairaniam ad lustrandos pro se Socios amandat.

CAPUT IIII. Guairania lustratur. 1594.

GUAIRANIAM excolere pergebant Emmanuël Ortega & Thomas Fildius, Villaricæ ab hinc quinquennio commorantes. Eò ibatur ex Assumptionis urbe longissimo centum & quinquaginta leucarum itinere, eâ tempestate, increscentibus pluviâ paludibus, pœnè intranabili. Omnia tamen pervicêre Salonius & Lorençana, quà natando, quà cimbulâ aut equis subinde vecti, quà nudatis corporibus cum cœnosa eluvione eluctantes, numerosâ animarum prædâ, in obviis Indorum pagis, Baptismi & aliorum Sacramentorum collatione, collectâ. In civitate Regali decem dies commorati, Hispanos & Indos omnes, Sacerdote dudum carentes, ritè expiatos sacro pane pavêre, Ethnicos frequentes baptizavêre, solutos matrimonii vinculo adstrinxere: ibi cimbas ex unâ arbore concavas, cum gratulatoriis Emmanuëlis Ortegæ & Thomæ Fildii litteris, necnon viæ levamentis, sexaginta leucas obviam missas ascendêre. Ex itinere sex Indorum oppida, ad Huibai fluminis littora, sacrorum etiam expertia, pluribus ad partes Christi traductis, ingenti cum fructu curavêre. Villaricam invecti, post mutuæ gratulationis officia, pro munere suo in facta Sociorum inquirentes, humanis viribus majora reperêre. *Guairaniæ Sociorum laboret.* Nam in duos illos viros incumbebat immensæ Provinciæ, nullum alium Sacerdotem habentis, onus: quorum munus erat, Hispanis sacra omnia ministrandi, Neophytorum pagos hinc inde sparsos percurrendi, sylvestres homines, semotis in nemoribus degentes, ad humanitatem fidemque capessendam sollicitandi, adventantes Ethnicos Baptismi ergò erudiendi, dispalatos reducendi. Qui labor pœnè nullus erat, si conferretur cum assiduitate curandorum omnis generis hominum Villaricam confluentium, adeò notabili numero, ut quamvis diu noctuque operi insisterent, fieri tamen non poterat, ut singulorum Confessiones, saltem semel in anno, exciperent. Templum habebant multitudinis capax; & tamen in foro erudiendi erant Neophyti Catechumenique, quorum quatuor quinqueve millia, sacris præcipuè diebus, doctrinæ & Sacramentorum ergò, summâ aviditate concurrebant. Jam verò si pestis grassabatur, nullam quietem sumebant Socii, per abrupta montium, per torrentium saxa per fluminum pericula, per invia nemora, per infestas præstigiatoribus latebras, per oppidorum & pagorum angulos, ægrorum corpora indagantes, ut singulorum animis mederentur. *Iidem duo oppida fundant.* Præterea duo oppida ex reductis Barbaris, operâ eorum, non procul Villaricâ surrexerant; quorum oppidorum inquilinos, ut filios in Christo abs se genitos, omni ope præsertim juvabant. Inter quæ officia ita sibi attendebant, ut nihil præ cultu Divino suâque salute antiquius habere viderentur: & profectò tanta opera, quanta narravimus, fieri non poterant, nisi ab hominibus suos mores ad normam instituti nostri exigentibus. *Emmanuëlis Ortegæ laus.* Eminebat tamen Emmanuël Ortega sanctitate vitæ, laborum tolerantiâ, & favoribus divinis, inter eximios Societatis heroës amplissimum locum meritus. Mense integro Villaricæ posito, Salonius & Lorençana, prout jussi fuerant, longè majori, quàm antè, æstimatione Socios amplexati, iter suum, oppidis & pagis Apostolico more ubique lustratis, relegêre. *Ea, tisoni.* In reditu, ad Huibai fluminis littus, præter plurimos mortales per Baptismum & alia Sacramenta Christo assertos, insignem cladem Dæmoni intulêre, reducto ad humanitatem insigni præstigiatore, qui Hispanum puerum, & Indorum par, necnon geminos filios suos, phanaticus Abrahami imitator, horrendo ritu, tenebrarum patri sacrificaverat. *Præstigiatoris conversio.* Nec tacendum alterius Ethnici, ad necem hostem suum quærentis, facinus, qui audito Christianorum præcepto, inimicos odisse vetante, non priùs Baptismum recepit, quàm hosti se, publica redintegratæ amicitiæ significatione, ex lupo repente factus ovis reconciliaret. Sexto postquam discesserant mense, Salonius & Lorençana in Assumptionis urbem reduces tanta, quanta oculis perspexerant, narravêre. Quibus rebus cognitis, Alfonsus Barsena, Emmanuëlem Ortegam non dubitavit pleno ore Guairaniæ Apostolum

appellare, in emeritâ senectute nihil exoptans avidiùs, quàm reliquam vitam in vestigiis tanti viri relegendis ponere. Post aliquantulam quietem, Salonius & Lorençana statim se ad intermissa caritatis referunt officia; Paraquariensium pagos, quos in eorum absentiâ Romerus & Barsena Apostolicè etiam percurrerant, pervagantes.

CAPUT V. Res in Assumptionis & Sanctæ Fidei urbibus benè geritur.

IN Assumptionis urbe mirum in modum surgebat templi fabrica, Magistratûs præsertim benevolentiâ, qui operas inter cives omnes ita partitus fuerat, ut nulli essent ab labore exempti: divites servitia submittebant: fabri sine mercede fabricabant: pauperes, cibatu ab potentibus subministrato, contenti, operi insistebant: pueri, fœminæque, nullo Indorum Hispanorúmve discrimine, terram atque aliam materiam bajulabant, dictitantes, omnibus profuturam molem omnium manibus erigi debere. Romero identidem flagitanti, ut ab pretiosa nimis materia abstinerent, ne civitas supra vires gravaretur; uno ore respondebant, nihil quæstuosius esse, quàm pro bono JESU pretiosissima quæque impendere. Anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, solemni apparatu in novam ædem nondum perfectam venerandum Christi Corpus inductum est. Quâ etiam tempestate Joannes Romerus, relicto, qui Sociis in Assumptionis urbe & Villaricæ degentibus præesset, Marcello Lorençana, ad Sanctæ Fidei oppidum secundo Paraquario & flumine Argenteo navigavit: ubi quæcumque in Assumptionis urbe fecerat, solus ipse per octodecim integros menses renovavit; tanto Indorum Hispanorumque concursu, & laborum fructu, ut civitas perspectis utrorumque conversionibus, ab Peruviæ Provinciali, honestissimis verbis laudato Romero, Socios & perpetuitatem sedis postulârit. Interim Joannes Aquila, in rebus domesticis utilis, & bonus adjutor, qui etiam in tyrocinio Deum quingentis amoris actibus numeratò singulis diebus colere solebat, in Assumptionis urbe extinctus est, eoque, quo in sepulcrum illatus est, die Alfonsum Barsenam maligna aura ita afflavit, ut per sex horas, profligatis in reliquam vitam residuis viribus, exanimatus jacuerit.

Assumptionis templum erigitur. 1595.

Sanctæ Fidei urbs excolitur.

Mors Joannis Aquilæ.

Barsena maligna aurâ afflatur.

CAPUT VI. Gaspar Móroius Omaguacis Christo lucrâdis insistit.

DUM hæc per Paraquariæ Præfecturam gererentur, Societas Omaguacarum genti, Christo & Hispano nomini conciliandæ, feliciter æquè ac fortiter insistebat. Omaguacæ Tucumaniæ fines, quà Peruviæ obtenditur, habitant. Sub initia occupatæ provinciæ Hispanis servierant, & multi Christi fidem receperant; sed ab triginta fermè annis, occisis Christianis Sacerdotibus, atque Hispanorum plurimis, rebellaverant, cædibus & latrociniis non tantùm vias ipsas, qucis in Peruviam itur, verùm etiam villas ac oppida infestantes. Nullus erat ad ferociſſimam gentem domandam aditus: crudelitate sese undique sepierant; Hispanis incassum diu omnia frustra expertis. Mixti omnes, Ethnici Christianique, antiquis vivebant moribus, nulli rei magis intenti, quàm ne rursus in Hispanorum manus, vindictæ metu, inciderent. Sed Gaspar Monroius, pulchræ mortis avidus, Christi auspiciis omnia tribuens, Hispanis omnibus temeritatem propositi dissuadentibus, cum Joanne Toletano laïco Cruce armatus, eò ire ausus, præter spem à Barbaris hospitaliter exceptus est. Quis credat? sermonis Divini vi, paucorum dierum spatio, quinque oppidorum municipes, cædibus & sacrilegiis infames, Sociis se erudiendos tradidêre, Christiana nomina postulantes. In primo congressu, ex his lupis sexcenti in oves mutati, per primi Sacramenti ostium in Christi ovile inducti sunt: ducenta & octodecim Christianorum paria, abjuratis erroribus, matrimonii vinculo alligari se siverunt: ut discas, humanas rationes præ divino præsidio spernentibus, ardua quæque in proclivi fore, si magnanimitas adhibeatur. Manifesto Dei auxilio Sociorum virtus in pagorum uno adjuta est: quippe Ethnica mulier, recenter Christianis imbuta Sacramentis, ad condictum baptizandis diem & locum, invitante Monroio, venire renuens, in agro repentino fato diriguit. & infans ab parente, ne sacris initiaretur, clam habitus in latebris, etiam inexpiatus obiit: quibus portentis territi Barbari turmatim ad Monroium concurrebant, cœlestes minas tempestivè recepto Baptismo prævertere amantes. Observatum est his

Omaguacarum mores.

Gasparis Monroii magnanimitas.

Sexcenti baptizantur.

Dæmonum invidia.

temporibus, quibus solemni cerimoniâ sacro Fonte Catechumeni tingebantur, frequentissimos simul canes in forum, præter morem, convenisse, adeo terribiles latratus baubatusque edentes, nihil ut dubitaretur eorum fauces infessas esse ab Dæmonibus, prædam sibi eripi caninâ rabie ululantibus.

CAPUT VII. Piltipicone conciliato pax cum Omaguacis stabilitur.

Piltipiconis mores.

ULTERIORIBUS ausis obstabat Piltipico, Mortalium ferocissimus, interioris Omaguacarum regionis oppidum insidens. Is ab triginta fermè annis omni se scelere turpaverat, Sacerdotum sanguine sacrilegas manus sæpè imbuerat, templa cremaverat, Cruces everterat, Oppida & Villas Hispanorum depopulatus fuerat, viatores, quoties se occasio obtulerat, atrociter mactaverat; omnia denique, externi nominis odio, susque deque habebat. Nihil profuerant Prætoris Tucumaniæ conatus, nihil Hispanorum virtus tot acceptis cladibus in vindictam irritata, nihil blanditiæ, nihil promissa, nihil Baptismi olim ab eo suscepti reverentiæ commemoratio: incassum ceciderant cuncta. Gaspar Monroius, considerata hujus monstri conditione, non satis apud se statuebat, quid sibi faciendum esset: nam si se tyranno objectum iret, certa mors timebatur: si obstaculum non amoliretur, ultra tendere non poterat. Certus denique pro propagandâ fide periculi adeundi, amore Christi piè temerarius, cum Socio se dat in viam. Adventantem Piltipico superbè excepit: sed Monroius æstimans non aliam rationem ad eludendam hominis superbiam certiorem fore, quàm si honorem parvi se facere ostenderet, Christianam fortitudinem ferocitati opponens, in hunc fermè modum tyrannum alloquutus fertur. *Vides*, inquit, *ô Piltipico, quanto tuæ salutis desiderio flagrem, qui, cognitâ morum tuorum insolentiâ, mortem non veritus, inermem me & indefensum tibi objectum venerim: nullus Sacerdos in Omaguacarum regione tuæ sævitiæ supersit: tu non unos crudeliter excruciatos trucidasti: templa Christiana combussisti: Cruces deturbasti: sacra prophanaq; miscuisti. Quæ scelera sigillatim recenserem, si iracundiam tuam irritare, quàm te ad pœnitudinem invitare, mallem. Hæc una causa spernendæ mortis fuit, ut te ad pœnitentiam excitatum, maturæ jam Dei iræ eriperem. Nemo mortem amat, nisi egregio præmio inescatus. Tua salus aditæ mortis magnum pretium mihi est, quæ olim Sanguine Christi constitit: redimere meo periculo veni æterna supplicia tuæ senectuti in terram proclivi imminentia. Pro te vadem me sistam æterno Iudici, si resipiscere malueris, quàm in crudelitate persistere. Elige de duobus unum, vel salutem tuam, vel meam mortem: utrumlibet mihi in votis est; nam pro Christo mori lucrum erit, & perditioni te eripere summum gaudium.* Hæc erecto præsentique animo cùm dixisset, atque insuper Hispanorum iras supra modum proritatas exaggerasset, advertit tyrannum posito supercilio nonnihil se humaniùs habuisse: nam mox è levi cucurbitâ vinum Monroio propinavit; qui quamvis summopere abhorreret ab ejusmodi potione, quam sciret è tritico Turcico, vetularum dentibus trito, factam, admisit tamen, & summis labris libavit, tantâ approbatione hominis, suum poculum admitti gaudentis, ut illicò se Sacerdoti inclinans, plerosque oppidanos suos Christianâ doctrinâ & Sacramentis initiandos stiterit. Monroius, in omnem occasionem rei benè gerendæ intentus, ilicet à Piltipicone petit, & impetrat ad ulteriores Omaguacarum populos commeatum: apud quos magno fructu verbum Dei seminatum ivit. Ex eâ expeditione redux, Piltipiconi se iterum sistit, cum quo pacis conditiones ex voto constituit. Quibus rebus cognitis, Joannes Velascus Ramires Tucumaniæ Prætor omnibus lætitiis incessens, datis ad Gasparem Monroium honorariis litteris, legitima confirmatæ pacis instrumenta, suo & urbanorum Magistratuum Chyrographo impressa, mittit, rogans, ut ea nomine publico Piltipiconi explicaret. Quâ re etiam ex animi sententiâ confectâ, finitimæ Hispanorum urbes gratulationis signa edidêre, pacem, vitam, bona, villas, prædia, templa, urbes, filios, omnia denique Gaspari Monroio, pacis arbitro, se debere affirmantes.

Gasparis Monroii magnanimitas.

Monroii Oratio.

Monroii prudentia.

Omaguacæ pacificatur.

CAPUT VIII. Reliquæ Omaguacarum res narrantur.

INTERIM Petrus Agnascus, multis in ducentarum leucarum itinere baptizatis, ex Frontonum finibus Tucumaniæ urbes transvectus, Gaspari Monroio, prout in mandatis habebat, se tandem adjunctum venit: qui adunatis viribus Omaguaca-

rum pagos multoties percurrentes, nihil eorum, quæ ab Apostolicis viris factitari solent, omisêre. Satis constat, utriusque operâ benè magnam multitudinem, partim de novo Christi partibus additam, partim reconciliatam ubique fuisse. Quamquam memoriæ proditum reperio, Piltipiconem magno obstaculo fuisse, ne superstitio penitus inter Omaguacas abolererur. Nam quamvis pacem sincerè cum Hispanis sanciviſſet, pertinaciter tamen cum Deo amicitiam redintegrare, pristinæ libertatis amans, renuebat. Quibus moribus cùm etiam Didacus Telüius, Omaguacarum facilè princeps, & plerique gentis Primores viverent, exemplo corrumpebant populares, Optimatum suorum authoritatem sequi plerumque amantes. Tantas res agentem Gasparum Monroium febris prostravit, lectoque in Cucuisensi Omaguacis finitima urbe, sub curâ Petri Agnasci, affixit. Ibi dum ambo morantur, fama percrebuit, Omaguacas, Piltipicône & Telüio incentoribus, cum Chiriguanis bellicosissimis populis amicitiam eo fine iniviſſe, ut viribus junctis Cucuisensem urbem invaderent, devastarentque: quæ fama (quamvis deinde inanis reperta sit) in causa fuit, cur Piltipico & Telüius è valle sua, Hispanorum industriâ, educti, in vinculis haberentur. Mox immissâ militum cohorte, Prætoris jussu, Casiquius alter, potens & turbulentus, extractus etiam est, qui adnitentibus Sociis, admissâ Christi fide, ipso Tucumaniæ Prætore honoris ergò spondente, inter civium & militum hilaria Baptismum susceþit. Non diu pòst, septuaginta Omaguacæ, Dominorum suorum caritate & desiderio, ad urbem venientes, Sociorum nisu, Christo nomen dedêre. Et ut videas nihil diminutos Misericordiæ Divinæ thesauros, Piltipico ille, tot parricidiorum & sacrilegiorum reus, vexatione intellectum dante, in vinculis sapiens, lethali morbo ante mortem per Gasparem Monroium Deo reconciliatus est. Didacus Telüius in fide etiam perstitit. Non eadem fuit sors alterius Casiquii, qui, filio optimæ indolis ad transfugium frustra sollicitato, aquis se suffocavit: patris cadaver filius ipse & alii ad terrorem cæterorum cremavêre; Deo, inter Misericordiæ opera, Justitiæ fulmen quandoque vibrante. Interjecto tempore Tucumaniæ Prætor non nescius Barbaros ab Optimatum suorum moribus pendêre, Omaguacarum Primores ad interiora Provinciæ circa metropolim traduxit; quo factum, ut demptis capitibus imposterum universa gens, in potestate Hispanorum utcumque perseverans, fidem Christianam non ægrè admiserit, coluerit̃que, subjectione corporum in animarum libertatem conversâ. Omaguacarum gente subacta, Gaspar Monroius & Petrus Agnascus, in diversa lati, fidem Christi propagatum ivêre. Monroius & Joannes Viana ad Tonocotanos, ab Alfonso Barsena olim è superstione ad Christum abductos, multis in eâ regione de novo baptizatis, utiliter excurrerunt.

1596.

Exemplum Magnatum potens.

Omaguacarum Baptismus.

Piltipiconis conversio.

CAPUT IX.

Tucumania multifariam excolitur.

QUIBUS in rebus dum sunt, Joannes Romerus, Socios omnes per Tucumaniam laborantes, anno sesquimillesimo nonagesimo-septimo, ad metropolim convenire jubet: causa convocandi fuit, quòd speraretur fore, ut futurarum expeditionum res prudentiùs disponerentur, si mutuis colloquiis consiliisque juvarentur. Sed præcipuè, ut attritas vires animorum, Divi Ignatii artibus resarcirent. Nam sapienter ascetícæ vitæ Magistri censuêre, externis officiis, quamvis in se optimis, vigorem virtutum atteri, & Apostolicis etiam exercitationibus robur animorum flaccessere, nî intercalari otio per preces, & piarum rerum considerationem, reficiatur. Igitur, refectis animæ viribus, postquam, quæ regiones priùs adeundæ, quibus præsertim artibus superstitio eliminanda, quâ industriâ Hispanorum & Neophytorum conscientiæ tractandæ, in commune consultatum est. Joannes Romerus hunc in modum sparsit Socios. Petrus Agnascus & Antonius Vivar, Tucumaniæ Prætoris postulatu, Sancti Jacobi ditionem omnem, innumeris Indis tum temporis frequentem, perpetuo motu circuire; Gaspar Monroius & Joannes Viana metropolim insidere; Franciscus Angulus, sanctæ Inquisitionis Commissarius, integritati Fidei, inter Hispanos ubique conservandæ, invigilare jussi sunt. Ipse verò Romerus Saltenses & Cucuisenses, comite Eugenio Baltodano, curandos sibi susceþit. Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo-octavo Franciſcus Angulus

1597.

Exercitiorum necessitas.

1598.

& Euge-

& Eugenius Baltodanus, fluminis Rubri accolas; Gaſpar Monroius & Antonius Vivar, Saltenſem vallem; Petrus Agnaſcus & Joannes Viana, Cacarum gentem; Joannes Romerus & Joannes Toletanus, Eſterenſes per immenſos labores excultum ivêre. Sic pauci Socii, vices mutando, Tucumaniam integram, extenſione terrarum Hiſpaniæ parem, peragrabant, latebras, ſylvas, ſpeluncas, montes, & abdita quæque excutientes. *Animarum æſtimatio.* Nam ubi animarum æſtimatio heroum animos ſemel pervaſit, dici vix poteſt, quantâ magnanimitate ab iis ſpernantur pericula corporis, deliciæ parvi pendantur, adeoque vita ipſa contemnatur. Si enim mercium Indicarum & divitum metallorum amatores pretio allecti, pro iis acquirendis nihil reformidant; quanto animo neceſſe eſt illos eſſe, qui animas Chriſti Sanguine redemptas æſtimare nôrunt? Dilapſis Sociis, Romerus ad fluminis Dulcis ripas Ripennium, Indorum oppidum, execrandis ſceleribus infame, præter omnem ſpem ita refinxit, ut deinceps pietatis receptaculum haberetur. Subinde omnes ejuſdem fluminis accolas expiatum ivit: qua in excurſione memoriæ proditum eſt, Indum, Confeſſionis deſiderio, ne elaberetur occaſio, triduo jejunum perſtitiſſe, & multos alios, tempeſtate perfrigidâ, ejuſdem rei causâ, ad Romerum è remoris locis anhelantes flumina gelida tranſnataſſe. Præterea Romerus ad Malqueſiorum & Queſoſiorum paludoſa, & infeſtiſſima aculeatis culicibus, loca pervaſit, quos omnes in gratiam Chriſti conatus eſt reducere. Quid interim Socii alii, uſque ad annum ſæcularem, per Tucumaniam factitârint, non ſatis diſtinctè in adverſariis reperio. Nam primi illi heroës in libro Vitæ ſcribenda facere, quàm multa ſcribere malebant, tam ſui nominis obliti, quàm Divinæ gloriæ amplificandæ memores.

CAPUT X.

Orto Chilenſi bello fundationes Collegiorũ diſturbantur.

NON eadem facies Chileni regni erat, ferocitate Barbarorum ſacra profanaque vaſtante. Uſque ad id tempus, duodecim Urbibus, juſto intervallo abſitis, totum Chilenſe regnum occupârant Hiſpani, probatiſſimum aurum magnâ copiâ ubique eruentes, & felicitate regionis ad blanda vitia luxumque abutentes. Socii verò in novo Sancti Jacobi Collegio adeò ſtrenuè domi foriſque, & per ampliſſimas Regiones excurrentes, eradicandis vitiis atque plantandis virtutibus inſiſtebant, ut ipſe Prætor, in novâ urbe abs ſe de ſuo nomine conditâ, Societatis ſedem fundare voluerit, & pleræque Hiſpanorum Urbes Collegia poſtulârint: eoque crevit apud quoſdam laborum Apoſtolicorum æſtimatio, ut honeſtiſſimi viri centum millia aureorum Societati repræſentârint, ſi ſedem ſtabilem in Araucanâ arce ponere vellet: quam ſummam Joannes Sebaſtianus Parricius Peruviæ Provincialis non admiſit, & inſuper Socios Arauco quàm primùm excedere voluit, cœlitùs edoctus, brevi regionem omnem ſuſque deque everſum iri. *Chilenorum Sociorum egregii labores.* Præſagii certitudinem adſtruxit, ſub præteriti ſæculi finem, Chileni Regni Prætoris cædes, qui majori quàm inter Barbaros, rebellare aſſuetos, confidentiâ decet, ſe gerens, pœnè totum regnum ſecum perdidit. *Joannis Sebaſtiani vaticinatio.* Rem, quantum ad inſtitutum meum pertinet, lubet partitò poſteritati tradere. Poſtquam Martinum Loiolam, Chileni regni Prætorem, exiguo militum comitatu, nullo erecto contra inopinatam perfidiam munimento, ſub tentoriis noctem tranſigentem, Chileni Barbari interfecerunt, quaquà latè patet regnum, populares ſuos ad rebellandum ſecum traxêre, atrocis facti famâ fœdioribus calamitatibus oppreſſuri. *Martini Loiolæ cædes.* Primo Barbarorum furori occurri ſtatim poterat, ſi res conſilio acta fuiſſet: ſed ſine capite fruſtra conſilia profutura expectes. Adde, quod ſpatium inſtruendi belli conſultandíve ademerat calamitatis conditio, Barbaris in conſternatos repentè effuſis, & ſtragem ubique facientibus. *Chilenorum rebellio.* Malum cœpit à Millapoa Hiſpanorum Oppido à militibus per metum deſerto, mox Angol & Chillam, vicinæ Urbes, furorem & avaritiem Barbarorum priùs expertæ, quàm igne penitùs flagrarent, centum & quinquaginta tantùm Hiſpanis cum imbelli multitudine in ſubitaneam munitionem ſeſe ab incendio & cæde recipientibus: ubi non ſemel, Hiſpanâ prorſus fortitudine, obſidionem octo millium Barbarorum ſuſtinuêre, donec in tutum ſors blandior fortes viros exciperet. *Urbes captæ.* Urbs Imperialis per annum integrum obſeſſa eſt, ubi cives, conſumptis alimentis, ad nefandas eſcas adacti, inſalubrium ciborum ſucco corpora corrupêre, adeò notabili ſtrage, ut *Hiſpanorum fortitudo.* *Peſtis.*

plures

plures morbis, quàm telis undique pluentibus, obruerentur. Ausa tamen est, inter tantas calamitates Hispanorum virtus, divinitùs adjuta, sese exerere. Nam cùm scapha ad accersenda auxilia ex domesticarum arcarum portarumque asseribus compingenda foret, deficiente pice ad rimas obducendas, repentè vinum in picem mutatum miraculo repertum est, & scapha littora maris radens, ubi in conspectum urbis Valdiviæ, quam Imperiales ab Barbaris occupatam ignorabant, venit, tempestate in altum rejecta est, donec hostilem regionem prætervecta rursum amica littora adnavigaret: indubiè peritura, ni tempestas, aliis perniciem adferre solita, ipsi saluti fuisset, Deo beneficia sua terroris pallio tecta mortalibus concedere amante. Interim verò dum obsessi subsidia præstolantur, urgente fame, implorata Virginis MARIÆ ope, tanta passerum copia quotidiè ad urbem advolitavit, ut arcendæ fami, & miseris à morte vindicandis, deinceps suffecerint. Postquam auxiliares copiæ ex Conceptionis urbe cum Prætore advenêre, cives quidem obsidione liberati in tutum se recepêre: cessit tamen urbs elegans Barbarorum furori, elapsis civibus, in tecta sævire amantium. Non eadem urbis Valdiviæ fortuna fuit, manifestâ Numinis irâ ferro igneque vastatæ. Inter quas cædes Sacerdos, Dominicanæ familiæ alumnus, facinus edidit memorabile. Is, eductâ ex altari hyerothecâ sacro Christi Copore plenâ, per templi fenestram jactu corporis se proripuit, atque per medios cadentium cuneos, nullo Barbarorum cum attingere ausо, ad littus, & è littore, scaphâ vectus, ad navim fugere paratam evasit. Hoc ipso glorioſior, quòd Servatorem omnium terrâ marique indemnis ipse servârit. Scio hujusmodi facinus per Joannem Bocartium Societatis JESU Antuerpiæ patratum, ab Famiano Stradâ cum Caii Fabii sacra è Capitolio exportantis audaciâ eruditè comparatum fuisse: sed ego rem meo more narrare simpliciter satis habui. Satiata cædibus hostium rabie, quadringentæ matronæ puellæque, prò pudor! ad scorta & mancipia, in oculis parentum & conjugum, eamdem fortunam expertorum, è Valdivianæ urbis ruinis à Barbaris eductæ sunt; vice versâ servire coactæ iis, quos servitiis antè vexaverant. Nullum fermè in America aurum magis probatur, quàm Valdivianum; nec ullibi sæviit magis hostilis rabies, quàm in ea urbe: ut ubi eruendi auri cupiditas major fuerat, ibi etiam immoderationis vindicta emineret. Osornum, alteram Hispanorum urbem, eadem calamitas perdidit, nisi quod, amissâ urbe, solamen afflictorum fuerit, temporario munimento se tutari potuisse, donec per subsidiarios milites in tutum transportarentur. Obsidionis tempore, sæviente fame, posteris denarrandum servatæ pudicitiæ exemplum datum fuisse, ab optimis authoribus accepi. Cum Osornianis civibus in munimentum se etiam receperant ex instituto divæ Claræ sacratæ Virgines, nihilo mitiorem fortunam, quàm profanæ matronæ puellæque expertæ. Ibant per vices, prout extrema necessitas urgebat, extra vallum, radices & herbas è proximis campis in aliquantulum famis levamentum collecturæ: Cùm una sacrarum virginum in insidiantis manus Barbari incidit. Frustra clamores fuêre, frustra lachrymæ postulantis, ut suis redderetur: vi rapta innocens puella est, & raptoris dono tanquam opimum spolium cessit potenti cuidam & opulento militi, qui in ædes suas abductam uxorum suarum gregi (nam Chilenorum Primores plures uxores alunt) immiscuit. Nec diu fuit, cùm flammas concepit in puellam corpore scitam, & moribus meliorem: jamque pudorem violare parabat, quando illa præsenti erectoque animo salacem his fermè verbis repressit. *Si scires*, inquit, *ô Barbare, dignitatem conditionis meæ, infringeres impetum tuæ lasciviæ, in grande malum, ni me audias, te tracturæ. Insignis summi Numinis amor supra sortem communium fœminarum me longè extulit, feciq; sponsam Christi filii Dei, cui hactenus incorruptâ virginitate fidem servavi. Nec licet mihi amplexibus mortalium frui, nec viro nubere, ne injuriam Immortali Sponso irrogem. Sacer ille annulus digito insertus, & vestis à vulgari discreta, arrhæ sunt connubii inter me & summi Dei Filium contracti, quem tu, si me temerare audes, vindicem experieris. Nam ut mortales sponsi suas zelant amasias; sic sponsus meus immortalis, cui serviunt mortium omnium instrumenta, mihi sartum tectum honorem conservabit.* Hæc sermonis granditas ita Barbarum movit, ut libidinem coërcuerit. Expavit

Hispani Imperiales divinitus juvantur.

Valdivia capitur.

Dominicani Sacerdotis pium facinus.

Osorni obsidio.

Monialis in servitutem abigitur.

Pudorem suum egregiè defendit.

Barbari continentia.

nimirum ad insolitam, & hactenus sibi inauditam, inter puellam & Dei filium connubii, nec non perpetuæ virginitatis vocem. Quocirca, lasciviâ in reverentiam versâ, profitetur se custodem pudoris futurum, qui violator esse voluerat. Nec facta à promissis ablusêre; nam sacram Virginem nec attrectavit umquam, nec imminui ab aliis permisit; sed domi honestè habitam, ut rem Deo dicatam impensè coluit: felicem se æstimans, quòd summus Dei Filius unam è sponsis suis suæ fidei commisisset. Quin adjecit interrogare, num quid illi opus foret, ut Divino cultui, quantum captivitas permittebat, pro instituto suo satisfaceret. Cumque illa, precum breviarium, & scapularem tunicam, monachæ insigne, sibi deesse quereretur; illicò Barbarus utramque rem, inter spolia repertam, à commilitonibus magno pretio redemit, & virgini donavit, lætus quòd illa se totam, per preces & solita Religionis exercitia, immortali suo sponso manciparet. Si quandoque, ut fit, se aliis ancillis & uxoribus cibos parantibus aut pannos eluentibus immisceret, blandè objurgatam Barbarus ad cubiculum remittebat, aiens non decere Dei sponsam, omnium servitia promeritam, ancillaribus officiis implicari. Nec hîc stetit veneratio: nam indignum se æstimans, qui diutiùs apud se sacram puellam retineret, clam, ne commilitones offenderet, Hispanos milites adit, monetque datâ fide, ut domum suam, non longè ab eorum arce semotam, quasi prædabundi veniant, ibi reperturos sacram virginem, inter populares suos meliùs quàm in captivitate sponso suo servituram. Milites præsidiarii fidem Barbari sequuti, ex condicto, emissariorum more, innocentem puellam redemptum ivere; quæ postliminiò, popularibus suis restituta, & ad Chileni regni metropolim transportata, in Cœnobio Divæ Claræ testis rei probatissimæ diu & piè supervixit. Barbarus verò tantæ rei patrator, admissâ cœlesti luce, è patriâ ad Hispanos transfugiens, itinere centum & quinquaginta leucarum, se eòdem contulit, ubi recepto Baptismo se totum ejus monialis servitio extra claustrum dedicavit, quam anno integro domi suæ in captivitate intactam servaverat. Ut scias beneficiis vinci se non pati Deum, æquè in pudoris alieni conservatores, ac sponsas suas fidei datæ tenaces, profusum. Sed interim rebellionis fragor infelici turbine per regnum universum provolvebatur, hostibus per centum & amplius leucas, direptis Hispanorum villis, impunè grassantibus. Quin & ipsa metropolis pœnè obruta est: hostilique furori indubiè cessisset, nisi accepto conjurationis indicio, castigatis indigenis conspiratoribus, malum Magistratus avertisset. Sic bellum atrox inter utramque gentem commissum est, grandi sine dubio Hispanorum malo, nisi paulò pòst advenisset ab Rege Catholico delectus Alfonsus Ribera, bello Belgico, & Ambiano per nuces à Gallis erepto, clarus, qui postquam Præturam iniit, ad normam Belgicæ militiæ multas arces in hostium finibus posuit, unde excursiones faciens, Hispanos quamplurimos, in terrâ hostili munitiunculis se tutantes, periculo exemit, hostiumque vires & furorem refregit. Verùm, ut meam rem agam, Martino Loiolâ Prætore trucidato, & tot urbibus eversis, novi Collegii, quod ipse in urbe Onnicatensi abs se conditâ fundare meditabatur, atque Araucanæ sedis, necnon aliorum domiciliorum, spes penitus concidit. Non tamen omnium animi concidêre: nam dum cuncta bello concutiuntur, Emmanuël Erias, Sancti Jacobi Collegii Rector, & postea Peruviæ Provincialis, elegantissimi templi, aliquando inter famosas Americæ fabricas nomen sortituri, & nostrâ ætate terræ motu miserè deformati, fundamenta jecit. Æternitatem verò, ut spes est, in cœlo promeriti sunt multi mortales, Sociorum laboribus, per aliquot subsequentes annos in hâc urbe & ejus latissimâ ditione, baptismo, piis sermonibus, exhomologesi, & aliis artibus curati.

Continentiæ præmium.

CAPUT XI.

Alfonsus Barsena moritur & laudatur.

SED lubet tantisper stylum avertere ab tantis florentissimi quondam regni calamitatibus. Quamquam, quocumque vadam, non deerunt funera pro conditione rerum humanarum sese ex inopinato obtrudentia. Alfonso Barsenæ ægritudinum & annorum pondere pœnè oppresso Joannis Sebastiani Provincialis litteræ redditæ sunt, quibus in Peruviam ad aliquantulam quietem emerito viro debitam invitabatur. Ille non quietem, sed Majorum suorum nutum spectans, incredibili

In Peruviam revocatur.

Paraqua-

Paraquarienſium dolore viam ſtatim occœpit. Ex itinere reviſit Mataranos ſuos, & Conceptionis urbem, obſidionem Barbarorum paſſam, ſuo adventu recreavit. Deinde Tucumaniam totam (in qua viginti quinque millia Barbarorum, ipſomet teſte, baptizaverat) & Peruviæ partem prætervectus, Cuſcum tandem, emenſis quingentis & quinquaginta leucis, pervênit. In hac regia urbe, Ingarum quondam ſede, Societas Collegium habet, Hiſpanis æquè ac Indis utile, inter quos, Peruanam linguam cùm apprimè calleret Barſena, antiquas artes in effœtâ ſenectute exercens, mirum quantum profecerit. Inclaruit tamen maximè, quòd Ingarum ultimum, ad quem regni jus priſcum pertinebat, Chriſtianis legibus excultum baptizatumque ad piè moriendum animârit. Ulteriora meditantem mors oppreſſit. Cordubæ in Bœticâ is olim honeſtis parentibus natus, poſtquam pueritiam, & deinceps adoleſcentiam, optimis moribus doctrinisque excolere cœpiſſet, digniſſimus habitus eſt, quem Joannes Avila, portentum illud Apoſtolicæ vitæ, inter præcipuos diſcipulos adſciſceret. Tali magiſtro, acre judicium, memoriam ad miraculum tenacem, & indolem cujuſvis diſciplinæ capacem, ingenti fructu exercuit. Rebus jam agendis maturus, cùm ſe ad converſionem Barbarorum, ab Deo intùs loquente, ſollicitari ſentiret, ipſo Joanne Avilâ authore, & incentore, anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo-quinto, Societati Jesu (ab cujus ingreſſu, ob domeſticas difficultates, totis quindecim annis eum Bœticæ Provinciales arcuerant) ſe mancipavit; ſtatimque oſtendit, è quali palæſtrâ prodiiſſet. Nam Bœticæ præcipuas urbes concionando percurrens, eloquentiſſimi fructuoſiſſimique Oratoris famam collegit; adeò ut, inter utrumque Hiſpalitanæ Cathedralis Eccleſiæ chorum, non admodùm ſenex, incredibili plauſu audiretur. Verùm ille antiqua Barbaricarum expeditionum deſideria his plauſibus præponens, volens lubensque, Sancto Franciſco Borgiâ Societatis Jesu Generali mittente, anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo-nono, in Americam navigavit. In Peruviam appulſus, devoratis aliquot nationum Barbaricarum idiomatibus, prima dedit in novo Orbe ardoris ſpecimina. Continuo pœnè motu omnia latiſſimæ Regionis loca percurrens, innumeros Neophytos Sacramentis procuravit, Ethnicos baptizavit, Idola deſtruxit, Parochos inſtruxit, pellicatus in juſta matrimonia convertit. Quæ omnia etiam majori conatu inter Vroquillas, paludis Chucuitenſis & conterminarum rupium accolas, præſtitit. Si ad urbes Hiſpanorum diverteret, unus ipſe omnia miſcebat. Supra omnem fidem eſt, quàm multos ardenti eloquentiæ æſtro percelluerit, quot lapſos erexerit, quot commoda per multos annos in omnes Reipublicæ partes ſparſerit. Quorum laborum, inter Indos & Hiſpanos, reſpectu, apud omnes Ordines, ipſumque Proregem, tantam æſtimationem conſequutus eſt, ut paſſim, Sacchino ipſo & Alegambe authoribus, Peruviæ Apoſtolus nuncuparetur. Egregia ubique reperio in ſchedis meis memorialibus dicta, fervorem ejus teſtantia. Exempli vice hoc eſto. *O utinam*, exclamare ſolitabat, *Peruviæ omnes Indi, Parochis carentes, aut ab iis neglecti, meæ curæ ſubderentur: non antè deſiſterem eorum bono me impendere, donec continuis per ſpelæa, rupes, & abruptiſſima loca excurſionibus, aliisq; defatigationibus, corpuſculum meum penitus contritum in fruſta diſſolveretur.* Peruvia ipſa, cæteroquin maxima, & id temporis doctrinæ egentiſſima, parva ipſi videbatur: quare frequentibus litteris ad Majores ſuos ſcriptis enixè flagitabat, ut in ſpatioſiſſimas & adhuc intactas Ethnicorum terras mitteretur: aiens, ad id genus hominum excolendum, ab ſummo Numine ſe vocari, incredibili ardore præcordia ſua diu noctuque inflammante. Biennio antequam in Tucumaniam mitteretur, litteris ad Provincialem datis, diſertè aſſeruit, ſe animo præſentire aliquam ſuis deſideriis congruam ad Ethnicorum terras expeditionem ab Superis præparari. Miſſu Majorum in Tucumaniam & Paraquariam delatus, tanta quanta narravimus patravit. Alegambe author eſt, eum crebrò quinque ſexve dies ſolo Chriſti Corpore paſtum ſine cibo alio perduraſſe. Intempeſtâ nocte ad orandum ſurgens, totis duodecim annis principem tenebrarum vexatorem expertus, innumeris propè de eo reportatis victoriis, id demum aſſequutus eſt, ut ſcipione contemptim increpitum, ceu nebulonem tenebrionémve, per ludibrium impoſterum abigeret. Eumdem horribili

Viginti quinque millia baptizat.

Ingæ haredem ſacro Fonte abluit.

Peruviæ Apoſtolus dicitur.

Dæmonem contemnit.

specie adventantem, suasque de ferocissimâ gente ad Christum convertendâ cogitationes turbantem, eâ voce surgens repressit: *O Dæmon, hanc meam sedem occupa, nam eâ me dignior es.* quâ submissione, superbiæ patrem ad horrendos ululatus & infamem fugam coëgit. Sæpè præsentissimis periculis à Deo ereptus est. Sæpè futura prænunciare, & occultas mortalium cogitationes propalare, auditus est. Franciscum de Cruce, apud vulgus in Peruviâ tum temporis laudatissimum, contentiosiùs in publico confessu agentem prænonuit, forè ut, nî loquendi temeritatem corrigeret, publicè pro hæresi, quod deinde factum est, cremaretur. Deo & Deiparæ fuit perfamiliaris. Pueri JESU memoriam suavissimâ animi teneritudine recolebat: cujus signum sculptoriâ arte formatum, ad lecti caput in ultimâ ægritudine, præter morem cùm quâdam die non admoveri curasset, & infirmorum curatorem frustrà inclamaret sibi suum ut Jesulum porrigeret: Jesulus per se ipse se stitit, & blandè senem appellans, Ne fatigeris, inquit, nam hîc ego tecum sum. Ipso die Nomini JESU sacro, Kalendis Januariis, vitam Apostolicis virtutibus constanter exercitam septuagenarius optimo fine clausit, dignus quem non tantum Peruviæ, sed etiam Tucumaniæ populi suum Apostolum pleno ore vocent. Barbarorum linguas undecim percalluit. Multa vario idiomate scripsit utilia his, qui pro Indorum salute elaborant. Adeò felici memoriâ fuisse dicitur, ut utrumque testamentum ad unguem memoriter recitaret. Sæpè post mortem Barbaris ab se olim in Paraquaria baptizatis se videndum præbuit, inconstantiam in fide & moribus optimo successu carpens. Indus è curru excussus, invocato Alfonso Barsena, totam corpus suum sulcantem indemnis excepit. Latiùs luberet excurrere in facta tanti viri, à Nierembergio & aliis celebrati: sed ne diutiùs extra limites verser, in Paraquariam stylum retraho, ubi me alterum funus expectat.

Egregia ejus humilitas.

Vaticinia.

Status pueri JESV ei se stitit.

Undecim Barbarorum linguis loquitur.

CAPUT XII.

De Joannis Salonii morte.

ANNUS millesimus quingentesimus nonagesimus nonus, elato Joanne Salonio, Valentiæ olim in Hispania nato, & dudum summa Societatis vota professo, luctuosus extitit. Causa mortis fuit exercitium caritatis: nam cùm cœlo pluvio ad ægrum hominem in ultimo agone juvandum non ipse optimè valens properasset, rediens ex madore interiora pervadente lethalem morbum concepit. Moriens Divos & Divorum Reginam spectasse creditus est: cadaver ejus tanto omnium Ordinum ejulatu luctuque sepultum fertur, ut justa defuncto persolvi nequiverint. Facies mortui longè formosior quàm viventis, & nescio quid humano majus spirare visa est: adeò ut Episcopus Tucumanensis, pro eo solemni ritu sacrificans, in eam intentus lachrimis obrueretur, & in has voces admirationis plenas prorumpens exclamaret, *Ubi est mors victoria tua?* Tantos Cœlestium & Mortalium favores merebantur optimi viri virtutes & facinora, reductis ad Christi partes, aut ipsi reconciliatis multis Indorum millibus, inclyti; eo præsertim nomine in his Annalibus à me commendandi, quòd primus omnium JESU Socios in Paraquariam induxerit, rexeritque. Quibus olim parentibus natus sit, quibus moribus adolescentiam transegerit; utrùm in Hispania vel Lusitania Societati authoratus fuerit; utrùm post vel ante initam religionem in Brasiliam transmiserit, non perinde mihi planum est. At constat in Brasilia ita se Majoribus probasse, ut dignissimus postmodum habitus sit, qui quatuor Societatis vota profiteretur; & quem Josephus Anchieta, Brasiliæ Provincialis, eligeret, ut in Australes Americæ regiones nomen & artes Societatis JESU cum selectissimo Sociorum manipulo primus inferret. Sublato Salonio Marcellus Lorençana solus de Societate in Paraquariæ metropoli perstitit, multiplicitate laborum defectum Sociorum compensans. Hunc Provinciæ Prætor vexavit, quòd crederet se obliquè carpi, dum in vitia pro concione inveheretur, Sed Lorençana adhibitâ constantiâ, per certum hominem, qui querelas ad se detulerat, ipsi Prætori renunciare jubet, aliud longè esse in personas nominatim, aliud in vitia invehi. Nam ponamus, inquit, urbium Rectores luxuriæ, rapacitatis & injustitiæ inquinamentis fædatos esse, an propterea desinent Concionatores ea vitia carpere, quæ in aliis civibus sunt, ne magistratus existiment sua vitia sigillatim sugillari? Prætor, ut erat ingenii non pervicacis, rationibus Lorençanæ facilè acquievit.

Causa mortis. 1599.

Ejus virtutes.

Lorençana prudens: repensum.

CAPUT XIII. De ultimis Ortegæ & Fildii in Guairaniâ laboribus.

IN Guairaniâ adhuc perseverabant Emmanuël Ortega & Thomas Fildius, immensitatem terrarum paribus animi viribus metientes. Gloriosam materiam utrique præbuit pestis, & inundatio, universam propè regionem luctuosâ calamitate complexæ. Grassante peste ibat Emmanuël Ortega, Thoma Fildio Villaticæ relicto, more suo per pagos, antra, nemora, montes, & loca omnia Guairaniæ lustrans, eo fine, ut peste infectos, quantovis numero posset, Sacramentorum vi, Dæmoni eriperet. Barbari etiam peste afflati, aut pestem timentes, undique ad eum, Sacramentorum causâ confluebant; nec satis quò se verteret apud se constituebat. Nam uno eodemque tempore morbidorum turbæ in itinere viribus deficere; alii ex vicinis remotisque locis Exhomologesim, aliunde Ethnici Baptismum postulare, ingenti numero nunciabantur. Quod in se erat, omni virium nisu impigrè præstabat; constatque, ejus ope, multa millia Barbarorum eâ in occasione, recepto Baptismo, decessisse. In his rebus versantem oborta tempestas & fœda aquarum proluvies pœnè obruit. Per campum tum habebat iter duobus utrimque fluviis irriguum, qui ubi intumuêre, ripam primùm, deinde campum supergressi, junctis aquis, circum omnia latè inundavêre. Crescentibus undis decrescebant littorales sylvæ, nec aliud jam perfugium erat, quàm in summitatibus arborum, quas indigenæ, obrutis aquâ mapalibus, occupare summâ contentione satagebant. Ortega procerissimam subiit cum servulo: qui demissiores elegerant, fermè toto corpore immergebantur aquis, adeò jam tumidis, ut non aliam ferrent oculis imaginem, quàm pereuntis olim Noëtica eluvione Orbis terrarum. Superstabant ubique arboribus, aut è ramis pendebant immixti valentibus ægri, lamentabili voce aut ab aquis, aut à morbo, aut à fame exitium præstolantes: tonitrua, fulgetra, turbines, & hujusmodi irati Cœli instrumenta, diem noctemque horrificabant: feræ è spelæis exundatione erutæ, & difformia viperarum corpora innabant aquis: *Horresco referens, immensis orbibus angues incumbunt pelago*: adeout undique circumstaret imminentis mortis imago. Viperarum una, enormis magnitudinis, adnatans, adhæsit ramo, cui insistebat Ortega: & actum erat de illo, ni pondere fracta rami pars, bestiam excussisset in aquas, quæ, casu attonita, aliò se conferens, hominem liberum reliquit. Biduo jam eo loci perseverârat, tempestate nihil subsidente, cùm audit inter tonitruorum fragorem, & fulgetrorum malignum splendorem, intempestâ nocte Barbarum hominem nando ad se venire. Nunciabat is, tres Ethnicos spiritum ægrè jam in arboribus suis trahentes, Baptismum, & totidem Neophytos, eodem in discrimine positos, Exhomologesim petere. Non diu deliberavit Apostolicus vir quid facto opus esset: sed servulo, ne deficientibus viribus, se absente, diffluens ab eluvione raperetur, funead arboris ramos alligato, ritéque à peccatis expiato, ipse nudato corpore, ut erat natandi peritus, in aquas corpus vibrat. Sequebatur nunc jum per spississimas tenebras, nisu corporis fluctus maritimis similes everberans, intricabaturque subinde occurrentibus spinetis & arborum ramis à proluvie raptis; quibuscum dum luctabatur, prælonga spina cruri ejus infigitur: perseveravit tamen læsus aquas findere, donec post horam natationis integram, ad ægros, ex arboribus pendulos, perveniret. Ut venit, tres Ethnicos animam jam vix reciprocantes, titè & sigillatim interrogat, num nostra Mysteria crederent? affirmantes, & præteritam vitam detestantes, Baptismo raptim expiat. Vix expiaverat, cùm virium defectu in aquas diffluunt, & in Cœlos mox evolaturi suffocantur. Duo ex tribus Neophytis, post legitimam peccatorum confessionem, spectante etiam ipso Ortegâ, viribus deficientibus submersi periêre. Secundùm id, eodem planè labore ad arborem suam renatans, reperit servulum suum, crescente eluvione, collo tenus aquis jam immersum; quo in altiorem ramum evecto, simul mortem undequaque imminentem præstolabantur; inveniissentque, nisi eodem die, tempestatis vi remittente, aquæ in alveos suos paulatim se recepissent. Sed interim refrigescente corpore, crus Ortegæ, spinâ transfixum, incredibili dolore intumuerat; quo dissimulato, simul ac in terram demissus est, eò se ferri voluit, ubi ægris operam suam conferre posset, donec vi morbi penitùs prosterneretur. Villaricam curatio-

Ortega quàplurimos baptizat.

Aquarum diluvium.

Virgilius Lib. 2. Æneid.

nis ergò delatus, quamvis ſpina totum tranſverſum crus penètrans evulſa ſit, tamen dolor malè affectæ partis per duos & viginti reſiduæ vitæ annos, ſemper fluidâ cicatrice, nunquam ſe remiſit. Id vulnus patienter toleratum Joannes Rho eleganter, ut ſolet, in variarum virtutum hiſtoriam tranſtulit. Invalido corpore, animi vigor Ortegæ ſtetit: quocirca utcumque curatus, Fildio comite, univerſam fermè Guairaniam, quà Hiſpanis patebat, & Xereſium oppidum, Sacerdote etiam deſtitutum, per difficillima itinera adivit excoluitque, donec uterque, juſſu Majorum, poſt inductum externum Sacerdotem, ad Paraquariæ Metropolim, adnitente Marcello Lorençana, unum ſe populoſæ civitati & ditioni imparem ſine fine clamante, revocarentur: ſic Ortega & Fildius, incredibili Hiſpanorum & Indorum dolore, poſt octo annos, in ea Provincia ſumma cum laude poſitos, Aſſumptionis urbem repetivêre. Ubi ſtatim cum Lorençana apud Hiſpanos, Neophytos, Ethnicos, & Æthiopes, rem Chriſtianam domi foriſque inſigniter promovêre.

CAPUT XIIII. Socii ſubſidiarii Tucumaniam excolunt. 1600.

ANNO ſæculari, cum recèns è Peruvia Joannes Darius, Ferdinandus Monroius, Joannes Arcos Sacerdotes, necnon Joannes Rodriguez Sacerdotii expers, in ſubſidium veniſſent, Joannes Romerus ita Socios omnes diſperſit, ut præcipua Tucumaniæ loca complecteretur. Gaſpar Monroius, veteranus miles, cum ſocio non Sacerdote Saltenſem tractum Omaguacis oppoſitum; Joannes Viana, & alter Laïcus, Sancti Michaëlis ditionem; Petrus Agnaſcus, & Joannes Arcos Eſterenſem regionem obtinere juſſi ſunt. Franciſcum Angulum in diverſas partes diſtrahebat Inquiſitionis Fidei munus. Ipſe Romerus, aſſumptis in ſocios Joanne Dario, & Joanne Rodriguez, Cordubam ſibi delegit; magnâ omnium ſpe, inſignibus cladibus dæmonem ubique debilitatum iri. Nec ſpem felices ſucceſſus fefellêre: quippe ſinguli Socii, variis velitationibus, Divini verbi enſe, & clypeo Apoſtoliço feroces, multos undique Barbaros, per Baptiſma, & alia Sacramenta dæmoni ereptos, Chriſto tranſcripsêre. Singulorum victorias ſigillatim non proſequar, ne rerum ſimilium narratione faſtidium pariam; ſatisfeciſſe ratus, ſi aſſeruero à præclariſſimis ducibus biennali excurſione nihil omiſſum inter Hiſpanos & Barbaros, quod prodeſſe poſſe Divinæ gloriæ augendæ, dæmoníve ſubigendo, exiſtimarent. Quamquàm paulò explicatiùs expeditio Cordubenſis hoc loco mihi tractanda venit, non idcircò quòd Sociorum labores ibi clariores hâc tempeſtate, quàm alibi fuerint; ſed quòd Corduba Provinciæ Paraquariæ (cujus ego Hiſtoriam molior) futura caput eſt, & juvet primariæ domûs non indiligenter à me fundamenta poni, ut ſurgentia faſtigia meliùs inclareſcant.

CAPUT XV. De Societatis ſede Cordubæ poſitâ.

Urbis Cordubenſis fundator.

ANNO milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo-tertio, Hieronymus Cabrera, nobilis Cordubenſis, centum & viginti à portu Boni-aëris leucis, ad radices fermè aſperrimorum montium, Cordubam in planitie fundavit. Cœlum inibi hyeme non pluit; æſtas nebularum & pluviarum ſatis ad faciendam aliqualem fertilitatem advehit. Sub initia fundationis, quadraginta Sagittariorum millia in ejus latiſſima ditione computari dicebantur. Ex quo numero, octo adhuc millia anno ſæculari Cordubenſibus parebant; cæteri aut fato ſublati fuerant, aut, avitorum morum & libertatis tenaces, Hiſpanis rebellaverant. Ad hanc urbem delatos Joannem Romerum & ſocios, frigidè admodùm ſcives ſuſpicionibus abalienati excepêre. Sed mox expulſis ſuſpicionum nebulis, condemnatâ ſuâ credulitate, in excipiendis Sociis ſiccitatem beneficiorum magnitudine compenſantes, fundum amplum commodo urbis in loco, domumque, necnon ſacellum adjacens, obtulêre. Quarum rerum poſſeſſionem ita iniit Romerus, ut ſi Peruviæ Provincialis non annueret, irritam eſſe vellet. Poſtquam in paratas ædes migravêre Socii, ſolitas Societatis Apoſtolicas artes in omnis conditionis homines exprompſêre, tantâ Magiſtratuum approbatione, ut perpetuitatem ſedis ambientes, de templo Societati condendo in commune egerint: quo in erigendo dum univerſa Civitas occupatur, Romerus cum ſociis per ditionem Cordubenſem, quaquà latè

Cordubenſis ditio excoliur.

patet, excurrit. Aspera regio est, montibus passim in cœlum petrosa cacumina efferentibus: post Barsenam nullus de Societate, Sacramentorum conferendorũ ergò, eò se contulerat; quocirca Neophytorum multi ad avitos mores deflexerant, & magna pars Barbarorum, Christo nondum agnito, gemebat adhuc sub jugo servitutis dæmonum. Sed Sociorum improbo labore multis in locis Christiana res restituta, infantes & adulti baptizati, matrimonia vaga stabilita, & nusquam aliàs de peccatis confessi, absoluti sunt. Eò etiam aliàs, eodem planè labore & fructu, excursum est: ex quarum excursionum rebus, fusè ab Annuarum Litterarum compositoribus relatis, illud mihi seligendum venit, quòd multi Neophyti, ab Barsena & Ortega ad Fidem reducti, per duodecim integros annos, nullo susceptо alio Sacramento, innocentiam conservasse in media barbarie reperti sint. Nec tacendus mihi Barbarus ille, nullo vel pœnitentium popularium exemplo, vel fulminantium Concionatorum minis, è cœno obscœnæ voluptatis extricabilis, qui, fortuito aspectu Crucis pio cum animi sensu abs se adoratæ, adeò potenter præcordia concuti sibi sensit, ut turpem amasiam, in cujus corpore ab sex annis deperibat, quamvis reluctantem, illicò ab se amandaret, antequàm ad Sacerdotem nostrum vitam ritè expiaturus advolaret. Frenduit dæmon amissâ prædâ: quamobrem ad artes suas devolutus, specie abactæ meretricis assumptâ, se spectandum Barbaro præbuit, qui ad Sacerdotem recurrens, & doctus signo Crucis fugari dæmonem, domum victor pervênit, octiduoque vix exacto moriens, ad Cœlos, ut spes est, triumphabundus conscendit. Denique hæ excursiones tanto Barbarorum fructu institutæ sunt, ut volentes lubentes Indi operam suam obtulerint transportandæ materiæ ad perficiendam Cordubensis templi molem, ut, eâ perfectâ, Sociorum ope constantiùs frequentiúsque juvarentur. Templum, retento veteris ædiculæ nomine, Divis Tiburtio, & Valeriano dicatum est, quos domus nostra Cordubensis deinceps habuit Tutelares. His rebus patratis, Joannes Romerus Joannem Darium Italum, novæ sedi præfecit, virum, in quem Apostolicarum virtutum decora omnia cumulatissimè concurrebant; & profectò decebat, domum in futuræ Provinciæ caput, & Apostolicorum virorum seminarium à Deo destinatam, Apostolicum virum pro primo parente habuisse, ex quo posteri luculenta vitæ religiosæ documenta desumerent; vivâ & adhuc perseverante in omnium animis tanti viri memoriâ. Interim Romerus ad arduam Diaguitarum expeditionem, ducentarum leucarum itinere, adjiciebat animum.

Crucis piè conspectæ efficacitas.

Templum Cordubense.

Joannis Darii laus.

POSTQUAM Alfonsi Barsenæ interventu (uti in loco tradidi) pax inter Calchaquinos & Hispanos utcumque composita est, Barbari se longè magis, quàm anteà, sociabiles præbuerant: non tamen eò usque, ut servire, aut passim terras suas adiri permitterent; beneficii loco æstimari volentes, quòd non palàm rebellarent. Gens omnis in varias factiones distracta est: inter quas Diaguitæ eo nomine Jesu Socios æstimabant, quòd vexati Indos non permitterent. Ideò ad Joannem Romerum aliqui ventitârant, affirmantes, si Societas suam vallem adiret, non malè receptum iri; sed Romerum, cuivis periculo se exponere promptum, linguæ & locorum inscitia retardabat. Quod ut cognovit Joannes Abregus, Tucumaniæ Exprætoris filius, gentis cicurandæ desiderio, se in viæ ducem, & domesticos Kakanæ linguæ interpretes offert: quibuscum Romerus, assumpto in socium Gaspare Monroio, Cruce tantùm armatus, vallem ingredi non dubitavit. Statim in aditu, Socii octoginta Barbaros, partim Ethnicos, partim ob vicinitatem Hispanorum Christiana nomina sortitos, Dæmoni eripiunt, & læti, quòd auspicatò vallem inivissent, pagum ducentis Ethnicorum capitibus constantem eâdem felicitate occupant, qui omnes transactis cum Christi legatis conditionibus, admisso Baptismo, in ejus fidem clientelamque transiêre. Mox alterum oppidulum invadentes inquilinis vacuum non sine insidiarum suspicione reperiunt: nam erecta in foro Crux fixis quaquaversus sagittis hirsuta erat, satis ut appareret malevolorum hominum metam per contemtum fuisse. Sed insidiarum suspicio brevi evanuit, municipibus sub noctem ex agro, quò pisttacorum gregibus ab seminibus arcendis

CAPUT XVI.
Res Christiana apud Diaguitas promovetur.
1601.

Octoginta Diaguitæ Christo conciliantur.

Ducenti baptizantur.

iverant,

iverant, ad oppidum redeuntibus: quos cùm ad deditionem sollicitassent, nullum repugnantem experti sunt: ducentis hominibus se Christo publicâ fide & primo Sacramento obligantibus. Cùm de Crucis opprobrio inquireretur, & nullum facilè indicium reperiretur, Socii dissimulatione usi, in præsentiarum satis habuêre, si abjurato palàm ab omnibus sacrilegio, in commune Crucis honor assereretur. Sparsâ deditionis famâ, complures Ethnicorum pagi, vicinorum imitatione, nunciis ad Socios missis, postulavêre, ut, concesso Baptismate, in eandem Christi Fidem se receptum venirent: quod non ægrè, imperatâ singulis pagis antiquorum rituum abolitione, & inductis Christianis legibus, fecêre.

Ducenti alii Baptismum recipiunt.

Multi pagi idem beneficium adipiscuntur.

CAPUT XVII. Numerosum Diaguitarum oppidum ad Christi partes transit.

HIs rebus sine tumultu peractis, eò iter direxêre, quò accersebantur ab Indis, numerosius oppidum habitantibus, eóque ferocioribus: mille & ampliùs Diaguitarum capita erant, qui adventantibus Patribus sese obviam ex Oppido effudêre, oblongas Cruces, quò se ejus Candidatos profiterentur, manu omnes præferentes. Extra Oppidum amplissimum spatium floribus & arcubus triumphalibus ornaverant, per quos inter choreas, gratulationes, & vocum hilaria, in domum paratam inducti Socii, omne genus leguminum, & gallum gallinaceum, palmare gentis donum, pro cibatu accepêre; & vicissim ab Romero laudati, luculentáque Oratione ad Christo fidem dandam invitati sunt: nemine Christiano Oratori gestibus & voce non applaudente. Hæc mane: sed cadente Sole longè alia rerum facies fuit: nam sive epoto liberiùs vino, sive præstigiatorum suasionibus, oppidi Magnates magno comitatu, eóque cultu, quo cædem perpetrare solent, ad Socios ventitavêre; ad quos Romerus intrepidè conversus, per interpretem monet, ut depositâ barbarie tandem Christum agnoscant: nec vellent pertinacitate corrumpere occasionem è duro Dæmonis jugo sese eximendi. Plura dicere paratum Barbarus, inter suos ferocissimus, interpellat, vociferans, se neutiquam permissurum, ut populares sui, quod Christianæ legis Candidatis imperari solebat, comam, capitis ornamentum & militum insigne, dimittant; & indignum videri, si ornata plumis suorum capita in templorum aditu, Hispanorum more, nudare cogerentur: denique Majorum more se velle vivere. Nec plura effatus, cum cætero comitatu è Sociorum conspectu ex inopinato se proripit. Socii, hâc denunciatione non dubii grande sibi imminere discrimen, sumnum Numen per preces invocant, mortem, aut vitam ex ejus nutu expectantes. Non vana fuit imploratio Numinis, nam sequenti mane iidem Barbari, evaporato per somnum vino, ad Socios unâ se conferunt, præteritæ diei inter hilaria transactæ ebrietatem excusantes. Idem cùm Oppidi Primores assererent, & certatim baptizandos pueros offerrent, magna alacritas ex recenti periculo animos pervasit Sociorum, qui, dissimulâtâ injuriâ, ætate grandioribus facilè concessêre, ut pro libitu comam alerent, dummodò, superstitiosis ritibus abjuratis, Christianos mores admitterent. Mirum dictu! tanta omnium consensio fuit, ut inter paucos dies supra mille capita, recepto Baptismo, Christo se subdiderint, & trecenta conjugum paria se legitimi Matrimonii vinculo adstrinxerint.

Barbarorum inconstantia.

Sociorum periculum.

CAPUT XVIII. Quatuor alia oppida fidem recipiunt.

VOLAVERAT novitatis fama ad alios quatuor Ethnicorum pagos, qui, accersitis Sociis, per nuncios affirmavere, si venirent, nihilo se aliis in suscipiendo Christo fore tardiores, & comam omnes, in signum obsequii, quod alii detrectaverant, posituros. Eò properantibus Sociis, municipes ex singulis pagis effusi, viarum obstacula, per tres integras leucas, honoris & commoditatis ergò, amotum venêre, summi Dei Sacerdotes magnâ hilaritate ubique excipientes. Facta in his Oppidis Ethnicorum omnium per Baptismum expiatio est. De quorum antiquis ritibus cùm inquireretur, repertum Solem ab universa gente adorari, in cujus cultum plumarum fasciculos, in ædiculis erectos, animalium cruore aspergebant. Casiquiorum animas post mortem in planetas, plebeiorum verò & brutorum in minores stellas, verti autumabant. Porrò, ut aliquo insigni facto ostenderent, se antiquos mores sincerè detestatos fuisse, jussi sunt à Patribus Soli dicatam domum

Ædes Soli dicata destruitur.

funditùs

funditùs eversum ire. Nec mora, uno omnes impetu in fanum ruunt, impia anathemata refigunt, in frusta omnia comminuunt, atque diu ex ludibrio consputa, magno plausu concremant. Fanorum loco succesſêre, in omnibus Oppidis, Cruces patentibus in locis erectæ, ad quarum pedes Neophytorum corpora sepeliebantur, & preces Christianæ quotidie recitabantur: frendente dæmone, ibi victoris Christi trophæum erigi, ubi tot annis Deo debitum honorem tyrannicè usurpaverat.

CAPUT XIX. Socii apud Diaguitas de vitâ periclitantur.

NEc dæmon diu tenuit iram, quin graves in Socios procellas excitaret: nam cùm sub id tempus urbis Saltensis Sub-præfectus, fortè arbitratus, Romero præsente, Diaguitas minùs feroces futuros, imperatum missêt, servitia ex valle numeratò mittenda; ita gentem exacerbavit, ut conspiratio in Socios conflaretur, incentoribus maximè præstigiatoribus, palàm vociferantibus, eadem esse Sociorum & reliquorum Hispanorum rationes, adunatis consiliis, gentem omnem servitutis jugo opprimere volentium: Religionem Christianam, certam esse ad perdendam libertatem viam: eò vergere Tucumaniæ Exprætoris filii, Socios comitantis, adventum, sub umbrâ Sacerdotum suas terras & vires explorantis: actum esse de re, nî malum in ortu opprimatur. Hæc & similia dum deblaterarent, clavis & sagittis arreptis, unius Oppidi municipes ad Socios mactandos procurrunt, patrasſentque cædem, nî senex Barbarus, apud populares authoritate pollens, repressisset impetum, monens, ne se præcipitarent in certam gentis perniciem: Socios Jesu Hispanis esse caros, & quamvis Hispani vindictam omitterent, inimicum habituros Christianorum Deum, cujus legatos & Sacerdotes mactassent. Valuit Senis authoritas, non tantùm ad reprimendum impetum, sed etiam ad exprimendam subiti furoris pœnitentiam: quare, positis armis, Neophyti ad Socios pergunt, orantes, ut conceptam ex amore libertatis ferociam excusent, quâ libertate nihil haberent in terris pretiosius. Socii professi nihil se de intentato servitio resciviſse, daturosque operam, ne cui recepta Religio fraudi foret, antequam resurgeret aliunde malum, eò unde discesserant redeuntes, periculo se subduxêre. Vix abierant, cùm monentur de alterius Oppidi municipibus, eadem de causa tumultuantibus, eosque ad necem furiosè quærentibus: quocirca duplicabant itinera, in singula momenta parricidas expectantes. Dum sic fugiunt, post se celerato gradu adproperare vident Barbarum turbato vultu, anhelâ voce Patres inclamantem, rogantemque ut ad interioris vallis pagum retrocedere vellent; inde se missum ab Casiquio, pagi domino, in vitæ & mortis confinio Baptismum totis votis postulante. Quid facerent Socii? Si retroirent, in certa pericula ibant; si ire renuerent, fors Barbarum æternùm periturum. Prævaluit unius animæ salus corporum periculis, quibus spretis, per abrupta montium ab nuncio se duci sinunt, & confectis sexdecim leucis, Casiquium cum morte colluctantem reperiunt, quo baptizato, ducenta etiam alia infantium capita Sacris undis abluunt: qui omnes, nemine dempto, peste grassante sublati, ad Cœlos evolârunt. Dum his rebus Socii occupantur, furiosa phalanx, quam paulò antè progressam ad parricidium docuimus; per iter ab Sociis relictum frustrà diu vagata, prædam sibi elapsam quærens, frendensque, Oppidum suum repetiit: sed Romerus & socii per diverticula è valle evasêre; Deo evidens vitæ discrimen, per majora in speciem pericula, ab fidis capitibus avertente.

Conſpiratio in Socios conflatur.

Barbari ſenis Authoritate ſedatur.

Sociorum intrepida audacia.

Ducenti infantes baptizati moriuntur.

CAPUT XX. Lulli & aliæ gentes excoluntur.

JOannes Romerus Tucumaniæ Episcopum per litteras monuit, ut novello Neophytorum gregi de Pastore provideret: verùm nullus inter Clericos Sacerdos repertus est, qui se Diaguitarum furori committere voluerit. At Ferdinandus Monroius, & Joannes Viana, inter Lullos, ferocitate insignes, excurrentes, animas suas, præ aliarum animarum lucro, viles habuêre. In qua gente refingenda (nam nullus Sacerdos, ex quo tempore Alfonsus Barsena ante duodecim annos plerosque baptizaverat, eò itiârat) aut de novo ad Christum reducenda, quid ambo Socii ærumnarum exanthlârint, sigillatim persequerer, si paribus omninò labori-

bus, in primis Barsenæ expeditionibus delineandis, stylum antè non commodâssem. Illud addendum, quòd in regione tot calamitatibus obsessa, ubi humana refrigeria deerant omnia, Deus Athletis suis cælestia adeò abundanter subministravit, ut ad Provincialem suum scribentes assererent, vereri se, ne solatia illa, divinitùs ad tempus immissa, præmia forent laborum ab se susceptorum cum cælestis mercedis detrimento: & addebat Joannes Viana, cumulatissimè ærumnas suas, cælitùs affusis in animum deliciis, absque æterni præmii spe, videri sibi compensatas. Fructus expeditionis fuit, Lullorum pagos omnes lustrasse, residuos Ethnicos Christianis addidisse, innumeris Matrimonium legitimè ineuntibus adfuisse, Neophytos omnes, ab tot annis Confessariorum copiam non habentes, Quichoæ & Tonocotanæ linguæ beneficio, expiasse; Kakanè loquentes, per interpretem procurasse. Nec cæterorum Sociorum inferioris notæ facinora erant, per totam Tucumaniam infestissima dæmoni arma circumferentium.

Ferdinandus Meuroius & Joannes Viana cælestibus deliciis affluunt.

CAPUT XXI. Stephanus Paës Socios Tucumaniæ & Paraquariæ inspicit.

1602.

DUM sic ferverent omnia, Stephanus Paës, vir inter nostros summis par, post inspectam cum Vicaria Generalis potestate Peruviam, in Tucumaniam penetrans, Socios hinc inde sparsos Saltam convocat: quibuscum, initis conscientiarum rationibus, in commune consultat, num Societatis Instituto congruum foret, Tucumaniæ, Paraquariæque missionem eo modo, quo hactenus instituta fuerat, continuare: nam multi graves viri censebant perpetuas has excursiones, sine recursu aliquo ad Collegia, & extra Provincialium aspectum, non esse Societati conducibiles. Quod dum agitarent, fasciculi litterarum ab omnibus fermè Tucumaniæ urbibus missi aperiuntur, quibus Magistratus significabant, rumorem increbuisse, incredibili Ordinum omnium mœrore, Socios omnes in Peruviam ab ipso Visitatore retrahendos, rogabantque per Sacra omnia, ne tantum malum suis urbibus crearet. Sed præ cæteris, Sancti Jacobi urbs, Tucumaniæ caput, ut dignitate, sic Patrum desiderio, per accuratiores litteras expresso, excelluit: nam, aiebat, si Societas abiret, vereri se, ne Cælum, quasi Lotho in tutum recepto, urbem suam incendio destinaret: deviaturos se, si columna ignea, quam viæ ducem in deserta solitudine hactenus sequuti fuerant, abs se auferretur: addebant, Indorum ab Sociis baptizatorum in Fide constantiam ab unis iisdem, post Deum, pendêre; si deserterentur, in pristinos errores relapsuros: & alia hujusmodi multa, quibus permotus Visitator, non jam de deserenda missione, sed de modo continuandæ cum nostro Instituto congruente, donec Generalis Præpositus moneretur, actitavit; &, habito Patrum consulto, sanxit, ut singulis annis Socii per Tucumaniam sparsi, in aliquam urbem convenientes, quatuor mensium spatio non interrupto, ad normam Collegiorum viverent; reliquos menses excursionibus Apostolicis dedicarent: conservatis interim domibus nostris in urbibus erectis in spem fundandæ, quod agitabatur, Provinciæ. Cùm verò de Paraquaria ageretur, nullo modo adduci potuit Stephanus Paës, ut Socii in ea remanerent. Nam cùm Assumptionis urbs septingentis leucis Limâ distet, & Guairania nongentis, fieri non poterat, ut eò se Peruani Provincialis cura extenderet: congruentiùs itaque ipsi visum, si ea Regio, Brasiliæ obversa, Brasilis Patribus colenda traderetur. His in hunc modum ordinatis, cum Didaco Torres, socio suo, in procuratorem Romam pro Peruana Provincia iturum electo, dimissis priùs cum responsis litterarum ad urbium Magistratus Patribus, Limam, Proregis sedem, contendit. At Socii Tucumaniæ urbibus postliminiò redditi, tantâ omnium Ordinum aggratulatione excepti sunt, quantam exprimere calamus non sufficit. Ne verò ab inspectorum arbitrio imposterùm pendêrent, pleræque Civitates, litteris ad Societatis Generalem Præpositum missis, sedium perpetuitatem postulavêre.

Tucumaniæ Urbes restitûs Visitatori.

Præsertim Tucumaniæ Metropolis.

De modo continuandarum Missionum.

Socii à Paraquaria revocantur.

CAPUT XXII. Assumptionis urbs ægerrimè fert Sociorum discessum.

NON eadem erat Paraquariæ facies: nam ubi Litteræ Visitatoris, Socios inde revocantis, per Assumptionis urbem divulgatæ sunt, immensùm quantum omnis generis homines indoluêre, Patres suos, atque unicos æternæ vitæ duces, ex insperato sibi eripi conquerentes. Alii acriùs agebant, palam jactantes, malè com-

pensari

pensari ab Societate benevolæ civitatis labores in condendo templo æquali sumptu ac alacritate susceptos. Hoc nempè esse, quod vulgo circumferebatur, Societatem splendore & opulentiâ magnarum urbium capi; ab infrequentiâ & paupertate Oppidorum fugere. Varias nationes, per plusquam mille leucarum circuitum, adhuc intactas ad Christi partes adduci posse, si Societas labori non se subtraheret. Deme, inquiunt, urbium splendorem, & una Paraquaria ampliorem suppeditabit animarum messem, quàm quævis alia Americæ Australis regio. Hæc & similia plerique acerbiùs, quàm prudentiùs, dolore instigante, jactabant: nam satis constabat multorum annorum experimento, Socios non deterreri locorum conditione, si institutorum suorum rationibus non repugnaret. Quod addebatur de subsidio à Brasiliæ Provinciali in Paraquariam submittendo, probabiliùs ab omnibus improbabatur: nam præterquam quod iter è Brasiliâ in Paraquariam terrâ mariqúe Regiis legibus claudi non ignorabatur, satis apparebat Lusitanos homines non se intrusuros in Provincias ab Hispanis administratas. Igitur non deerant, qui vi retinendos Socios censerent, navigii usu negato. Sed aërem verberabant, nihil proficientibus verbis apud Religiosos homines, obsequendi desiderio & voto præoccupatos. Abeuntibus Magistratus Civilis & Ecclesiasticus publico nomine, primores verò civitatis privato affectu, litteras Societatis Jesu Generali, Peruviæ Provinciali, adeoque ipsi Visitatori mittendas tradunt, quibus ostendentes infinitam propè animarum messem ab Societate in Paraquariâ relinqui, omnes infimis precibus sibi reddi Socios flagitabant. Interim unus Thomas Fildius, morbos & senium causatus, in Assumptionis urbe domûs nostræ custos, & in aliquod afflictæ urbis solatium, relictus est. Sed Lorençana & Ortega Tucumaniæ Sociis, trecentarum leucarum itinere, se adjunctum venêre.

Socii se purgant.

Et abeunt.

Thomas Fildius remanet.

CAPUT XXIII. Emmanuëlis Ortegæ vexatio. 1603.

EMmanueli Ortegæ in Tucumaniam appulso, mandata perferuntur ab Limensibus Fidei Inquisitoribus, quibus se sacro Tribunali sistere jubebatur. Quingentis leucis aberat, cùm id nuncii accepit, quo itinere celeriter confecto, ubi Limam attigit, ignotâ tum de causâ, Inquisitionis carceri, stupente totâ Peruviâ, mancipatur. Nam Ortega in ostio fluminis Argentei ab Hæreticis in mare deturbatus, iteratâ cõfessione Fidei pœnè martyr, mirum in modum inclaruerat. Præterea, quamplurimis Barbarorum millibus in Tucumania & Paraquaria ad Christum adductis; necnon stupenda illa transvectione, qua cœlitùs adjutus, undecim horis octidui iter percurrerat; tolerantiâ denique laborum, magnum sibi nomen fecerat: adeò ut inter Americæ Heroës jure merito computaretur. Nulli tamen audebant integerrimi Senatûs factum sugillare, satisfeciisse quisque ratus, si judicii eventum tacitè præstolaretur. Quinque mensibus rigido in carcere exactis, paulò haberi cœpit laxiùs, traditusque est Collegio Limensi, cum eâ cautione, ut interim, dum causa ad liquidum reducitur, ab Sacris conficiendis suspenderetur. Biennium tenuit hæc suspensio, donec tandem is, qui eum accusaverat, quasi secretum Sacramentalis Confessionis sigillum violasset, Villaricæ in Guairaniâ morbo lethali corriperetur. Quo in morbo, coram legitimis testibus scripto dictóque accusationem retractavit, palam fassus, se falsam calumniam, assumptis in perjurium falsis testibus, innocentissimo viro adornasse, quòd in se castigando verborum acrimoniam, rigidus vitiorum censor, adhibuisset. Codicillis Limam perlatis, Fidei Judices Emmanuëli Ortegæ victricem palmam obtulêre. Diceres ab Deo Optimo Maximo sycophantæ calumniam permissam, ut Ortega de hæresi, de infidelitate, de Dæmone toties victor, de calumniâ etiam, in urbe novi orbis principe, inter nobilissimorum civium plausus, glorioSus triumpharet. Nec nostra Societas parca fuit in cohonestando viro: nam, respectu ad Apostolicos labores & tolerantiam habito, supremum votorum gradum linguæ Indicæ peritissimo in senectute extra ordinem obtulit; quem ipse ex demissione animi adire recusavit. Triumphalem Athletam Peruviæ Prorex, Comes Montis Regalis, arduæ Chiriguanarum ferocissimorum Indorum expeditioni præfecit: apud quos læta habuit initia promulgationis Evangelicæ legis, spem facientibus Barbaris eam acceptandi: sed in progressu mille mortis pericula, & in-

Ejus laues.

Inquisitionis carcere detinetur.

Ab Sacris suspenditur.

Calumnia ad liquidum deducitur.

Absolvitur.

Honoratur.

Churiguanis præficitur.

numeri labores succeſſêre, Churiguanis mores avitos obſtinatè retinentibus. Perſeveravit tamen Ortega, cum Hieronymo Villarnao, Sacerdote impigro, in regione perverſa, per biennium integrum, quo ſine notabili fructu tranſacto, recrudeſcente cruris, cui ſpina inhæſerat, dolore, Chuquiſacam curationis ergò ſe contulit, ubi optimus ſenex ægritudinibus oppreſſus, inter exercitia Religioſæ pietatis, domeſticis & externis utilem operam navavit: donec anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo-ſecundo ad Cælos meliori ſui parte evolaret, vir, ſi virtutes & facinora ſpectes, jure merito ſummis adnumerandus. Luſitania eum è nobili ſanguine genuit, Braſilia juvenem educavit, Joſephus Anchieta virum laborum comitem habuit, ſenio proximum Tucumania, & Paraquaria Apoſtolicis hominibus paria præſtantem, mirata eſt: Peruvia emerito triumphum dedit: Nierembergius, & Joannes Rho Heroïbus ſuis addidere: Cælum, ut ſpes eſt, piis ejus manibus apotheoſim fecit. Ipſe ego denique, quod mearum partium fuit, extra Provinciam abeuntem ſequutus, non deſerui, donec Paraquariæ noſtræ decus ſingulare ultimis officiis proſequerer. Porrò, ut hoc addam, noſtrum Emmanuëlem nobilibus parentibus in Braſilia ortum, avunculum Epiſcopali pedo inſignem habuiſſe; & ab ejus matre, ſelectiſſima matrona, Societatem noſtram inſignia beneficia accepiſſe, mihi in comperto eſt. In Braſiliam navigare volenti, mater, & avunculus obſtitêre; ſed ipſe, animarum Chriſto lucrandarum deſiderio inflammatus, agnata vincula rumpens, eò celerrimè properavit, quò ab Divino Numine impellebatur: quæ deſideria in ipſa Braſilia inter ſtudia, & cæteras Religionis exercitationes mirum in modum auxit. Itaque, devoratâ Barbarorum linguâ, rebus agendis jam idoneus, multas Braſiliæ regiones utiliter percurrit. Una in expeditione centum leucas progreſſus, vix furibundorum Indorum laqueos evaſit, narrantque in annoſæ arboris concavo, Divi Xaverii exemplo, eorum inſidias eluſiſſe. Biennio integro Joſepho Anchietæ, Braſiliæ Provinciali, fuit à ſecretis; portentoſæ ejus & Apoſtolicæ vitæ non magis ſpectator, quàm ſectator, à quo volens, lubensque in Auſtraliores Americæ regiones navigare juſſus, honeſtiſſimis facinoribus, ſuis temporibus à me denarratis, Societatem noſtram decoravit.

Moritur.

Laudatur.

CAPUT XXIIII. Sociorum per Tucumaniam labores.

1604.

EODEM planè tempore, quo Ortega in Peruviam abiit, Joannes Romerus ex præſcripto Viſitatoris Socios cogens, tamdiu in urbe apud ſe detinuit, quouſque, refocillatis per religioſa quietaque exercitia viribus, rurſus per Tucumaniam diſpararet. Ex quo, more ſequentibus annis ad praxim redacto, inſignes planè inter Indos & Hiſpanos utilitates perceptæ ſunt: nam, præterquam quòd ſe invicem ſermonibus & exemplis inflammarent, varias Indorum linguas, artes cicurandæ eorum feritatis, modum technas Dæmonum extricandi, & conſcientiarum nodos diſſolvendi, mutuo magiſterio perdiſcebant. At cùm ſe rurſum Deo pleni effundebant, conceptas per ſacrum otium flammas in omnis generis homines miro animorum motu ſpargebant. Joannes Romerus, extra Tucumaniam etiam excurrens, ad portum Boni-aëris, per deſertam centum & viginti leucarum planitiem, curam ſuam extendit: ad quem audiendum cùm concurrere undique frequentes Barbaros, præter morem, cerneret, Epiſcopus Societatem Magneti comparavit, ferrum & ferreos homines ad ſe occultâ vi trahentem. Anni hujus ſæculi tertius & quartus, Apoſtolicis ad varias Indorum terras excurſionibus, quàmplurimis eorum millibus Sacramento procuratis, magna ex parte conſumpti ſunt: quibus utilitatibus ſigillatim enucleandis ſupersedeo, ne lectoribus, novas res in Hiſtoriâ amantibus, faſtidio ſim.

Joannes Romerus ad portum Boni-aëris excurrit.

Societas magneti comparatur.

1604.

CAPUT XXV. Ludovicus Valdivia Chilenos Chriſto & Regi conciliare adlaborat.

1605.

ANNO ſæculi decimi-ſexti quinto, res Chilenſes, Alfonſi Riberæ Prætoris fortitudine, utcumque contra rebelles firmatæ erant; & progreſſum habituræ videbantur, ni Præturam importunâ admodùm tempeſtivitate vertere juſſus fuiſſet. Ipſe Chilenam militiam ad Belgicæ recentia præcepta inſtruxerat: hoſtes, ut in Hollandorum finibus fit, conſtructis paſſim caſtellis, præſidio firmatis, coërcuerat: rebelles multis cladibus affecerat: quamplurimos Hiſpanos, factis irruptio-

nibus,

nibus, è dura servitute redemerat; adeò ut reliquos Prætores antecessores suos belli laude, omnium calculo, superârit. Sed quantum is Hispanæ militiæ gloriam apud Chilenos auxerat, tantum sibi offecit præfidentiâ meritorum: nam cùm Provinciarum Præfecti Regis legibus vetentur uxores ex suis præfecturis assumere, ne judiciorum corruptioni per affinitates detur locus: Alfonsus Ribera, Prætor, Matrimonium cum nobilissima fœmina in Chileno regno contrahere ausus est. Ob id Rex Catholicus utilem licèt virum, ne exemplo noceret, Chilensi præfecturâ mulctavit: ita tamen pœnam temperavit, ut aliis litteris eum Tucumaniæ Prætorem, Chilensi dignitate paulò inferiorem, crearet. Eo amoto, Præfecturam Chilensem obtinuit Alfonsus Garcia Ramon, qui dum Limâ iter habet, interpositâ Proregis authoritate, ab Societatis Provinciali Ludovicum Valdiviam, Theologiæ professorem, in spem componendi regni Chilensis, sibi concedi impetravit. Ambo eâdem nave vecti, tempestate & incendio pœnè periêre. Tempestatem, invocato in auxilium Ignatio, evasêre; incendium avertit vigilantia Valdiviæ, intempestâ nocte fortuitâ flammâ, puppim ardere inclamantis, & nautas vectoresque ad extinguendum hortantis. Bino periculo defuncti, Conceptionis portum tandem tenuêre. Conceptionis urbs Chileni regni Prætoris sedes, civibus & ædificiis modica, ad littus Pacifici maris protensa est; ejus ditio versùs regni Metropolim liberè spatiatur: quâ rebellibus obvertitur, longè arctiùs coarctatur. Id spatium Alfonsus Ribera, atque alii duces, castellis per justas intercapedines dispositis, occupavêre: à quorum castellorum præsidiariis finitimi Barbari ægrè in amicitia retinebantur. Vix eò novus Prætor appulerat, cùm diploma Regis, rebelles ad pristinam amicitiam, oblatâ præteritorum amnistiâ, invitantis, publicari voluit. Mox profectionem indicit ad inspicienda castella, & pagos Barbarorum, vi aut sponte Hispano parentium: quorum Barbarorum ea conditio erat, ut hostium loco; si offensionem animorum spectares, jure habere posses: quocirca ad eos, quamvis amici dicerentur, nullus itirabat, nisi militum cohorte stipatus: nam malè fidas eis, quos solo metu tibi adstrictos habes. Prætorem tutabantur cohortes Regiæ: sed in uno Ludovico Valdiviâ plus præsidii erat, quàm in armatis militibus: quippe Barbari experimento & famâ didicerant, per Valdiviam nationem suam ab injuriis militum, & duro servitio ubique fuisse vindicatam. Igitur quoquò ibat, confertim confluebant populorum Primores, Parentem, Tutorem, & unicum corporum, animarumque solatium, eum vocitantes. Vicissimque Valdivia, occasione usus, quosquos poterat Christi & Regis Catholici partibus conciliabat. In Munitione, quam Levo vocant, viginti Casiquii convenerant, qui audito Valdiviâ de immortalitate animæ, cæterisque Fidei mysteriis disputante, in Christianorum album referri postulavêre: ætate grandiores dilati sunt, donec morum constantiâ se probarent; infantibus omnibus sacro Fonte lustratis.

Alfonsus Ribera laudatur.

Offendit Regem.

Chilensi præturâ mulctatur.

Tucumaniæ præficitur.

Ludovicus Valdivia in Chilenum regnum navigat.

Invocato Ignatio tempestas sedatur.

Conceptionis urbs.

Barbari ad amicitiam alliciuntur.

Baptismum postulant.

CIRCA Païcavim, Hispanorum castrum, quadraginta Casiquii Tucapelanæ factionis incolebant, de quibus jure dubitares hostiúmne, an amicorum loco haberes. Adeò, præter nomen amicorum, nihil pacifici præseferebant. His offensus Prætor, hostes apertos minùs pernicioso æstimans, quàm fraudulentâ sub fronte hostiles animos gerentes, bellum ostentavit: sed Valdivia intercessit, obtinuitque ab Tucapelanis, ut, fraude depositâ, cum Hispanis bonâ fide pacem redintegrarent. Verùm cùm aliunde bellum ex mutua injuria resurgeret, Valdivia non tam Barbarorum in se studiis, quàm Dei ope fretus, sequester futurus, rebellantium terras, cum exiguo quinque militum comitatu adire ausus est. Venientem Barbari excepêre humaniter, Casiquiis quamplurimis, honoris ergò, ad eum concurrentibus. Post officia gratulationis, Valdivia de bonorum malorumque finibus longam orationem contexuit, quam ex abrupto interrupit è Barbaris nonnemo, interrogans unde, & à quo eam doctrinam hausisset? Valdiviâ respondente, id asseruisse Dei Filium. Ergo, subinfert Barbarus, vester Deus uxorem habuerit, si filium genuit. Tum Ludovicus magnificis verbis mysterium generationis Divinæ evolvens, adeò altè de Trinitate & Incarnatione disseruit, ut Barbari veritatis splendore

CAPUT XXVI.

Pergit Valdivia Chilenos Barbaros ad partes trahere.

Tucapelanos conciliat.

Cum Barbaris de nostris mysteriis colloquitur.

ac granditate sermonis perstringerentur. Qui deinde, tracto ad varia sermone, eò tandem devoluti sunt, ut percunctarentur ex illo, cur Christiana lex ebrietatem damnaret? nam, inquiebant, si somno se sopientes non peccant, qua ratione tandem evinces ebrietatem, nihil ab somno differentem, esse peccatum? Cùm verò Valdivia ab ebrio, judicii usum sibi violenter adimente, non minùs peccari, quàm qui brachium abscinderet, demonstrasset: illi mox ab ebrietate ad contiguum vitium delapsi, sciscitantur, cur eâdem lege vetitum esset, ne quis simul plures uxores haberet. Contrà Valdivia retorsit telum, vicissim sciscitans, cur suis uxoribus plures etiam maritos admittere non liceret? Ibi omnes acclamant in fœminis id turpe esse, sed in viris nequaquam, consuetudine eos ab turpitudine eximente. Sed contra Ludovicus ostendit, consuetudine non tolli rationem malè facti. Nam ponamus, inquit, apud vos in usu ac honore esse, mortales trucidare, & viduas facere, an propterea desinet id esse malum, quia vos pessimam rem inter precipua decora reponitis? Magnâ noctis parte percunctando respondendoque consumptâ, sub auroram ex remotioribus Oppidis viginti Casiquii advenêre, quos summâ oris alacritate amplexatus Valdivia, explicato Regis Catholici indulto, & eorum querelis, memoriæ atque patrocinandi ergò, in codicillos relatis, magnoperè sibi conciliavit. Eminebat authoritate inter recentes advenas Avilus Casiquius, qui cognito, ab Valdivia asseri Christianorum Deum unicum esse rerum omnium Creatorem, magnâ indignatione refragatus, vociferatur, nequaquam se permissurum, ut Chilenorum Deo (Pillan vocant) vis creandi abrogetur. Valdiviæ verò interroganti de moribus phantasticæ hujus Deitatis, Avilus asseruit, eam esse sui Numinis conditionem, ut gentis Primores, necnon milites fortitudine insignes, post mortem ad loca tripudiis & compotitationibus destinata æternùm beandos transferat: sanguinem nobilium virorum in bello occisorum circa Solem collocari, mutarique in nubes rubras, quibus Sol oriens subinde decoratur: at plebeïos homines, & paupertate turpes, ab suo Deo nullo præmio affici. Tum Ludovicus subridens; Quàm, inquit, vester ille Deus iniquus est; nam cùm constet plerosque gentis Primores, & milites fœdioribus flagitiis inquinari, quàm plebeïos; quis non Deum in flagitiosos benevolum, & bonorum contemptorem rideat? Inter quos sermones, accepto ab comitibus indicio, in suspicionem insidiarum sibi paratarum veniens, ad Hispanorum munitionem dissimulanter fugâ se contulit: sed inanis fuerat comitum metus, nam iidem Casiquii, fide publicâ ad Valdiviam venêre, gentem omnem immenso dolore affectam ob suspicionem contestantes, promittentesque, si ad interiora Regni secum ire vellet, se pacis inter hostes stabiliendæ arbitros, & corporis custodes futuros. Non abnuit Valdivia, seque ad hostilem terram ducendum ignotis hominibus permisit. Ibat per abrupta montium, per paludes, & invias ambages, donec tandem eò perveniret, quò ad colloquendum frequentes hostium Primores convenerant. Eo in colloquio, de Regis Catholici indulto, de modo perpetuandæ pacis cum Hispana natione, de lege Christiana promulganda, ita actitatum est, ut jam omnibus satis appareret, si vexationum causæ tollerentur, non gravatè se in fidem tutelamque Christi transituros. Non procul eo loco Barbaricæ militiæ duces tres, adnitente eodem, ab Hispanis se staturos spopondêre. Inda mulier, morti proxima, vi Sacramentorum dæmoni erepta, & portento Christiana fides apud Barbaros asserta est: quippe cùm puerpera pertinaciter ægrum infantem sacris aquis lustrari nollet, quòd Christianis ritibus statim enecandum existimaret, incolumitatem promittente Valdiviâ, simul ac sacro fonte immersa est, sanitatem recepit: quo miraculo perculsa infantis tritavia, centenariâ major, accepto etiam Baptismo, Christianis se adjunxit: denique conciliatis Indorum plurimis, cum eodem comitatu incolumis Valdivia ad Hispanos rediit.

Ostendit ebrietatem esse peccatum.

Pluralitatem uxorum damnat.

Avilus confutatur.

Divinitas Pillani explodituv.

Ludovicus Valdivia fugit.

Iterum rebellium fines ingreditur.

Militum duces tres conciliat.

CAPUT XXVII. Captivorum memorabilis exitus.

DUM verò ipse Arauci moratur, res accidit memorabilis. Post vastatas, ut suprà demonstratum est, Chileni Regni Australes urbes, quamplurimæ Hispanorum familiæ, servitutem inter Barbaros servire cogebantur: quos inter miserè

gemebat Heredia, vir honestus, hoc uno felix, quòd conjugem suam, nobilem matronam, Marcellam Gragalem, cum gemina adultæ ætatis prole, captivitatis consortem haberet, nactusque esset herum non usquequaque ferocem, qui, præter certum fictitii vini dimensum, nihil admodùm ab eis exigebat: quod pensum, graviorum servitiorum metu, non indiligenter exequebantur. Interim, ut fit, Heredia in compotitatione jurgatus, probrosis valdè verbis ab hero excipitur, cujus injuriæ homo Hispanus impatiens, repentinâ irâ correptus, ferro hominem transadigit, trucidatque. Cæde patratâ, nequicquam insequentibus eum Barbaris, fugâ elabitur: & cùm diu quæsitus nusquam appareret, phanatici homines, odio Hispani nominis, & cognati capitis desiderio irritati, in parricidæ filium natu majorem, nihil tale merentem, vertunt iram, raptumque, nequicquam reluctante matre, & innocentiam pueri obtendente, vivum flammis concremant: inter comburendum satis reum esse proclamantes, qui Hispano, & parricidâ patre genitus sit. Eo in cinerem redacto, matrona nobilis, viduata marito & orba filio, immenso oppressa dolore, superstitem filiolum amplexa, quid agimus, inquit, ô fili! afflictissimæ matris sola tiúmne dicam, an brevi futurum novi planctûs argumentum? nam si Hispano & patricidâ patre genitum esse, scelus est, eadem te pœna ac fratrem tuum, crudeliter combustum, manet. At de me quid expectem? nisi ludibrium fieri lascivientibus Barbaris, in fœminam captivam mariti & filiorum ope destitutam fœdè involaturis. Nec plura loquuta, postquam ab nefando busto secessêre Barbari, Deo in auxilium invocato, sub noctem cum filiolo per nota diverticula fugam arripit. Nocte progrediebantur prosequutorum furorem vitabundi: de die antra secessum, & campestres herbæ victum præbebant; metus dolore instigatus pedibus addebat alas; donec triduano itinere pœnè exanimati in nemus ignobili pago adjacens succederent: ibi dum sunt, & mortem aut à fame, aut à Barbaris præstolantur, contigit ut mulier ethnica eò lignatum veniens in utrumque offenderet: cui Marcella, facinus & fugam mariti, filiique necem, nec non suam ac superstitis filioli calamitatem explicans, rogat ut utriusque misereri velit, si id deneget se nullum aliud perfugium habere. Illa obortis lachrimis blandè amplexata matronam, quantum in se est auxilium adpromittit; sed veteri se ait, ne in alias mulieres, lignandi aquandive ergò, illuc frequenter ventitantes, incideret. Si id fieret, indubiè alias calamitates in terrâ hostili non defuturas. Denique postquam diu quid faciendum esset ambæ agitassent, in id tandem devenêre, ut effosâ humo in scrobe sub arborum ramis tamdiu laterent, donec saniora consilia occurrerent. Nec diu fuit, cùm Barbara mulier, idemtidem cibandi ergò ad utrumque rediens, se fugæ comitem, si ad Hispanos fugere velint, & viaticum offerret. Marcella, si id faciat, stabilem amicitiam & multa alia spondens, captatâ temporis opportunitate, se & filiolum barbaræ mulieri ducendos tradit. Ibant per secretas semitas tanquam aliud agentes, donec post triduum, Deo duce, Araucum, nobile Hispanorum castrum, pervenirent. Ibi tum aderat Ludovicus Valdivia, qui laudatâ Ethnicæ mulieris caritate, non dubitavit afferere dignissimum facinus ab summo Numine compensatum iri: veste itaque pretiosâ donatam interrogat, num Christiana fieri velit? Respondenti nihil à se optari magis, initialia tradit Fidei nostræ rudimenta, quæ memoriæ localis beneficio, ad singulos articulos, reminiscendi ergò, capillis ultra genua protensis innodatis, ante triduum nihil hæsitans cùm recitasset, Mariæ nomen sortita, sacro Fonte lustrata est. Mœstam verò parentum desiderio, à se in patriâ relictorum, Valdivia proximâ spe pacis inter Chilenos & Hispanos ineundæ solatus, fœminam honestissimis viris commendavit.

Hispani conjuges captivantur.

Heredia herum mactat.

Herediæ filius crematur.

Heredia uxor cum filio fugit.

Barbara mulier fugientes covitatur.

Barbara mulier baptizatur.

CAPUT XXVIII. Ludovicus Valdivia in Hispaniam navigat.

ET revera nihil Valdivia agebat intensiùs, quàm pacis negotium: fide publicâ rebelles adibat, querelas componebat, amicos confirmabat, ne Hispani servitiis indigenas irritare vellent, omni ope contendebat. Denique cùm gravissima mala majora remedia, quàm quæ ipse per se adhibere posset, requirerent, interjecto tempore bis in Peruviam renavigavit, petiturus ab Comite Montis

Regalis,

Missus ab Peruviæ Prorege.

Regalis, & eo morte sublato, ab Marchione Montium Clarorum, Proregibus, ut nimiorum servitiorum usus tolleretur: nam satis constabat, nec apud Indos, nec apud hostes, in Chileno regno Fidem Christianam propagari posse, nî servitia illa abolerentur. Verùm quoniam nec ipse Marchio satis authoritatis & virium ad tantam rem conficiendam habere se fateretur, & omnia in pejus sub novo Chileni regni Prætore caderent, habito Senatûs-consulto, Ludovicum Valdiviam ad Regem Catholicum in Hispaniam amandat, ut solidè extremæ calamitati suprema potestas intercederet.

CAPUT XXIX. Societas Paraquariæ metropoli restituitur.

Jussu Claudii Aquavivæ.

EODEM anno, Illustrissimus Dominus Ignatius Loïola, Divi Ignatii nepos, Paraquariensis Episcopus, Joanni Romero dedit litteras amicè minaces, aiens, se apud summum Pontificem, apud Regem Catholicum, & Societatis Generalem questurum, nî Societas Paraquariæ restitueretur, quam si absua Diœcesi abesse antè cognovisset, nunquam adductum iri, ut Episcopalem dignitatem admitteret. Quando hæ litteræ Joanni Romero, in Tucumania versanti, redditæ sunt, eodem planè tempore Claudii Aquavivæ Generalis, & Peruviæ Provincialis, eidem mandata perferebantur, quibus jubebatur, ob postulata Magistratûs Assumptionis urbis Paraquariæ, Marcellum Lorençanam restituere, cui additus est socius Josephus Cataldinus in agro Romano natus, grandibus factis per medium fermè sæculum Annales nostros illustraturus. Hos adverso fluvio Argenteo, fluctus mari concitato similes evolvere solito, navigantes tempestas excepit, adeò fœda, ut rate cum vectoribus submersâ, vix latum unguem ab morte abfuerint. Emersere tamen, Indorum fluctus natando everberantium humeris, & Cœlitum, ut creditum est, ope. Atque ut videas summi Numinis Providentiam, mensam in deserto rursum ponentis: viatico corrupto, cùm nihil ad longissimi itineris cibatum suppeteret, contigit ut eodem fermè tempore Illustrissimus Episcopus Loiola, secundo flumine è Paraquaria ad portum Boni-aëris navigans, ad naufragantium Sociorum littus appelleret, quos incredibili affectu amplexatus, Divinæ Majestati gratias egit, quòd votorum compos, Societatem suæ Diœcesi postliminiò restitutam videret. Secundùm id post diuturnum colloquium, & extemporales in arena epulas, dato diplomate, amplissimâ potestate ad res conscientiarum in Episcopatu suo componendas utrumque instruit, liberaliterque sui viatici parte donatos, ab se benè precatus amittit. Thomas Fildius, senex optimus, triennio integro in Assumptionis urbe persistens solus & æger, Societatis æstimationem vitæ integritate magis, quàm litteris, sustentârat. Ubi verò Lorençana, & Cataldinus, doctrinâ & virtute præstantes, magno civium plausu advenêre, officia benefaciendi omnia in singulos Ordines pro dignitate dispensavêre: & Cataldinus statim nominis claritudinem sibi comparavit: nam cùm nobili matronæ, de vita periclitanti, nec Canonici, nec cives, nec alii Religiosi homines persuadere quivissent, ut Christiano ritu in viaticum Corpus Christi sumeret, propterea quòd ex prava opinione mortem sibi accelerandam Sacramenti sumptione crederet. Is, precibus breviter fusis, obstinatæ fœminæ cœleste auxilium impetravit, quo adjuta, & peccata ritè deposuit, & magnâ prorsus pietate ultimis Mysteriis communicavit. Cæterùm Socii non tantùm urbi utiles erant, sed Indorum Oppida procul posita, Sacerdotibus destituta, per vices curatum ibant; tantâ virtutis opinione, ut exinde, quòd fœminarum aspectum, atque ciborum delicias fugerent, abstemii Patres per Paraquariam à Barbaris JESU Socii vocitari cœperint. Læta hæc initia, pro humanarum rerum conditione, Lorençanæ vexatio, quæ deinde in suum vertit authorem, excepit. Res sic sese habuit.

Marcellus Lorençana & Josephus Cataldinus naufragantur.

Episcopo occurrunt.

Benevolè ab Assumptionis civibus recipiuntur.

Latè excurrunt.

CAPUT XXX. Marcelli Lorençanæ vexator castigatur.

INDI superiora Paraquarii littora incolentes, conjuratione factâ, per insidias aliquot Hispanos fœdè trucidârant; ad quos castigandos dum Prorætor, aliquot armatis cohortibus comitatus, properat, malo consilio usus, omissâ rebellium vindictâ, ex itinere ad Guatiorum gentem, amicam planè & innocentem, divertit: Inter quos trucidatione & populatione factâ, per nefas quamplurimos

in servi-

in servitutem abegit, & quasi prosperè rem egisset, bene magnam captivorum turbam cum militibus ovans in urbem invexit. Cumque eò processisset quorumdam temeritas, ut captivos pro mancipiis palam distraherent, Lorençana, rei indignatione motus, primùm privatim, tum in principe templo pro concione, avaram immansuetudinem exagitat, interminans, nî innocentes Guati libertati pristinæ restituerentur, Deum fusi sanguinis, & violatæ per avaritiam libertatis, vindicem futurum. Hæc dicentem interturbat Canonicus, Ecclesiæ thesauro præpositus, Stentoreâ voce mandans, ne ultra verbum adderet, & concione abruptâ domum suam importunus declamator abiret. Quam contumeliam adeò patienter tulit Lorençana, ut nihil commotus, ne verbo quidem addito, posito reverenter pileolo, è templo illicò abiret, concione universâ patientiæ miraculum in immensum prædicante. Vix è templo Lorençana abierat, cùm Canonicus ille multum temeritatem suam incusans, palàm fatetur, immeritò virum Deo plenum & utilia suadentem abs se fuisse vexatum. Exinde ob imprudens factum tantis lancinatus est conscientiæ perpetuò fodicantis stimulis, ut nullam quietem sumere quiverit, donec interjecto tempore moreretur. Quamquam nec sic quievit: nam cadavere in tumulum illato, singulis noctibus audiri cœpta in templo inambulantis hominis umbra, longos catenarum nexus è Concionatoris pulpito ad Canonicorum cathedras formidabili strepitu concussúque trahentis, & ab Lorençanâ se cruciari miserum in modum inclamantis. Quod portentum plus valuit ad compescendam quorumdam hominum in indefensos Indos violentiam, quàm si Lorençana perorasset, Dæmone inde detrimentum capiente, unde lucrum intentârat. Ordinaria per Paraquariam Sociorum gesta omitto: nam in Tucumaniam revocor, Petri Agnasci furus, viri supra communem hominum famam elati, debito encomio cohonestaturus.

Lorençana vexatores Indorum reprehendit.

Lorençanæ patientia.

Canonici Lorençanæ vexatoris mors.

Inquieti manes.

CAPUT XXXI.

Petrus Agnascus moritur & laudatur.

PETRUS Agnascus, Limæ in urbe natali, antequam vitam religiosam profiteretur, æger decumbens, Cœlorum Reginam visibili specie spectare meruit, quæ clientem suum amplexa & sospitatem pollicita monuit, ut in filii sui Societate militaret, cujus beneficii per reliquam vitam quoties recordaretur, toties incredibili suavitate mentis eam contemplari sibi videbatur, quam corporeis oculis aliquando perspexerat. Si ob erratum aliquod iri cum animadvertere parentes primarii planè decrevissent, ad Virginem MARIAM Matrem suam confugiens, mitigatis illis, illicò patrocinium inveniebat. Si quid de penso Mariano sibimet ipsi impositi ex negligentiâ omitteret, adversitate aliquâ illicò castigari se sentiebat. Pro Christo pati ambiens, domi vernas & mancipia præmio alliciebat, ut se validissimè alapis contunderent. Præ aliis animi dotibus tres præsertim in eo eminuere: Oratio, in quam vacui temporis horas & momenta omnia conferebat: Obedientia, pro cujus integritate sacrificium, somnum, quietem, atque adeò suavem cum Divino Numine familiaritatem omittenda sibi ducebat: Animi demissio, quâ nesciri & contemni summopere appetebat. In Apostolicis per Tucumaniam, excursionibus sæpè putidissima Indorum ulcera tractare, saniem & vermes abstergere, &, Xaverianæ virtutis æmulus, plenis patellis ejusmodi sordium ejectamenta, stupentibus ad heroïcæ fortitudinis miraculum Barbaris, sorbere visus est. Suaviari plagas, miserrimis quibuscumque adesse, cibos ingerere, somni parum capere, multum diu noctúque orare, flagellis in se crudeliter sævire, domi forisque Socios ad servitia prævertere, quotidianum boni patris exercitium erat. Novem Barbarorum linguis loquutum fuisse, in scriptoribus Societatis tradit Allegambe. Tygridem, canis instar domestici blandientem, innoxiè manu mulsit. Joannes Romerus per Agnascum, invocato JESV nomine, ab vehementi febre relevatum se fuisse narrabat. Quamplurimos Ethnicos per quindecim Tucumanicæ expeditionis annos ad partes Christi ab eo traductos esse in comperto est: donec Cordubæ apud Tucumanos, anno hujus sæculi quinto, nonâ Aprilis, omnium luctu efferretur. Super ejus sepulchrum, ob æstimationem meritorum, Deum orare graves viri soliti sunt. Nierembergius clarissimum virum inter Societatis heroës jure merito retulit.

Regina Cœlorum Agnasco apparet.

Agnasci orationis studium.

Obedientia. Humilitas.

Heroica facta.

Variarum linguarum peritia. Mors.

CAPUT XXXII. Reliqui Sociorum per Tucumaniam labores.

1606.

AT superstites per Tucumaniam Socii, more suo, flammas dissipabant. Darius Cordubenses, Romerus Rupices Barbaros, Gaspar Monroius alios, Ferdinandus Monroius & Joannes Viana, Lullanâ, Kakanâ & Quichoâ linguâ usi, Omaguacas, Lullos, Saltenses aut Christo initiabant, aut resecrabant, tantâ rerum omnium inopiâ, ut benè secum agi existimarent, cùm rete pensile pro cubili, vile gossipium pro veste, & triticum Turcicum purâ aquâ coctum pro cibatu suppeteret. Quamquàm non tacenda Hispanorum quorumdam pietas, commeatum Patribus longè ab urbibus in mediâ barbarie versantibus, ne inopiâ perirent, identidem submittentium. Nec Hispani negligebantur, quos dum in Sancti Michaëlis urbe Joannes Viana & Ferdinandus Monroius, antecineralibus diebus procurarent, Juvenis, Patrum pietate, cives in templo ad avertendam profanorum dierum proterviam detinentium, spretâ, dum in phalerato equo ante templi fores magno strepitu lasciviret, repentino casu attritus, diuturno vulnere concives docuit, quàm facile sit Superis insolentium hominum fastum proterere. His in rebus dum sunt, Ferdinandus Monroius & Joannes Angulus in Peruviam revocantur. Hic Tucumanicæ missioni primus præfuerat, & Commissarium sancti Officii cum laude diu egerat. Ille breve expeditionis tempus magnitudine laborum compensaverat: uterque magnâ famâ postmodùm in Peruvia decessêre. De Ferdinando Monroio, Lucilli in agro Toletano nato, narrant, cum, cùm de genibus coronam Marianam necteret, ab fulmine circumdatum, invocatâ Virginis Matris ope, incolumitatem fuisse consequutum. Atque hæc sunt selecta Sociorum facta (nam quis omnia narret?) per amplissimas regiones viginti & uno annis felici serie ante fundationem Provinciæ continuata: quæ si quis primis quasi velitationibus levioribusque pugnis, donec plenâ acie contra Dæmonem dimicatum est, comparare velit, non admodùm inficiabor. Quamquam primordia illa non ineptè conferri posse existimem cum naturâ embrionem priùs effundente, paulatimque formante, quàm corpus perfectum in lucem emittat.

Hispanorum liberalitas.

Protervi juvenis castigatio.

Joannis Anguli cõmendatio.

De Ferdinando Monroio.

HISTORIÆ PROVINCIÆ PARAQUARIÆ SOCIETATIS JESU

LIBER TERTIUS.

CAPUT I. Peruana Societatis Provincia dividitur.

VERUM enimverò, quamvis tantorum virorum, quorum facta narravimus, labore & industriâ, Tucumaniæ, Paraquariæ & Chilensis regni Apostolicæ missiones mirum in modum inclarescerent: tamen satis apparebat, infinita propè terrarum spatia, per pauculos Socios, in tot regiones abs se invicem disparatos, licet maximè vellent, excoli minimè posse. Quocirca, de novâ Societatis Provinciâ, in his Australibus regionibus fundandâ, quàm Paraquariensem ab nobilissimo flumine Paraquario nuncupant, agi cœptum est. Quod quomodò ad exitum perductum sit, ut simul & non interruptè oculis subjiciatur, retroactâ tantisper annorum serie, non indiligenter exequi pro instituto aggredior. Americam omnem, in duas ingentes peninsulas divisam, connectit isthmus, immensi utrimque oceani jura ne se confundant, modicæ terræ interjectu ex æquo dirimens. Pars Septentrionalis, quâ Hispanis habitatur, Mexicano Proregi, pro Rege Catholico, paret. Pars Australis latissimas provincias, ac regna complexa, si unam Brasiliam excipias, tota quanta est, Peruanum Proregem agnoscit. In hanc partem, sicut ego comperi, anno millesimo quingentesimo sexagesimo-octavo, Philippi secundi Regis Catholici sumptu, & missu S. Francisci Borgiæ, cujus colloquentis faciem Solis instar splendentem Methimnæ viderat Hieronymus Portillus, cum Peruani Provincialis titulo, Societatem invexit; quam ipse, & ejus successores adeò feliciter propagavêre, ut Provincia Peruana sub sæculi sesquimillesimi finem, mole suâ jam laborans, unius Provincialis curam excederet: nam præterquam quod pleraque Peruani tractûs urbes ipse Portillus, Josephus Acosta, Balthazar Pinna Provinciales Collegiis occupârant: Joannes Atiensa in Quitensi, Panamensi & Tucumanensi ditione; Joannes verò Sebastianus Particius in Chilensi regno, domos Societatis fundaverant, quas nec ipsi Provinciales ob infinita propè spatia adire, adeoque nec ex instituti nostri legibus regere poterant. Quapropter Claudius Aquaviva Generalis, sub initium hujus sæculi, Stephanum Paës eo maximè fine in Peruviam misérat, cum Visitatoris, ut vocant, potestate, ut coram inspiceret qua demum ratione huic incommodo caveretur; qui, pervagatâ fermè totâ Australi Americâ, auditis gravissimorum virorum sententiis, pronunciavit, videri sibi, ab Peruani Provincialis curâ eas regiones præscindi oportere, quas ipse per se inspicere commodè nequiret. Cùm verò inquireretur de commodissima Provinciæ divisione, in id ferè omnes convenêre, ut ex domibus novi regni Granatensis, & Quitensis, Panamensisque tractûs viceprovincia, una Peruano Provinciali subcensita; & altera, cum eodem subjectionis ordine, ex Tucumanica missione, attributis ei Chuquisacensi, Potosino, Ororano, & Sanctæ Crucis in Montanis Collegiis, institueretur. Sed quoniam in eâ partitione faciendâ multa erant, quæ ab Suprema Societatis authoritate firmitatem requirerent, visum est Patribus, per Didacum Torrez, anno hujus sæculi secundo in Procuratorem electum, & propediem Romam iturum, rem integram ad Generalem Præpositum referri: qui audito Didaco Torrez, ex Assistentium suorum consilio, legitimis tabulis, utriusque Vice-Provinciæ jura stabiliens, Peruano Provinciali per litteras mandárat, ut ipsum Didacum Torres, ubi è procuratione

America divisio.

Hieronymus Portillus in Peruviam Societatem invehit.

Causa dividendi Peruanam Provinciam.

Prima designatio dividendæ Provinciæ Peruanæ.

Romana rediisset, Quitensibus, Novo-granatensibusque domiciliis; Didacum verò Alvarez de Paz Tucumanensi regioni, cum additione supradictorum Collegiorum, concesso utrique Vice-provincialis titulo, præficeret. Quas litteras ipsi Didaco Torrez in Peruviam renavigaturo perferendas jam tradiderat.

CAPUT II. Claudius Aquaviva jus Provinciæ Paraquariæ concedit.

ANTEQUAM Didacus Torrez Gadibus solveret, alias litteras Româ accepit, quibus prima mandata contrariis jussis revocabantur. Causa revocandi fuit ea, quam ipsemet Claudius Aquaviva suis litteris inseruit, quarum exemplar hîc addere non pigebit. *Mirabitur*, inquit, *Reverentia vestra insolentiam facti, quòd cùm ego litteris tibi Romæ traditis partitionem Provinciæ Peruanæ, à Visitatore delineatam, ratam habuissem, jam ex parte irritam velim. Ratio mutandi consilii fuit, quòd post discessum hinc tuum, è Paraquaria Tucumaniaq; multas litteras acceperim virorum planè gravium multis verbis conquerentium, immensas Paraquariæ Provincias cum irremediabili animarum jactura ab Societate deseri, rogantiumq; per Sacra omnia, ne id ego aliquando permittam. Re igitur Deo per me & alios serò commendatâ, auditis Assistentium meorum sententiis, mihi visum est, sine detrimento Societatis, eorum postulatis melius consultum iri, si ex Paraquaria, Tucumaniaq; nova Societatis Provincia, ab Peruana omninò independens, erigatur: cui ego Te fundandæ, regendæq;, cum Provincialis titulo, attributis tibi ex subsidiariis Sociis quindecim, legitimè constituo. Reliqua, quæ ad hanc rem pertinent, ex litteris Provinciali Peruano à me scriptis, in Peruviâ reficies.* Hæc Claudius. At Bartholomæus Perez, pro Hispania Societatis Assistens, in eandem sententiam eidem scribens, monebat ne onus impositum deprecaretur, nec vereretur aliquam notam incurrere, quòd contra Peruanorum comitiorum postulata, dignitate elevatus, Româ Procurator in Provinciam rediret; cùm Paraquariæ Provincialatus videri possit comparandus cum Æthiopicis Episcopatibus, laboris plurimùm, dignitatis verò nihil, præter nomen, habentibus. Deinde secretò addebat, Chuquisacanum, Potosinumque Collegia, unde novellæ ac pauperi Paraquariensi Provinciæ decus, & subsidia rerum temporalium peterentur, non difficulter ab Præposito Generali, si insinuaret, impetraturum: nec defutura alia novæ Provinciæ auxilia, quòd eam Claudius Aquaviva, tanquam consilii sui prolem respiceret. Porro Paraquariam idcircò Claudii prolem Bartholomæus Perez vocabat, quòd passim crederetur cœlesti lumine illum fuisse illustratum, ut Paraquariæ jus Provinciæ concederet. Nam cùm ad Sancti Andreæ tyrocinium lumen cœleste petiturus pro tanta re decernenda secessisset, post octiduanum secessum, insolito quodam vultûs ardore ita Assistentes suos perstrinxit, atque in sententiam suam traxit, nihil ut dubitarent, Paraquariæ in Provinciam erigendæ rationem cœlitùs Claudio fuisse revelatam. Quam rem non unis litteris Bartholomæus Perez, Assistens, testatam reliquit. Didacus Torrez, acceptis litteris, Generalem monet, commodum sibi videri, si, Potosino, Chuquisacensique Collegiis, Peruanæ Provinciæ relictis, Chilense regnum Tucumaniæ Paraquariæque necteretur; ex his regionibus novam Provinciam confici posse. Causa hujus consilii erat, quòd vir in salutem Indorum intentus, prudenter subverebatur, ne amplâ illâ Collegiorum Peruanorum specie illecti plerique Socii, ad parvas urbes, aut squallida Indorum Oppida, refrigescente, ut fit, spiritu, ægrè abstrahi se sinerent. His rebus perfectis, Didacus Torrez in Indiam prosperè renavigavit. Ubi Limam tenuit, reseratæ Præpositi Generalis litteræ ansam præbuêre Patribus ab se invicem dissentiendi; unis Aquavivæ primis litteris, aliis postremo decreto standum esse affirmantibus. Plerique in suspicionem Didacum Torrez vocabant, quasi non sincerè Provinciæ Peruanæ res ex comitiorum placitis, sed ex privato judicio Romæ procurasset, authorque fuisset contra gravissimorum Patrum, adeoque ipsius Visitatoris judicium, Paraquariæ in Provinciam independentem erigendæ. Qui, quamvis sui purgandi ergò multa in medium adferret, tamen in dissentientium opinionum varietate, & quia in exequutione ultimorum mandatorum plura essent, quæ requirerent Præpositi Generalis explicationem. Interim dum nova responsa Româ expectantur, ex vi

Claudii Aquavivæ Epistola.

Mutat consilium.

Paraquariæ Provinciatus cum Æthiopicis Episcopatibus comparatur.

Aquaviva Cœlitùs illustratur.

Didaci Torrez prudens consilium.

Didacus Torrez in suspicionem vocatur.

primarum

primarum litterarum, Didacus Torrez fundandæ, regendæque Quitensi Viceprovinciæ; & Didacus Alvarez de Paz ad Collegia Australia, Tucumaniæ obversa, cum Vice-provincialis titulo amandantur. Biennio in his rebus exacto, tandem Claudii Aquavivæ litteræ in Peruviam perferuntur, quibus significabat, eam demum mentem esse suam, ut ex Australioribus Americæ regionibus, nova ac independens Provincia erigeretur, eique gubernandæ, ac condendæ, Didacus Torrez sine ulla tergiversatione, ductis è Peruvia aliquot Sociis, præficeretur. Nam quamvis immensa illa terrarum vastitas magnis urbibus careret, justorum Collegiorum capacibus; tamen sperabatur futurum, ut urbium patvitas, Apostolicis ad Barbaros expeditionibus, abundè compensaretur. Quod felix itaque, faustum, fortunatumque sit, anno milleſimo sexcenteſimo septimo, Paraquariam, Tucumaniam, & Chilense regnum, amplissimas ad Austrum regiones, utroque mari conclusas, octingentis & quinquaginta leucis in longum latitudine variâ protensas, tribus Prætoribus Regiis administratas, sub nomine Provinciæ Paraquariæ eo fine præcipuè complexa Societas est, ut quidquid Barbarorum in antris, in nemoribus, in paludibus & alibi deliteſceret, perscrutaretur, & ad humanitatem, Christique fidem, necnon ad Regis Catholici imperium, traduceret: quod ut ordine fieret, Didacus Torrez, novus Provincialis, legitimis litteris instructus, è Quitensi Provincia, quam pro Societate fundaverat, magnis itineribus Limam, Proregis sedem, terrâ, marique contendit. De quo, quoniam mihi toties dicendum occurret, libet aliqua præfari, ortumque illius, educationem, gesta, munera ante initam Provinciam, breviter & carptim explicare, ut ex laude tanti Capitis, subjecta membra claritudinem accipiant.

Paraquariæ Provinciæ initium.

1607.

Didacus Torrez primus Paraquariæ Provincialis.

CAPUT III.

Didaci Torrez vitæ primordia & gesta in Indiis.

DIDACUS Torrez patrem habuit Didacum Bolium, claræ originis, è montibus Burgensibus, à proavis ductæ; sed Beneventi in Castella veteri natum: cujus dotes adeò in excelso fuêre, ut pro Comite-stabuli Castellæ Beneventum, patriam suam, &, interjecto tempore, Montis Regalis oppidum, integro semper tantorum principum favore, cum Præfecti titulo gubernârit. Mater ejus, spectatæ virtutis fœmina, insignis sub Carolo Quinto centurionis filia, post mariti & quatuor prolium obitum, cum duabus filiabus superstitibus, Sanctæ Theresiæ institutum arripuit, & claris virtutibus ornavit. Talibus progenitoribus Didacus noster, anno sesquimilleſimo quinquageſimo, Villalpandi ortus, ubi per annos licuit, primis litteris, in patriâ primùm, tum Salmanticæ sub patrui Sacerdotis tutela, operam navavit. Ibi dum, ut decebat amplæ domûs unicum hæredem, omnibus disciplinis excolitur, ad hæreditatem filiorum Dei, minimo, quàm posset, periculo ineundam, animum adjecit. Igitur iis, quæ primas apud pueros obtinent, contemptis, cœpit Exhomologesim frequentare, sacræ Mensæ multoties assidere, latera nuda setosis cingulis constringere, inediâ se macerare, flagellis in corpusculum sævire, & alia severioris vitæ imitamenta tantâ contentione peragere, ut immoderatione valetudinem profligasse creditus sit. Ejus patruus, suspicatus, ea nimiæ, ut ipse aiebat, pietatis exercitia, è schola Sociorum JESU, quos frequentabat, prodire, & quædam præludia esse religiosæ vitæ ineundæ, puero hominum Societatis consortium interdicit, & in non obtemperantem severè animadvertit: adhuc perseverantem ad parentes, Palentiæ tum degentes, domesticis illecebris ab severioris vitæ consilio abstrahendum postliminiò remittit. Nec diu fuit cùm sese obtulit occasio, cum in Vallisoletanam Regis Catholici aulam transferendi. Vallisoleti dum honorarius cliens in domo principis viri, magnam Reipublicæ partem administrantis, degit, ita herum corporis & animi dotibus sibi devinxit, ut facilè favoris primas tulerit: adeò ut nobilis admodùm matrimonii, & honestissimi officii spes ex propinquo ei ostentata sit. Quod utrumque indubiè iniisset, nisi Deus juvenem, sæcularibus curis jamjam irretiendum, hoc maximè modo abstraxisset. Herus ille, Regi quàm Deo gratior, turpibus amoribus serviebat; nec erat, qui auderet potentis viri impetum refrænare. Unus tamen, rarò in principum domibus exemplo, Didacus noster, schedâ in manus datâ, officii Christiani hominem

Primùm Magistratus, Parentes.

Educatio.

Heroïcum factum.

commonefacere ausus est, enixè rogans, ut æqui bonique consuleret juvenis Aulici audaciam, plus de ejus salute, quàm de suis honestamentis solliciti. Enimverò Herus, lectâ schedâ, excandescere, prudens monitum acerbiùs, quàm non convitia debuisset, accipere, juvenem temeritatis fugillare, de spe matrimonii & dignitatis ineundæ dejicere, domo denique privare. Ille injuriâ nihil motus, alterius heri, titulo & favore Regis Catholici etiam insignis, ex parentum voluntate, clientelæ se addixit. Unde non diu pòst, frequentibus Dei vocantis motibus, ad religiosum statum capessendum sollicitatus, aulæ nuncium remisit, & de tantâ re deliberaturus ad Montis Regalis urbem, quam parens ejus gubernabat, se contulit. Sed fugiens Carybdim, incidit in Scyllam: nam universa civitas, in florentissimi juvenis, gubernatoris sui filii, amorem effusa, ultrò oblatis deliciis ab pietate primùm abstraxit, mox illecebrosis adolescentum moribus immersit, non antè emersurum, quàm Deus morbo affligeret. Sed vix emersus, rursum licentiæ frœna laxavit; actumque erat de illo, nisi periculosissimè incitatum febris prostravisset. Quo in morbo, renovatis veteribus votis, se totum vocanti Deo permisit. Redditus sanitati, rectà contendit ad Alfonsum Rodriguez, Montis-Regalis Collegii tum Rectorem, quo directore usus, diversa Religionum instituta inter se contulit, & cui uni præsertim se consecraret, diu cum animo suo reputavit, donec in hanc sententiam veniret, ut existimaret nullum Religiosum Ordinem Societati sibi præferendum esse. Ratio eligendi fuit, quòd assereret, sub id tempus excelsam omninò æstimationem de Societatis Jesu Instituto cœlitùs sibi immissam fuisse; affirmabatque postmodùm in depontana ætate, æstimationem eam tantam fuisse, ut nec longo quinquaginta annorum usu, nec tractatione eximiarum planè Societatis personarum, nec officiorum gestorum multiplicitate, quidquam incrementi capere potuerit. Quarè facile juveni fuit, spretis frustrà insidiantis puellæ illecebris, abruptisque dominantis domûs, & popularium splendidis laqueis, ad præmonstratam nobilis Instituti metam toto deinceps impetu currere. Eo ergò die, quo, accepto ab coætaneis phalerato equo, ultrò ad ludos publicos invitabatur, Collegium nostrum petens, Provincialis pedibus advolvitur, vovetque se inde pedem non moturum, antequàm Societati auctoraretur. Movit ea species Provincialem, concessitque, quasi coactus, quod summoperè avebat. Elucebat enim in juvene spes ornandæ Societatis, si solitis artibus excoleretur. In Societatem admissus, sub Alphonso Rodriguez Rectore, Divi Ignatii Exercitiis pro more excultus, grande de se specimen dedit; & adhuc longè majus, quando in veste splendida & sæculari Medinam-Campi ad tyrocinium missus, Vallisoleti rugosum jumentum per frequentes plateas agere jussus, egit tanto sui contemptu, ut hilariorem vultum in hac vili exercitatione ostenderet, quàm dum paulò antè, dominantis Principis favore elatus, Regiam urbem pomposè perambularet. Medinæ-Campi Societatis veste donatus, Balthazari Alvarez excolendus traditus est: qui tyroni de perseverantiâ in Societate sollicito, & votum voventi, si ab Societate dimitteretur, se peditem, ad rursum eam impetrandam, Romam iturum, manu applaudens, bono animo hominem esse jussit, aiens, prævidere se, ut multorum mortalium bono diutissimè, & ad usque mortem, in Societate viveret. Inter præcipua poliendi spiritûs exercitia, sui contemptum in primis coluit, eoque, assiduitate considerationis vilitatis suæ, adductus est, ut præteritorum peccatorum nube perpetuò occurrente, non auderet, nec in Sanctorum, nec in Virginis Matris imagines oculos figere, donec confidentiùs cum Divis agere, & altiora meditari juberetur, ne præclara indoles nimiùm deprimeretur. Ex illis tamen vilitatis suæ considerationibus ortum, ut à Majoribus postularet, in infimo Coadjutorum gradu, abscissâ spe Sacerdotii adipiscendi, stare. Qua spe dejectus, dignus Balthazare magistro discipulus, post expletum tyrocinium, Vallisoletum, studiis operam navaturus, amandatur. Inter studia perseveravit colere pietatem, ratus litteras sibi noxias fore, si non virtute animarentur. Currentem incitavit Franciscus Suarez, Theologiæ per quadriennium ejus magister, docens Societatis scholasticis nihil propriâ probitate antiquius; & infra propriam probitatem nihil

Vocatio.

Tyrocinium.

Studia.

litterarum

litterarum ſtudio, carius eſſe debere. Quamvis ergò facilè conceſſero, Didacum noſtrum nonnullos in litteris habuiſſe æquales, in ducenda tamen virtutum pompa inter coætaneos coriphæus, Rectorum ſuorum, & Magiſtrorum judicio, habitus eſt: adeout utrorumque favorem, & amorem, accedentibus præſertim non vulgaris prudentiæ ſpeciminibus, ſit promeritus. Nec dubitavit aliquandò Valliſoletani Collegii Rector, ſe abſente, domûs pœnè totius regimen adhuc non Sacerdoti committere. Inde clareſcere viri virtus, & poſt quadriennalem Theologiæ curſum ſummis muneribus deſignari, niſi ipſe deſignationem antevertiſſet, ambitâ ad Orientalem Indiam miſſione. Quâ impetratâ, & mox magnorum virorum interceſſionibus fruſtratâ, aliò deſideriorum ſuorum vela convertit. Venerat ex Occidentalibus Indiis Balthazar Pinia, Peruviæ procurator, apud quem antiqua vota ſecretò deponens, aſſeruit, ſe incredibili Indicorum laborum, & Barbarorum ſalutis deſiderio flagrare: ſi miſſionem à Præpoſito Generali ſibi impetret, in ære ejus æternùm fore. Placuit Procuratori poſtulatio, qui facilè Romæ negotium confecit. Sed vulgato in Hiſpania ambitu, adverſarios habuit parentes, & Provinciæ ſuæ Primores, privari ſe tali homine non facilè laturos; niſi utrorumque artes conſtantiâ, & melioribus artibus, ipſe eluſiſſet. Quin, non contentus ſe Peruviæ dedicare, effecit ut Joannes Atienſa, Valliſoletani Collegii Rector, pro Balthazare Alvarez in Peruviæ Provincialem deſignato, & in Hiſpania retento, miſſionem Indicam peteret, & impetraret. Cum tali ſocio Gades profectus, ubi navigandi tempeſtivitas advênit, cæteris Sociis in Regium myoparonem receptis, ipſe cum altero Socio, adnitente Architalaſſo, in roſtratam conſcendit, ſtatimque ordinavit tempora; ita ut ſua eſſent Catecheſi, Concioni, ægrorum conſolationi, & piis colloquiis deſtinata intervallâ. Sed non plures dies abiere, cùm, reſtitente licet Architalaſſo, in aliam navem revocatur à Baltazare Pinia, rogatu Sociorum, qui malignâ aurâ afflati, morboque proſtrati, unicum ſibi ſolatium ab Didaco Torrez ſperabant. Nec eos fefellit opinio; nam in omnium commoda incredibili caritate incubuit, donec ipſe etiam proſterneretur, adeò pertinaci malo, ut vix latum unguem ab morte abfuerit. Evaſit tamen, & tranſmiſſo iſthmo, alteram navim alio in mari conſcendens, felici curſu Limam, anno ſeſquimilleſimo octogeſimo, tenuit: grande erat Didaci nomen. Igitur Joannes Atienſa, Limani Collegii Rector deſignatus, eâ conditione Rectoratum iturum ſe ſpopondit, ſi in Adjutorem & Collegii Miniſtrum nominarent. Quo non ægrè impetrato, ejus miniſterio eouſque uſus eſt, dum Provincialis, optimis votis obſecundans, Didacum ad curam Indorum, Julide degentium, amandaret.

Navigatio.

CAPUT IV. Geſta ejus in Julidis & Cuſcenſi Rectoratu.

JULIS Peruviæ Oppidum eſt ad Titiacam lacum, quatuor Indorum Paræchias Societatis JESU ſubcenſitas habens, ibi degunt una in domo Socii, Parochorum, eorumque Adjutorum vicem gerentes, quorum unus præeſt reliquis, Rectoris nomine; ita ut ab forma Collegii vix diſtinguas. Eam domum incolebant tum temporis Alphonſus Barſena, Didacus Martines, Didacus Gonzales Holguinus, magna Apoſtolicorum virorum nomina, & alii præſtantes operarii: inter quos Didacus noſter, quamvis Miniſtri officio fungeretur, Aimaram, & Quichoanam linguam celerrimè didicit. Qua in exercitatione dum verſatur, à Provinciali per litteras juſſus eſt ſedi præeſſe: ſed antequam Magiſtratum iniret, aliquid accidit à noſtris Majoribus maximè alienum: nam neſcio quis de Societate, novo Rectori ſe opponens, palàm aſſerere auſus eſt, eum jure Rectoratum non capeſſiturum, antequam Provincialis mentem ſuam clariùs aperiret: videri enim, verbis ambiguis in demandato officio uſum. Didacus importunâ interceſſione nihil motus, ita ſe geſſit, ut ſummam prudentiæ & modeſtiæ laudem meruerit; nam profeſſus magni muneris loco privationem ab officio habiturum, relicto, qui, ſe abſente, curam domûs regeret, Vicario, & aſſumptis in ſocios Didaco Martines, & Gonzalvo Holguino, interim dum Provincialis abſens conſulitur, ad Aracaxenſem, & Camatenſem regiones, quò Chuni Ethnici, feritate inſignes,

Prudens facium.

concurrere

concurrere commerciorum ergò solebant, Apostolico more perrexit. In ea expeditione immensa frigora perpessus, evidentia vitæ pericula adiit. Aliquot Chunos muneribus allectos baptizavit; præstigiatores quinque convertit; Idola subvertit, eorum loco Cruces, frendente dæmone, per multos subsequentes annos perennaturas, substituens. Ulteriora meditanti Provincialis litteræ redduntur, quibus, temerarii intercessoris interpellatione damnatâ, jubebatur quamprimùm demandatum Rectoris officium capessere; simulque amicè arguebat, quòd, se inconsulto, tantis inter Barbaros periculis caput suum objecisset. Adito Rectoratu, dispalatos Indos congregari baptizatique curavit. Ad Condesuisenses, allicitis ad salutares aquas quamplurimis Indis, pedes excurrit: Julidis sedem retinere, Societati conducibile esse, enervatis adversariorum rationibus, confirmavit: primus, acceptâ à Majoribus authoritate, Parochorum officia ad certas leges reduxit: Chuquiabensem Episcopum, Societati non usquequaque benevolum, non jure agendo, sed modestiæ artibus, conciliavit. Qua de re monitus Claudius Aquaviva, Generalis, per litteras ei gratulatus, asseruit, summoperè ei placuisse eum agendi modum, è schola Xaveriana depromptum: plus enim submissione, & modestiâ apud dominantes in sæculo, quàm juris, in quamlibet partem pro libitu sæpè se contorquentis, ostentatione profici. Ob rem Julide per sexennium benè gestam, ab Senatu regio Procurator Indorum declaratus, ab officio invidiæ obnoxio prudenter abstinuit. Ad Comitia provincialia profectus, tantus, vir ambitûs apud Patres congregatos postulatus est, quasi continuationem Rectoratûs in Julidis sede ambivisset: sed, re ad severissimam Judicii trutinam reductâ, damnatâ levissimi accusatoris temeritate, omnium calculis absolutus est; & accusator, invitissimo licet Didaco nostro, pœnam ab Claudio Generali injunctam, religiosè subiit, totáque vitâ Didacum sibi benevolentissimum est expertus. Defunctus Julidis Rectoratu, Cuscensi Collegio regendo adhibetur. Cuscum, Regia Ingarum sedes, templo olim Soli, quem gens colebat, dicato, immensa auri & argenti mole ante Hispanorum adventum conspicuo, celebre erat. Nec celebritatem imminuit Dominorum mutatio: nam pro uno sacrilego fano, & Regia barbaricè constructa, Episcopale palatium elegans, princeps templum ornatissimum, Religiosorum omnium sacras ædes magnificè erectas, privata publicaque ædificia splendidè constructa, hodie conspicatur. In ea urbe, sub initium aditæ Peruanæ Provinciæ, Societas Collegium fundaverat, cujus regimen, anno præteriti sæculi octogesimo-nono, iniens Didacus noster, tripartitò curas divisit, ita ut Domesticis, Hispanis, & Indis operam navaret. Igitur, præter communia numerosæ domûs ministeria, quocumque usus ferret, excurrebat. Idem unus Christianam doctrinam in plateis explicabat, Xenodochia invisebat, Parthenicam Sodalitatem abs se instructam, Divinis sermonibus instruebat; obeundis odiosis ministeriis se totum tradebat; intendente laborum multiplicitatem hominis urbanitate, frequentissimos cives ad postulanda ab eo animorum corporumque subsidia alliciente; quandoque tamen acrimoniam adhibebat. Sacri quidem homines contrà Societatem Jesu famosos sparserant libellos, quos criminis compertos patientiæ primùm artibus, & mox imploratâ Proregis Peruviæ, & Episcopi, Judicisque conservatoris authoritate, compescuit. Sed illud longè est memorabilius: vitia Urbis pro Concione sæpè & severè exagitans, & nisi resipiscceret, peste, cœlitùs immissâ, brevi castigandam prænuncians, publicè derisus est ab alterius Ordinis Prælato, quasi frivolis terriculamentis cives in officio continere vellet. Sed is Prælatus, eodem die, quo eum in publica Concione deriserat, cum cæteris omnibus Monasterii sui Religiosis, peste afflatus, docuit tam Deum, quàm Dei servos nusquam impunè irrideri. Rector injuriæ immemor, Religiosos illos, lue infectos, adhibitis corporum animorumque levamentis, per se, ac socios, egregiâ caritate procuravit. Sed hæc omnia inter Hispanos exercitia levia videbantur, si cum laboribus, in Indorum salutem impensis, conferrentur. Missis ad Aimarras, Vilcanos, & Condesuisenses Operariis, multos Barbaros Christo peperit. Extremæ-unctionis usum, repugnantibus parochis,

Cuscensi collegio præponitur.

inter Indos induxit. Peſte graſſante, ac Barbarorum corpora præſertim demetente, deſertiſſimum quemque ingeſtis cibis, atque animarum levamentis, mirum in modum juvit. Nihil adeò tetrum ac triſte ſenſibus objiciebatur, quod in viliſſimorum capitum gratiam non appeteret. Barbari duo ex afflatis peſte, ex ulceroſis corporibus mephitim tantam exhalabant, quanta ſuffecit ad cæteros omnes abigendos: & tamen Didacus Rector non refûgit in eorum mapalia ingredi, ut utriuſque animis, antequam pœnè in ejus oculis morerentur, faceret medicinam. Præterea Collegium ædificiis, cenſibus, & pretioſis templi ornamentis auxit, donec poſt ſeptennium ad Quitenſe Collegium regendum mitteretur.

CAPUT V. Facta ejuſdem in variis Peruanæ Provinciæ locis.

QUITO cognominis regni caput, Ingarum itidem olim regia, anno ſeſquimilleſimo trigeſimo-quarto ab Hiſpanis incoli cœpta, quamvis ſub Æquatore ſit, inter delicioſas ac ſplendidas novi Orbis civitates computatur. In eam urbem Baltazar Pinna, anno ejuſdem ſæculi octogeſimo-ſexto, poſt geſtum Peruviæ ſummum Magiſtratum, Societatis coloniam duxerat, rexeratque: ſed cùm id Collegium quingentis fermè leucis ab Peruviæ urbibus abeſſet, nec poſſet ab Provincialibus luſtrari, exigebat Rectorem Provincialibus ipſis parem; adde, quòd ſub id tempus Quitenſes cives permulti, vectigalium novorum metu, domi omnia turbaverant, audebantque infeſta arma Magiſtratibus oſtentare. Regias partes tutabantur Senatus Regius & Petrus Arana cum aliquot militum centuriis, & civium ſelectiſſimis: Marchio verò Canietenſis, Peruviæ Prorex, adproperabat auxilia; adeo ut vix dubitaretur rem in apertum diuturnumque bellum eruptum iri. In eo ſtatu Quitenſis urbis Didacus Torres Rectoratum iniit, cujus primum facinus fuit, Ducem adverſarum partium, & quingentos ſclopetarios, Regiis partibus reconciliare. Deinde, implorato Dei auxilio, ſeverè Sociis indixit, ne quoquomodo tumultuantibus aſſentirentur; ſed quantum in ſe eſſet publicè privatimque Regis Catholici decreta, etiam cum capitis periculo, firmarent. Cùm verò, tracto in vincula ab tumultuantibus Senatûs Præſide, & Senatorum aſſeclis aliquot occiſis, eorumque domibus ſclopetorum exploſione everberatis, in immenſum creviſſet ſeditio, atque ipſi Senatores in ſingula momenta mortem præſtolantes Venerabile Sacramentum, ad compeſcendos furibundos homines, in cubiculi, quo ſe incluſerant, feneſtra (non imitabili exemplo, nam cœcus furor ſacra profanaque miſcet) exponi curaſſent: & inſuper novus Rector, quòd falsò vulgaretur ab eo Proregis capitale diploma, quo jubebantur ſexaginta ſeditioſorum capita demeti, palàm quæreretur ad necem; auſus tamen ipſe eſt ad armatam octingentorum militum concionem verba facere, tanto ſucceſſu, ut, dicendi vi, plerorumque pectoribus concuſſis, duos è præcipuis conjuratorum Ducibus cum Senatu reunierit; quorum hortatu ac exemplo quamplurimi cives ſeditioni ſe ſubtraxêre. Sed major adhuc Regiarum partium acceſſio facta eſt, altero ſeditioſorum duce, ſpe ampliſſimarum nuptiarum, ab partibus per ipſum abducto. Cumque, reſtituto in libertatem Senatu, & auctâ Regiorum factione, jam paribus utrimque viribus rem prælio decernere Senatoribus lubitum eſſet: Didacus Torres Regiis perſuaſit, ut aliquo diverticulo moram necterent, quâ factum, ut abſtractis induſtriâ, aut interceptis reliquis ſeditionis capitibus, paulatim plebs diffflueret, & civitas univerſa, temeritate damnata, vectigalia admitteret. Prorex Peruviæ, adnitente Rectore, multitudini pepercit: ſex ſolummodò ex omni ſeditioſorum numero in Hiſpaniam relegatis, qui omnes in arce Nominis Dei, carceris repentinâ ruinâ obruti, ante Deum quàm Regem ſcelerum vindicem habuêre. Sic Didacus Torres authoritate, prudentiâ, induſtriâ, objectu capitis periculoſam ſeditionem compeſcens, magnis negotiis parem ſe oſtendit. Petrus Arana, Architalaſſus ac Proregis Legatus, binis litteris ad eundem Proregem, & Regios Magiſtratus miſſis, laudem pacati regni uni Didaco Torres, & Societati adſtruxit, aiens, in uno Collegio Quitenſi plus infuiſſe roboris ad continendum in officio ac Regis fide univerſum regnum, quàm ſi numeroſo militum præ-

Quitenſis urbs tumultuatur.

Didacus Torres multos Regiis partibus reconciliat.

Creſcit ſeditio.

Didacus Torres quæritur ad necem.

Alios Regi iunit.

Senatores opportuno conſilio juvat.

Sedatur tumultus.

Multitudini parcitur.

Seditionis capita caſtigantur.

Laudantur Socii ab fidelitate.

fidio firmaretur. Marchio Canietensis Prorex, præter alia grati animi officia, necnon alii præstantes viri Regi Catholico scribentes, exquisitissimis encomiis eundem Didacum ornavêre. Quam rem Rex Catholicus tanti fecit, ut per accuratam epistolam ex Escuriali Sancti Laurentii, anno quingentesimo nonagesimo quarto scriptam (cujus exemplar apud me est) ei pro fidelitate gratiis actis, dignum facinus meritis laudibus commendârit. Subinde Didacus Torrez ab Joanne Sebastiano Parricio Provinciali in secretarium assumptus, summis muneribus religiosè præluſit. Potosino Collegio cum vicaria Provincialis per Australiorem tractum potestate præpositus, Platensis Senatûs Præsidem, graviter dissidentem, feliciter cum urbe composuit. Ad condendum ornandumque templum, centum & viginti aureorum millia liberalitate civium accepit. Censum sexcentorum ducatorum annuatim, à janitore Collegii ex voluntate Rectoris pauperibus distribuendorum, instituit. Tres in rebus externis Coadjutores, ob Sacerdotii pertinacem ambitum, è Societate dimisit; quorum unus post adeptum Sacerdotium elephantiaco morbo correptus, antequam ad Aram bellus neomysta faceret, misere interiit: alter ad Ordines sacros recipiendos in Tucumaniam properans, mulâ, quâ vehebatur, obtritus, iterato documento fuit, quàm tutum sit suâ sorte contentum esse. Præterea institorem Potosinum in Societatem admisit, qui lectis in Thomæ de Kempis libello de instabilitate vitæ pauculis verbis, mercibus suis relictis, nec occlusâ quidem officinâ, attonitâ voce identidem lecta verba ingeminans, non priùs ab ejus pedibus surrexit, quàm in Societatem reciperetur: is trigesimo post aditam religionem die piè moriens, asseruit animum suum incredibili gaudio perfusum, quòd mortis tempestas securo sub tecto se benè curatum exciperet. Triennio Potosii exacto, Stephano Paës Peruviæ Visitatori comes additus, ei author fuit, ut in Provincialis comitatu Provinciam inspiceret: optimo consilio; nam exinde factum, ut collatis capitibus Ordinationes stabilirentur Collegiorum usui accommodatæ. Eâ occasione in ipsam Tucumaniam penetravit.

Rex ad Didacum Torres scribit. 1594.

Didacus Torres Potosino Collegio præficitur.

Ambitiosi puniti.

Institoris ad Societatem notabilis vocatio.

CAPUT VI.
De Procuratione Didaci Torres.

ANNO hujus sæculi secundo, Peruanæ Provinciæ Procurator, in Europam classe Regiâ vectus, facto ad Gaditanum fretum cum Anglis prælio, Crucem manu prætendens classiarios, pluentibus undique telis, fortiter animavit. Madriti notabili benevolentiâ ab Rege, & Duce Lermæo exceptus, cùm juberetur ob operam utrique utiliter præstitam, mercedem quamcumque vellet petere, rogavit, ut Rex, authoritate interpositâ, Ignatii Patris nostri inter Beatos referendi, necnon controversiarum de Auxiliis negotium apud Clementem Octavum urgeret. Præterea obtinuit, ut quinquaginta Socii, sumptibus Regiis, secum in Americam Australem navigarent. Ab Senatu Regio interrogatus, num armatâ manu in Ethnicorum terras induci posset Evangelium: violentam hanc Religionis propagationem neutiquam cum Apostolorum moribus & institutis quadrare respondit. In itinere Romano, è Burgensi urbe paululùm progressus erat, cùm ejus mula repentè immota constitit, nec adigi potuit, ut ultra eum veheret, donec in Burgensem urbem regressus, uni è nostris Indicæ Missionis candidato, & postea in Quitensi regno Apostolicarum virtutum viro, qui ex verecundia cum eo de Indica vocatione agere omiserat, promitteret acturum se cum Generali Societatis, ut secum in Indiam navigaret, quo facto mula eum Romam commodè vexit, revexitque in Hispaniam. In Aquitania Martini Guttieres, inter nostros clarissimi, ossa diu multúmque conquisita, & abs se postea Vallisoletum translata, summa felicitate recuperavit. In Italia, Generali Claudio Aquavivæ, & Clementi Octavo, ob singularem agendi dexteritatem, & cæteras animi dotes, mirificè probatus, quidquid voluit, confecit: quin & huic illum reconciliasse creditus est. Eundem Pontificem in professorum Societatis domo familiariter pransum, coram laudavit, prudentissimè insinuans, eam in admittendo apud nostros prandio benevolentiæ ostentationem, non parum valituram ad hæreticorum, qui suboffensum Societati Pontificem Summum lætabantur, insolentiam retundendam. Cubiculum Sancti Patris nostri Ignatii pretiosis tapetibus nomine Peruanæ Provinciæ primus ornavit.

Regi Catholico gratus est.

Socios subsidiarios impetrat.

Missioni Indicæ candidato favet.

Ossa Martini Guttieres recuperat.

Clementi Octavo & Claudio Aquavivæ carus est.

Divi Ignatii cubiculum primus ornat.

Ab Claudio Aquaviva Lipſanotheca pectorali, dente uno & Chirographo Ignatii inſignita, donatus, Rhegii energumenæ ſaluti fuit. Baronium Cardinalem ſcripto jurejurando firmato de ſtatu Hiſpanicæ & Indicæ Societatis edocens, magno adjumento fuit ad malevolorum technas eludendas. Cùm rumor increbuiſſet de Claudio Aquaviva in Archiepiſcopum Neapolitanum creando, eoque Societas anxia eſſet, ab eodem Cardinali ſecretò didicit neutiquam id factum iri, quod fœmina Sanctitatis famâ inclyta Clementi Octavo indicaſſet id Deo placitum non eſſe. Varias Divorum reliquias in novum Orbem transferendas dono accepit. In æde Lauretana pernoctans, imbutus eſt deſiderio Virginis Lauretanæ cultum per Americam Auſtralem propagandi. Eum Mediolani in itu & reditu Federicus Cardinalis Boromæus tanti fecit, ut conſcientias totius vitæ, ac arcana pectoris ipſi patefaceret; manum de genibus venerabundus oſcularetur, & magna negotia cum Rege Catholico, Archiepiſcopo Toletano, Lermæo Duce, necnon aliis Hiſpaniæ Magnatibus tractanda ei committeret. Apud me ſunt variarum litterarum exemplaria, quibus, præter alia ſummæ benevolentiæ argumenta, ſignificabat, ſi ad ſummum Pontificatum eveheretur, procuraturum ut è quovis mundi angulo ſui ſolatii ergò accerſeretur. In Hiſpaniam redux, ejuſdem Cardinalis nomine, Caroli Boromæi cilicium Philippo tertio Regi Catholico, & ſacram veſtem Margaritæ Reginæ obtulit, poſtulans ut uterque ſuam authoritatem interponerent, ad Caroli apotheoſim ab Clemente Octavo obtinendam. Ut id officii etiam præſtaret Franciſco Borgiæ, conſanguinitatis titulo, obtento & ejuſdem Borgiæ manibus conſutæ veſtis ſacræ dono, Lermæi Ducis conjugem efficaciter allexit: à quo Lermæo Duce (nam tantiſper ſeria interrumpere lubet) poſt familiare prandium ad feneſtram cubiculi, è qua proſpectus erat in leonum caveas areâ circumcluſas, deductus, cognovit, Duce ipſo narrante, paucis ante diebus contigiſſe, ut remiſſionis ergò è feneſtra canis catulus in ſubjectam aream in eſcam protruderetur, qui ubi in terram decidit, caudâ ablandiri cœpit uni è ferociſſimis leonibus, cujus viciſſim mutuas blanditias promeritus in ſeparatam caveam deductus eſt; deincepsque, tanquam ſi ejus catellus foret, enutritus, innoxiè inter leones, quamdiu ab ſui protectoris latere non diſceſſit, diſcurrit: donec poſt aliquot dies incomitatus in arenam prodiens, ab aliis leonibus diſcerperetur: quod ut è cavea advertit leo catuli protector, repentè in arenam proſilit, & inſtigante in clientuli vindictam furore, diſcerptores ipſe diſcerpit. Mox alio alium mutuo exemplo animante, quotquot erant in caveis in arenam prodiêre, nec antè pugna deſiit, quàm omnes ad unum dilaniati occumberent. Accomodo in domo Regia Regibus documento, exigua de cauſa, & ſæpè inquieti clientuli defendendi ergò, bellum ſuſcipientibus, nec antè deſinentibus, quàm ſe, ſuaque regna diſcerpſerint, dilaniarintque. Eodem Lermæo Duce adnitente, Didacus Torres offenſionem Regis ab quibuſdam Sociis ſummâ prudentiâ avertit. Ab Senatu Regio impetravit, ut in lege Caroli Quinti prohibente ne quis non Hiſpanus in Indias navigaret, cum Societatis hominibus, animas non aurum quærentibus, diſſimularetur. Author etiam fuit, ut ſeminaria pro educandis longè à parentum vitiis Caſiquiorum Peruanorum filiis, ſumptibus Regiis erigerentur. Illo referente, Rex, cognito quòd defectu olei in multis Neophytorum templis Venerabile Sacramentum non aſſervaretur, diploma fecit, quo in omnibus Indiarum templis Regiâ pecuniâ lampades cohoneſtando Chriſti Corpori ali jubebantur. Ut Regina Margarita ad Salmanticenſe Collegium, pro ſubſidio Indiarum, dotandum mentem adjiceret, per ejus Confeſſarium primus fecit. Ut in ſingulis Hiſpanorum Oppidis per univerſam Indiam Æthiopum Parochi ſeparatim ab aliis conſtituerentur, Regi perſuaſit. Lermæus Dux honorariis litteris noſtrum Didacum in Indias renavigaturum Peruviæ Proregi commendavit, monens ut eum multa ab Rege mandata perferentem benignè audiret. Sed nuſquam tanti viri virtus magis inclaruit, quàm dum conſcensâ navi cum ſexaginta ſubſidiariis ex omni Europa collectis, ejus ſocius Joſephus Ariaga in cymba varias res dono à Principibus acceptas, aut pro omnibus Peruviæ Collegiis magnâ curâ coemptas, ad claſſem vela

Varias Reliquias dono accipit.

Ab Federico Cardinali Boromæo in pretio habetur.

Caroli Boromæi Canonizationem urget.

Memorabilis Leonum pugna.

Multa ab Rege Didacus Torres impetrat.

In Indias renavigat.

Ejus moderatio commendatur.

jam facientem tardiùs advexit; quo factum, ut ipse, socio cum omnibus rebus in sequentis anni navigationem Gadibus detento, inanis in Peruviam renavigaret; adeò immoto ad hæc animo, ac si negotium nihil ad se pertineret. In Indiam appulsus, Claudii Aquavivæ jussu, in nova Carthagine Societatis domum, præposito ei Michaële Perlino, erexit: Sanctæ Fidei Novogranatensis regni Metropolim, misso cum quatuor Sociis Anthonio Funes, domicilio occupavit.

Duas Societatis sedes erigit.

CAPUT VII. Quintēsem Provinciam fundat.

DUCTIS Limam subsidiariis Sociis, & Peruviæ Provinciali traditis, ad Quitensem Provinciam fundandam amissus, omnia in proclivi habuit. Quitense Collegium, aliarum sedium caput, inductâ studiorum ratione, constituit: in Bogotensi Sanctæ Fidei urbe Partheniam Sodalitatem nobilium virorum, ipso Joanne Borgiâ, Sancti Francisci Borgiæ nepote, & regni Præfecto protectore, erexit. Seminarii adolescentum, Bartholomæo Lupo Guerrero adnitente, fundati, curam, Societatis nomine, suscepit. Monasterium Theresianis Monialibus erigi curavit. Indos, linguâ Hispanicâ doceri solitos, procurarâ Catecheseos versione, vernaculo idiomate imposterùm instrui fecit. Concilium Provinciale authoritate & consilio magnopere juvit. In reliqua Provincia regenda, stabiliendaque, quid pro Æthiopum, Indorum, ac Hispanorum emolumento, quid pro ornanda Societate nostra, quid pro augendo Summi Numinis cultu patrârit, quæ pericula terrâ marique adierit, quas Ethnicorum regiones per se, aut per Socios in Panamensi, Carthaginensi, Novogranatensi & Quitensi, latissimis regionibus, ad Christi partes sollicitârit, alii pro dignitate (nam alterius molis opus est) narrabunt: mihi certè tam latè excurrere, & res propè immensas fusè describere, pro instituto non licet, nec per malignam synopsim corrumpere lubet.

CAPUT VIII. Ad fundandam Paraquariensem Provinciam proficiscitur.

Socios plaùe egregios accipit.

BIENNIO in fundatione Quitensis Vice-provinciæ exacto, litteræ Claudii Aquavivæ allatæ sunt, quibus ex præterita designatione Didacus Torres ad Paraquariensem Provinciam fundandam properare jubebatur. E Quitensi regno Limam appulsus, ab Peruano Provinciali quindecim Socios ex decreto Generalis Aquavivæ accepit, inter quos eminuêre Franciscus Vasquius, magni Gabriëlis Vasquii non indignus nepos, Joannes Pastor, & Joannes Baptista Ferrusinus, Provinciales quondam mei. Anthonius verò Ruisius, & Melchior Vanegas in India nati, famâ Sanctitatis, Horatius Bechius Senensis, Petrusque Romerus Hispalensis, adeptâ glorioſæ necis laureâ claruêre: nec laude sua Joannes Fontius, Ludovicus Leiva, Marcus Anthonius, & Didacus Gonsalvus Holguinus novi Provincialis socius, caruêre. Adeo ut satis appareret Peruviam Provinciam affectu materno in Paraquariam fuisse, quæ non nescia filiæ gloriam in matrem redundare, novellam Provinciam, tanquam filiam, ægrè abs se avulsam tantorum virorum dote emanciparet. Non defuit selectissimo duodecim Apostolicorum Sacerdotum numero suus Judas, quo reliqui in officio, terrore tanquam fræno, continerentur. Cæterùm Paraquariensis novella Provincia, & Claudio Aquaviva patre, & Peruanâ Provinciâ matre progenitam, se non minùs gloriabitur, quàm qui natales suos ad illustrissimos progenitores referunt: nam ut de Claudio Aquaviva, utrique Orbi noto, taceam: Peruana Provincia per Australem Americam pœnè totam propaginibus inclyta, numero virorum illustrium, facinorum magnitudine, scientiarum multiplicitate, Fidei dilatatione, templorum magnificentiâ ac ornatu, tractandorum animorum gubernandique peritiâ, laborum ac insectationum tolerantiâ, tantam sibi claritudinem indepta est, quantam Hieronymus Portillus, Josephus Acosta, Baltazar Pinna, Joannes Plaza, Joannes Sebastianus Particius, Didacus Martines, Josephus Ariaga, Alvarez de Paz, Nicolaus Mastrillus, Durandus, Lyra, Menachus, Perlini, Pennafieles, & alii ejusdem notæ viri omni laudum genere, abundè ei peperterunt: & adhuc in posteris antiqua virtus viget, nulla in re Majorum famâ inferior, pergitque, ut hactenus optima mater consilio, patrocinio, authoritate charissimam filiam juvare; ac vicissim filia obsequio, amore, laude amantissimam matrem prosequitur: adeò ut mutuis

Laus Peruanæ Provinciæ.

officiis

officiis utraque contra obtrectatorum vim, cæterasque dæmonis insidias inconcussa firmaque permaneat. Designatos Socios Didacus Torres appositâ oratione atque exemplo suo, ut se Divi Ignatii Exercitiis, & totius vitæ noxarum expiatione, ad arduam expeditionem procurarent, permovit. Curatis animis, de tot Sociorum ad iter quingentarum leucarum viatico sollicito, Ferdinandus Arias Senator Limæ Regius significavit, in Senatûs tabulario asservari Philippi Tertii Regis Catholici recentissimas ad Proregem litteras, quibus jubebat duodecim Franciscanos Fratres, aut totidem Jesu Socios suis sumptibus in Paraquariam è Perúvia mitti: quarum litterarum vi, Franciscanis paucitatem suam excusantibus, Senatores Regii novo Provinciali, & Sociis terrâ marique profecturis, de navigio, de jumentis, de pecunia, de vestibus, & cæteris viæ levamentis, Regis nomine, liberaliter providerunt. Mediam Sociorum partem Didacus Torres Didaco Gonsalvo Holguino, socio suo, mari in Chilenum regnum ducendos tradidit: ipse terrestri itinere cum cæteris progressus Cusci Julide, & Potosii, in quibus locis Rectorem egerat, obviam subinde ad viginti trigintáve leucas populis prodeuntibus liberaliter exceptus est. Chuquisacæ Sociis adhæsit Joannes Salas, bonæ spei juvenis, qui periculoso in torrentem casu, & morbo recenti ad mundi fallacis spes deserendas, ac religiosum Ordinem ineundum, ab Deo vocatus, cùm non satis apud se statueret quem demum iniret, scriptis variarum Religionum nominibus (non imitabili exemplo) sortiri voluit; & quia tribus continuis vicibus in scheda Societatis Jesu nomen ex urna eduxisset, in ea felici sorte multorum Barbarorum bono adscribi meruit.

Primi Socii Regis Catholici sumptibus in Provinciam perguut.

Joannis Sale ad Societatem vocatio.

CAPUT IX.

Didacus Torres Socios in novam Provinciam inducit.

DIDACUS Torres Chuquisacâ iter prosequutus, superatis ægrè Peruviæ montuosis finibus, Omaguacarum populos, Sociorum laboribus claros, partim ad capessendam, partim ad retinendam fidem, Aimarrâ linguâ utens, animavit. Cucuisense, primum Tucumaniæ oppidum, sub finem anni millesimi sexcentesimi septimi, cùm feliciter tenuisset, Cucuisenses cives, templum ac Domum Societati condere paratos, ne pauculas copiolas in aditu Provinciæ distraheret, spe aluit, futurum ut crescentibus rebus, eorum votis fieret satis. Idem cum Saltensibus Hispanis in transitu spopondisset, tandem mense Decembri Tucumaniæ metropolim, magnâ Ferdinandi Treci Episcopi, Alfonsi Riberæ Prætoris, & Hispanorum Indorumque gratulatione invectus est. Episcopi manum de genibus osculatus, summâ modestia ac gravitate verborum, suam & Sociorum operam dedicans, ostendit se nihil magis avere, quàm si obsequentissimis filiis optimus pater difficillima quæque pro animarum bono imperaret; aiens, eâ de causâ se & Socios à Præposito Generali Aquavivâ, Tucumaniæ & Pataquariæ magistratuum postulatu, missos, ut Societatis more, quantum viribus humanis cum Dei gratia possent, nulli Ordini deessent. Episcopus summopere delectatus tanti viri in se observantiâ, ad frequentissimam concionem in templo è sede Pontificali coram Patribus talem habuit orationem. *Inexplicabili*, inquit, *pænè lætitiâ gestio pro adventu tantorum virorum in subsidium nostræ Reipublicæ cœlitus concessorum: quod beneficium, ut vos æstimetis magis, ô Cives, per consecrationem meam Episcopalem sanctè affirmo juroq;, sine Societatis auxilio videri mihi, nec officio Pastorali, nec conscientiæ meæ posse satisfacere. Superioribus annis, quando de pauculis Sociis in Peruviam retrahendis agebatur, tristitâ oppressus decreveram dignitati meæ nuncium remittere, ne certum æternæ Salutis, si talibus adjutoribus privarer, discrimen adirem. At jam tristitia mea versa est in gaudium, dum, Te, Reverende Admodum Pater Didace Torres Provincialis dignissime, & vos Patres Reverendi, novæ Provinciæ fundatores meritissimi, ante oculos meos video. Quanta verò sit cordis mei lætitia, ex dictis, ni fallor, cognovistis, factisq;, luculentiùs cognosceretis, si pro fundandis novis Collegiis, satis mihi in præsentiarum facultatis esset. Quod in me est faciam, ut nec Patrocinium meum, nec quidquid in meâ potestate fuerit, ô Patres, aliquando desideretis. Cæterùm, multùm colendi cives, utimini dono cœlitùs dato, & mecum gratias date Omnipotenti Deo, quòd tales curæ Pastoralis adjutores advenerint, per quos salubri vos pabulo pascamini, & innumeræ oves, per immensa propè loca errantes, in ovile Christi cum hujus*

Cucuisenses & Saltenses Societatis sedem petunt.

Didacus Torres & socii Tucumaniæ metropolim ingrediuntur.

Episcopi ad eos oratio.

Reipublicæ augmento ornamentoq́. reducantur. Episcopi orationem excœpêre iteratæ Hispanorum ac Indorum gratulationes, inter quas ad domum nostram deducti, ab Joanne Romero religiosissimis officiis excepti sunt. Sequenti Dominicâ, Neophytorum confraternitas, ad gratulandum novis advenis, supplicationem planè solemnem instituit, quam cohonestavit ipse Provincialis, manu Crucem præferens, Catechismumque numeris illigatum altâ voce præcinens, tantâ omnium approbatione, ut Prætor ipse, & magistratus, frequensque nobilitas, tota denique civitas è domibus effusa, ad ipsum honoris ergò conglobaretur. Cùm de seminario Clericorum ex Tridentini Concilii decreto in ea urbe instituendo ageretur, & Episcopus ejus curam Societati committere vellet; Didacus Torres, assignato interim è Sociis uno, qui scholasticos linguam latinam doceret, negotium ad Generalem Præpositum rejecit. Congregationem sub titulo Annunciatæ Virginis, Primoribus civium manu suâ in album relatis, feliciter stabilivit. Deinde, curâ ad domesticos conversâ, severè omnibus Sociis injunxit, ut consideratâ locorum conditione, longè majorem adhiberent sensuum suorum custodiam, quàm olim adhibuissent in formatis mutatisque Collegiis. *Hic*, inquit, *ô socii, modestia pro claustris, morum gravitas pro repaculis esse debet: nam in his regionibus occasiones illecebrarum non quæruntur, sed ultrò sese obtrudunt. Fœminarum indigenarum lascivia, nuditasq́., Hispanarum mulierum exemplo ac otio corruptarum licentia, aperta ipsa domus & incustodita servitiorum gynecæa, virtutem ex animis sanctorum etiam virorum succutient, nisi suis viribus diffidentes magnam cautelam adhibeant. Cedri Libani, & Duces gregum sub hac peste cadent, si sublatis verticibus sibi fidant. Cæterùm licet turpe sit fœdo hujus vitii anhelitu quemquam sacrum hominem fœdari; at in nobis, per universum Orbem singulari Dei gratiâ castitatis famâ hactenus præstantibus, quævis macula turpissima foret. Servemus famam Societatis integram, ô socii: quòd si aliquid secus contingat, quemadmodùm arca Noëmica animalia ex luto ac cœno progenita suis septis non admisit; sic hujusmodi homines ex sordibus & luto confectos Societas nostra suis claustris excludet: sed spero, quòd sicut ligna Setim, quibus Arca fœderis constabat, neque carie, neque flammâ corrumpi poterant; sic vos, quasi arcas fœderati IESV, per tot gentes pectoribus vestris inclusam legem Domini circumferentes, nullâ turpitudinis carie, aut flammâ libidinis, protegente Domino, violatum iri.* Sic aut simili modo Sociis animatis, domicilio Esterensi Joanne Vianâ præposito, ipse cum Joanne Romero, ac reliquis subsidiariis, sub initium anni millesimi sexcentesimi octavi, Cordubam contendit. Quaquà ibant, obviam prodibant ex suis Oppidis Indi, operâ Societatis ad Fidem conversi, gratulationis ergò, supplicantium more Crucem præferentes, & Catechesim ad modulos concinentes, instructis ubique ex sua tenuitate cibariis, gratos lætosque animos ostentantes. Nec indonati abibant, Didaco Torres, acceptissimis genti munusculis, quibus instructissimus venerat, singulos prosequente. Cordubenses cives honestissimum adornaverant apparatum, quo novos Socios in suam urbem inducerent: sed hi, ex animi modestia, maturato itinere, inobservati domum nostram, quam solus Joannes Darius, vir plurimis par, incolebat, subiêre. Didacus Torres perspectâ commoditate loci, Cordubense domicilium, præposito ei Joanne Romero, in tyrocinium pro potestate erexit. Mox ordinatis ad Societatis formulam tyronum rebus, prima Comitia Provincialia indixit. Sub initium fundatæ Provinciæ, præter subsidiarios è Peruvia eductos, quatuor Tucumaniæ, Paraquariæ, & Chileni regni sedes, quatuordecim in universum Socii occupabant: & quia nulla earum sedium præter Chilensem, jus Collegii habebat, lubuit in ea Comitia celebrare.

Supplicatio ad eosdem honorandos instituitur.

Congregatio Parthenio-rum erigitur.

Didacus Torres Socios ad sui custodiâ animat.

Joannes Viana Esterensi sedi præficitur.

1608.

Primi Socii Cordubam invehuntur.

Joannes Romerus Cordubensi tyronum domicilio præponitur.

CAPUT X.

Prima Congregatio Provincialis celebratur.

IGITUR Didacus Torres, Comitiorum ergò, cum pauculis quatuor votorum professis, ad Sancti Jacobi, Chilensis Regni metropolim, centum & quinquaginta leucis Cordubâ distantem, magnis itineribus perrexit. Eò ibatur per desertam centum leucarum planitiem, quâ emensâ, transmittendi erant hi montes, qui sumpto initio à Panamensi isthmo, Novo-granatense, & Quitense regna

secantes,

secantes, deinceps Peruviam, Chilensęque regnum continuatâ serie, Apenninorum instar montium, ad fretum usque Magellanicum, ab reliqua America disterminant: adeò sublimibus fastigiis, ut ipsos etiam avium volatus fatigent: qui montes, quamvis è Tucumania, Paraquariaque in Peruviam euntibus per intervalla, demisso dorso, transitum non usquequaque difficilem præbeant, tamen ex eadem Tucumania in Chilense regnum tendentibus unica via est, æstate tantùm permeabilis: reliquo anni tempore intolerabile frigus, nives immensæ, & torrentium rapiditas viatores ab aditu arcent. Hanc viam Tapu, novi Orbis Annibal, Ingarum secundus, in Chilenos è Peruvia infesta arma invehens, reperisse aut fecisse traditur: in quâ etiam ordinariâ tempestate incundâ, non levia periculà adeuntur; nam arctissimâ semitâ, hinc continuatis rupibus, inde præcipitiis coërcitâ, incedendum est: fitque non rarò, ut, titubante gradu, jumenta cum sessoribus irremeabili casu in profundissimos hiatus provolvantur. At ubi in cacumen ipsis nubibus altius enixum est (quamvis infrà immodico vapore Solis omnia adurantur) immensa vis frigoris, ac aëris subtilitas, nudas corporis partes, perstrictâ cute, quandoque excoriant. Nec rarò continuus nivium nitor, reverberatione hîc quàm alibi acriori, temporariam cœcitatem, aut immodicum oculorum dolorem parit. Fatui denique ignes, passim circumvolantes, corpora hominum adlambunt, seque sub vestibus ipsis occultantes, talium rerum inexpertos maximè terrent. Indigenæ horum ignium causas ad dæmones referunt, his terriculamentis viatores infestantes: at rerum physicarum indagatores putant tonitruorum ac fulgetrorum eam esse materiam, quæ frigore undique circumvallata, & veluti vinculis constricta; hostis sui metu ad calida animalium corpora, cognatamque qualitatem, naturali impetu convolat. Quidquid sit, ex dictis causis non pauci animi deliquium patiuntur; sed, quod mireris, cervi, capreæ, lepores, & ejusmodi animalia per has montium nivibus coopertorum summitates, quasi si in amœnis campis essent, innoxiè divagantur: & ut novo exemplo discas, naturam pretiosissima quæque summis difficultatibus circumsepsisse, his præsertim montium frigoribus asperitatibusque, Guanaci lapidum Besar feraces delectantur. Transmissis ægrè his montibus, Didacus Torres cum Sociis regni metropolim, quò Didacus Gonsalvus Holguinus cum maritimis copiis recèns appulerat, sub finem mensis Martii feliciter tenuit. Præter ipsum Provincialem octo professi adfuêre, hoc uno læti in tanta paucitate, quòd prima novellæ Provinciæ Comitia majori professorum numero, quàm olim prima universæ Societatis congregatio, sex solummodò professorum concursu instituta, celebraretur. Concordibus suffragatorum votis, Joannes Romerus Paraquariæ, Tucumaniæque ante fundationem Provinciæ præfectus, primo loco in Procuratorem Romam iturum eligitur: cui, si quid humanitus contingeret, Marcellus Lorençana absens suffectus est. Electo Procuratore, de rationibus augendæ firmandæque Provinciæ actitatum fuit; ac primò decretum, ut studiorum sedes, interim, dum de commodiori loco perspiceretur, in Chilensi Collegio poneretur: & ea loca domiciliis occuparentur, quæ maximè Christianæ Fidei apud Barbaros propagandæ, Religionisque apud Hispanos conservandæ, opportuna viderentur. Denique ad Regem Catholicum, & Claudium Aquavivam Generalem litteræ exaratæ sunt, quibus Sociorum supplementum, quantum posset maximum, ad innumeros propè Ethnicorum populos subjugandos, in subsidium mitti Patres postulabant. Solutis Comitiis Didacus Torres Socios in varias regiones disparavit.

Chilenorum montium descriptio.

Ignes fatui.

Lapides besar.

Congregatio octo capitibus constitit.

Joannes Romerus Procurator eligitur.

Litteræ ad Regem Catholicum & Claudium Aquavivam perferuntur.

CAPUT XI.

Nova Sociorum subsidia ex Europâ appellunt.

JOANNI Romero, per Tucumaniam ad portum Boni-aëris perrecturo, & inde in Hispaniam soluturo, Provincialis, quòd eo anno in Chilensi Regno remansurus esset, vices suas tradidit, jussitque, si subsidia Sociorum ex Europâ venirent, de iis disponeret, & Boni-aëris sedis fundamenta, quam Prætor petierat, jaceret. Non vana fuit subsidiariorum conjectatio: nam Joannes Romerus Cordubense iter remensus, in urbe octo Socios, nemine procurante, ab Claudio Aquavivâ Generali, suas curas cum utriusque orbis amplitudine dividente, sumptibus Philippi Tertii

Catholici

Philippus Tertius commendatur.

Novi Socii dispergûtur.

Catholici, in novorum Regnorum religionem intentissimi, ex Europâ submissos offendit; quos omni officiorum genere prosequutus, in varias partes sic distraxit. Simonem Maçetam Neapolitanum, per medium sæculum nostros Annales illustraturum, Franciscum à Sancto Martino Toletanum, & Antonium Jordanum Italum, Sacerdotio insignitos, in Paraquariam linguæ perdiscendæ ergò; Matthæum verò Stephanum Hispanum Sacerdotem, cum Antonio Parricio Italo sacris nondum initiato, ad Tucumaniæ metropolim amandavit. Denique Andreâ Perez Bœtico laïco Cordubæ relicto, ipse sibi Franciscum à Valle, qui subsidiariis Sociis in navigatione præfuerat, & Antonium Macerum, Sacerdotes Hispanos, sedis novæ in urbe Boni-aëris fundamenta jacturos, secum assumpsit. Quò cùm pervenisset, Prætoris & Magistratûs favore omnia proclivia habuit. Porrò ut pateat consilii utilitas in portu Boni-aëris sede occupando, paucula de eo præmittere non pigebit.

CAPUT XII.
Portus Boni-aëris Societatis sede occupatur.

Boni-aëris ditio describitur.

ARCEM Boni-aëris bis conditam, bis etiam primi Argentei fluminis coloni, peste & aliis cladibus diminuti, destruxêre; donec auctis per Tucumaniam & Paraquariam rebus, spectatâ conditione soli, necnon fluminis piscosi vicinitate, & quòd per eam continentem in Peruviam, Chilenum Regnum, & Paraquariam facilis esset transitus, in eodem loco urbem antiquo arcis nomine ac portu insignem Joannes Garaius, commisso cum indigenis prælio, auspiciis Joannis Ortis Zarate Prætoris, anno sesquimillesimo octogesimo, feliciter perennaturam, sub titulo Sanctæ Trinitatis conderet. Qui portus, quamvis Regiis legibus occlusus sit, tamen multis Mercatorum navibus ex Africa, Europa & Brasilia quandoque frequentatur; causantium, tempestatum vi, aut pyratarum metu, eò se appulsos. Ex eo portu, boum præsertim tergora, & carnes sole duratæ, exportantur: nam campi copiosè herbescunt, ad pascua nutriendis boum equorumque armentis aptissima; quorum tanta jam copia, ut quidquid terrarum est ab trigesimo-quinto latitudinis Australis gradu, usque ad Chilenos montes Tucumaniæque fines, illud totum boum equorumque indomitorum armentis, nullo certo Domino, pœnè scateat: tanto numero ab quinque equabus & duobus equis, ex Europâ advectis, originem sumente. In his campis magna vis est struthionum & caprearum campestrium; frequens etiam visitur animalculum, magnitudine infra leporem, specie non admodum dispar, colore verò longè variegatiori nitidiorique: diceres nihil illo blandius, nec ad hominum delicias amabilius conditum esse. Mansuetudo formæ par: nam obviis ultrò se ingerit, & ad sibi blandiendum invitat. Porrò ea est formosæ vulpeculæ (sic enim aptè Hispani vocant) malignitas, ut post admissas blanditias incautos intolerabili urinæ fœtore aspergat, qui nec lixivio, nec tempore evaporatur; sed aspersam vestem omnino corrumpit. Adeò nihil fidendum formæ blandienti tandem Mephitim exhalaturæ, & se fruentes fœtore vix multis lacrymarum aquis eluendo infecturæ. Reperiuntur alia ferarum genera. Verùm hominum mores dicendi mihi sunt, vastissimorum camporum planitiem disgregatim & vagè incolentium; quorum olim ingentem numerum fuisse, fidem faciunt in fundatione novæ arcis Hispani bis mille à Barbaris lacessiti, belloque diminuti: novis nempe colonis, præter numerum, terrori fuêre genus armorum, & difformes corporum formæ: nam populi ad Magellanicum fretum vergentes totis humeris Europæos, & subinde medio corpore supereminent; adeò ut passim gigantes appellentur. Ad ostentationem virium sagittas per os in stomachum immittunt, quas longo post tempore innoxiè retrahunt. In prælio lapides pugno grandiores oblongo funi inserunt, diuque rotatos non retento fune, secus quàm cum funda fieri solet, magnâ vi ejaculantur. Quo telorum genere læsa ossa in minutissimas partes confringunt; unoque ictu equum equitemve illaqueatum prosternunt: sed, sive ad interiora terræ, Hispanorum metu, se receperint, sive aliis cladibus perierint, rari jam pro tanta vastitate terrarum reperiuntur, vagi, dispalati, sine pagis, sine domibus, quibus victum herba ac venatio, vestitum pelles, cubile humus, viris fœminisque præbent. Nec aliud ab feris, imbribus, & calore suffugium illis est,

Boum & equorum stupenda multiplicatio.

Parva vulpecula natura.

De campestrium Indorum moribus.

quàm

quàm ut in aliquo fœni nexu se contegant: ubi noctem operiuntur, ibi degunt; quotidie exules, & semper in patria. Numinis colendi æquè illis nulla cura est, ac exigua notitia. Post mortem, ad rerum Creatorem se reverti asserunt. Natalem filiorum suorum diem lacrymis profusissimis deflent, quòd dicant primùm in lucem editos incipere mori. In consanguineorum funere, loco lacrymarum, sibi copiosum sanguinem eliciunt. Ossa parentum diligenter asservant: nec alia injuria inter ipsos majori cædium & belli tumultu vindicatur, quàm dum uni alteris objiciunt, parentum suorum ossa negligentiâ periisse. Casiquiorum suorum manes mactatione servorum prosequuntur, putantes ad heros, servitii continuandi ergò, eos transferri. Ex his Barbaris, ab ipso Hispanorum ingressu, rari admodùm Sacra nostra capessiverant. Sive igitur eos, sive vectores, nautas ac cives, sive denique è Peruvia, Chileno regno, Tucumania atque Paraquaria, negotiatores eò confluentes spectares, non dubium erat, Societatem in portu Boni-aëris utiliter occupatum iri. Acceptato igitur fundo, Magistratûs & Prætoris beneficio, Joannes Romerus in Hispaniam solvens Francisco à Valle, & Antonio Maçero ibi relictis, commendavit, ut Prætori nostrarum rerum amantissimo, & civitati quibusvis officiis responderent: quod præstitere alacriter, in omne hominum genus diu noctuque profici. Nec segniores erant eo tempore per Paraquariam, Tucumaniamque reliqui Socii, domi forisque Apostolica munia impigrè exercentes.

De opportunitate sedis Boni-aëris.

Franciscus à Valle ei præficitur.

CAPUT XIII. De rebus Chileni Collegii.

SED in unum Didacum Torres præcipuè incumbebat onus expeditionum Apostolicarum, exiguis planè copiis magnitudine animi per Chilense regnum terrâ marique res magnas aggredi ausum. Primus & leviſſimus labor fuit in componendo Chileno Collegio, diu multumque in civium & suburbanorum cultura feliciter exercitato; adeò ut si quorumdam Dominorum avaritiam, nimiis servitiis indigenas prementium, castigares, nihil admodùm exigeres ab gente in tanta rerum amœnitate opulentiaque non admodùm jam corrupta. Virtuti conservandæ, profligandisque vitiorum reliquiis, magnum momentum addidit Didaci Torres pia mens, statuentis, ut omnes Societatis sedes in nova Provincia Sacello Virgini Lauretanæ sacro ornarentur: ad quam rem pronos omnium animos in hac urbe reperit, præsertim Ferdinandi Gallegi Talaverani ibidem Senatoris Regii, & postea Proprætoris, qui ostiatim pecunias collectum ire visus est; nec à pietate destitit, donec ter mille nummos ad solium Lauretanæ Iconi erigendum conferret: cujus filiæ quatuor, paternæ virtutis æmulæ, postea ornamenta addidere, opere Phrygio, bis mille Philippæis æstimata. Superavit beneficiis, more suo, Regina Cœlorum piæ urbis vota; quippe multi cives sanitatem corporis ad ejus thronum supplices per miraculum consequuti sunt. Illud eminet. Hispana mulier ab suis, nescio qua de causa, in profluentem vi protrusa ut submergeretur, duabus horis innoxiè cum fluctibus, imploratæ Virginis præsidio, colluctata est, donec ope malevolorum, portento attonitorum, factique jam pœnitentium, emergens, vota sua ad templum nostrum solutum veniret. Tantum miraculum reos ipsos testes habuit, affirmantes, majorem vim Optimæ Virgini ad servandam clientem suam, quàm sibi ad perdendam, infuisse. Ex hoc Collegio Patres egressi, non tantùm vicina loca excoluere, sed etiam itiravere ad valles Quillotam, Lingam, & Conotomen, aliquot dierum itinere ab urbe distantes, numerosis Hispanorum villis, ac Indorum viculis, frequentes, ubi Catechismo, Ethnicorum Baptismo, Christianorum Exhomologesi, dispersorum hinc inde hominum aggregatione, & superstitionum abolitione, fructus non pœnitendos collegere. Christiana mulier Ethnicam se mentiens, ut liberè pellicatum exerceret, bis viperam, ac informem massam bufonis oculis terribilem, peperit; quibus portentis territa, tandem sapuit. Atque hæc de ordinariis hujus Collegii rebus dicta sufficiant; nam si quæ singulis annis, his planè similia factitata sunt, in traditione Catecheseos, exercitiorum usu, reconciliationibus gratiarum, egenorum subsidiis, & id genus sexcentis, in litteris annuis quotidianâ narratione contritis, annuatim in singulis

De Lauretano sacello.

Ferdinandi Talaverani pietas.

Et ejus filiarum.

Per Virginem mulier à submersione liberatur.

Fructuosè excurritur.

sedibus persequar, infinitus fastidiosusque sim, necesse est. Igitur stylum ad Araucanas, & Chiloënses, longinquas terrâ marique expeditiones, me accingo:

CAPUT XIIII. Societatis sedes apud Araucanos ponitur.

POSTQUAM Araucani, Martino Loiolâ Prætore trucidato, Australes urbes devastârunt, bellum atrox inter utramque gentem commissum, continuatumque est; & deinceps Chilenum regnum est omne divisum in duas partes: quarum unam ad Austrum vergentem, aurifodinis maximè nobilem, ab trigesimo-septimo elevationis Meridionalis gradu, ad fretum usque Magellanicum, indigenæ rebelles habitant: altera, quæ Peruviam, Tucumaniamque respicit, Hispano paret. Ad Barbarorum verò impetus retundendos, multæ arces in hostium finibus constructæ sunt, quarum princeps Araucum in valle ei cognomine non procul mari, trigesimo-sexto latitudinis Australis gradu, quingentos præsidiarios Hispanos, & indigenarum affatim habebat. Alias arces Jumbelinæ regionis, ad fluvium Biobium erectas, sexcenti Hispani, belli robur, & Indi milites tutabantur. Circa quas arces omnis vicinitas incolebatur frequentibus Ethnicorum viculis, seu vi, seu sponte Hispano parentium: sed, sive Europæos spectares, sive Indigenas, planè utrorumque mores castigatione indigebant; quippe ad hanc ultimam Orbis terrarum militiam non optimi mortalium confluunt, auri spe, & prædandi licentiâ, impunitateque quodvis hominum genus alliciente: si qui viri boni militarent, plerumque consortio, aut loci conditione corrumpebantur; nam Chilenum regnum, ob rerum abundantiam, illecebrosè vivere volentibus materiæ affatim præbet. Super hæc deerant pietatis adminicula omnia, Concionatores, libri pii, virtutum exempla: quarum rerum loco successerant ludi, choreæ, rixæ, Indorum vexatio, epulæ, & quæ epulas consequuntur, pudoris prostratio, & pellicum amor. Sed longè pejor erat Indigenarum conditio, execrandis ritibus dies noctesque fœdantium, ac obstinatione animi, servitiorumque metu, nostra Sacra pertinaciter respuentium; adeò ut veteribus utrorumque malis nulla remedia profutura crederentur: sed Didacus Torres, vastitate animi res maximè arduas aggredi amans, partem hanc regni corruptissimam primis Sociorum laboribus destinat. Socii omnes, Apostolicarum ærumnarum spe, eò mitti ambiebant: prælati tamen sunt Horatius Bechius, Italus, animi corporisque excelsitate, necnon animarum Christo lucrandarum ardore, commendabilis; & Martinus Aranda, ante initam Societatem apud Chilenos miles linguæ Araucanæ peritissimus: utrique additus est Collegii Sancti Jacobi Rector Franciscus Vasquius Truxillus, authoritate suâ rerum initia promoturus. Ubi ad Conceptionis urbem, octoginta leucis distantem, pervenere, Regni Prætor ultrò Prætoriam domum, nuper abs se ad forum ædificatam, Sociis Arauci commoraturis concessit, jussitque utrumque sumptibus Regiis ali. Igitur Araucum transvecti, in Prætorii aula, favente arcis Præfecto, & præsidiariis ultrò opem conferentibus, Sacellum elegans aptavere: & statim prudenter Hispanorum militum malis mederi satagentes, connivantiâ & lenimentis tantùm profecere, quantùm obfuissent, si avidè nimis & ferociter in vitia invecti, aditum salubri medelæ non præparâssent. Nec omnes simul aggredi lubuit, ne multorum curâ distracti, nulli sanarentur: pauculi è multis electi, quibus remediorum suavissimum, patrocinium nempe Virginis Lauretanæ in Ara collocatæ, Socii adhibuere; sub cujus nomine paucorum Congregatio erecta est. Porrò Congregatorum leges ad militum præsentem conditionem attemperare placuit, ne nimia severitas cætera pietatis officia apud inexpertos horrificaret. Quare satis ad eam apti impræsentiarum videbantur, qui pellicibus abjectis, & pejerandi, aleæque, necnon lethalium noxarum consuetudine abjuratâ, conscientias suas apud Sacerdotem ponere vellent. Paucorum exemplum brevi pervasit cæterorum animos, quorum omnium consensu in id convenere, ut singulis mensibus expiati, Christi Corpori communicarent, quotidie Sacro adessent, singulis hebdomadis Concionem adirent, & datâ occasione pia colloquia usurparent. Degustatâ per has exercitationes pietatis suavitate, novis incrementis eam auxêre. Omnibus jam Sacris adesse, floribus statuam Virginis ornare, scuticâ

Araucum arx.

De militum Araucanorum & Indigenarum conditione.

Horatius Bechius & Martinus Aranda ad Araucanos mittuntur.

A Prætore domicilio donantur.

Milites Hispani excolunt.

Sodalitatem Marianam instituunt.

Prudentes Sodales eligunt.

Morum mutatio.

Sodalium fervor.

se ver-

se verberare, corpus jejuniis macerare, multas horas orationi impendere, pauperibus sua largiri, pro lascivis cantilenis Virginis laudes canere, quotidiana jam plerorumque Sodalium, piâ æmulatione Reginæ suæ favorem ambientium, exercitatio erat. Reperti qui singulis hebdomadis quater jejunarent, qui quindecim diebus continuis nihil opsonii ad panem & aquam adderet; qui solidum diem ac noctem ad domandum corpus stans, sine somno & cibo perseveraret; qui totos dies in cogenda stipe pro pauperibus dedicaret: vovit alter, si sineretur, mancipiorum more, impacto candenti ferro in facie se adusturum, quo stigmate impresso Marianus cliens dignosceretur. Alius in hæc verba prorupit: *Quæ*, inquit, *ô Patres, mutatio dexteræ Excelsi? nam cùm pessimus essem mortalium, ab eo tempore, quo vobis utor, quid jurare, quid famæ detrahere, quid luxuria sit, pœnitùs ignoro.* Denique tanta fuit morum immutatio, ut Araucanum Sodalitium seminarium quoddam fuerit, unde coadjutores temporales Provincia nostra Paraquarienfis sibi deligeret; quorum non unum Nierembergius Societatis Heroïbus addidit. Cæteros autem milites animabant Partheniorum exempla, assiduæ Conciones, & Sociorum virtus egregia, quorum industria cœlestibus portentis adjuta est. Militem quemdam obscœnas cantilenas in cubili usurpantem subiit repentina cogitatio contubernalis sui nuper sine Sacramento demortui: hæc cogitanti spectrum objicitur, quale mortem ipsam pingere solemus, qua cum colluctatus, ubi vires fatiscere, & supprimi se videret, frustraque Jesu nomen in suum subsidium inclamare tentaret, ad Virginem Mariam, mente conversâ, sensit auxilium: sed remanserat in attonito feralis pavor, sine dubio hominem oppressurus, nisi Ignatii imago mortis umbram fugasset. Ultimum & perpetuum remedium fuit frequens delictorum confessio, & vita inter Parthenios imposterum benè acta. Consultò multa prætereo, sive quæ sub Arandâ & Bechio, sive quæ sub aliis Sociis inter Hispanos Arauci, & in aliis arcibus similiter contigêre: nam quemadmodùm ad Indos juvandos, quæ Dei gratia est, mea me magis fert voluntas, sic ad Barbatorum res scribendas calamum & animum propensiorem sentio.

Araucani sodalitii utilitas.

Militis conversio.

CAPUT XV.
Araucani Indi describuntur.

ARaucum arx est in Araucana valle, à qua valle non tantùm ejus indigenæ, sed etiam cæteri Chilensis regni Rebelles, non secus ac fœderatæ Belgii Provinciæ ab Hollandis, aut totum Belgium à Flandris, assumpto à famosioribus nomine, plerumque vocitantur. Porrò Araucani, si famam consulimus utrique Orbi notam, nullis Indorum bellandi pertinaciâ secundi sunt: quippe qui externi jugi impatientes per tot lustra, vegetis adhuc viribus, cum incredibili ærarii Regii dispendio Hispanos fatigavêre: adeò ut Chileni, & Chilenorum fortissimi Araucani, ad immensi imperii conservationem Hispanam militiam in America, non secus ac nuper Batavi in Europa exercere videantur. Cæterùm, in una Araucana valle, viginti fermè leucas in quadrum extensa, sub primum Hispanorum adventum hunc numerum Indorum fuisse comperio. Tucapellano, præter imbellem multitudinem, suberant tria millia virorum: Ongolo quater millibus imperitabat: Caïeculienpic tria millia, & totidem Paicavus, in prælium educebat. Millarapüc quatuor millibus: Levo, Pure, & Limoïâ singuli sex millibus: Levopia, & Galeno mille viris, & alii Casiquii aliquantulo numero, moderabantur. Quorum omnium Petuguitu sex millium Indorum dominus, authoritate, imperio ac viribus facilè princeps erat. Ex quo numero eâ tempestate, de qua scribimus, Horatio Bechio teste, vix vicies mille capita censebantur. Sed si extra vallem excurreres, ultra Biobium flumen, longè frequentior erat multitudo Barbarorum, vi aut sponte aliquousque Hispano parentium. Inquirentibus verò Sociis de præsenti hostium omnium numero, nihil certi compertum fuit, opinionibus infinitè variantibus. Gens omnis bonâ constitutione corporis, belli & agriculturæ laboribus, inter immensa vitia, quod mireris, aptissima est. A pueris quodcumque armorum genus quisque sibi elegerit, hoc uno uti totâ vitâ in bello cogitur, prohibito aliorum usu, ne continuâ instrumentorum bellicorum mutatione, nullius dexteritatem acquirant. In factiones partiti, si hostes in-

Araucanorum fortitudo.

Numerositas.

Diminutio.

Mores.

gruunt, utrum bellum ex usu sit, ipsi factionum Primores in commune decernunt. Decretum, triduanâ inter epulas consultatione, veterum Gallorum more, firmatum, inviolabile est. Heroïcis facinoribus insignes gradibus militaribus honorant: reliquos milites ex publico alunt. Araucani, teste Lipsio in exemplis politicis, à solis viribus corporis ductores legere solebant, experti eas in gravi aliquo ligno, quod qui diutissimè humeris bajulabat, nec succumbebat, putabatur & regendi oneri par futurus. Sed hæc stoliditas antiquata est: nam his temporibus, perpetuo cum Europæis bellandi exercitio, ut militum valore, sic Ducum militaribus virtutibus excellentium delectu præstant Porrò quamvis Hispani totum pœnè regnum ante rebellionem coloniis occupârant, tamen rari indigenæ nostra Sacra capessiverant. Obstabant Religioni propagandæ privati homines, Barbaros vario prætextu vexantes, & Christianæ legis æstimationem perversis moribus corrumpentes. Hæc una causa Europæos tangit: Barbaros verò multiplex. Quippe cùm Chileni passim, belli metu, in abruptis montium jugis, non oppidatim, sed uni ab aliis sejunctim, parvo numero viverent, difficile admodùm erat animarum curatoribus, doctrinæ tradendæ ergò, in tot loca distrahi. Accedebat multiplicitas pellicum, quibus gentis præsertim primores vario numero implicabantur, retardabanturque inveteratâ turpitudine, ne Christiani fierent. Casiquiorum autem tanta est authoritas, ut iis repugnantibus frustra subditos ad Fidem sollicites. Officiebat etiam gentis mos, non tantùm totos dies inter crapulam & privatas epulas debacchantis, sed etiam ad easdem, debacchationes vicinos remotosque populos in orbem invitantis; ita ut aliquando duo triáve millia Barbarorum ad convivium ex condicto convenirent, promiscua spurcitiarum, execrationumque omnium commercia, præside dæmone, exercentium. Nec parvo obstaculo erat error, quo putabant Baptismum esse omnibus lethalem, ex eo ortus, quòd ob gentis vitia ferè tantùm in mortis articulo, prudenti tarditate, Sacra nostra olim concedebantur, iisque susceptis, ut fit ferè, morerentur. Denique belli inquietudo, frequentes Magi, hebetudo ex palmaribus multorum vitiis, non exiguo Religionis Christianæ perseminandæ impedimento erant.

Obstacula Religionis propagandæ.

CAPUT XVI.

Araucani Infi excoluntur.

VERÙM tantis difficultatibus obluctati Socii, ordinatis Hispanorum rebus, in id omnem conatum intenderunt, ut frequentes Casiquii ad colloquium convenirent. Apud quos cùm Fidei nostræ Mysteria, & adventûs sui causas, exposuissent; Libipangus, inter suos authoritate pollens, cæterorum nomine, feroci oratione Patrum votis refragatus, vociferatur, non semel Religionis prætextu se fuisse & suos olim deceptos; Christianæ legis doctores esse prodromos servitutis & infortuniorum omnium. Hæc cùm diceret, addebat non brevem vexationum præteritarum elenchum, & verba in Sacerdotes opprobrio plena. Contra, Martinus Aranda, Chileno sermone potens, postquàm per commiserationem Barbarorum benevolentiam utcumque captasset, denunciat, viderent etiam atque etiam, ne optimam occasionem animi obstinatione corrumperent; nec vellent paucorum hominum insolentiam in totam Hispanorum gentem, pietati addictissimam, derivare; Religionis Christianæ quietem præ furialibus debacchationibus ne spernerent: id si vellent, futuros se apud Regem Catholicum, & Regios ministros, contra vexationes eorum defensores. Denique ad Libipangum, supra cæteros ferocientem, conversâ oratione, monet, ne unicum Deum in se sua proterviâ irritaret. His cùm iterum repugnarent Barbari, re infectâ, colloquium solutum est. Igitur Patres vitæ integritatem quovis sermone potentiorem fore autumantes, omnium virtutum specimina exhibebant, quæ immensum quantum pondus habuêre: nam fama de advenarum sanctitate longè latéque perlata permovit Barbaros ad capiendum experimentum de utriusque Socii castitate: quam cùm nullâ arte, nullo dolo, immissis etiam in eorum cubiculum fœminarum illiciis, labefactare potuissent, & insuper viderent rerum omnium temperatissimos, Libipangus ex improviso se eis stitit, atque veniam proterviæ præteritæ postulans spondet, se deinceps Patrum consiliis non interposi-

Libipangus Socius resistit.

Martinus Aranda Libipagum ad partes suas trahere frustra conatur.

Socii vitæ integritate pugnant.

turum.

turum. Libipango utcumque conciliato, reliquos Casiquios libuit ad generale colloquium iterum sollicitare: ad quod cùm sexaginta ex condicto convenissent, sic ex concilio discessum, ut proni omnium animi ad Fidem Christi recipiendam viderentur. Sed reverà inanibus spebus plerique Socios pascebant: nam ad eorum terras delati, nihil admodùm, nisi ab morientibus, non ægrè se eo in articulo Christianos fieri sinentibus, impetrabant. Quare nihil se profecturos rati, nisi gens, quæ disgregatim vivebat, authoritate Prætoris ad commodiorem Christianæ doctrinæ tradendæ usum, ad oppida redigeretur, ut id fieret, omnem conatum deinceps posuêre. In quam rem cùm Araucanæ arcis Præfectus vires & industriam suam contulisset, viculi propè innumeri ad viginti magnos pagos reducti sunt, statimque ab quingentis capitibus evictum, ut se Christianis præceptis in templis ab Sociis conditis imbui sinerent. Qua de re Bechius ad Provincialem scribens, asserebat proclivia sibi videri omnia, &, si non deessent operæ, multa millia Barbarorum brevi baptizari posse. Nec dubitabatur fore, ut pedetentim fructus insignium laborum uberrimi perciperentur; nisi hanc spem concussisset solita vexatio, quâ Barbari iterum dispalati ad sua latibula, pristimo more, rediêre. Restabat unica gentem ad Christum reducendi via; si nempe Sacella in singulis viculis conderentur, ad quæ continuo motu Patres nostri itarent; sed & illud disturbatum per novum arcis Araucanæ Præfectum, æquè Societati infensum ac suis rebus intentum. Quod reliquum fuit, Altare & Sacellum portatile Socii fecêre, Catechesim in ipsis campis non sine aliquo animarum lucro cogentes. Donec dæmonis artibus factum, ut, non ignotis authoribus, suas inter Indos vexationes ab Societate coram censeri non ferentibus, spargeretur in vulgus, Doctrinæ Christianæ ab Sociis obtrusæ respectu, Araucanos omnes iterum velle rebellare. Quæ res ita invaluit, ut extra arcem egredi totis septem mensibus ab Prætore prohibiti sint. Donec calumnia explosa in suos authores verteret, & daret locum pristinos labores repetendi. Id verò ex his vexationibus boni perceptum est, ut Araucani Societatem æstimarent magis, & confidentiùs eâ uterentur: igitur repetio variis in excursionibus aliquot centena capita paulò ante mortem ad partes Christi transiisse. Sed infantum ut proventus uberior, sic salus certior fuit. Ethnica mulier filiolum infantem statim à suscepto Baptismo ad cœlos evolare vidisse se testata est, quem ut sequeretur baptizari voluit. Unum è Sociis plurimorum Indorum Baptismo distractum interpellavit derepente mulier in speciem sana & vegeta, summis precibus contendens, ut se, nullâ interpositâ morâ, Christianam faceret: quo impetrato, exultans gaudio, quòd Mariæ nomen sibi contigisset, eodem instanti & loco feliciter expiravit. In perpetuo motu erant Socii, sive ad remotas Hispanorum arces, sive ad vicos indigenarum, per montium abrupta, per saxeta, per fluminum pericula, exiguo militum contra hostium subitos incursus comitatu, cursitarent. Adeò ut tantis laboribus impares ad Provincialem scriberent, decem Socios oneri ferendo non suffecturos: vocaret ab ipsa Peruvia & Europâ Socios; collegia deserent; magnos animos adferrent: si removerentur obstacula, innumeros Barbaros ad fidem traduci posse. Chilensis regni Prætor, litteris ad Regem Catholicum datis, narrabat, duos Jesu Socios universo exercitu Regio, ad retundendos rebelles, & amicos in fide continendos, aptiores potentioresque videri: admonebatque, è Reipublicæ bono fore, si decem Socii, in belli finibus, Regiis sumptibus alerentur. Peruviæ verò Proregem rogabat, ut quotquot linguæ Chilenæ periti de Societate in Peruviâ essent, interpositâ authoritate, ad Araucanos mitti procuraret. Sed si vera noscere cupimus, satis apparebat, nihil magni confici posse, nisi Indorum vexationi modus poneretur, ad quam rem cohibendam Socii omnes nervos contendebant.

Libipangus utcumq; conciliatur.

Araucani ad oppida reducuntur.

Iterum disparantur.

Socii ad Araucanos excurrere prohibentur.

Apud Regem Catholicum commendantur.

Et apud Peruviæ Proregem.

CAPUT XVII.

Ad Insulam Sanctæ Mariæ Socii utiliter navigant.

NEc in continenti tantùm se continuit Sociorum ardor, ipsum etiam oceanum pervasit. Sancta Maria insula est modica, quindecim ab littore milliaribus distans, è regione arcis Araucanæ posita. Hanc insulam indigenæ, partim Ethnici, partim Neophyti, sine Sacerdote, sub Europæo custode, incolebant.

Insulanorum mores.

Sed Christiani æquè ac Ethnici plures uxores alebant, Dæmoni communicabant, execranda omnia promiscuo usu sibi faciebant, nomine tenus inter se distracti. Igitur hùc delati Bechius & Aranda, ingenti labore gentem omnem in unum locum coactam gravi oratione docent, quemadmodum Christiani in gratiam Dei redeant, & Ethnici in album Christianorum referri possint. Concionem interpellavit vir inter suos nobilissimus Petrus Ternande, Baptismo olim, nescio quâ occasione tinctus, sed revera animo Ethnicus: is utrumque Patrem increpitum, quòd avitos mores interturbatum venissent, prohibet Christianam legem promulgari, vociferans assectis suis, pro Deo Quequebu esse, nec deesse cerimonias ac religiones, quas sui insulani, majorum suorum ritu, usurparent. Cùm verò Socii inquirerent de eorum avitis moribus, invenêre ab Christianis Ethnicisque mixtim certis temporibus conventum celebrari, quem Requetum vocabant: inibi post solitas debacchationes sacrificulos creari, Dæmonem consuli, & execranda sacraque omnia nefando prorsus modo misceri. Quocirca Aranda, ut erat Divinæ gloriæ cupidus, jam verò Dei contumeliâ, & Christiani hominis apostasiâ irritatus, periculi sui negligens, in hæc verba prorupit. *Tu verò*, inquit, *ô Ternande (nam te Christiano nomine non compellabo) fœdè errasti, qui abrenunciato olim Dæmoni reconciliatus Deum cæli terræq; conditorem contemnis: sed scias velim, nullo ferocitatis ostentamento permissurum me, ut te tuosq; infandis cerimoniis deinceps immisceas.* Repugnantem, asserentemque Chileni regni Prætoris permissu id fieri, cœlestibus mortalibusque minis terret, & mox litteris ad Prætorem datis impetrat, ne Barbari suum Requetum, quem politicum tantùm conventum esse mentiti fuerant, impostèrùm celebrarent. Quâ re perfectâ, & Petro Ternande per salubrem terrorem domito, conversionem plerorumque in expedito Socii habuere. Igitur primâ molitione centum & sexaginta Ethnicos Christiano ritu abluunt, Neophytos omnes Exhomologesi, nusquam ab iis per totam vitam usurpatâ, expiant: pellicibus demptis, singulas singulis uxores in matrimonium ritè collocant, superstitiones abolent, mandata Dei & Ecclesiæ promulgant, mores & preces Christianorum introducunt, denique quadrimestri labore magnam Insulæ partem Dæmoni ereptam Deo ritè consecrant: adeò felici successu, ut cùm eò Socii aliàs adnavigarent, nihil pœnè antiquarum superstitionum ebrietatúmve reperirent. In alia excursione centum, partim advenæ, partim indigenæ, ad partes Christi transfugêre: quorum aliqui narrabant se ad Baptismum petendum inductos, quòd ab Sacrificio Missæ tanquam canes arcerentur. Denique annuæ Sociorum litteræ asserunt, subsequentibus temporibus in modicâ insulâ fructus pietatis uberrimos fuisse perceptos: quibus sigillatim enucleandis supersedeo, nam ad Chiloënsem navigationem cum aliis Sociis, ultimas Oceani insulas scrutandi desiderio, me accingo.

Petrus Ternande Sociis se opponit.

Martinus Aranda eum reprimit.

Insulani convertuntur.

CAPUT XVIII. Chiloë insula temporario Societatis domicilio occupatur.

CHILOE Regni Chilensis maritima appendix, insula est quinquaginta leucis longa, lata septenis: arcuati brachii figuram habet, contra quod olim Geographi describebant, quadratam autumantes. Quà ad Meridiem obvolvitur, perangusto discissa freto, non multùm ab continenti discedit: & ipsa continens, quasi etiam ægrè avelleretur, sinu facto eam excipit. Altero sui angulo, quo ad Aquilonem vergit, liberiùs in mare vagatur. Regio omnis inæqualis est, montuosa, sylvestris, paludosa, & frigoribus immodicis obnoxia; utpote quæ quadragesimum-tertium latitudinis Australis gradum prætergreditur. Æstatem fœdant repentini turbines, adeò frigidi, ut vix à brumali tempestate distinguas. Obstant frugum maturitati gelidæ auræ, & calores in Autumno dilutiores. Si palmarem terræ superficiem verteris, statim incides in arenam rubram, immodicâ siccitate quodvis semen corrumpentem: & tamen sylvæ adeò proceras arbores gignunt, ut ex quibusdam quamplurimos asseres fieri Ovallius, non sine authore, asserat. Gleba, aratri ferè incapax, olim furculis colebatur. Ex hac terræ cœlique conditione tanta infœcunditas est, ut benè secum agi putent, qui insulsarum quarumdam radicum ex semente quintuplum colligunt. In hujus insulæ angulo Aquilonari, Hispani pauci profugi, urbium ab Araucanis rebellibus in continenti dirutarum

Chiloë describitur.

De Urbe Castrensi.

tarum reliquiæ, urbeculam ab Castro dictam condiderunt; quam Angli pyratæ anno sæculari pœnè in ortu devastârunt. Post quam devastationem vix triginta cives remansere. In altera è vicinis Insulis (quas infrà describemus) arcem etiam posuere, octoginta militum Hispanorum præsidio firmatam, qui, quia rerum omnium indigent, non ratò imbellibus indigenis graves sunt. Gens maris ejectamentis ferè vivit, quocirca ante adventum Hispanorum ora maritima solummodò habitabatur; sed postmodùm, vexationum metu, Insulani interiora terræ pervadunt, & in abruptis montium locis latebras quæritant, libertatis specie extremam rerum omnium inopiam sibi comparantes. Intexta reticulatim conchilia pro umbilicalibus subligaculis habent, cæterà nudi. Sub initium aditæ Insulæ, quindecim familiarum millia censita sunt. Unicum navigium, singulis annis è Chileno regno à Prætore missum, Hispanis subsidia vehit; reliquis temporibus eò nusquam navigatur. Scaphæ per eas insulas in usu sunt, ex tribus tabulis, crasso fune inter se consutis, compactæ, quarum rimas corticibus arborum maceratis obducunt. Nec unquam sine ingenti periculo in his scaphis, quas Pyraguas vocant, transfretatur. Sed majus discrimen ab Chilenis rebellibus, ad quorum littora Chiloë tota quanta est protenditur. Quare, si maris ac hostium pericula, si cœli terræque conditionem, si Barbarorum ac Hispanorum inopiam consideres, ut pœnè terrarum ultima est, sic extremum miseriæ attigisse videtur. Verùm hæc omnia acuebant desideria Sociorum, glorioſa discrimina & summas miserias pro propagando Christi imperio multis votis ambientium.

De Insulanorum conditione.

Piraguæ navigii genus.

AD hanc Insulam delati Melchior Vanegas, vir inter Societatis prima decora ab Nierembergio posteà relatus, & Joannes-Baptista Ferrufinus, Didaci Torres missu, ducentis & quinquaginta leucis terrâ marique è Chileni regni metropoli, unde discesserant, confectis, ab Hispanis, Castrensis urbis incolis, benevolentissimè excepti sunt. Mox in ædibus Chiloënsis Præfecti dono acceptis, Sacello adaptato, conciliatisque civium animis, ac Sacramento expiatis, totos se impenderunt in salutem Barbarorum. Pauculi Sacerdotes externi in ea opinione hactenùs fuerant, ut existimarent indigenas, tanquam Christianorum Mysteriorum incapaces, negligendos esse; quare rari admodùm, præter primum Sacramentum, Sacra nostra capessiverant: sed Sociorum quadrimestri labore & Catechesi effectum, ut qui Hispanis serviebant, vix ab Dominis suis differre viderentur, adeò promptè capiebant legis Christianæ elementa: quare non tantùm Baptismo, quo plurimi carebant, Exhomologesique digni sunt habiti, sed etiam, stupentibus ad novitatem Hispanis, ad Sacram Mensam, post severum examen, admitti meruerunt. Tanta porrò novos homines ceperat Sacrorum cupîdo, ut diem prævertentes, ante crepusculum Socios interpellarent; nec de die sinerent cibum quietemque sumere: quo ardore animorum usi, nihil non à Barbaris impetrabant. Scorta plurima in legitima matrimonia commutata, violentæ adeoque nullæ conjugum sponsiones denuo sancitæ, aut distractæ, nemo inventus qui Baptismum renueret, nemo qui non injurias condonaret, & ipsi adeò Hispani, ratione ac exemplo permoti sunt, ut vellent cum mortalium miserrimis mitiùs agere. Denique ex tota Insula adolescentes Indi advecti sunt, ut Christianâ doctrinâ per Patres imbuti, populares suos vicissim docerent eadem illa, quæ ipsi in Catechesi didicissent.

CAPUT XIX. Castrensis urbs ab Sociis excolitur.

Avidităs discendæ catecheseos.

QUATUOR mensibus in Castrensi urbe positis, mense Julio jam adulto scapham ascendentes, nihil Oceani furias veriti, Insulanorum pagos inspectum ivere. Viginti-quinque omninò erant, quorum municipes nullum hactenùs Sacerdotem viderant, nisi ferè ut vexarentur: quapropter Socios, integritatis famâ jam cognitos, summâ benevolentiâ excipientes, quando aliud non poterant, ex arborum ramis arcus triumphales erigebant: pueri puellæque, more supplicantium, floribus se coronantes, prælatâ Cruce floridâ, cum parentibus suis obviam prodibant. Nemo erat, qui non in canistro ostrea, pisces, ova, aves Sociis non

CAPUT XX. Chiloënses Insulani fructuosè ab Sociis adeuntur.

Barbarorum Chiloënsium pietas.

offerret:

Sociorum in eos officia.

offerret: à quibus vicissim acus, aciculas, hamos, grana vitrea, & reculas ejusmodi, plurimi ab Barbaris æstimatas, accipiebant: tanto cum utrorumque gaudio, neutri ut ab lacrymis amoris indicibus temperarent. In singulis pagis quinque circiter morati dies, extemporale sacellum ad faciendam & cogendam concionem erigebant, ægros invisebant, præstigias dedocebant; interiora insulæ & latebras pervadentes, omnia scrutabantur, Baptismo idoneos expiabant, ineptos verò spe alebant, spondentes, si se dignos præstitissent, fore, ut cùm redirent; idem beneficium consequerentur. Præterea, auditis singulorum querelis, miserrimæ genti condolentes, promittebant se cum Magistratibus acturos, ne milites eos imposterum vexare auderent; ubique affirmantes se lubenter pro cujuscumque salute vitam & sanguinem donaturos. Quam Sociorum virtutem temperantiamque Barbari cum aliorum Sacerdotum, quos viderant, conditione conferentes, blanda nomina ad significationem amoris identidem usurpabant, genitores suos & matres appellitantes. Cùm verò sanctos, & viros de cœlo lapsos, Deosque, vocari se sentirent, monebant, ut ab indebitis titulis abstinerent. Sex menses tenuit horum pagorum prima lustratio, in quâ, præter magnum baptizatorum numerum, undecies centum in Matrimonium collocati, bis mille Exhomologesi, nusquam aliàs usurpatâ, expiati, omnes denique ad fidem Christo datam conservandam dandámve animati. Secundùm quod, ad aliam Insulam navigantes, præsidiarios milites Hispanos excultum ivere, donec ad stationem suam Castrensem redirent; unde sæpiùs evocati, ultróve egressi, iterum iterumque eodem planè periculo ac fructu ad Chiloënsis insulæ pagos adnavigavere. Quibus rebus perspectis, Præfectus Regius honorariis litteris Sociorum labores Didaco Torres Provinciali commendavit, rogans ne vellet necessario planè auxilio mortalium miserrimos privare.

Sancti & Dii appellari renuunt.

Fructus excursionis.

CAPUT XXI.

Societas ob exagitatum servitium personale vexatur.

SED quamvis sic laborarent Socii, dubium non erat, per Regnum Chilenum, Tucumaniam, Paraquariamque, religionem Christianam ægerrimè propagatum iri, ni privatorum quorumdam hominum, præter jus fasque Indos vexantium, immoderatæ habendi cupidini obviam iretur. Quare Provincialis omnem conatũ, deinceps adhibuit, quo Regis Catholici decreta de tollendo servitio personali ad usum revocarentur. Hic locus postulare videtur, ut quid sit servitium personale, quomodo & ubi introductum, breviter explicem; ut deinde quãto Hispanorũ bono, quanto rei Christianæ incremento, quanto denique Regis Catholici & Senatûs Regii laude exagitatum sit, magis elucescat. In Americâ more positum est, ut Hispani de Republicâ benemeriti ab Prætoribus, aut aliis Magistratibus, majori minorive Indorum bello deditorum, vel in amicitiam acceptorum, numero, ad certas ætates præficiantur. Qui mos, statim post aditum novum Orbem inductus, ad usque nostra tempora perseverat. Regibus nempè Catholicis volentibus, ut loco tributi sibi debiti, hujusmodi hominibus, pro regionum captu, ab Indis aliquid persolvatur. Quâ re prudenter à Regibus excogitatâ, si Hispani Indorum Domini (Encomenderos vocant) moderatè, sicuti aliis in locis fit, uti voluissent, longè florentiorem Reipublicæ statum, Regiisque negotiis utiliorem, ac privatorum hominum usibus commodiorem, in his Australioribus Provinciis videremus: Sed plerique limitato dominio ab Rege concesso abutentes, annuis his contributionibus non contenti, ut Indi miserandum planè in morem personaliter, ut sic dicam, cum suis uxoribus & filiis sibi servirent, exigebant: atque id servitium personale vocabant: quo qui premebantur, nihil acquirere, nihil fermè habere licebat. Ex suis pagis ad Dominorum Villas, aut urbanas domos translati, nullâ repræsentatâ mercede, servitiis occupabantur. Nec rarò luce palam, colorato titulo, venditione distrahebantur. Quam ob rem magna pars Indorum Chilenorum rebellaverant, & apud Tucumanos Calchaquini, apud Paraquarios circumjacentes populi, externum imperium detrectabant. Si quæ Indorum nationes ad fidem Christo & Regi Catholico dandam sollicitarentur, pertinaciter abnuebant, Christianam Religionem certam esse ad perdendam libertatem viam exprobrantes. Qui verò jam dederant, passim desertâ fide, aut latibula circumspiciebant, aut fugam. Alii, inaccessis

Indi Hispanis commendantur.

Prudentia Regum Catholicorum laudatur.

Privati homines commendatis Indis, abutuntur.

montium

montium jugis aut paludibus longè à Dominis suis se abdentes, malebant in malesanis locis vitam brevi finire, quam duram servitutem diu servire. Provincias integras vis mali corripuerat, eò periculosiòr, quò suprema remedia respueret. Quippe iterata de abrogando servitio personali Caroli Quinti & Philippi secundi diplomata plerique urbium Præfecti, aut posito misericordiæ affectu, suis utilitatibus servientes, ab torrente se rapi sinentes, aut denique remedio impares, supprimebant. Eo in statu res erat, cùm Philippus Tertius anno sæculari, Majorum suorum exemplo, serpens malum disturbare cupiens, diploma rursum fecit, quo jubebat servitium illud aboleri. Interjecto tempore Claudius Aquaviva Generalis, cognito quòd primarii quidam Hispani Indos aliquot Chileno Collegio ac Tucumaniæ Societatis domibus dono dedissent, quibus nostri ad domestica servitia uterentur, ne exemplo noceremus, Provincialem Peruviæ, ac Didacum Torres Limæ adhuc versantem, per litteras monuerat, ut servitii personalis jus à præcipuis Theologis examinari curarent, & si quidem illud injustum esset, Indi in nostris domibus servientes, mercede pro impenso labore receptâ, manumitterentur. Sed actum acturi erant; nam Archiepiscopus Limensis Loiola è Dominicana familia, exquisitis doctissimorum virorum de personali servitio judiciis, sententiam tulerat, omnium calculis confirmatam, quâ injustum pravumque pronunciaverat. Præterea Marchio Montis-Regalis, & Comes Montium Clarorum, Peruviæ Proreges, necnon è variis Religiosorum familiis & Juris-consultorum ordine viri doctissimi, Regiis diplomatibus magno conatu favebant. Quare Didacus Torres, postquam quid in Tucumania & Chileno regno circa Indos gereretur, coram perspexisset, desperaretque, servitio personali non profligato, rem Christianam promoveri posse, requisitis de novo Sociorum in utraque Provincia sententiis, non ultra dissimulandum ratus, Indos omnes in Chileno Sancti Jacobi Collegio servientes manumittit, mercede pro impenso labore ex æquo repensâ. Quod exemplum sequuti pauculi cives conscientiis suis consuluere. Quo facto, quasi signo ad prælium dato, plerique Indorum Domini his servitiis impliciti, nuncium Societatis amicitiæ remisere, asserentes Provincialem & Socios, plus nimiùm justos conscientiarum tortores esse. Plebs verò omnis Primorum necessitudinibus innixa, pro Reip. hostibus palam jactitabat habituros se servitii personalis vexatores. Nec deerant nonnulli mortales, qui usurpatam consuetudine in Indos potestatem, ab Prætoribus Regiis introductam toleratamque, in justum dominium, etiam reclamante Rege, transisse affirmarent. Sed Societas, ne conniventiâ huic malo participaret, sui maximè Provincialis hortamentò, fortiter resistebat, & Regis optimi, necnon Senatûs integerrimi Decreta in privatis publicisque congressibus rationum vi confirmabat, infirmabatque malè opinantium dicta. Cumque sic constanter se gereret, & clam servitio personali abutentes, nî damnum resarcirent, à peccatis absolvere renueret, tanquam exemplo verbisque nocitura, publicam offensionem gravissimè incurrit. Nec unius temporis aut loci calamitas fuit; sed ex hinc ad plures annos, & omnia Chileni regni Tucumaniæ ac Paraquariæ loca pervagata, pœnè in ortu novellam Societatis Provinciam oppressit. Crevit tamen illa, magnarum rerum more, per sua damna illustrior, & contra injurias obluctata inter ruinas sese erexit, profligatura pedetentim infesti dæmonis vires, & novi Orbis magnam partem missura sub Christi & Regis Catholici jugum. Sed ne verba dare videar, post primos servitii personalis tumultus, Didacus Torres, nequicquam reluctante styge, Cuioënsem Provinciam sede occupavit.

Regii Præfecti & Magistratus.

Rex Catholicus reclamat.

Societas Regiis diplomatibus se accommodat.

Gravissimi viri servitii personale improbant.

Didacus Torres eis accedit,

Et Socii omnes.

Ob id Societas offensionem incurrit.

CUIO Provincia, Chileni regni Mediterranea appendix, ad ipsas montium radices, quà Tucumaniam respiciunt, quasi extra muros regni posita, ducentis in longum leucis variâ latitudine protenditur: tres urbeculas admodùm infrequentes habet, quarum caput Mendoça, in ipsis fermè montium faucibus, quà ad regnum itur, sita, Petrum Castillium, Peruano bello, erepto de manibus Pizarri, quod gerebat, vexillo nobilem, pro fundatore agnoscit: nomen vero ab Hurtado Mendoça Marchione Canetensi, Peruviæ Prorege, sortita, hactenus feliciter perennat.

CAPUT XXII.

Mendoça civitas Societatis sede ornatur.

Mendoçinæ civitatis origo.

Regionis conditio.

Æs Mendocinum inter legitima probâtur. Regio tota nullâ aliâ re, nisi fertilitate memorabilis est. Fertilitatem facit æstivo calore vicinorum montium nix liquefacta, & in subjectam planitiem ductilibus viis ad libitum dispensata, unde tanta frumenti, vini, & cæterarum frugum vis, ut adjacentibus terris multa suppeditet. Æstivos dies brevissimos faciunt continui montes ex abrupto sese in cœlum efferentes, Solemque paucis post meridiem horis occultantes: qui montes ultrò citróque ire volentibus transitum non præbent, nisi adulto Vere; quâ etiam tempestate non sine periculo & ingenti labore transmittuntur. Per ea tamen loca quotannis Indigenæ, nullâ sexûs aut ætatis habitâ ratione, pœnè nudi ad regni interiora servitum ire compellebantur; fiebatque ut multorum artus amburerentur vi frigoris, ac inter nives rigidi exanimarentur. Præterea multis aliis oneribus premebantur, miseri æquali corporum vexatione ac animarum incuriâ. Igitur Didacum Torres graves causæ impulerunt, ut sedem Societatis Mendoçæ ponere vellet; nam sperabat fore, ut miseri ab gravi servitio defensarentur, & multa millia Barbatorum ad Fidem converterentur. Adde, quòd è Tucumania ad Chilenum regnum euntibus, & inde redeuntibus, necnon Hispanis omni fermè animarum subsidio carentibus, Mendoçina sedes magno commodo futura crederetur. Accessit his causis liberalitas Lopêsii Peniæ, & Agnetis ab Leone, annuos census, domesticam sacramque supellectilem, & usum mancipiorum ad condendum templum ultrò Societati offerentium. At ubi consilium fundandæ sedis divulgatum est, Mendoçini cives palam refragati sunt, aïentes, honestiùs non admitti hospitem, quàm expelli; si Societas admitteretur, servitium personale, adeóque spem ditandi, profligatum iri. Sed Provincialis, rebus per adversa promovendis idoneus, Chilenis montibus remensis, Mendoçam delatus, apud plerosque cives dissertabundus demonstrat, quàm hactenus sine cura æternæ salutis vixissent: Indos fermè omnes in ipsa urbe, defectu Catecheseos & idoneorum Sacerdotum, magna ex parte adhuc Ethnicos esse: Neophytos perpetuò pellicatu implicitos hactenus fermè matrimonii legitimi, & pœnitùs Confessionis sacræ usum ignorasse: Per totam Provinciam nullum Sacerdotem linguæ Indorum peritum reperiri; proinde Barbaros innumeros æternùm perire. Hæc cùm Provincialis diceret, & insuper usitatas Societatis artes in Hispanorum moribus corrigendis graviter adhiberet, perque domos omnes cursitans indigenas Ethnicos, & Neophytos pellicatu infames, Sacramentis & Catechesi procurandos in catalogum exactissimè referret, ita sibi urbis Primores devinxit, ut plerique quod oderant, jam summis votis cuperent. Spretis igitur paucorum odiis, Alexandrum Faïam Italum, & Joannem Pastorem Hispanum, necnon Fabianum Martinium Laïcum, novæ sedi stabiliendæ præfecit; qui ardentes, per religiosa in omnis generis homines officia connitentes, salutem plurimorum consequuti sunt. Primus labor fuit, correctis Hispanorum moribus, indigenas Ethnicos, quotquot erant in urbe, à Provinciali in album relatos, doctrinam Christianam edoctos, Parocho baptizandos tradere.

Lopesii Peniæ & Agnetis ab Leone liberalitas.

Mendoçini cives Societatem admittere primùm renuunt.

Postea admittunt.

Et fructu lætantur.

CAPUT XXIII.

Cuioënses Indi doctrinâ Christianâ imbuuntur.

De eorum moribus.

QUIBUS rebus primo semestri perfectis, Alexandro Faïâ ad sarcinas remanente, Joannes Pastor, & Fabianus Martinius, ex præscripto Didaci Torres, ad excursiones arduas animum erexere. Indi omnes Cuioënses aut lacus habitant, aut campos campestres nullâ certâ sede, storeis portatilibus pro ædibus utentes, vagantur. Venatione plerumque vivunt. Palustres juncorum radices Sole duratas pro pane edunt, pro reliquo edulio pisces & lacuum rejectamenta adhibent. Cuniculorum in morem sub effossa humo ædes exiguo aditu sibi faciunt. Utrisque mos est, Judæorum ad instar, filias suas vendere, sic emptas mariti pro mancipiis & uxoribus habent. Pauperes pro sponsæ pretio soceris suis per annum serviunt. Ut quisque opibus valet, plures aut pauciores, duplici servitutis & conjugii vinculo illigatas, sub fornice alit. Ad hos populos delati Socii, cùm reperissent plerosque, vexationum metu, latebris se abdidisse, ipsas latebras, per paludes & torrentes rate ex storea & juncis raptim factâ vecti, pervasere: repertos docent se non vexandi, sed auxiliandi ergò veniisse; non ad servitium imponendum, sed ad eos in libertatem filiorum Dei

Multi ad fidem convertuntur.

asserendos.

asserendos. Quibus sermonibus ita cicurati sunt, ut statim centum & sexaginta Ethnici Baptismum receperint. Quatuor Sacella totidem in pagis Socii erexere, quò Indi hinc inde sparsi convenientes Christianis Mysteriis imbuerentur. Joannes Pastor litteris ad Provincialem datis scribebat, se calore Solis ac siti per eas arenas pœnè fuisse confectum. Faciem ab culicum morsu & caloris acrimonia ita deformatam, planè ut elephantiacus videretur. Quinque omnino menses in prima excursione positi sunt. Aliàs ad easdem terras eodem planè labore iidem itantes quingentos Barbaros baptizavere, & ex campestribus hinc inde sparsis ducentos, tantâ animi gestientis de dæmone victo lætitiâ, ut assererent labores quovis melle dulciores sibi videri, & illicia esse ad quidvis pro Christo tolerandum. Dum per montes inter Chilenum regnum, & Cuioënsem Provinciam medios Joannes Pastor excurreret, Indorum manipulis extra patriam servitum ire coactis obviam factus, tantâ commiseratione commotus est, ut togâm ipse suam (quod aliàs Didacus Torres etiam factitarat) in partes scissam nudis inter summa frigora infantibus, in itinere abs se liquefactâ nive baptizatis, dederit. Tandem Socii ab Senatu Regio impetrarunt, ne extra patriam hominum miserrimi, servitiorum ergò, ire adigerentur. Quamquam quis satis legibus incitatam mortalium habendi libidinem coërceat? Varias ad eosdem, & alios finitimos remotosque populos excursiones, per Socios Mendoçinos sub Didaco Torres Provinciali institutas, magno semper Baptismorum numero, dicere supersedeo; satisfeciisse ratus, si semel asseruerò Cuioënsem Provinciam maximè Societati debere, quòd Christiana sit. Pedetentim tamen res peragebatur: nam ferocitas & barbaries paulatim cicurantur; si patientiam non adhibeas, spem omnem corrumpes.

Quatuor sacella eriguntur.

Joannis Pastoris commendatio.

CAPUT XXIV.

Cordubensis sedes vexatur ob servitium personale.

OCCUPATIS per has sedes Chileni regni urbibus ac insulis, Didacus Torres continuato labore Tucumaniam denuò pervasit. Cordubam invectus, tyrocinio ordinato, auctoque novis Candidatorum atque ædificiorum incrementis, ad Indos domesticos sublevandos animum advertit: quos dum æquâ mercede compensatos manumittit, irritavit Cordubensium animos, in vindictam odiosæ rei palam Societatem insectantium. Exinde nullus civis domum nostram frequentabat. Indi, ne sanam de sua libertate doctrinam audirent, ab templo nostro arcebantur: Quotidianæ largitiones pro alendis Sociis, censu perpetuo nondum constituto, fieri solitæ subtrahebantur. Nullæ denique insectationes omissæ, si fortè in suam sententiam adduci possent. Sed Didacus Torres certus de Divino auxilio, si miserorum causam non desereret, constantiam adhibuit; in privatis publicisque congressibus servitium personale magnâ contentione exagitans, & nisi ab eo desisterent, cœlestem vindictam civibus interminans. Minis adstruxere fidem adventitiæ aquæ, deturbatis quàmplurimis ædibus Cordubensem urbem deformantes; tempestuosi turbines agros vastantes; pestiferæ auræ dominos æquè ac servitia, factâ corporum strage, inficientes. Quibus rebus territi nonnulli cives, Regiis diplomatibus sese accommodantes, sapuere. Sed plerique contra cœlestes mortalesque minas animos obstinavere; Indos solito more, & Societatem subtractione humanorum officiorum, vexantes. Ideò Socii diu tritico turcico, & parcis ex hortulo domestico frugibus, se sustentavere, eò ad animarum suarum curam alacriores, quò tenuiùs corpora alebantur. Sed Deus suis non defuit. Didacus Torres ad Tucumaniæ interiora lustranda se accingens, domûs Procuratorem monuit, eò magis Deo fideret, quò arctiora omnia domi videret; promittere enim se in sua absentia domesticis nihil defuturum: non frustrato eventu: nam cùm Antonius Ruisius, domûs Procurator, centum & octoginta nummos ab Provinciali abeunte solummodò accepisset, nec alia pecunia ad alendam numerosam tyronum domum suppeteret, subductis post octo menses impensarum rerum & dono acceptarum rationibus, reperit mille & octingentos nummos in usus domesticos insumptos fuisse, quorum nummorum magna pars, undeunde provenerit, nulla ratione resciri potuit. Præterea aliquot cives, etiam ex adversariis, interjecto tempore, quingentorum boum, & nongentarum ovium stipe nos donavere, Deo scilicet eorum corpora curante, qui pauperum causam, hoc est suam, susceperant.

Didacus Torres constanter agit.

Cordubenses cives rebus adversis de officio monentur.

Deus socios adjuvat.

CAPUT XXV. Occasione servitii Personalis sedes Esterensis deseritur.

Societas acerbè exagitatur.

Et præsertim Didacus Torres.

Socii se defendunt.

Episcopus Tucumanensis Societati adversatur,

Et plerique omnes.

Societas Esterensem sedem deserit.

SED longè violentior turbo Sancti Jacobi Tucumaniæ metropolim decussit, eò actioribus civium animis, quò majori ibi, quàm alibi, Indorum numero primarii cives imperitabant. Igitur postquam innotuit Provincialis adventus, & cognito, quid Cordubæ atque in Chileno regno patrasset, amore in odium repentè verso, collatis capitibus aiunt, eum demum esse Societatis morem, ut omnium conscientias inordinatâ religiositate vexet: nimiùm justos à Deo ipso improbari: sub hoc justitiæ & defensionis pallio latêre forsan occultam habendi cupidinem, ac per manumissionem paucorum, multitudinis possessioni inhiari: Societatem religionis specie ac aliis artibus in sua commoda Indos libertati restitutos facilè tracturam: hoc nempe esse, quod occultis cuniculis, & impetratis ab Rege diplomatibus intenderet, ut per aliorum miserias gradum sibi faceret ad divitias. Hæc in universos Socios. Sed in Provincialem jactabant, ante ejus adventum in Provinciam, omnia olim pacifica fuisse; postquàm advenisset, omnia turbari, Chilenum regnum, Tucumaniamque universam. His & aliis telis impetebantur Socii, qui quamvis sui purgandi ergò demonstrarent, ante Societatis in Peruviam adventum, Caroli Quinti & Philippi Secundi diplomata de abrogando servitio personali confecta fuisse: & constaret sub initium hujus sæculi, antequam Didacus Torres in Tucumaniam veniret, déque fundandâ Provinciâ Paraquariensi ageret, eadem decreta à Philippo Tertio fuisse renovata: nec ignoraretur Joannem Perez Chilensem Episcopum, requisitis doctissimorum virorum calculis, multò antequam eò Didacus Torres iret, servitium personale decreto damnasse: certumque esset in Provincialem, tantarum virtutum virum, Sociosque verè Apostolicos, injustam fictionis & cupiditatis notam minimè quadrare: affirmarentque Socii, se solâ religione adductos fuisse, ut regiis decretis obtemperarent: tamen non audiebantur, palamque odio erant his, quos per viginti annos parentum loco habuerant. Adeo verò spissæ erant tenebræ omnium oculis offusæ, ut ipsum Episcopum, Societatis amantissimum, pro tempore ita involverint, ut non dubitârint Socii asserere, Solem ipsum eclypsim passum esse. Ecclesiastici viri, abalienato capite, sese etiam palam ab nostro consortio subtrahebant, subsidia vitæ, Sociis rerum omnium egentibus ab civibus dari solita, denegabantur: templum nostrum ab nemine frequentabatur: Indi omnes ad nos adire prohibebantur. Denique eò deducta res est, ut Provincialem compulerit ad deserendam sedem, præsertim cùm satis ipse prævideret, postquam defervuissent primi impetus, temporariâ absentiâ desiderium Societatis apud cives cæterà non malos, & ad pietatem proclives, exacuendum: eoque postea æstimaturos magis, quò graviora Reipublicæ damna, eâ absente, sensissent. Accessit his causis Sancti Michaëlis Tucumaniæ urbis postulatum, eo ipso tempore, quo hæc fiebant, coram Provinciali summa contentione Societatis Collegium postulantis; & Alfonsi Riberæ Prætoris authoritas, quinquaginta aureos in singulos menses offerentis, tamdiu persolvendos, quamdiu opus foret ad domum Sancti Michaëlis perficiendam, quorum votis fieri non poterat satis ob defectum Sociorum, nî Sancti Jacobi sedes desereretur. Igitur plerique Socii, paucis civibus illacrymantibus, Sancti Michaëlis urbem petivêre.

CAPUT XXVI. In Sancti Michaëlis urbe sedes Societatis erigitur.

De primis Sancti Michaëlis urbis fundatoribus.

Ab Divis Simone & Juda defenditur.

URBS Sancti Michaëlis diu cum Sancti Jacobi civitate de Tucumaniæ Primatu contendit: quippe illam Joannes Nunius Pradus, anno quinquagesimo superioris sæculi, triennio antequam hæc construeretur, condiderat. Sed quòd paucis post fundationem mensibus eluvione pœnè periisset, & ex ejus ruinis Sancti Jacobi urbs feliciter surrexisset, apud hanc imperium, & apud illam antiquitatis jus, remansit. Anno sesquimillesimo sexagesimo-quarto, Philippi Secundi Regis Catholici jussu, Sancti Michaëlis urbem Didacus Villaroëlus, Francisci Aguirræ, Tucumaniæ Prætoris nepos, solidiùs instauravit. Instauratam Gualanus, Indorum in eâ regione potentissimus, aggressus, multis civium fœdè trucidatis, flammis deformavit, & absque dubio hostilis furor penitùs absumpsisset, nî Divi Simon & Judas, quorum tum festum agebatur, visibili specie, emissis undequaque terrificis splendoribus, Barbaros perterrefactos in fugam compulissent. Fugientium stragem, occiso

Gualano

Gualano, Hiſpani fecere, & urbem ſuam in æternam cœleſtium Propugnatorum tutelam, ſtatis cerimoniis conſecratam, tradidere: quæ exinde à Calchaquinis rebellibus multoties impetita ſtetit, Divorum Tutelarium, ut credimus, protectione, & Hiſpanorum fortitudine inconcuſſa. Quod ad ſitum attinet, iis montibus adhæret, qui totam Auſtralem Americam continuo quaſi gibbo dividunt. Circa eam montium crepidines, Vallium receſſus, & plana terrarum diſcriminantur villis, prædiis, viridariis omni pomorum etiam Europæorum genere abundantibus: tantaque eſt cæterarum frugum felicitas, ut primi coloni Sancti Michaëlis agrum promiſſionis terram nominarent. Sed amœniſſimæ regioni, ceu hortis Heſperidum, pro dracone non deſunt feroces tygrides, hominum ac aliorum animalium corporibus ſubinde ſe paſcentes: ut revereatis Providentiæ Divinæ regimen ubique læta triſtibus miſcentis, ne mortalis beatitudo ſine mixturâ mali nimiùm inſoleſcat. His tygribus interficiendis Indigenæ olim ſe ad bella docebant: qui plures venando mactaverant, relatis in teſtimonium recentibus ſpoliis, famâ & authoritate inter ſuos præſtabant. Porrò eas interficiendi Barbaris ea eſt ars. Prægrandem baculum, quâ utrimque definit, utrâque manu prehendunt, tygridique inſultanti objiciunt: cujus ea natura eſt, ut quidquid primo inſultu arripuerit, illud ſibi ex unguibus eripi non ſinat. Ubi ergo unguibus & ore in baculum involavit, venator baculo à dextrâ in ſiniſtram magnâ vi torto tygridem evertit, & antequam ſe in pedes erigat, quâ ventris mollia parefacit, transfigit eviſceratque. Cæterùm Hiſpani Sancti Michaëlis incolæ, miti ingenio, urbanitatem potius quàm arma, niſi proritentur, excolunt: pietati idonei, Doctores ſuos reverentur & amant. Igitur, Socios diu cupitos obviis ulnis amplexi, in paratam domum deduxêre, & ſummâ alacritate temporarium templum communibus operis exſtruxêre. Quibus in officiis ſuper cæteros excelluit Garcia Medina, vir nobilis, nulli in Americâ Auſtrali affectû in Societatem inferior: cujus memorabile in Ignatium Loiolam, nondum inter Beatos relatum, celebratur obſequium, in ſuburbano pago ſacellum ejus nomini dicatum ad privatam pietatem alendam erigentis, & populares exemplo ac voce ad tanti heroïs cultum animantis. Is paucis pòſt annis, vegeta adhuc ætate ac viribus, nihil de morbo lethali, nedum de morte propinqua cogitans, monitus ab Didaco Torres in familiari conſortio, ut ſuis rebus ultimis conſuleret, teſtamentum ſanus condidit, & Indis, clientelæ ſuæ ſubditis, ex rectè ſentientium placitis, pro ſervitio perſonali ſatisfecit, totiuſque vitæ delictis ſemel & iterum per Exhomologeſim purgatis, ante triduum derepentè è menſa ad lectum, è lecto ad tumulum delatus eſt. Nec dubitatum prævilæ mortis beneficium deberi Ignatio, in clientem variis negotiis implicitum opportunè benigno. Sedi præfectus eſt Ludovicus Leiva, aliquot Collegiorum jam olim in Peruviâ Rector, cum quatuor Sociis, qui non tantùm in culturâ Hiſpanorum, ſed etiam inter Lullos & Diaguitas ſemen vitæ ſpargendo, fructus cœleſtibus horreis non indignos edidere: quamquam in Calchaquinâ valle excolendâ præſertim excelluêre.

Ditionis natura.

De tygridii venatione.

Garcia Medinæ erga Ignatium affectus.

Is primus in America Ignatio ſacellum erigit.

Piè moritur.

Ludovicus Leiva ſedi primus præeſt.

CAPUT XXVII.

Calchaquina vallis ab Societate pacificatur, & diuturno labore percutritur.

HANC Vallem Socii olim, exiguo animorum fructu, ob inſignem incolarum feritatem, percurrerant: poſt quos nonnulli mortales ſervitiorum appetentiores, quàm propagandæ Fidei, per pacis intervalla, non ſatis examinatâ ferorum hominum conditione, nullâ fermè præmiſsâ Catecheſi multos baptizavere, ſicque baptizatos extra patriam, prætextu Doctrinæ Chriſtianæ, ad ſua commoda, repugnantibus Barbaris, educebant. Ex qua origine exortis utrimque injuriis, bello inter Hiſpanos & Calchaquinos conflato, per totam Tucumaniam ad arma clamatum eſt. Verebanturque Reipublicæ capita, ne orta inter Hiſpanos ſub id tempus civilis diſcordia hoſtibus victoriam pareret: cùm opportunè Didacus Torres, è Tucumaniæ metropoli nondum egreſſus, præteritarum injuriarum immemor interceſſit, ſpondens ſe Sociosque, ſi ſineretur, fore pacificatores. Prætor & Epiſcopus, laudatâ Societate, quòd Reipublicæ ac animarum causâ tantis periculis ſe offerret, Joannem Darium, & Horatium Morellium Italos, ab Provinciali deſignatos, ac ſuâ ſponte capita ſua devoventes, cum poteſtate pacis conſtituendæ, & pro arbitratu

Belli occaſio.

Didacus Torres ad pacificandam, Vallem operam offert.

Joannes Darius & Horatius Morellius in Vallem mittuntur.

Benevolè admittuntur.

Pacem firmant.

Sacella erigunt.

Quingentos infantes & ducentos adultos cum Vallis Duce baptizant.

A Virgine Maria juvantur.

Ter vallem lustrant.

Uterque forter agunt.

E valle exeunt.

Vallem postliminiò repetunt.

Saltensem agrum excolunt.

Guapacharum Hispanis reconciliant.

A Magistratu saltensi expetuntur.

rem Christianam administrandi, viatico instructos amandant. Ubi apud Calchaquinos fama vulgavit, in finibus suis Socios JESU adesse, finitimi armis positis advolant, spondentes se imperata facturos, dummodò deinceps ab injuriis temperaretur, & Societas in sua valle permaneret. Id idem cùm interiores populi affirmarent, pace constitutâ, ambo Socii in pleraque vallis oppida summis pro captu gentis lætitiæ ostentamentis invecti sunt: statimque in undecim pagis totidem Sacella ad usum sacrorum erexere Barbari, Baptismum & nomina Christiana postulantes. Verùm Patres rati non fidendum incensis novitate animis, ita rem attemperarunt, ut ostenderent nihil magis velle, quàm eorum votis obsequi, dummodò Ethnicorum mores constanter abjurarent. Valuit dilatio ad seligendos idoneos, in tot millium numero planè paucos; nam omnis pœnè multitudo quotidie in intestina externaque cum vicinis Barbaris bella, & ebrietates, necnon superstitiones effusa, nullum, si Christiani fierent, futuræ constantiæ indicium dabant: quare præter quingentos baptizatos ex infantibus, vix ducentos adultos, plerosque fortè in mortis articulo, nostris Sacris aptos, initiali fonte Socii immersere; inter quos ipse Calchaquinæ vallis Dux, & tres alii Casiquii, desertis pellicibus, Christo nomen dedere. Non hîc omittendum, magnam partem eorum successuum deberi Magnæ Virgini, cujus Iconem Sociis subinde coram multitudine promentibus, Ethnici stupore quodam attoniti, fixis in eam oculis, ac toto corporis habitu, ostendebant se in tantæ Reginæ amorem venerationemque tacitâ vi rapi. Socii igitur tantæ Virginis auxilio, in omnem partem se vertebant ad disponendos multitudinis animos: ter per abrupta montium cacumina difficillimis itineribus, spretis vitæ periculis, totam vallem pedites peragraverunt, manibus suis idola evertentes concremantesque. Sub tecto ex levi palea & luto extemporaliter facto humi cubabant. In statis excursionibus, sub dio, rigidissima regionis frigora simplici lodice tecti excipiebant. Præter triticum turcicum & legumina nihil ad cibum adhibebant. Inter quotidianas furibundorum hominum debacchationes, bellorúmque strepitus, tantam adepti mentis quietem, ut se Cœli deliciis affluere, datis ad Provincialem litteris, assererent. Joannes Darius, occultâ quâdam virtute adeò venerabilis Barbaris fuit, ut sæpè inter incitatas & jamjam pugnaturas utrimque ferorum hominum acies stans, authoritate odia sedarit, utrâque factione domum remissâ. Morellius verò adeò contemptor vitæ fuit, ut cùm certò cognovisset mortem sibi à Barbaris quâdam nocte parari, nihil turbatus, ad Crucis erectæ pedem in propatulo somno se aptavit, cum hac voce: *Veniant*, inquit, *Barbari, me namque, quamvis dormientem, non imparatum ad mortem pro Christo tolerandam reperient.* Evênit aliquando, ut inter medias hostium derepentè irruentium sagittas, pro tuendo grege, uterque se præcipitarent, & in eorum fermè oculis unius pagi municipes ad unum omnes trucidarentur. Si quandoque milites Hispani invitis Magistratibus, ut fit, ad vexandos Barbaros vallem ingredi auderent, tum verò furebant maximè, & quandoque furorem in Socios convertebant, quasi ipsi occultis consiliis ad se vexandum evocarent Hispanos. Quibus suspicionibus eluendis, & reprimendæ privatorum hominum avaritiæ, simulque ut daretur locus Evangelium pacificè Barbaris prædicandi, uterque Saltam, Hispanorum oppidum, ad Alfonsum Riberam Prætorem egressi, quidquid voluere, facilè à Magistratibus impetravere. Sed non ideò privati homines modum fecere cupidini. Igitur quamvis postliminiò, Prætore & Episcopo, adeoque Calchaquinis ipsis adnitentibus, vallem repetierint; tamen satis apparebat Calchaquinos excoli non posse, nî perpetuæ Societatis sedes per vallem disponerentur: ad quam rem, Regis Catholici & Peruviæ Proregis authoritas munificentiaque suo tempore commendabitur. Iidem Socii post certa temporum intervalla Saltensem agrum pervadentes multis mortalibus saluti fuere. Guapacharum gentem, Hispanis infestam, cum Prætore reconciliavere: tantâ Saltensis urbis aggratulatione, ut Magistratus accuratis litteris utriusque Socii utilia gesta Provinciali commendantes, rogarent ne ditionem suam tantorum virorum præsidio nudaret. Nec admodùm alias res per Tucumaniam in tanta paucitate Sociorum aggredi lubuit, nam Paraquaria præcipuè petebatur.

CAPUT XXVII. Didacus Torres Conceptionis urbem in Frontonum finibus excolit.

DIDACUS Torres, inutiles in suo officio moras nectere nescius, è Tucumaniæ metropoli per desertam octoginta leucarum planitiem iter occipit: quâ emensâ, Conceptionis urbi, ad lacum fluminis Rubri positæ, proximus, ab Magistratu inurbanas litteras accipit, quibus nomine publico ab ingressu urbis arcebatur, monebaturque ut flexo itinere aliò diverteret, ne Indos ab solitis servitiis retrahens Rempublicam turbaret. Provincialis inexpectatâ acerbitate motus, ne dissimulatione malum serperet, per legitimum judicem, litterarum author debitis pœnis compescito, urbem ingressus, coram Magistratu demonstrat, nihil se nec suos ab Regis Catholici placitis alienum docere, nec repugnare justis ac moderatis Indorum servitiis; sed in id tantùm incumbere, ne suprà modum cum certo ipsorum & Europæorum damno gravarentur. Valuit ostentatio fortitudinis ad eludendas dæmonis machinationes, veriti ne accessu Provincialis & ejus Sociorum urbs spiritualibus destituta subsidiis, eoque ipsi addictissima, Deo reconciliaretur. Igitur Jubilæum ab Paulo Quinto nuperrimè concessum promulgat per quindecim dies quotidie Concionem cogit, privatis colloquiis technas dæmonum dissolvit; tantúmque potuit, ut odio in amorem ac æstimationem verso, Hispani omnes, nemine dempto, nuncio dæmoni remisso, in Christi gratiam per Exhomologesim redire satagerint. Sed misera Frontonum conditio erat, antiquis moribus sub generis humani hostis tyrannide perseverare amantium. Quos dum conspiceret latissimè usque ad Peruviæ fines vagantes, & insuper cognovisset Abipones, Mataguas, Naticas, Mogosnas, Tonocotanos, Frontonibus agnatas nationes, Sacerdotum defectu sub eadem tyrannide esse impetus illi fuit, Divi Xaverii exemplo, in Europam renavigandi, & per academias Hispaniæ ac Italiæ quantâ posset vocis contentione Academicos ad commiserationem tot populorum commovendi. Sed vanus erat sine facultate impetus: quare, unico tantùm ex his nationibus infante ante mortem baptizato, adverso flumine Argenteo Paraquarioque iter suum continuans, Assumptionis urbem feliciter tandem tenuit; & sub finem anni ab inito sæculo noni Paraquariæ statum hunc fermè reperit.

Urbs eum recipere renuit.

Didacus Torres urbem ad se recipiendum adigit.

Urbis inurbanitatem brevitatis officiis compensat.

Frontonum misera conditio.

CAPUT XXIX. Paraquariæ status.

QUAMVIS Reges Catholici, jam inde ab Caroli Quinti temporibus, Episcopos & Sacerdotes ad Paraquariæ culturam submiserant; rari tamen reperti sunt qui se totos Indorum curæ traderent, nisi quod vir planè Divinus . . . . . Bolanies Franciscanus, incorruptione corporis post mortem celebris, & aliquot ex eodem Ordine præclari viri, egregiam operam sub hæc tempora in excolendis Barbaris collocarint, quorum magnam multitudinem in Assumptionis urbis ditione, quatuor oppidis constructis, immortalem sibi, & Illustrissimo suo Ordini, gloriam pepererunt. Aliquot etiam alia oppida in eadem regione constructa externis Sacerdotibus subdebantur; qui quia Assumptionis urbis & suburbanis regionibus procurandis vix sufficerent, nedum ad longinqua loca extendere se possent, cogebantur Episcopi regiones integras uni Sacerdoti, tantorum laborum impari, committere. Quare miserrima erat urbecularum per Paraquariam immenso tractu inter se dissitarum, & oppidorum, quà Ethnicorum, quà Neophytorum, facies; quorum multi Sacerdotum defectu, nullo Europæorum Indorumque discrimine, Matrimonia lege veteri contrahebant, aut palam pellicatum profitebantur. Deficiente Catechesi lex Divina & humana pœnitùs ignorabatur. Sacrorum usus ferè nullus, factiones, lites, ambitus affatim. Quibus malis quamvis pauci Socii ante fundationem Provinciæ pro viribus remedium attulerant, tamen locorum vastitas, & mali pernicies multiplicitasque, remedia alia exigebant: quæ tandem magna ex parte adhibita sunt, dum Didacus Torres Assumptionis domum pro potestate in Collegium vertit: nam exinde Barbaries latiùs expugnata, vitia profligata, ignorantia debellata, & bellum dæmoni majoribus viribus indictum est. Marcellus Lorençana Rector, partitis inter Socios vicibus, adverso Paraquario & ad alia loca longè lateque excurrebat. Impetratum ab Episcopo est, ut anathema diceret his, qui ex villis, pagis, latibulis Indos nondum baptizatos statutis temporibus ad Societatis Collegium non sisterent. Sed quamvis sic in Assumptionis urbe & aliis Paraquariæ locis Societas elaboraret, tamen

Franciscani Patres aliquot oppida fundant.

Alia Barbarorum oppida ab Sacerdotibus construuntur.

Laboratur penuriâ Sacerdotum.

Inde vitia & ignorantia.

Tota regio ab Societate juvatur.

longè

Ex Regis Catholici placito Societati novæ Barbarorũ Provincia assignantur.

longè majori ardore animi ad Provincias Ethnicorum Christo subjugandas Didacus Torres ferebatur: quibus votis promovendis opportunus adfuit Ferdinandus Arias Prætor, qui recentissimas ab Rege Catholico litteras acceperat, jubente in Ethnicorum Provincias emitti Religiosos paulò ante ex Europa à se missos, significanteque nolle se armis, sed solâ per idoneos viros Evangelii prædicatione Barbaros ad Fidem converti. Quas litteras cùm Didaco Torres legendas tradidisset, ipse se statim & suos Regi obsequentissimos fore spopondit. Huic rei accessit Illustrissimi Præsulis Paraquariensis postulatum, auxilia ad easdem Provincias Christo lucrandas ab Societate exigentis. Igitur Prætor & Episcopus amplissimas Barbarorum terras Regis Catholici nomine ita commendarunt, ut simul potestatem Societati facerent, nova Neophytorum oppida condendi, templaque erigendi. Prima verò regio, quam excolendam Socii accepere, Guairania fuit; de qua, quia sæpiùs dictum dicendumque mihi est, lubet paucula tradere.

CAPUT XXX.
Guairania describitur.

1609.

GUAIRANIA Paraquariæ Provinciæ regio ab Oriente Brasiliæ obversa, ab Occidente Paranâ fluvio, ingenti intercapedine clauditur. Ejus latitudo hinc ab Austro ad Urvaicenses campos, inde ab Septentrione ad sylvas & abvias paludes, incertâ sed immensâ etiam vastitate excurrit. Regio magna ex parte sub Capricorno posita, ob calores immodicos, & humidum solum, æquè ciborum ac morborum ferax est: iisdem nempe causis fertilitatem & febres facientibus. Feris & serpentibus alendis aptior, quàm hominibus. Si tamen Gusmanno credimus, sub Hispanorum in Americam adventum trecenta capitum millia in Guairania numerabantur, incolebantque præsertim Huibai, Tibaxivæ, Paranapanæ, Pirapi, & Paranæ littora: fidem tantæ multitudinis adstruunt frequentes & pœnè continuæ pagorum ruinæ, quas morbi, & Indorum abactores fecere, adeò ut ex tanta multitudine (hac de qua scribimus tempestate) vix quinta pars superesse crederetur.

Quondam populosa fuit.

De Guairaniæ urbibus.

Utriusque urbeculæ Hispani cives eorum posteri sunt, qui ductis in Paraquariam coloniis eò sub medium sæculi præteriti cõcessere. Gens miserrimè vivit, nullus pane vescitur, nisi ex mandioca radice confecto, nec carne nisi venatione quæsitâ. Alces multi mactant, quorum animalium ungula Cardiaco morbo prodesse dicitur.

De Guairaniæ lapillis.

Celebrantur Guairaniæ lapilli, quos theca ovali & lapideâ humani capitis magnitudine incrustatos natura, mirâ prorsus ratione, ostentat. Thecæ hæ lapideæ, terræ visceribus inclusæ, ubi ad quandam quasi maturitatem pervenerint, non secus ac ollæ ferreæ, quas bombas milites vocant, magno strepitu diffractæ in partes per aëra dissilientes, lapides spargunt planè elegantes; sunt enim pellucidi, alii amethistino janthinoque, illi herbeo prasinoque, plurimi vitreo rubeoque gaudent colore: plerique in adamantina acumina desinunt, tanta varietatis amœnitate, ut gemmarum arculas, si lapillorum splendorem conspexeris, jure dixeris. Sed satis constat hos lapides brutos esse, Foïensibus in agro Leodiensi non absimiles. Quod antequam constaret, Guairaniæ cives his onusti urbem suam deseruisse, & in Hispaniam navigare voluisse, spe immensi lucri, feruntur. Verùm ex itinere retracti, risum quem meruerant reportavere. Passim occurrunt arbores, è quibus balsama eliquantur. Multa etiam fragorum ac fructuum genera, ut cætera Paraquaria, sylvæ suppeditant.

De flore Granadillo.

Inter flores principem locum tenet Granadillus, Christi pro nobis passi instrumentis nobilis, ex quo flore fructus gignitur, modici ovi magnitudine, cortice dempto suavissimus, adeò ut prototypus esse possit Dominicæ Passionis meditatæ, cui, si demas extremam faciem, mira suavitas inest.

De Guembe

Secundùm hunc Guembe in deliciis est, formâ utrimque oblongâ in acumen desinente, & magnitudine palmari, qui cortice fisso ad modum mali punici subflava grana esui præbet. Fructus meræ dulcedinis est, si semen in ipsis granis minutissimum mandendo dentibus non contriveris; nam contritum, acrem faucium dolorem parit. Optimum voluptatis humanæ emblema, sub dulcedinis specie, si usu teratur, merum fel propinantis. Ipsum semen, si in summitatibus arborum putridis corticibus excipiatur, flexuosas fibras funium ad instar in terram librat; quæ hausto terræ humore, radicibusque conceptis, in arbores se rursum, hæderæ in modum, erigentes, uberes fructus ostentant.

Sunt

Sunt & dactili multò quàm Africani insuaviores; ex his tamen qualecumque vinum pulmentumque conficiunt, quin & ipsas palmarum medullas, fame urgente, pro pane comedunt. Inter sylvestria animalia sues celebrantur, inversâ naturâ umbilicum in dorso ostentantes, quem si occisâ prædâ statim non præscideris, illicò tota fera putrescit. Apum ingens numerus & specierum varietas, quæ nullo tempore cicurantur; cera nullâ arte albescit; mel plerumque generosum hydromelli conficiendo idoneum est. Viperæ multò hîc quàm alibi acriores, pluribus passim mortalibus, deficiente antidoto, exitium adferunt. Unas reperies, quæ ex ipsis arboribus se vibrantes, tortuosi corporis voluminibus obvios homines ferásve complectentes, nisi amplexantem ferro priùs rescideris, momento occidunt, paulatimque devorant: hæ si nimio cibo sese repleverint, ventrem Solis radiis objiciunt, quo cum cibis putrefacto, pristinis viribus se restitui sentiunt. Aliæ in fluviorum marginibus grandes rictus ostentantes, spumis ex ore egestis, pisces inescatos mirâ promptitudine voracitateque deglutiunt. Aliæ denique ex paludum ripis derepentè subsilientes, quasdam aves invadunt, quæ vicissim se defendentes, quoties se feriri sentiunt, herbam Macaguam dictam, unde aves nomen sibi sumunt, pro antidoto vorant, & sanæ ad prælium redeunt: delectabili planè duello, quippe Macaguæ alas pro scuto, rostrum pro telo; & ipsæ viperæ aquam pro vallo, flexuositatem pro tutela habentes, nec facilè mactant mactantúrve. Præter has res, vicinis etiam regionibus ferè communes, & simias, & tygres, nihil admodùm singulare Guairania parturit. Quod ad Sacra attinet, hæc regio pœnè semper sine Sacerdote, sine Sacrorum adminiculis fuit, nisi quòd per octennium Emmanuel Ortega, & Thomas Fildius eam excoluerant: sed iis abhinc decennio revocatis, iterum Sacris pœnè destituta lugebat sub pastoribus ad tantum munus inidoneis. Urbs Villarica Parochum habebat religionem olim professum, qui, nescio quâ occasione eò delatus, fingens furto sibi ablatas professionis suæ vestes, impostèrùm se Clericorum in morem induerat, temeréque per Provinciam discurrens Barbaros hinc inde, nullâ præmissâ Catechesi, magno animarum damno, baptizabat. De alterius urbeculæ Parocho dubitabatur, num verba Sacramentis conficiendis legitima ignoraret. Laïci intolerabili errore passim sine Baptismo Indis, quorum operâ utebantur, nomina Christiana indebant. Denique si speciem & nomina demeres, Christiani Ethnicique, Hispani & Indi, multis in locis planè iisdem moribus vivebant.

De suibus exoticis.

De Viperis.

Sacrorum penuria.

CAPUT XXXI.

Josephus Cataldinus & Simon Maçeta Guairaniæ urbeculas à peccatis expiant. 1616. Josephi Cataldini castitas.

AD hanc Provinciam Josephus Cataldinus, & Simon Maçeta, Sacerdotes Itali, cum amplissima potestate ab Episcopo, Prætore, & Provinciali missi, sesquimestre iter per sylvas & paludes, crebraque ferarum ac fluminum, necnon Barbarorum pericula, abripientes, Guairaniam primum Hispanorum oppidum faustis auspiciis Purificatæ Virginis pervigilio, anno currentis sæculi decimo, tenuere. Appulsos morbus periculosus afflixit, in quo morbo eluxit Cataldini castitatis amor, ab octogenario homine fricationem corporis pro remedio constanter renuentis. Valetudini restituti, urbeque solitis Societatis artibus excultâ, Villaricam octoginta leucis distantem adverso Paranâ & Huibaio petivere: quâ Civitate etiam expurgatâ, recuperatisque, quæ jam inde ab Ortegæ & Fildii temporibus reservabantur, Sacrorum instrumentis, ac librariâ supellectile, iter suum ad remotas Barbarorum nationes indixere. Sed cives Villaricani pertinaciter reclamantes, commeatum negavere: verebantur enim ne, si oppida inter Ethnicos Societas fundaret, deinceps ab servitiis conquirendis prohiberentur: & eò progressa res est, ut potentem Casiquium idcirco vinculis onerarint, quòd è sua patria ad transportandos Patres venisset. Sed Socii, ostensis Prætoris & Episcopi litteris, ex Regis Catholici præscripto, Indos ad oppida reducere jubentium, liberato è vinculis Casiquio, ad Paranapanæum flumen cymbâ vecti perrexere.

Villaricani frustra Socios retinuunt.

CAPUT XXXII

Societas in Guairania duo oppida fundat.

PORRÒ Paranapanæum ex Brasiliæ montibus ortum, hausti in decursu Tibaxivâ, Pirapo, Itanguâ, aliisque minoribus fluviis, Paraquario fermè par, ingentem aquarum molem in Paranam evolvit. Utrumque littus magnâ arborum varie-

tate vestitur: sed Cedri præsertim apud indigenas in pretio sunt, adeò proceræ vastæque magnitudinis, ut ex singulis arte excavatis navigiola conficiantur viginti subinde remorum capacia. Eo flumine adverso Socii navigantes tandem eò devenere, ubi Pirapum flumen ei commiscetur. Ibi oppidum condere, & de Virginis Lauretanæ nomine, Josepho Cataldino expeditionis præfecto, nuncupare placuit. Nec repugnavere ducentæ circiter Barbarorum familiæ eum locum incolentes, & operam suam ad opus libenter offerentes. Exstructo eò loci extemporali templo ulteriora pervadentes, Tibaxivæ, Pirapi & Paranapanæi fluminum littora excussum ivere. Viginti-tres Barbarorum pagi erant, quorum ultimus octoginta circiter leucis distabat ab eo loco, in quo Lauretanum templum condiderant: in quibus pagis aliquot sagittariorum millia, præter imbellem multitudinem, censuere, quos sollicitavere, ut vellent, facilioris constantiorisque doctrinæ ergò, magna oppida construere, aiëntes plus satis esse compertum, dispalatos, & in tot factiunculas divisos, vix solidè doceri posse. Verbum Dei semen esse, quod rigatione continuâ indigeat. Sacerdotum hortationibus, bonorum exemplo, Sacramentorum frequentiâ, ceu cibo, fidelium animas nutriri confirmarique: quo cibo indubiè carerent, si disgregatim vivere pergerent. Spondebant insuper, si convenirent, se fore contra vexatorum suorum injurias perpetuos defensores: quibus sermonibus persuasi multi, Lauretum se contulerunt, & quia multitudo major videbatur, quàm ut uno oppido claudi posset, secundum fundando alteri locum, ab Lauretana sede quarto lapide distantem, Aticaie Casiquio postulante, Patres elegere: erectoque templo, Ignatianum nominavêre. Præterea alter pagus Itaberaça dictus, adnitente Araterâ, inter suos potente, designatus est, quò, qui Christo nomen dare vellent, possent transmigrare. Maracanæ potenti Casiquio & ejus fratri, numerosi pagi dominis, quòd indecorum sibi existimarent aliis minoris aut æqualis notæ Casiquiis se adjungere, honori datum, ut etiam non procul ab Lauretana sede cum suis clientibus quartum oppidum conderent. Quibus rebus ordinatis, turbam Indorum Lauretum præcipuè, & ad Ignatianum oppidum, ubi Socii sedes suas posuerant, confluentem excepere: frendentibus interim Indorum vexatoribus, materiam conquirendorum servitiorum subtrahi per Societatis artes ægrè ferentibus. Sed Socii, causâ freti, authoritatem Episcopi & Prætoris, adeóque Regis Catholici, ostendebant. Quibus in rebus dum sunt, commodè accidit, ut Visitator Regius in Guairaniam magna cum potestate veniret, ad quem centum leucarum itinere pergens Cataldinus, cum reductis Casiquiis, impetravit decretum fieri, quo utriusque Guairaniæ urbis cives, ex vi litterarum Regis Catholici, prohibebantur Paranapanæi, Pirapi, Itanguæ & Tibaxivæ accolas per vim aut dolum, aut quovis alio prætextu, ad suas urbes traducere; reductione Indorum solis Societatis Patribus, Regiâ authoritate missis, permissâ. Sub initium fundationis horum oppidorum, adjuta pœnis cœlestibus in reluctantes Barbaros nostrorum industria est: nam Rodericius Guabairus, Lauretani oppidi dux, pertinaciter clam pellices fovens, ferociensque, repentino incendio involutus miserabiliter interiit. Valuit unius pœna ad terrorem cæterorum: & rerum sacrarum æstimationem auxit infans morti proximus, per Cataldinum, recitato Evangelio, pristinæ sanitati restitutus. Non toto pòst anno plurimi ex his viginti-tribus littoralibus vicis ad designata duo oppida, & totidem eis subcensitos pagos, sese adjunctum venere, adnitentibus Patribus quanto numero possent per frequentes excursiones novellam Rempublicam augere. Præcipuus verò labor erat in Christianis dignoscendis: quippe eorum plurimi, quid Deus, quid Baptismus, quid bonorum malorumque fines, quid Christus, quid cætera Sacramenta & nostræ Fidei elementa, dum baptizarentur, penitùs ignoraverant. Igitur plerique, adhibitâ cautione, sacro latice denuò infusi sunt. Minùs cum his, qui Christianorum nomina jactitabant, & cum reliquis Ethnicis Fidem non ægrè admittentibus, laborandum fuit. Inter quos labores Socii parcissimè vivebant, fabas & farinam ligneam inter primarias cupedias habebant. Sale condire cibos pœnè inusitatum, corium aut rete pensile pro lecto erat; itinera longissima per fœda paludibus & arundinetis loca, per sylvas spississimas, & montes asperos, pedites semper conficiebant: & tamen ita exul-

Lauretani oppidi primordia.

Cataldinus & Maceta latissimè per Guairaniam excurrunt.

Barbaros allicium.

Ignatiani Oppidi origo.

Duo alii pagi ad reducendam gentem designantur.

Indorum abactores incassum fremunt.

Visitator Regius, Societatem defendit.

Pœna cœlestis spurcum hominem prosequitur.

Socii multos baptizant.

Parcè & laboriosè vivunt.

tabant

tabant animo, ut lætitiâ in corpus redundante, cùm maximè vellent, risum continere non possent. Atque hæc sunt Lauretani ac Ignatiani oppidorum fundamenta, quæ futuris temporibus fuêre seminaria undecim aliorum in Guairania, Societatis operâ, pro augendo Christi & Regis Catholici imperio, fundatorum.

CAPUT XXXIII. Ab Societate Paranensium cura suscipitur.

EODEM planè tempore, quo Guairania per Societatem adita est, Guairanorum populi, qui inter Assumptionis urbem & Paranam interjacent, Paraquarioque obversantur, hactenus Hispanis rebelles, multò se quàm anteà tractabiliores ostendêre: nam Arapizanduvius apud eos populos authoritate pollens, Ferdinandum Ariam Paraquariæ Prætorem adierat, spondens, si Sacerdotes concederentur, se cum fœderatis Casiquiis oppidum conditurum, Hispanoque Regi pariturum. Auditâ legatione, lætitiâ exiliens Prætor, rectà Episcopum adit, Sacerdotesque in spem Paranenses ad fidem Christi Hispanumque imperium traducendi juridicè postulat. Sed Episcopus renitens asserebat, neminem suorum clericorum suo missu iturum ad Barbaros, quos hactenus experti fuerant generis humani & nominis Hispani hostes infensissimos: irent, qui antropophagorum rabiem satiare amabant. Prætor repulsâ exacerbatus, Didaci Torres authoritatem interponit, quocum iterum rogatum pergit, ne Præsul optimam occasionem negligere vellet, si elabatur nunquam forsan rediturum: Eos populos ab ipso Hispanorum ingressu rebelles esse: se sæpiùs cum eorum ferocissimis manus conseruisse: se semel duello in ipso belli fervore provocatum ab gentis antesignano fuisse, eoque prostrato vix evasisse mortis discrimen: quam plurimos milites Hispanos in his Barbaris expugnandis fœdè trucidatos: sumptus magnos in gente ferocissimâ refrænandâ ex ærario factos esse: nihil hactenus successisse: opportunitatem hanc in manibus esse: magnum negotium facili negotio confici posse, si nempe Sacerdos unus aut alter pro bono publico, & lege Dei promulgandâ, periculo exponatur. Eam esse Regis Catholici mentem nolentis imposterum vi armorum, sed Evangelii prædicatione, Christi fidem in Ethnicorum terras induci: rogare itaque se, ne tantam spem metu corrumpat. Immoto adhuc ad ista Præsule, aienteque nullum è Clericis suis missurum se, nisi Hispanorum militum catervâ contra Barbarorum furorem circumseptum, & ex ærario publico sumptus expeditionis suppeditarentur. Tum Didacus Torres, eâ quâ solebat animi magnitudine, *Ego verò*, inquit, *Rectorem Collegii (nam nullum alium linguæperitum habeo) pro Reipublicæ Christianæ bono, quantovis periculo, sine præsidio militum, exponam, & socio meo loco Rectoris relicto provinciam meam solus obibo.* Mox domum regressus Socios ad colloquium vocat, repræsentatâque re Marcellum Lorençanam Rectorem certis oculis respiciens: *Quem*, inquit, *mittam, & quis ibit nobis?* cui ille, nutibus Majorum obedire assuetus, cùm in genua provolutus, *Ecce ego, mitte me*, subintulisset, ad iter se accingere cum Francisco à sancto Martino Sacerdote jubetur. Ubi fama urbem pervasit Lorençanam tot annis Assumptionis domui præpositum, nobilitate, litteris & virtute clarum ad antropophagos propediem profecturum, dici vix potest quantis laudibus ornata sit Societas, quòd tantum virum tantis periculis pro augenda Dei gloria objiceret. At ubi se dedit in viam, cum eo effusi plerique urbis Primores, per decem leucas optimum patrem prosequuti, in immensum expeditionis pericula extollebant. Nec inanis erat civium metus: quippe Indi, ad quos ibant Socii, præter innatam barbariem, magorum infestationem, debacchationum consuetudinem, Hispanico bello ac odio innutriti vix spem faciebant ab quovis Europæo capite se aliquando temperaturos.

Ferdinandi Ariæ sollicitudo.

Paranensium ferocitas.

Regis Catholici religio.

Didaci Torres zelus animarum.

Marcellus Lorençana expeditioni præficitur.

CAPUT XXXIV. Inter Paranam & Paraquarium Societas oppidum fundat.

EMENSIS triginta leucis, ægrè superatis fœdissimis paludibus, in primo Indorum pago sede fixâ, viculis in viciniâ excussis, gentem quam potuit reduxit, & mox designatâ oppidi aream, atque ex levi paleâ lutoque erecto sacello, in humili casâ diu noctúque omni officiorum genere laboravit, quo reducti Barbari, spretis veteratorum deliramentis, Deum omnium conditorem agnoscerent. Sed frustra inveteratos Ethnicorum mores mutare contendas, nisi patientiam & tempus adhibeas. Corruptela malæ consuetudinis pedetentim, non tumultuosè, eliminanda est.

Barbaries patientiâ curatur.

Ferarum hominum debacchationes

Barbari in novo oppido, suo more, debacchationes suas exercentes, pictis ad terrorem nudis corporibus, duos trésve dies per certa temporum intervalla, noctu etiam insomnes compotitando, inter vociferationes, cachinnos & ululatus tantâ ferocitate ducebant, vix ut dubitarent Patres aliquando phanaticorum hominum manibus se perituros: & semel inter has epulas certis indiciis Lorençana deprehendit, sibi & socio condictam à Barbaris fuisse mortem, nisi dæmonum insidias Superi prævertissent. Nec aliud frænum indomitæ genti reprimendæ, nisi patientia, & cæterarum virtutum exhibitio fuit: quâ sensim sine sensu effectum, ut pleroſque puderet inveteratorum morum, & aliquousque mitescentes Baptismum peterent. Sed Lorençana constantiam morum stabilitatemque exigebat, solebatque damnare quorumdam Sacerdotum præcipitantiam, sine Catechesi, sine morum mutatione, sine spe ulterioris doctrinæ, lucri vel famæ causâ, Baptismum sine delectu conferentium. Quem errorem dudum luxit lugebitque America. Totum fermè annum tenuit Lorençanæ constantia, Baptismum, nî se disponerent, salubriter differentis: donec puer ex insperato concionantem interpellaret magnâ voce, differri se nolle, sed abjurato dæmone filium Dei esse velle clamitans. Eò ob insolentiam rei solemniter baptizato, alii deinde atque alii, inter quos Arapizanduvius & Aniangara, gentis Primores, idem beneficium non sine cæterorum æmulatione consequuti sunt.

Sociorum pericula.

Baptismi prudenter dilati.

Arapizanduvius & Aniangara & multi alii baptizantur.

CAPUT XXXV.

Novum oppidum bello affligitur.

FAMA baptismorum longè latéque perlata permovit Paranensem mulierem, ut clam marito cum filia è patria fugeret, remedium animæ instinctu divino quæsitura. Quæ res Lorençanæ glorioſi Martyrii pœnè causa fuit: nam Barbarus, fugâ conjugis ferox, in Sacerdotem causam transfugii derivans, populares eò adduxit, ut arma in vindictam sumerent. Sed hi priùs iram suam aliò vertentes, Mahomas, Hispanorum amicos, ex improviso invadunt, factáque strage, magnam captivorum turbam ad solitas Antropophagorum epulas abigunt: de qua re Lorençana per nuncios, nomine publico, apud Paranenses conquestus, antequam mactarentur petiit reddi captivos, nî mallent totam Hispanorum nationem ad bellum irritare. Immotis ad hæc Antropophagis, tumultuoséque respondentibus, multorum Mahomarum jam se carnibus saturasse, reliquos ad victimam saginari: bellum se malle, quàm captivos carnificinæ destinatos restituere: & addidere in Lorençanam minas, aientes nusquam jucundiùs compotitaturos, quàm in ejus coronato cranio. Eâ re nunciatâ non dubitabatur bellum domi esse. Quapropter Neophyti Catechumeniquè pro Pastore arma capientes, Aniangaram in belli ducem eligunt, in qua electione innata gentis superbia innotuit; nam ubi Aniangara, vir inter suos præstans, in ducem omnium votis designatus est, sic populares suos, gaudio subsiliens, affatus fertur. *Non immeritò me in ducem vestrum elegistis, ô viri, quem fama longè lateq; novit strenuum; me circum omnis vicinitas ob res bello gestas reveretur & amat. Nam quis, amabò, hostium vires toties fregit? Aniangara. Quis insidias elusit? Aniangara. Quis opima spolia toties reportavit? Aniangara. Aniangara mihi nomen est æquè hostibus timendum ac amabile. Quamvis enim multos vicerim, victoriâ adeptâ ita mihi temperavi, ut nullos ex captivis occiderim, non magis in bello ferox, quàm patrato bello clementiâ clarus.* Hanc Orationem excepere lætæ vociferationes popularium, novo Duci pro more gentis applaudentium. Non diu post cohors Hispanorum Resquino duce cum trecentis Indis amicis in subsidium venit: quibuscum Aniangara copias jungens, omnes simul ad Paranam profecti, mille Barbaros reluctantes, & pacis conditionem respuentes, facto prælio, nemine nostrorum desiderato, fuderunt, fugaruntque. Partâ victoriâ Resquinus Lorençanam rogat, ut se magno periculo subtrahens ad urbem redeat: non dubium enim, quin Paranenses exacerbati, potiùs quàm domiti, conjuratione factâ, vires ad eum perdendum redintegrarent. Contra Lorençana: *Conjurent*, inquit, *in meum caput mille pericula, tamen nunquam adducar, ut tanquam Mercenarius, veniente lupo, fugere videar.* His fortiter dictis, ab amplexu Hispanorum divulsus, impostorum se totum Neophytorum suorum Catechumenorumque bono impendit.

Belli occasio.

Barbari Lorençana minantur.

Aniangara in belli ducem eligitur.

Resquinus in subsidium venit.

Prælium.

Lorençanæ constantia.

AUCTO reductorum numero, Marcellus Lorençana Oppidum & Templum commodiori in loco condidit, Ignatianumque nuncupavit. Sed Paranenſes recenti dedecore exaſperati, & inſuper Chriſtiani nominis odio barbaram ferociam ſtimulante, novi Oppidi ruinam machinantur: multoque quàm antea majori numero conſpirantes, pictis ad Barbaræ militiæ modum corporibus, fluvium tranſmittunt, ac novo oppido proxima loca deprædantur. Quod ubi exploratores nunciaverunt, immenſum quantum trepidatum eſt. Nam Hiſpani abierant, & hoſtes numero præſtabant. In his anguſtiis, Lorençana Dei fiduciâ fretus, ſalutis animarum quàm corporum diligentior, in utramque tamen curam intentus, Sacra ne profanentur comburit, Catechumenos omnes raptim Baptiſmo expiat, Martyrii coronam, ſi in eo prælio cadant, adpromittit; imbellem turbam in ſylvam recipit; omnia denique boni paſtoris officia exequitur. Nec defuere ſuis partibus Neophyti, ultrò ſe pro incolumitate Sacerdotis ſui offerentes. In his rebus dum ſunt, ab exploratoribus nunciatur, hoſtes neſcio quo metu perſtrictos intra fines ſuos ſe recepiſſe. Nec dubitatum ad eos terrendos multum valuiſſe Lorençanæ ſanctitatem, continuis precibus pro ſalute gregis Superos fatigantis. Sed ejus ſocius Franciſcus à Sancto Martino, ingenti eâ occaſione perculſus timore, ad inſaniam redactus eſt. Ut videas, quibus animis opus ſit inter Barbarorum terrores, & necis perpetuum periculum: quamvis verò poſtmodùm ad ſanam mentem redierit, conſtantiam tamen in Societate non tenuit. Pervagatâ iterati periculi famâ, altera cohors Hiſpanorum ab Prætore ad retrahendum Lorençanam mittitur: ſed is in opinione perſiſtens, negat ſe ſtationem ſuam deſerere velle. Ad urbem tamen negotiorum ergò tantiſper excurrit, unde auctus altero ſocio ad oppidum rediens, novos belli tumultus reperit. Nam abſente eo hoſtes vaſtationem occœperant, pergebantque excurſionibus infeſtare omnia. Devaſtationem excepit peſtis, ex peſte orta Neophytorum diſperſio, & quorumdam abalienatio, ita ut Lorençana, per ludibrium & iram à Barbaris, tanquam ſi bellum, peſtem & famem ipſe feciſſet, verberibus iteratò malè exceptus ſit. Accedebat dæmonis invidia, omnia more ſuo turbantis, & in publicis Barbarorum congreſſibus palam ab Lorençanæ conſortio ſuos aſſeclas prohibentis. Sed vir planè Apoſtolicus denuò reduxit Neophytos, & beneficiorum magnitudine, necnon patiendi artibus, in officio continuit, oppidumque ordinavit. Præterea nullam omittebat occaſionem de Paranenſibus benè merendi, quò eos ad Fidem pelliceret. Tribus captivis morti adjudicatis à Prætore veniam impetravit, & donis onuſtos ad Paranenſes ſuos remiſit, viciſſimque ab iiſdem tres pueros itidem captivos redemit, & infamibus Antropophagorum epulis ſubduxit. Denique in fundatione novi Oppidi Rector Lorençana, per biennium extra Collegium egregiè laborans, Societatem noſtram præclaro facinore decoravit, viamque, fundato hoc Oppido, ſtravit Sociis Paranæ & Urvaicæ populos ſub Chriſti jugum aliquando miſſuris.

CAPUT XXXVI. Oppidum Divo Ignatio ſacrum alio loco inter belli tumultus ædificatur.

Hoſtes inſurgunt.

Marcelli Lorençanæ fiducia.

Sollicitudo.

Paranenſes fugiunt.

Franciſcus à Sancto Martino metu ad inſaniam redigitur.

Hiſpanorum auxilia.

Paranenſium infeſtationes.

Lorençana ab Barbaris variè vexatur.

Reducit Barbaros.

Paranenſes conciliare contendit.

SUB eadem tempora memoratur Societatis ad Guaicuræos expeditio, quorum mores breviter perſtringam, ut, cognitâ gentis & locorum conditione, labores Sociorum magis eluceſcant. Guaicuræa gens omnis bipartita eſt: altera pars Guaicuru, altera Guaicuruti, tolerabiliori nomine, quàm ingenio, nuncupantur. Utrique, ſi Aſſumptionis urbem ſpectes, in oppoſita Paraquarii ripa, quà Peruviam reſpicit, nulla certa ſede habitant. Ibi tamen frequentiores ſunt, ubi Pilcomaius, è Peruviæ montibus ortus, in Paraquarium ſeſe exonerat. Cæterùm, quaqua ſubido eſt, oppida ſua circumferunt: ſtoreas plicatiles pro domibus habent, quas ceu ovium caulas hîc vel alibi explicant: ſerendi artem negligunt potiùs, quàm ignorant, venatione piſcationeque veſcuntur. Naturam qualiumcumque venenatorum animalium eſu ab teneris unguiculis aſſuefaciunt: vermes, viperas, tygridum leonumque carnes, innoxiè devorant. Fœminæ barbaro, ſed honeſto, more ſe cõtegunt: viri ad conciliandam formidinem nuda corpora coloribus maleolentibus à capite ad calcem media ex parte deturpant potiùs, quàm pingunt. Barbulæ loco digitalem lapidem mento inſerunt, capillos bitumine liniunt, calvitiem ſibi arte faciunt,

CAPUT XXXVII. Guaicuræorum mores.

Guaicurei bipartiti.

Palabundi.

Pilli.

Magnatum experimenta.

cæteros corporis pilos evellunt, faciem factis cicatricibus discriminant; fortitudinem majori minorive deformitate metientes. Præcipuum gentis oblectamentum ebrietas & militia est. Porrò per crudelissima experimenta nomen dignitatemque militum adipiscuntur. Nam eum titulum ambientes robur suum immanissimorum tormentorum patientiâ, suras, crura, linguam, ac alias corporis partes sagittâ terebrando, aliis probent necesse est: tantillo gestu aut quiritatu dolorem inter tormenta testantes ab honore excluduntur: Quem ut securiùs nanciscantur, etiam infantes spinis aculeisque sua membra transfigere, inter ludicra exercitia habent.

Ducum reverentia.

Pueritiam & adolescentiam cursu, laboribus ac præliorum imitamentis indurant: Ducem suum, supra morem cæterorum Barbarorum, insolitis prosequuntur obsequiis: ejus sputa manuum palmis excipiunt, comedentem stantes circumstant, nutus omnes observant, viarum obstacula amovent.

Belli modus.

Bellorum apud eos est frequens causa ebrietas, aut rabiem satiandi libido. Cum Chiriguanis, Abiponibus, Frontonibus, & aliis morum similitudine agnatis populis, continua exercent prælia. Ex bello captis adultos omnes mactant venduntque, imbellem ætatem suis moribus assuefaciunt. Atras ad pugnam noctes amant, impetu tantùm validi, catervatim cuneatimque resistere indocti. Noctu illato damno ad sua latibula per fœdissimas paludes & arundineta uni ab aliis sejuncti, tygridum instar, se recipiunt. Eâ arte, ac excubiarum frequentiâ, per integrum fermè sæculum Hispanis non tantùm restitêre, sed etiam multas clades sine notabili suorum diminutione, avitas superstitiones conservantes, intulêre.

Damna ab Guaicuræis illata.

Assumptionis urbem jam inde ab suâ fundatione cædibus & latrociniis fœdavêre, villasque & suburbana loca innumeris insultibus attrivêre. Ferdinandi Ariæ Prætoris sororem, & complures alias Hispanas mulieres, in fœdam captivitatem abegêre. Infinita denique damna fermè indemnes, æquè in pace ac in bello timendi, fecêre. Gentis impunem ferociam juvabant terræ uliginosæ humilitas, & occurrentia passim flumina vadis impervia, densissimorumque nemorum & arundinetorum latebræ, inque humido solo ardente præsertim sole difformes anguium formæ.

CAPUT XXXVIII.

Guaicuræorum regio ab Societate aditur.

QUAMVIS ergo Guaicuræi solo flumine Paraquario ab Assumptionis urbe arcerentur, ob gentis & locorum conditionem, nullus hactenus Sacerdos Evangelii ergò ad eos ititarat, donec Didaci Torres Provincialis animo insedit ardor intactam Provinciam tentandi. Et quia veteranorum Sociorum copia non suppetebat, Rochum Gonsalvium, clarissimum postea Provinciæ nostræ decus, quem ante initam Societatem Episcopus Paraquarienfis in Vicarium suum designaverat, Provincialis elegit; præstabat enim veteranis omni genere virtutum & rerum experientiâ semestris tyro.

Rochus Gonsalvius & Vincentius Griffius missioni præsunt.

Huic additus est Vincentius Griffius, Italus Sacerdos, quos Didacus Torres sic affatus fertur: *Videtis*, inquit, *quàm Deus vos amat, qui utrumque præclarissimis periculis objicit. Tu, Roche, id in tyrocinio, & Tu Vincenti, non admodùm senex obtines, quod Veterani tantis votis ambiunt, nec impetrant. Videte, ne vano timore corrumpatis spem de vobis conceptam. Videte, inquam, ut egregio facinore novellam hanc Provinciam decoretis.*

Didacus Torres utrumque animat.

Sic breviter animatos cum potestate publica oppidum fundandi (nam cum Magistratibus egerat) ad Guaicuræos amandat. Prætor propinquâ affinitate cum Rocho conjunctus, frequensque nobilitas & Magistratus, quamvis utrique Socio denunciarent haud dubia vitæ discrimina in regione pestilenti: tamen sperantes, eorum authoritate, infestissimæ gentis furorem aliquando refrænatum iri, in immensum Societatis Institutum laudabant, spondebantque (quod & fecere) ad Regem Catholicum litteras honorarias se missuros, postulantes, ut egregium facinus dignâ æstimatione compensaretur. Transmisso Paraquario, Socii per uliginosa loca tridui iter emensi sunt, quorum adventus ubi per excubitores Guaicuræis innotuit, dici vix potest quantum turbarum excitum est; plerisque Barbarorum in utrumque tanquam in exploratores, ac hostium suorum præcursores, involare volentibus. Sed cùm Socii deliberatâ morte fortes per interpretem nunciassent, se non nisi pacis & veri Dei prædicandi ergo venisse, præ-

Utriusque pericula.

ter

ter spem Dux Barbarorum populares suos à violentia arcuit, & postquam exploratum est nullas detegi Hispanorum insidias, in comitatum induxit. Obstabat egregiis principiis insscitia linguæ: nam per interpretem Indum obscura per se nostræ Religionis rudimenta obtusissimis ingeniis explanare difficile erat; quare diu noctuque calamo excipiebant interpretis verba, ut faciliùs memoriæ commendarent. Quæ res suspicionem proditionis movit, tanquam si Patres situm terrarum, vires ac arma, modumque invadendi, Hispanos per has litteras docere vellent. De his itaque mactandis iterum egere; patrassentque scelus, ni Rochus Gonsalvius è charta recitasset Guaicuræorum linguâ prima nostræ Fidei documenta; quæ adeò placuere Barbaris, novitate attonitis, ut Dux casam ex storeis erigi Sociis juberet, seque Religioni Christianæ utcumque conciliatum ostenderet. Nec parum juvit ad authoritatem Rochi Gonsalvii Barbaris nota nobilitas, quem primum Magistratum inter Ecclesiasticos nuper gessisse non ignorabant. Igitur alterâ occasione, authoritate tanti viri refrænati, violentas manus ab eo abstinuerunt.

Ambo in comitatum admittuntur.

MENSE integro in conciliandis Barbaris posito, de condendo fixo stabilique Oppido actum est; nam satis apparebat gentem vagam nec regi posse, nec instrui. In quam rem Barbari, ut sunt ad novitatem alacres, non difficulter concessere. Quin ipse Dux fide publicâ cum Rocho Gonsalvio in urbem se conferens, immenso gaudio Didacum Torres Provincialem, expeditionis authorem, falso necis illatæ Sociis rumore perterritum, affecit, inque eam sententiam traxit, ut nullo Hispanorum comitatu secum ad designatum oppidi locum pergeret. Eò igitur Provincialis, in corio concavo flumina transmittens, & per paludosa loca Guaicuræorum humeris delatus, confidentiâ munificentiâque eorum animos ita Societati devinxit, ut post ejus discessum, ex vagis sedibus, in speciem mansuri oppidi, storeas suas multiplici sedulitate Barbari erigerent. Inter quos uterque Socius toto anno tam multis tamque variis distenti sunt curis, ut eorum in laboribus patientia pœnè fidem excedat. Victus; si venenosa animalia excipias, nihil à Barbaro differebat. Domus ex storea & luto vix quincubitalis, culicum diu noctuque pertinax infestatio; aër in paludoso solo pestilens, aquæ dulcis inopia, tygridum viperarumque frequentia. Accedebat inexplicabilis fœtor, quem ex unctis putridâ piscium pinguedine corporibus exhalabant. Sed intolerabilior in vitiis inveteratio erat pertinaciter pristinas furias redintegrantium. Noctes horrificabant ebriorum ululatus intercalari silentio horribiles. Dies fœdabant ceremoniarum infernarum & propatulæ Veneris spectacula. Inter quas spinas castum par apum sub storea luto illita (nam alia domus non erat) tanquam sub alveari elaborabat per preces & studia linguæ mel generosæ probitatis. Donec, improbo labore, pauculâ Guaicuræorum verba tertiarent. Tum demum frequentem concionem cogere, ad remota loca pergere, latebras excutere, parvulos instruere, Barbaros mores carpere, Christianos laudare; quod per verba nequibant, gestibus & vultu facere; omnes denique Apostolicorum virorum partes pro linguæ modulo implere. Sed surdis plerumque canebatur, obfirmatis contra sanam doctrinam animis. Relatum tamen aliquod operæ pretium, Ducis filiâ ac infantibus plurimis ante mortem expiatis: obtentumque ne vellent imposterum mortuorum inferias, pro more gentis, mactatione carorum celebrare. Grassata deinde pestis æquè corporibus noxia ac animis utilis fuit: nam Socii rati faciliùs animos conciliari posse, si corporibus inservirent, in omnem partem diu noctuque se versabant. Chirurgorum penuriam ipsi per se supplebant: lignatum aquatumque ibant, venam laxabant, cibos ori ingerebant, suis lodicibus ulcerosos involvebant: iisdemque lodicibus sanie infectis Griffius ipse uti deinde non abhorruit. Tantâ quorumdam ægrorum approbatione atque exempli efficaciâ, ut quinquaginta adulta capita ante mortem Baptismum admiserint. Atque hi sunt primi labores; & quasi tentamenta Martyrii Rochi Gonsalvii; in tyrocinio ostendentis qualia facinora veteranus miles aliquando editurus esset. Fama est, tanquam certæ rei, in

CAPUT XXXIX. Societas sedem apud Guaicuræos ponit.

Didacus Torres Guaicuræos adit.

Sociorum labores.

Guaicuræorum debachationes.

Socii Barbaros docent.

Exiguo fructu.

Postiù.

Rochus Gonsalvius & Griffius laudantur.

Vincentii

Vincentii Griffii jugulum Guaicúræos per furorem involaſſe, & in proculcatum cultros jam aptaſſe: ſed quia tantam rem in authenticis litteris non reperio, in medio relinquo. Cæterùm, de Guaicuræis & reliquis Barbaris, qui nec ſerunt, nec fixam ſedem habent, ſic exiſtimatum velim, eos eſſe plerumque pervicaces, & minus aptos ad Fidem capeſſendam retinendámve, ut ſuis temporibus in comperto erit.

HISTORIÆ PROVINCIÆ PARAQUARIÆ SOCIETATIS JESU

LIBER QUARTUS.

CAPUT I. Appellunt subsidiarii, & sedes in portu Boni-aëris stabilitur.

ANTIS rebus in Assumptionis urbe perfectis, Didacus Torres secundo Paraquario Argenteoque flumine ad portum Boni-aëris contendit. In quo portu Societatis sedes, abhinc biennio posita, temeritate Joannis Dominguesii nutabat. Is Theologiam Limæ & in Chilensi regno docuerat: sed subinde Boni-aëris domui Præpositus, rerum Indicarum tædio, & parum sedatæ mentis turbine agitatus, inconsulto Provinciali, tanquam si futuri templi materiem advectum iret, in Brasiliam primùm, tum in Hispaniam navigavit. Quò cùm appulisset, & se stitisset Provinciæ Aragonicæ, in qua Societatem olim amplexatus fuerat, jussu Claudii Aquavivæ religiosis pœnis pro ratione delicti punitus resipuit, & temerarium factum constanti virtutum exercitio correxit. Id non tacui, ut posteri exemplo sapiant: præterit enim hæc vita, & Historici, pro officio, ut verè, ita liberè, vitia & virtutes omnium ad cæterorum doctrinam propalabunt. Didacus Torres nullum habebat, quem Dominguesio sufficeret, & multa invitabant ad perpetuandam Boni-aëris sedem. Nam fluminis Argentei Prætor, in Ethnicos Magellanico freto obversos irrumpens, aliquot captivos nuperrimè fecerat; quorum aspectu Provincialis senserat desiderium ferociſſimam gentem, necnon Charuas, Iarosios ac alios populos Guaicuræis simillimos, cis & trans fluvium Argenteum longè latéque vagantes, juvandi. Præterea, quotannis ex Africa, magna vis Æthiopum, pro mancipiis distrahendorum, huc advehebatur, quibus animarum subsidium, si Societas à portu abesset, futurum erat nullum. Desiderium incendebant Didacus Marinus Negron, novus Prætor, & ejus decessor Ferdinandus Arias, viri integerrimi, continuationem sedis multis rationibus exigentes. In his rebus dum sunt, Joannes Romerus Provinciæ Procurator, & novemdecim subsidiarii Socii, partim Sacerdotes, partim laïci, ex Europâ in portum invecti, multiplici gaudio Provincialem & utrumque Prætorem exhilaravere; eò maximè lætos, quòd temporaria Boni-aëris sedes jus perpetuitatis, Joanne Romero in Præpositum constituto, consequi potuerit. Altera lætandi causa fuit recentissimum Regis Catholici diploma, quo jubebantur Sacerdotes de Societate in amplissimis Provinciis Ethnicorum conversioni adhiberi, & Regiis sumptibus ali. Nec infima gaudii pars erat, tot Socios ex plerisque Hispaniæ Provinciis selectissimos intueri: inter quos futuris temporibus eminuere Didacus Boroa & Simon Oxeda, Paraquariæ Provinciales; Christophorus Torres Theologiæ magisterio, Barbaris expeditionibus, ac gubernandi arte diu conspicuus; Martinus Urtasum, Divo Xaverio sanguine propinquus; Joannes Albis, post divisam Provinciam Chileni regni Vice-provincialis; Baltazar Senia & Sotomajor, hic spretæ nobilitatis titulis, ille innocentiâ vitæ illustris; Joannes Humanes ab Alfonso Rodrigues in Majorica, dum simul viverent, inter Cœlo prædestinatos conspectus; Antonius Moranta nostri Hieronymi Natalis nepos, & alterius Morantæ apud Mexicanos pro Religione occisi germanus frater, & alii præstantes viri. Nullus nisi Hispanus hâc vice venit, cùm tamen aliarum nationum homines Didacus Torres exquisitissimis litteris expetivisset: usu enim compererat, tale genus hominum novalibus Indorum proscindendis aptissimos esse. Postquam ab diuturnâ navigatione utcumque recreati sunt, Socii in vectores,

Joannis Dominguesii temerarium factum.

Pœnitentia.

Socii appellunt.

Regis Catholici liberalitas.

Sociorum selectus.

Eorundem labores.

nautas, cives, Peruanos Chilenosque advenas, necnon variarum linguarum Indos, operas distraxere. Nullus repertus, qui magni Jubilæi leges ab Romero promulgatas non adimplerit: nullus ex tot hominibus, qui conscientias suas apud Sacerdotes nostros non posuerit. Interjecto tempore, ex Magellanicis, Charuis, & hujusmodi feritatis monstris, delectu habito, Baptisma, solemni pompâ, astante Prætore ac urbis Primoribus, collatum est. Cæteri verò dilati, vario numero, sequentibus annis Christo nomen, Societatis operâ, dedêre. Sed Æthiopum ut numerus major, & indoles melior, sic cura intensior; quorum etiam corpora pædore ac peste plerumque corrupta curabantur. Nec is labor transitorius est, sed singulis annis, non sine magno Ecclesiæ lucro, celebrantur hæ animarum & Apostolicorum laborum nundinæ, eò Societati utiliores, quò talium mercium rari sunt appetitores. Profectò si numerum Æthiopum, in hoc portu ab Societatis hominibus baptizatorum, ad calculum reducas, laudabis Divini Numinis clementiam, miserrimæ gentis corpora vexari permittentis, ut quàm plurima millia in filiorum suorum sortem admittat.

Charuæ baptizantur.

Æthiopes curantur.

CAPUT II. Societas Sanctæ Fidei urbem sede occupat.

SUB idem tempus, Ferdinando Ariâ Paraquariæ Exprætore adnitente, Provincialis missu, Franciscus à Valle in urbem Sanctæ Fidei, octoginta leucis adverso Argenteo flumine ab portu Boni-aëris distantem, Societatis coloniam deduxit. Hanc urbem, paulò antequam Portus Boni-aëris restauraretur, Joannes Garaïus ad Quiloasæ amnis, in flumen Argenteum sese exonerantis, ripam ideò ædificaverat, ut adventantibus ex Europa navibus subsidio esse posset. In novos colonos non semel insurrexere Barbari, frustratis semper conatibus, Deo & Divo Hieronymo, cui urbs consecrata est, Hispanorum consilia promoventibus. Indigenæ hoc olim in moribus habebant singulare, quòd fœminis luteo colore corpora sua non antè discriminare licitum esset, quàm carnem humanam gustassent. Si corpora bello capta deessent, puellis nondum pictis frusta cadaverum popularium suorum devoranda præbebantur. In parentum sepulchris arbores plantabant, struthionumque plumis ornabant; ad quas ploraturi per certa temporum intervalla concurrebant. Ante Hispanorum adventum piscatione venationeque se sustentabant; sed deinde adeò se boum greges multiplicavere, ut non tantùm indigenis alendis, verùm etiam aliquousque ditandis Hispanis suffecerint. Constat ab anno hujus sæculi undecimo usque ad trigesimum-primum, è campis Sanctæ Fidei urbi subjectis decies centena boum millia in Peruviam magno proventu abacta fuisse. Præter hæc, urbs Sanctæ Fidei nulla in re memorabilis erat, nisi Barbariem ad Christum adducendi spe: nam quà Paraquarium respicit, Calchaquina vallis altera centum fermè leucis ad flumen Argenteum protenditur, immanissimorum mortalium receptaculum: nec longè aberant alii Barbari Societatis laboribus destinati. Sede positâ Franciscus à Valle, vir impiger, diu noctuque in Hispanos, Æthiopes ac Indos, ita operam dispensavit, ut dæmonis & sycophantarum odium acerrimè, uti suo locò tradam, proritarit. In templo nostro condendo Ferdinandus Arias Exprætor, & ejus filiæ, virgines nobilissimæ, terram humeris bajulavere. Quo facto, meo judicio, ille majorem gloriam indeptus est, quàm cùm amplissimæ Provinciæ tribus vicibus pro Rege præfecturam magna cum laude gessit.

Indigenarum mores.

Boum multiplicatio.

CAPUT III. Ignatii Loiolæ inter Beatos relati celebritas & miracula

SED super has res longè solidiùs exhilaravit omnes nuncium ab Joanne Romero allatum, de Ignatio per Paulum Quintum Pontificem inter Beatos relato: & crevit Societatis authoritas spectatione ludorum in portu Boni-aëris, in ejus apotheosi solemniter institutorum: quos celebres fecere majorum minorumque tormentorum iterata explosio; duorum Prætorum cum frequenti nobilitate equestris pugna, nautarum ingenium ex navium velis extemporale templum amplè erigentium ornantiumque, & sexcenta alia lætitiæ singularis ostentamenta, quæ ad imitationem traxere latissimæ Provinciæ loca omnia, Glorioso Patris Sanctitatem, non minus ex recentibus propinquisque miraculis, quàm ex filiorum laboribus virtutibusque æstimantia. Urbs Sancti Michaëlis apud Tucumanos per quadraginta con-

tinuos

tinuos dies, sumptu publico, apotheosim celebravit; celebrassetque diutiùs, ni Societas, metu invidiæ, obstitisset: recens nempè miraculum, hominis omnibus membris dudum capti, ope Ignatii, pristinæ valetudini restituti, venerationem novo indigeti conciliarat. Non hîc refero Sancti Jacobi Tucumaniæ metropolis, è qua Societas abierat, affectum institutis ludis versus Ignatium ac ejus Socios in ira etiam integrum: nam ad Chileni Regni principem urbem propero, Ignatiana armilustro, pyrobolis, ludicris certaminibus, encomiis, carminibus, & ejusmodi rebus celebrantem. Nulla pars nobilissimæ urbis suas partes desiderari passa est: inter omnes tamen eminuit Sancti Dominici familia, affectu per Americam in Divum Ignatium, ob laborum cum Societate parilitatem, insignis: & eo nomine ad posteros mihi nunc transmittenda, quòd ipso Sancti Dominici die sacro, exstructo in honorem Patris nostri sacello honorario, frequentissimo hominum concursu per Oratorem suum in templo suo noluerit Divum Dominicum, sed Ignatium in ejus primis novemdialibus laudari, prætendens huic illum in recenti honore debitum sibi laudum tempus lubenter concedere: quo facto præclarissimus Ordo tantum veræ commendationis apud bonos æstimatores sibi conscivit, quantum Societati nostræ, & ejus Fundatori, conferre voluit. In ea urbe Sacerdos externus tanto lateris dolore vexabatur, quanto perferendo jam vix esset; & medici eum victurum propè desperarant: sed octavo postquam dolere cœperat die, in lectulo, amoto lumine, nocte decumbens, invocati abs se Ignatii repentè videt inclarescere faciem, cujus imaginem papilioni affixerat: quo ostento sensit se pristinam valetudinem recuperasse. Illustrius adhuc facinus ibidem comperimus patratum: Franciscam Moralem, honestissimam puellam, periculosa ulcera occultis corporis in partibus miserum in modum afflixerant, & illa pudoris amantior, quàm sanitatis, manum medici constanter recusabat, rata in Ignatio satis esse virium, ut pudori simul & sanitati consuleret. Nec vana fuit confidentia; nam post conceptas preces sensit ulcera omnia, ne vestigio quidem relicto, coivisse. Apud Araucanos præclarum fuit duorum militiæ Hispanicæ ducum facinus, eo ipso die, quo Ignatiana militariter fiebant, dexteras sibi invicem præbentium, testes redintegratæamicitiæ, quàm adeò obstinatè violaverant, ut per multos omninò annos nec amicorum precibus, nec magnorum virorum authoritate, nec Religiosorum hominum monitis aliquando coalescere potuerit. Tanta nimirùm res uni servabatur Ignatio, in utriusque Orbis pacem & salutem nato. In Cuioënsi Provincia, Mendoçæ, ubi etiam hilaria novo indigeti cives fecere, Hispanus homo animam jam vix reciprocans, ejusdem ope, convaluisse, & alios quatuordecim vitæ annos impetrasse se testatus est: sequuto postea eventu. Ad Chiloënses verò, Chilenorum ultimas insulas, perlato nuncio, insulani Naumachiâ ac militaribus ludis novo indigeti novos honores pro captu loci celebratissimos fecere: volente Cœlo ibi Ignatii nomen coli, ubi ejus alumni, ad insulas longè, ad eos qui non audierant de eo, prædicatum iverant Gloriam Domini. Quin & Calchaquini, Tucumaniæ populi ferocissimi, quamvis Ethnici, Christianorum exemplo arcus triumphales erexerunt, faustis, pro more gentis, acclamationibus & cursibus, prospera omnia, Ignatii ope, deprecantes: diceres præsensisse emolumenta in suam gentem per ejus Socios olim conferenda: & profectò consentaneum erat, eum etiam ab Ethnicis honorari, qui nulli non hominum conditioni Societatem abs se erectam destinarat. Denique, ne quis angulus Orbis vacuus esset à cultu, in Guarianiæ & Paraquariæ finibus duo Neophytorum oppida Divo Ignatio, inter Beatos relato, ritè consecrata sunt. Marcellus Lorençana, unius oppidi conditor, narrabat Ignatii Chirographo, quod secum circumferebat, deberi frequentes victorias, quas de Barbaris retulerat: & sanè Ignatius tantillis honoribus amplissimas ubique rependit vices, nulli non hominum generi postea beneficus. In annuis litteris reperio, multas mulieres in periculosis & planè deploratis partubus, invocato Ignatio, aut secundas rupisse, aut transversum actas proles enisas fuisse. Minorum verò ægritudinum labores frequenter in aliis dissipatos.

Dominicani Ordinis erga Divum Ignatium notabilis observantia.

Franciscæ Moralis laudabilis castitas.

CAPUT IIII. Didacus Torres Provincialis multa per totam Provinciam utiliter ordinat.

GRANDES ubique erant Societatis progreſſiones, & ex multis locis expetebatur, præſertim à Xereſienſibus Hiſpanis, conquerentibus à multis annis ſe ſine Sacerdote, adeoque ſine ſacris eſſe, & ſpondentibus ſe ex ſuâ tenuitate Sociis vitæ ſubſidia largiter tributuros. Sed Provincialis cauſabatur Sociorum paucitatem: nam quamvis recenter ex Hiſpaniâ ſubſidiarii venerant, tamen plerique juvenes erant, & rebus agendis adhuc inidonei, quos fermè omnes ſtudiis & virtutibus informandos Cordubam Tucumanorum per ſolitudinem centum & viginti leucarum deduxit. Urgens verò ratio fuit cur Cordubam urbem, ſtudiorum ac tyrocinii ſedem, adeoque totius Provinciæ caput deſignaret. Nam cum in utramque partem magnum momentum habeat educatio, timebatur ne ſi inter Chileni regni, omnium deliciarum abundantiſſimi illecebras, tyrones ac ſcholaſtici educarentur, refrigeſcente ſpiritu, ægrè ad aſpera Tucumaniæ ac Paraquariæ loca educi ſe ſinerent, ad quos futuris laboribus indurandos Cordubenſis aſperitas viſa eſt opportunior. Adde, quod Corduba, inter Chilenum regnum & Paraquariam media, Sociis ultro citroque euntibus commeatuum commoditatem ſuppeditatura erat. Nec alia urbs in Tucumaniâ Hiſpanis frequentior eſt, & multa millia Barbarorum in viciniâ adhuc ſupererant, ad quos excolendos per frequentes excurſiones novi Sacerdotes in experimentum ac quaſi libamentum Apoſtolicorum laborum identidem ituri erant. Ipſemet Provincialis per abrupta montium, pagos Indorum obeundo, Sociis exemplo aliquando præire viſus eſt. Variis in excurſionibus plures Ethnici baptizati ſunt; & multi Neophyti, nunquam aliàs expiati, amicitiam cum Deo, Cordubenſium Sociorum ope, redintegravêre. At domi mirum quantum Didacus Torres agendi dexteritate, animi ardore, morum ſanctitate, vitæ exemplo, tyrones, ſcholaſticos, & cæteros collegas, ad virtutem inflammârit: eò hîc quàm alibi majori conatu, quòd ſciret ex hoc Collegio, tanquam ex capite, vitam & ſpiritum in reliquam Provinciam diffundi debere. Privatos quoſdam mortales contra Regum Catholicorum placita, in Ethnicorum terras populationis ergò, progredi auſos, acri oratione perſtrinxit, & captivos quamplurimos, quos per Sacrum quemdam hominem Indicæ linguæ prorſus ignarum, latrocinii fucandi ergò, baptizari curaverant, ob defectum catecheſeos nullo modo baptizatos eſſe pronunciavit: approbante ejus ſententiam Tucumaniæ Epiſcopo, & pœnis Eccleſiaſticis ad reſtituendos libertati captivos compellente. His rebus in Tucumaniâ quadrimeſtri ſpatio confectis, Mendoçam Chileni regni appĕdicem delatus, Joannem Paſtorem Mendoçinæ ſedi præpoſitum laudavit, quòd, quotquot erant in urbe Ethnicos, adhibitâ ſollicitudine, ſacro latice immergi curâſſet. In templo noſtro Lauretanum ſacellum pro regionis tutelâ erectum egregiè ornavit. Sacerdotem externum in unum è noſtris palmarem calumniam machinatum, falſitatis liquidò convictum, per judicem conſervatorem è Dominicano Ordine ita repreſſit, ut exilio ac officii privatione, ne exemplo noceret turbulentus homo, mulctatus fuerit. Patrem Deodatum, Socium impigrum, recenter ex Hiſpaniâ appulſum, in ſpem egregii inter Indos operarii Mendoçæ reliquit. Nec deſtinationem eventa fefellere: nam Chriſtophorus Deodatus pluribus, quibus in eâ urbe perſtitit, annis, viginti omnino capitum millia (uti Joannes Paſtor narrat) numeratò baptizavit. Denique domus Mendoçinæ, atque expeditionum Barbaricarum per Cuioënſem Provinciam inſtituendarum, rebus ordinatis, in Chileni regni interiora, ſuperatis iterum altiſſimorum montium jugis, ſub initium anni hujus ſæculi undecimi feliciter penetravit. In regni metropoli, poſtulante Senatu Regio, & urbis Magiſtratu, Seminarium nobilium adoleſcentûm erexit, glorioſæ memoriæ Edmondo Campiano dedicatum. Cauſa inſtituendi fuit, quòd primarii adoleſcentes in domibus parentum, exuberante omnibus illecebris Chilenſi regno, indulgenter nimis ac deliciosè, non ſine morum pernicie, educarentur, & ſperaretur ſub curâ Societatis juvenes Reipublicæ regendæ idoneos formatum iri. Viginti convictores ſelectiſſimi ſtatim conturbernio nomen dantes, publico apparatu, comitante eos Magiſtratu, atque Senatu Regio, in paratam domum deducti ſunt: quibus regendis Joannes Humanes admotus, ſpes parentum & Reipublicæ abundè complevit. Ex

Xereſienſes Socios non impetrant.

Corduba Provinciæ caput.

Chileni regni latus.

Cordubenſiũ Sociorum fervor.

Captivi Indi redimuntur.

Joannis Paſtoris commendatio.

Calumniator punitus.

Viginti baptizati.

1611.

Seminarium Chilenſe.

Edmundo Campiano dicatum.

hac

hac urbe excursiones suburbanæ & agrariæ frequenter institutæ sunt. In his unum occurrit omninò narrandum. Ruri periculosâ ægritudine decumbebat Hispanus homo, solitus pessimo more, dum valeret, pro juramento identidem has voces usurpare: *Moriar ego sine confessione Sacramentali, si id verum non sit.* Mirum dictu! unus è nostris Sacerdotibus ad eum expiandum hoc vel altero anno in ultimo morbo è Collegio evocatus, ubi propè villam ejus constitit, nullâ vi, nullâ arte, nullis calcaribus adigere potuit jumentum, quo vehebatur, ut ultrà pergeret; donec nunciaretur expirasse: tum demum enim mula ad demortui hominis villam Joannem Fontium Sacerdotem nostrum quietissimè vexit: narrando prorsus ejusmodi farinæ hominibus exemplo, ne sibi malum omnium pessimum temerè imprecentur. Didacus Torres, curis latiùs extensis, Horatium Bechium & Martinum Arandam ex Araucana valle; Melchiorem verò Vanegam atque Joannem-Baptistam Ferrufinum ex Chiloënsi insula, conscientiarum reddituri rationem, pro Societatis more, ad se revocavit. Reduces, pro re Christiana in ultimis terrarum benè gesta, benevolentissimè amplexatus est. Horatio Bechio, aliis regendis destinato, Franciscum Gomesium suffecit, addito iterum Martino Arandâ, qui Araucum terrâ marique vecti susceptos labores felici animarum proventu, peste præsertim inter Indos ac Hispanos grassante, per sesquiannum in latissima Provincia continuavere. Joanni-Baptistæ Ferrufino, Tyronibus formandis Cordubam Tucumanorum misso, Mathæum Stephanum, virum integrum, subrogavit; qui cum Melchiore Vanega ad Chiloënses navigans, Apostolicis facinoribus novellam Provinciam cum socio decoravit.

Imprecationis pœna.

CAPUT V.

Chiloënses Insulæ Apostolicè excoluntur.

CIRCA Insulam Chiloë, quam suprà descripsimus, quadraginta exiles Insulæ non admodùm frequentes, exiguis intervallis dispositæ, quasi in satellitium dominæ suæ incŏptas nemorum comas, ceu hastatos manipulos ostentât, hilari planè naturæ pompâ, nisi jucunditatem præternavigantium interturbarêt repentinæ auræ, sonoræque tempestates; nunquam enim ferè sine ingenti periculo per archipelagum Chiloënsem, tot insularum occursu divaricatum irritatumque, navigatur. Incolis eadem victûs ac habitandi ratio, quæ Chiloënsibus; iidem etiam mores terræque conditio, nisi quòd hominibus ex infrequentia stupiditas major. Insularum unam, post destructas ab rebellibus Chilenis in continenti urbes, octoginta circiter Hispani constructo castro occupavere. Pleræque insulæ miseram præseferunt depopulationem: nec aliam indigenæ paucitatis suæ rationem reddunt, quàm quòd à pyratis, reclamantibus Magistratibus, in continentem ad servitia transportentur. Insulæ omnes Chiloënsi Præfecto subsunt. Ubi ergo transmittendi facultas data est, Melchior Vanegas & Mathæus Stephanus navim conscendunt. In altum provectos fœda tempestas ad rebellium littora perpulit, ubi ausi exscendere, Barbaros in ipsis urbis Valdiviæ ruinis ad colloquium frustra sollicitavere. Sedatâ tempestate iterum navigantes, primariæ insulæ portum non diu pòst felici cursu tenuere. Narrabant insulani, loca illa in quibus per totam insulam in prima excursione Melchior Vanegas & Joannes-Baptista Ferrufinus rem Sacram fecerant, frequenter videri luce cœlesti conspicua, atque inter has luces Altare splendidum planeque radiosum: ortâ ex his portentis apud gentem Societatis æstimatione. Curatis Hispanorum conscientiis, quamvis loca illa ingentibus maris fluctibus concuti non ignorarent, Socii scaphâ vecti pelago se commisere, affirmantes, indignum esse eò ad animas lucrandas Jesu Socios nolle ire, quò vexandorum corporum & latrocinii ergò institores ac latrunculi frequenter excurrerent. Quadraginta insulæ, præter unùm Sacerdotem apud Hispanos in arce versantem, nullum alium Sacrorum administrum habebant: quare quamvis nostris Sacris initiati plerique erant, in Christiana disciplina omninò rudes, & cæterorum Sacramentorum totâ vitâ ferè expertes, quid Matrimonium & Exhomologesis, quid templa, quid reliqua Mysteria, omninò ignorabant. Adeò ut satis appareret, qui eos baptizaverant, non animarum curæ, sed suis rebus studuisse. In prima navigatione, semestri spatio, insulæ omnes lustratæ sunt. Sexcenti in Matrimoniũ collocati, ingens numerus Exhomologesi expiatus,

Archipelagi Chiloënsis insulæ.

Castrum Chiloënse.

Valdiviani ad fidem sollicitati.

Ostentum.

Insularum ignorantia.

Quingenti & viginti baptizati.

quingenta & viginti capita baptizata. In tam ardua expeditione Socii ultrò citróque navigantes, quidquid malorum tolerari potest, subierunt; ter pœnè fluctibus hausti, sæpè in madida veste inter summa frigora, sæpè sub dio noctes transigere coacti sunt. Radicibus ac maris purgamentis victitabant. Corrupto per naufragia commeatu omnibus rebus indigebant: inter quas ærumnas tot animi deliciis affluebant, satis ut sentirent quàm bono Domino servirent. In insularum una senem Neophytum animam pœnè agentem repererunt, qui ut Socios vidit, gaudio exultans, Crucemque manu ostentans: *Hæc*, inquit, *spes mea est, ô Patres, hâc armatus sagam, morbo meo superstitiosa remedia obtrudentem, fugavi.* Inspectis omnibus insulis, & Hispanorum castro Sacramentis expiato, ad principem insulam renavigarunt, ejus viginti quinque pagos in scapha obeuntes, Baptismo, Exhomologesi, verbo Dei ingentem animarum messem fecere. Denique, ut paucis multa absolvam, sequenti biennio iidem Socii toti fuere in perlustrandis insulis, in quibus octoginta Ædiculas sacras totidem in pagis erexere, ministris Doctrinæ Christianæ ubique constitutis. Quot in singulis excursionibus Socii baptizaverint, non satis distinctè reperio. Illud constat, ex ingentibus periculis haud plus meriti ac æstimationis, quàm fructus lætitiæ inter Indos & Hispanos percepisse: tantâ omnium approbatione, ut Chiloënsis Præfectus per litteras Provincialem iterum rogaret, ne Viros sanctos usquam revocaret: quâ benevolentiâ Socii utentes, passim schedulas suo Chirographo obsignatas Neophytis tradebant, quas qui haberent, ab vexatione dominorum suorum liberi essent: & Hispani, Patrum reverentiâ territi, vexare non audebant quos viri de Republica benè meriti suâ authoritate tuebantur. Adeò nempè virtus potens est, ut sui nominis umbrâ æquè innocentes protegere, ac nocentes in officio continere, queat.

Inspectio Chiloënsium pagorum.

Octoginta sacella Societas construit.

Chiloënsium Sociorum æstimatio.

CAPUT VI

Joannes Darius & Didacus Boroa Diaguitas pacificant & excolunt.

DIDACO Torres è Chileno regno Cordubam regresso, Ludovicus Quiniones novus Tucumaniæ Prætor per nuncium significat, Diaguitas, quorum aliquot Casiquios protervi milites trucidaverant, rebellâsse, nec pacificandis iis aliud remedium videri, quàm si denuò Societas pro bono publico se victimam offerret. Quibus rebus cognitis, Provincialis Joannem Darium ac Didacum Boroam eò destinat, cum mandatis, ut ex itinere Tucumaniæ metropoli, è quâ Societas abierat, solitis officiis procuratâ, novi Prætoris imperata facerent. Ambo Socii tantæ rei non impares erant: nam Darius recentissimè Calchaquinos feliciter pacificaverat, & Didacus Boroa jam tum emittebat prudentiæ ac sanctitatis radios, quibus Provinciam per quinquaginta fermè annos primis in muneribus illustravit. In hac verò expeditione adeò egregium dedit Apostolici animi specimen, ut eum Darius Xaverium abbreviatum nominaret. Ubi ambo ad Metropolim pervenêre, incredibile dictu est quantâ Ordinum omnium aggratulatione excepti sint, impensè dolentium, quòd nimiæ dominationis in Indos studio velificantes, tantum bonum per absentiam, ut fit, magis cognitum sua vecordia amisissent. Sed quamvis restitutionem Societatis plerique Hispani maximè cuperent, tamen longè major erat miseratio Barbarorum ab Sociis olim baptizatorum, patronos suos, doctores, parentes lamentabiliter sibi reddi postulantium. Crevit apud omnes desiderium resarciendæ jacturæ, spectatione operum ab Societate fieri solitorum. Sed nihil urbi gratius accidit, quàm cùm Sociorum operâ Episcopus & Alfonsus Ribera Exprætor graviter inter se dissidentes reconciliati sunt: in qua reconciliatione illud notandum venit, quod postridie quàm Exprætor, Joannis Darii suasu, genibus positis manum Episcopi osculans, offensionis veniam petiit, litteras acceperit, quibus ipsi Prætura Chileni regni restituebatur. Ut novo exemplo discas Deo cordi esse demissos animos, & nihil veræ dignitatis submissione deperdi. Tanto negotio feliciter patrato, Socii publicâ Prætoris ac Episcopi authoritate fulti, vallem Aconguincam, inter urbes Sancti Michaëlis & Londinum latè protensam, necnon Joncavilis saltibus proxima loca pervadentes, quamplurimos Barbaros Christiano ritu collato Baptismo, ac aliorum Sacramentorum ope, Christo lucrati sunt. Secundùm id, Diaguitarum fines animosè prætergressi, omnia in proclivi habuêre, rebellibus non

Didaci Boroæ laus.

Esterenses Societatem desiderant.

Animi demissio honorata.

Aconguinca vallis exculta.

Diaguita pacificati.

ægrè

ægrè se Societati permittentibus, à qua una defensionem Patrociniumque sperari debere non ignorarent. Auditis eorum querelis, Socii spoponderunt, effecturos se, quantum intensissimo conatu possent, ne imposterum militum extorsionibus patêtent. Sublatâ utcumque offensionum causâ (nam quis inveteratæ habendi cupidini satis firma obstacula ponat?) Guassanos, Malleos, Huachasses, Andalgalas, exiguorum oppidorum incolas, peragravêre: quingentis Barbaris per Baptismum ad Christi partes adductis. Sed Deum immortalem! quantis per aspera & rerum omnium egentissima loca laboribus? Didacus Boroa, facinorum suorum parcissimus æstimator, quamvis recentibus esset animi ac corporis viribus, mihi aliquando narravit, in eâ expeditione se sub onere pænè succubuisse. Quoquò pergebant, idolorum monumenta, & Ethnicorum anathemata, suffectis eorum loco Crucibus, deturbabant: adeò nullâ Barbarorum offensione, ut plerique summis votis poscerent Societatis sedem. Sed Socii, Majorum suorum imperata sequuti, eò unde venerant, aggratulantibus ubique urbium, pro impetratâ pace, magistratibus, redière.

Quingenti baptizati.

CAPUT VII. Servitium Personale Regiâ authoritate compescitur.

DUM hæc agerentur, Sociorum ardoribus obstare pergebat privatorum quorumdam hominum, Indos nimiis servitiis vexare non desinentium, inquietudo: quibus in defendendis cùm Societas tutis conscientiis dissimulare se non posse assereret, plurimorum odium sibi concivit. Crescebat in dies ubique malum, egregios Sociorum conatus obruturum, nî commodissima tempestate Franciscus Alfarus, Senator Regius, summa cum potestate Visitator in Paraquariam Tucumaniamque missus fuisset ab Rege, cum mandatis, ut servitium personale penitùs aboleret, & novas leges conderet, quibus Indi ab vexatione eximerentur, simulque Hispanis sua jura servarentur. Quod utrumque ita præstitit Alfarus, ut immortalitatem nominis, & amplissimum locum in Senatu Matritensi, meruerit. Nam ubi Tucumaniæ metropolim attigit, indicto primariorum virorum conventu, Mandata Regis Catholici de servitio personali abrogando exposuit: & auditis enervatisque adversariorum argumentis, rogatisque sententiis, convocati omnes Regiis diplomatibus standum esse declarantes, in hunc planè modum decretum formavere. *Nos infrascripti, in conventu ad id specialiter instituto, examinatis Ordinationibus ab Gonsalvo Abrego, Tucumaniæ olim Prætore, de servitio personali factis, pronunciamus, servitium illud, prout nunc in Tucumania passim usurpatur, ob rationes à nobis singulis in publico relatas, illicitum esse. In cujus rei fidem decretum hoc Chirographo nostro firmamus. Ferdinandus Trecus, Tucumaniæ Episcopus. Alfonsius Ribera, Chilensis regni Prætor. Franciscus Alfarus, Senator & Visitator Regius. Franciscus Sausedus, Ecclesiæ Sancti Iacobi Thesaurarius* (postea Chilensis Episcopus) *Frater Christophorus Aiala. Ludovicus Quiniones, Tucumaniæ Prætor. Frater Petrus Lopius. Valerius Licentiatus. Antonius Rossillonius*, & alii præstantes viri. His rebus in Tucumaniæ metropoli, ubi nullus de Societate aderat, perfectis, Franciscus Alfarus Cordubam se contulit, ubi expromptis Diplomatibus Regiis, ac Proregum Peruviæ & Senatûs Chuquisacensis placitis, necnon conventûs Tucumanici recenti decreto, nequicquam reluctantibus per suos procuratores Cordubensibus civibus, grassans malum, quantum in se fuit, compescuit. Mox assumptis secum Didaco Torres Provinciali, & Didaco Marino Negronio, Argentei fluminis Prætore, eadem per Paraquariam præstiturus ad Assumptionis urbem se contulit.

Franciſci Alfari labor.

Decretum.

CAPUT VIII. Guaicuræorum Ducis filius baptizatur.

ANTEQUAM Cordubâ Provincialis discederet, consulto in Venerabili Sacramento per octiduum Deo, delectum Sociorum in Paraquariæ subsidium pro Barbaris expeditionibus habuit: electique sunt inter multos candidatos Antonius Moranta Theologiæ Professor, Antonius Ruisius Sanctitatis jam famâ clarus, Martinus Urrasum Divi Xaverii consanguineus, Petrus Romerus, postea pro propagandâ Fide occisus; quos ad Paraquariæ metropolim, singulorum operâ pro opportunitate usurus, partim se sequi jubet, partim secum abduxit. Ducenti circiter Indi remiges è Paraquaria venerant, Prætorem & Visitatorem Regium vecturi, quibus

Sociorum delectus.

in itinere

in itinere ipſe Provincialis ac Socii ſingulis diebus noſtræ Fidei rudimenta explanabant: donec Aſſumptionis urbi proximis, adnitente Rocho Gonſalvio, obviam procederet Guaicuræorum navigiolum, intextis arborum ramis atque floribus exornatum, quo Guaicurææ gentis Ducis filius vehebatur, poſtulaturus ab Prætore, & Inſpectore Regio, ut ſuo patri facultas daretur utrumque in urbem conveniendi. Grata fuit ambobus poſtulatio, conceſſumque Duci, ut ad urbem officiorum ergò ſe conferret. Interim hoc datum nobilis pueri honori, ut Prætor & Senator Regius è ſuo in Guaicuræorum navigium tranſirent, ac reliquum iter cum eo perficerent. Porrò in diverſas partes induſtriasque Rochus Gonſalvius & Vincentius Griffius ſe biennio torſerant, ad eam gentem cicurandam: nullo fermè eventu, niſi quòd in morte nonnulli baptizati ſe ſiverant: quocirca de Sociis retrahendis agitabatur. Sed interceſſit gentis Dux, magno ſuorum comitatu cum Rocho Gonſalvio in urbem invectus, qui Barbaro more peractis cum Prætore & Senatore Regio gratulationis officiis, Didaco Torres Provinciali duodennem filium Sacris noſtris initiandum lubens volensque tradidit: quo publico apparatu, Prætore ac Viſitatore Regio ſponſoribus, baptizato, ac Duce utcumque donis conciliato, ſperabatur fore, ut Barbari aliquouſque miteſcerent; quapropter decretum, ut Societas in ea regione perſeveraret.

Guaicuræorum pertinacitas.

CAPUT IX.

In Aſſumptionis urbe geſta narrantur.

DIMISSIS Barbaris, Franciſcus Alfarus, negotio ſuo intentus, ſervitium perſonale per Paraquariam abrogat: ſed quia plerique Paraquarienſium, Indorum ſervientium, nihil planè tributi loco ſolvendo erant; ita rem temperavit, ut ſingulis annis menſtruum Indorum ſervitium, vice tributi, Hiſpanis concederet: reliquis verò menſibus Indos ita liberos eſſe voluit, ut qui eorum operâ uti vellent, mercede conducerent; legesque alias condidit æque Barbaris ac Hiſpanis utiles. Quas ferè omnes Rex Catholicus (niſi quòd bimeſtre ſervitium pro menſtruo Hiſpanis eſſe conceſſerit) æternas eſſe juſſit. Ne verò impoſterum Ethnici vexationis metu à capeſſenda Fide abſterrerentur, Societati Paranam, Guaicuræorum regionem, & Guairaniam eâ lege aſſignavit, ut Barbari, ab ea ad oppida reducti, in commendam, ut vocant, privatis hominibus nullo modo traderentur; & Socii ſumptibus Regiis alerentur. Atque ut tanta res perpetuam vim haberet, Regis Catholici litteræ, proprio motu & affectu in noſtrum Ordinem ſcriptæ, lectæ ſunt, quibus Societas ad Barbaros Chriſtianæ Religioni conciliandos maximè probabatur, & Regiâ pecuniâ ali jubebatur. Illud hîc notâ dignum, quod cùm Alfarus noſtris Sociis Indorum curam in novis oppidis gerentibus, geſturisque, eam pecuniæ ſummam annuatim ex ærario dari juberet, quæ Indorum in Peruvia Parochis numerari ſolet, interceſſerit Didacus Torres, aiens, quartam hujus ſummæ partem hominibus Religioſis moderatè, & non lautè, viventibus ſuffecturam. Quæ res quantum valeat ad diminuendam tritam illam, de Societatis habendi cupidine, vulgi opinionem, benevolus Lector diſpiciet. Poſt Alfari diſceſſum, in Aſſumptionis urbe turbatum eſt, civium Primoribus ejus decretis ægrè ſe accommodantibus, odiumque in Societatem derivantibus: & res eò proceſſit, ut Socii omnes cum Rectore, injuriam plebis declinantes, ad ſuburbanam villam ſe ſubſtraxerint. Per trimeſtre ſpatium tenuit vexatio, donec vir potens benè magnam Indorum ſibi commendatorum turbam Prætori ſiſteret, ſanctè affirmans ad inſtitas paſſurum ſe potiùs adigi, quàm ut Indorum ſervitio perſonali abuteretur. Dicto adhibuit conſtantiam: nam manumiſſos impoſterum ut filios aluit, eatenus eorum operâ utens, quatenus leges Regiæ permitterent. Valuit factum ad molliendos plerorumque civium animos, paulatim ſeſe rationi inclinantium, eóque Societatem magis æſtimantium, quò utiliora ſuaſiſſet. Quamquam nunquam defuere ab hac radice inſectantium ſurculi, tam Societati ob religioſam tolerantiam glorioſi, quàm vexatoribus ob inconſiderationem noxii.

Alfari Leges.

Societati novæ Provinciæ aſſignantur.

Regis Catholici in Societatem affectus.

Societatis temperantia.

Societas ex Aſſumptionis urbe diſcedit

Et redit.

CAPUT X.

In Sancti Jacobi Tucu-

DIDACUS Torres, ordinatis Barbaricarum expeditionum per Paraquariam inſtituendarum rebus, ad Tucumaniæ metropolim, ubi multorum mortalium

conatu

conatu Societatis restitutio urgebatur, Franciſci Alfari litteris evocatus, ſe contulit. Nam Marchio Montium-Clarorum, Peruviæ Prorex, Alfonſum Riberam Prætorem acri epiſtolâ reprehenderat, quòd ſuæ præfecturæ tempore Societatis homines, Divinis Regiisque rebus promovendis adeò utiles, ab ea urbe abire permiſiſſet, monebatque ut eorum reſtitutione imprudens factum corrigeret. Præterea Franciſcum Alfarum invigilare juſſerat in omnem occaſionem Societatis ibidem reſtaurandæ. Eandem rem Senatus Chuquiſacenſis eidem Alfaro verbis ampliſſimis commendarat. Magiſtratus verò urbis, experimento edoctus, quantum detrimentum Societatis abſentiâ Reſpublica accepiſſet, nullum non movebat lapidem, quo damnum reſarciret. Ludovicus Quiniones, Tucumaniæ Prætor, & Alfonſus Ribera Exprætor, rem urgebant ardentiſſimè. Sed ante omnes Epiſcopus lamentabatur, poſt Societatis diſceſſum Indos fermè omnes domi foriſque inexpiatos vivere; juventutem fræna licentiæ laxaſſe; fœminas æquè ac viros corruptos mores reſumpſiſſe; nullum reperiri, qui noctu moribundos juvare, Æthiopes curare, ad villas excurrere, Ethnicorum terras adire vellet. Proinde ſine fine lacrymabundus damnabat, in non retinenda Societate, dum abibat, conniventiam ſuam. Quæ præterea de ipſamet Societate, deque ejus utilitate deprædicaret, quia ſuprà modeſti Scriptoris materiam ſunt, & exaggerationem ſapiunt, nihil eſt quod huic operi attexantur. Rogatus itaque Didacus Torres Provincialis ab tantis viris, ut præteritæ injuriæ oblitus Socios poſtliminiò afflictiſſimæ civitati reſtitueret; ita ſe ex animi modeſtia geſſit, ut beneficium potiùs accipere, quàm dare videretur. Acceptâ ſede, cùm de alimentis Epiſcopus ipſe & Alfarus agerent, erecto adoleſcentûm ſeminario, Societatique etiam tradito, partim ex Cathedralis Eccleſiæ bonis, partim ex nonis partibus Regi debitis (quod deinde Rex Catholicus, in Societatem noſtram ſemper beneficus, ratum habuit) bis mille aureorum cenſum attribuerunt. Sic Societas, per Paraquariam Tucumaniamque, laudem ac præmium conſtantiæ tulit, quæ nullis vexationibus adduci potuerat, ut perſonale ſervitium approbaret: in quo improbando maximè enituit Didaci Torres fortitudo, qui idcircò ſæpè cœleſtem vindictam populo interminatus fuerat, non vano eventu: nam ſub idem tempus Cordubæ umbra hominis defuncti, ſervitio Indorum quondam abuſi, flammis involuta ſe viſendam præbuit, filium iteratis clamoribus obteſtans, ne ipſe Indorum ſervitio abuteretur: præterea peſtis miſerum in modum graſſata, & Indorum rebelliones nunciatæ ſunt. Quibus malis territi quamplurimi, novis Alfari legibus interponere ſe non auſi, injuſta ſervitia non tantùm manumiſerunt, ſed etiam quidquid operâ Indorum multis retrò annis acquiſierant, in ipſos ex æquo refuderunt. Fuit qui Barbaros abs ſe vexatos in teſtamento æquaret filiis, quindecim aureorum millibus eis attributis. Alter (ut alios taceam) ſex millia aureorum, approbante filio hærede non admodùm divite, rependit. Quibuſdam verò adhuc dubitantibus, num ſtandum eſſet recentibus Alfari decretis, oſtenſæ ſunt litteræ Joannis Menachi, Americanæ Sophiæ primipili, Perlini, Didaci Alvarez de Paz, & aliorum graviſſimorum virorum novas leges doctiſſimis ſententiis comprobantium. Exinde conſcientiæ liberiùs expiatæ, templaque noſtra adita ſunt. Apud Barbaros Societatis æſtimatio ita invaluit, ut ultrò undequaque ad ſe poliendos docendosque ipſi nos accirent. Sic incrementa rerum noſtratum facta ſunt, unde detrimenta timebantur, Deo per res adverſas proſperitatem faciente. Porrò Joannes Romerus è portu Boni-aëris evocatus, reſtitutæ ſedi ſeminarioque præfectus, præteritas urbis offenſiones novis beneficiis Chriſtiano more vindicavit.

maniæ metropoli Societatis ſedes reſtituitur.

Prorex Peruviæ reſtitutioni favet.

Et Senatus Chuquiſacenſis.

Necnon Epiſcopus Tucumaniæ.

Didaci Torres modeſtia.

Indorum ſervitiis abutentes puniuntur.

Reſipiſcunt.

Alfari leges confirmantur.

CAPUT XI.

De Antonii Ruiſii vitæ primordiis.

Lima naſcitur.

TANTO promovendæ rei Chriſtianæ obice utcumque amolito, Antonius Ruiſius Montoia è Paraquaria in Guairaniæ ſubſidium mittitur: cujus vitæ primordia lubet ſtatim evolvere, ut prima tanti viri geſta mediis, & media ultimis, cum pii lectoris voluptate, continuatâ ſerie cohæreant. Antonium Ruiſium Montoiam, Didaci Ruiſii Montoiæ ſcriptoris celeberrimi ſanguine propinquum, unicum opulentæ domûs hæredem, Lima Americanarum urbium domina novo Orbi feliciter produxit. Ejus Pater Chriſtophorus Montoia, è Bætica patrio ſolo in Indiam

navigans, Comitis Villarii, Peruviæ Proregis, favore diu floruit: à quo variis muniis promotus, Rempublicam sæpè cum laude tractavit. Noster Antonius admodùm puer è fœtidissima cloaca, in quam non sine vitæ periculo inciderat, summâ celeritate eductus, omen accepit se aliquando in cænum vitiorum omnium prolapsum, Divinâ gratiâ ereptum iri. Quinquennis amissâ matre pædagogo traditus indolem cujuslibet rei capacem ostendit. Cordatis viris ideò admirationi erat, quòd sexennis puer non tantùm litteras appellaret, sed etiam acutissimis responsis intricatas quæstiones æquè promptè ac gratiosè enodaret. Sublato jam patre, novenni obortà animo lux est, abditas Cœli merces timorisque Divini pretium clarissimè detegens: ex qua luce primos erga Virginem MARIAM amores, & corpusculi afflictandi desiderium ita hausit, ut in tantula ætate Dei & Reginæ Cœlorum favorem demeriturus, statutis diebus, Divi Hieronymi exemplo, grandem lapidem sæpiùs in pectus adigeret, & latera cinctu aspero impressis arctè acuminibus urgeret: quin & mente Deum orare, nullo in terris magistro, id ætatis puer cœlitùs didicisse putatus est. Gustatâ piarum Meditationum ambrosiâ totus exiliens, ac inter suavissimos sensus se ipse non capiens, gaudio exundante, in lacrymas teneritimorum affectuum colliquescebat. Inter hæc exercitia grandior factus, Franciscanorum Ordinem cogitans, sensit intus ab ea mente se abstrahi: quare ad Eremicolam se conferens, socium se solitariæ vitæ obtulit. Sedis, immaturum consilium improbans, author fuit, ut se Societatis Patribus litteris Latinis erudiendum traderet: datum acceptumque consilium est; tanto tutoris, filiæ suæ eum nuptiis destinantis, mœrore, ut paulò pòst contabuerit. Tutore mortuo mutavit mores, & vix primis labris libata latinitatis studia fastidiens, relictis scholis, sensim sine sensu pietate exutâ, licentiæ fræna laxavit. Decimo-septimo ætatis anno adoptari à prædivite homine hæredem quærente noluit, ne iterum alterius imperio subderetur. Licentiam ab jocularibus vitiis occœpit; noctu urbem cum tenebrionibus percurrere, Vespertilionem agere, ex una parte turbas moliri, ex altera circitoribus ad tumultum sedandum accurrentibus offendiculo deturbandis; plateas funibus paulò suprà solum extantibus prætendere; lapidibus artificiosè suspensis è longinquo civium januas totâ nocte everberare, & id genus lucifugarum ludibria desertæ pietatis documenta fuere. Invalescentibus vitiis, in aliena domo nocte interceptus, acceptis tribus vulneribus, vix cum vita evasit: obductis cicatricibus denuò se nebulonibus adjungens, obviam habuit aliquot cives in se conjuratos, quos ipse sauciatus præ se agens ad fugam quidem compulit, sed postmodùm periculi magnitudinem atrox vulnus ostendit: valetudine iterum recuperatâ, ab hoste alterum vulnus accepit: vix curatum invadit alter ob suspicionem falsam attrectatæ conjugis. Sed invasore grandi plagâ multato, & mancipio ejus in fugam compulso, discrimini se exemit. Ob has & alias ejusmodi intemperies carcere, vinculis, exilio sæpè multatus, semper amicorum & florentis ætatis favore liber evasit. Vix tamen evitavit discrimen inopinæ aggressionis. Civis honestissimus Æthiopem mancipium Magistratui ob pertinaciam castigandum tradiderat, qui acerbitate flagrorum proritatus juraverat, se quemcumque primò obvium è carcere habuisset mactaturum. Eductus Æthiops occurrit in nostrum Antonium, indubiè feriendum, nisi ex oppositò vidisset alterum hominem ad portam templi in genua provolutum, quo fœdum in modum trucidato, ferox parricida suspendium, præ servitute ab se optatum, sibi accivit. Tantis periculis nihil cautior factus, cum sua & aliorum pernicie in dies pejora machinabatur: quæ ego singula exequerer, nisi elogio brevissimo adolescentiæ suæ tempora ipse descripsisset, cùm se Ethnico profaniorem, vanitatum omnium mancipium, & Veneris venerabundum cultorem appellavit. Ut solutiùs fræna omni licentiæ laxaret, triennio integro à Sacramentali criminum Confessione abstinuit.

Bene educatur.

Cœlitùs illustratur.

Mariam observat.

Corpus castigat.

Piè meditatur.

De vitæ statu deliberat.

Litteris dat operam.

Litteris valedicit.

Nebulonem agit.

Et scurram.

Carcere & exilio multatur.

CAPUT XII Antonii Ruiſii vitæ cõtinuatio.

SED quamvis sic ageret, nullo die prætermittebat Sacro adesse, & quantum fieri potuit, in sacello Virgini dicâto, cui se impensè quotidie commendabat. si id tempus exciperes totus erat in corpore illecebrosè curando. Inter voluptates tamen ne momento quidem temporis vacuus fuit ab verme conscientiam ubique

rodente,

rodente, & inter diverticula parasitorumque greges tormento intolerabili animam torquente. Auxere vehementer hos angores, noctu offendisse in cadavera amicorum suorum ab turpium amorum corrivalibus fœdè interemptorum, dictante tunc animo, sibi eadem imminere corporis & animæ pericula, qui iisdem vestigiis insisteret: sed nihil ita torsit mentem, quàm cùm per visum spectavit Christum Dominum ex sublimi in aëre loco fulmen in se vibrantem, & jam ferire volentem: immutato tamen adhuc ad hæc Antonio, & præter turbulentiam mentis nihil inde reportante, ideoque è cœno vitiorum non se extricante. Ad excutiendos hos terrores, cum Peruviæ Prorege transegit, ut ad Chilenum regnum honoratius miles, suis stipendiis serviturus, per biennium mitteretur. Sed accepto jam diplomate, amicorum suasu, militiæ curâ desertâ, ex adverso, lautitiarum comparandarum ergò, Panamam navigare decernit. Commeatum jam invecturus, amico fideli monenti, ne ante deposita peccata se pelagi periculis committeret, paruit quidem, sed cùm Sacerdos noster ad extricandos conscientiæ ejus nodos in sequentem diem peccatorum absolutionem differre vellet, bellus pœnitens ita exanduit, ut è conspectu se proripiens juraret totâ vitâ ab Exhomologesi se abstenturum. Verùm, ô Dei misserentis factum singulare! dum abit, audit, nullo mortalium adstante, vocem nescio cujus per aërem ferri, bis inclamantis, Antoni redi. Antoni redi, & te absolvent. Articulatum sonum sequuta vox Dei idem intus suadentis, cui obtemperans reperit alterum è nostris Sacerdotibus sese ad ejus curam benignissimè offerentem: apud quem totius vitæ noxis summo cum dolore positis, Divi Ignatii exercitiis se reformandum tradidit. Quatriduo in exercitiis exacto extra se positus, animo abductus fuit in regionem longinquam innumeris Indis refertam, quos hinc homines Dæmonibus simillimi vexabant, inde Angeli in candidâ & pellucidâ veste à vexatione eximebant; tanto utrimque studio, ut finalis judicii speciem aliquam referret. Inter hæc vidit ex alto venientem ad se Christum Dominum, applicantemque lateris vulnus ejus ori; è quo latere hausto vapore suavissimo, sensit se fragrantissimo odore perfundi. Cognovit insuper eam regionem abs se visam, Paraquariam esse; Angelos verò illos in veste pellucidâ, missionarios de Societate, quibus juvandis cœlitus ipse destinabatur. Peractis exercitiis, in alium planè hominem mutatus, litteris latinis informandus sub Josephi Ariagæ Rectoris curâ in convictorium Limense concessit. Ubi non integro anno Grammaticæ ac Poëticæ classes; Rhetoricæ verò curriculum septimestri contentione absolvit. De vitâ in Seminario institutâ omnia dixero, si asseruero, eodem conatu virtutum se exercitationibus tradidisse, quo paulò antè profanis voluptatibus mancipaverat. Adeò ut ob assiduum precandi studium, macerandi corporis curam, aliis serviendi propensionem, Sanctus adolescens à contubernalibus dicebatur. E Seminario, nescio quâ de causâ, semel egresso, puer in plateis, nullo monente, se ad ejus genua venerabundus advolvit, accepto ab adstantibus omine, quod aliquando futurus iis similis esset, quibus ob vitæ Sanctitatem veneratio debebatur. Rhetoricâ imbutus, anno hujus sæculi sexto Societatem Limæ ingressus, spem de se excitatam egregiis factis confirmavit. In tyrocinio præter alios favores, bis cum Regina Cœlorum, se ipsi spectandam præbente, cor mutasse, & semel è latere Christi vaporem suavissimum hausisse creditus est. Hieronyma à Sancto Francisco, sanctitatis famâ Limæ inclyta, indicavit confessario suo, Antonium Ruisium cœlitùs Paraquariæ destinari: sequuto eventu, dum Didaco Torres pro fundandâ novâ Provinciâ inter alios Socios adhuc tyro traditus est. Cordubæ Tucumanorum, ante Sacerdotium, inter studia litterarum, Christum juvenili specie super aram conspexit candidam parmam sibi ostendentem; ex cujus aspectu sensit fervens desiderium sese omnibus postponendi. Factus Sacerdos, dum se parat ad primum sacrificium, vidit Virginem MARIAM mirabili modo sibi adstantem, & vestes Sacerdotales sibi concinnantem. Non diu post in odeo Franciscanorum divina passus, tanto Indos juvandi desiderio exarsit, ut ex affectûs vehementiâ pectus quàm plusculos dies ei doluerit. Ex quatuor solidis horis, orationi mentali quotidie impendi solitis, unam tribuebat considerationi infortuniorum ab Sodalibus suis Limæ & alibi incur-

Vermem cõscientia sentit.

Ostento terretur.

Militiam cogitat.

Voce cœlesti confirmatur.

Respicit.

Ad Indorum curã vocatur.

Studia resumit.

Severam & piam vitam agit.

Societatem ingreditur.

Paraquaria divinitus destinatur.

Ostentis cœlestibus recreatur.

sorum, quibus cogitationibus mirum in modum ad gratias Divino Numini agendas incalescebat. Ab Christo multa ad mores religiosè formandos didicit. Dubitans quid præsertim agendo Divinæ Majestati maximè placeret, audivit Christi vocem affirmantis, nullo alio modo efficaciori singulares favores aucupaturum; quàm si suæ religionis legibus, & Majorum imperiis, tanquam rectâ amussi, omnes vitæ suæ actiones dirigeret, & se præsentem quovis in loco haberet. Asserenti, ultimum præsertim monitum difficillimum factu videri iis, qui ex officio studiis & variis occupationibus animum oppignoratum habent, respondit Christus, data ab se consilia facillimè observaturum, si cor vacuum, & nulli, præterquam sibi, obnoxium haberet. Inter ardentis animi preces, cùm postulasset à Deo, ut gustandi facultate sublatâ, nihil delicioſum in comedendo deinceps sentiret, repulsam à Christo passus est, jussusque non sapori in sumendo cibo, sed necessitati servire; suam enim vocem illam esse: *Non alligabis os bovi trituranti.* In hebdomada Sancta, longissimâ precatione defatigatus, cùm se super scamnum ad reficiendas defectissimas vires tantisper in Sacratio prostravisset, ab dæmonibus se sensit opprimi, divinâ tantùm ope servandum. Virginis MARIÆ favores planè singulares expertus est, quos fusè explicatos reperies in ejus vitâ ab Francisco Xarque compositâ. Rebus agendis maturus, è Paraquariâ in Guairaniam, difficillimâ anni tempestate, missus, Apostolicis laboribus se statim tradidit.

CAPUT XIII. Guairaniæ Socii rem Christianâ egregiè promovent.

JOSEPHUS Cataldinus Guairanicæ Missioni Præfectus, Simone Macetâ Socio ad curam oppidorum abs se constructorum relicto, cum Antonio Ruisio Paranapanci, Pirapi, & aliorum fluviorum pagos iterum sollicitatum ivit, non sine operæ pretio: nam, præter multos Barbaros ex his pagis ad nova oppida reductos, Taubicius insignis magus dudum Patribus refragatus tandem manus dedit, crematoque pago, cui ipse moderabatur, populares suos Ethnicos ad Sancti Ignatii oppidum non tantùm traduxit, sed etiam nescio quos Barbaros, in mortem utriusque Socii intentos, authoritate suâ repressit: felix si constantiam adhibuisset. Verùm levissima de causa ad vomitum rediens, & solitis veteratorum artibus, pestem manu faciens, dum subdolè gentiles suos ab Patrum curâ moribus avitis irretiendos subtrahere tentat, & Corporis Christi supplicationi adesse parvi pendit, Simone Maçetâ cœlestium vindictam prænunciante, in sylvis à prædonibus trucidatus iram Divinam meruit. Obsistebat Evangelio in aliis pagis nescio quis Divinitatis phantasticæ usurpator, fingens se vitæ plantarum ac fertilitatis authorem: prohibensque ne Sacerdotibus nostris fides daretur: in quem Maracana Casiquius, zelo incensus, insciis Cataldino ac Ruisio, insurgens, experiar, inquit, num vitæ tuæ Dominus sis; simulque sycophantam vinciri jubens, lapide ad collum alligato in profluentem per satellites protrudit suffocatque. Perspectis passim pagorum ruinis in hac expeditione, cognovêre Socii, quanto Brasiliæ & Guairaniæ Indorum abactores promovendo Evangelio obstaculo essent. Nec dubitavit Ruisius pronunciare, illos iis Dæmonibus similes, quos per visum Limæ Indis insultantes conspexerat: Cataldinum verò & Maçetam Angelos veloces genti convulsæ & dilaceratæ defensioni ac tutelæ cœlitùs destinatos. Cui ego (nam uterque mihi notissimus fuit) multorum judicio firmatum calculum non hæsitanter addo.

Taubicius cum suo pago convertitur.

Pervertitur.

Divinitatis usurpator submergitur.

Guairaniæ Socii commendantur.

CAPUT XIII. In Guairaniâ inter varias turbas res Christiana promovetur.

IN his rebus dum sunt, Martinus Xaverius Urtasum in subsidium Guairaniæ Sociorum opportunè admodum venit. Nam eo appulso, Josephus Cataldinus cæteris Præpositus Lauretanum oppidum Simoni Maçetæ & Antonio Ruisio regendum perficiendumque tradere, ipse verò cum Xaverio in Ignatiano persistens, in totius Guairaniæ salutem intendere potuit. Utrumque verò oppidum paribus incrementis surrexêre. Numerus Catechumenorum Neophytorumque pænè æqualis, labores in docendis non dissimiles, rerum omnium penuria, magorum insidiæ, prædonum vexationes, & cætera pericula planè paria, artes ex remotissimis pagis ac latebris Barbaros reducendi planè etiam geminæ, iidemque successus. Præter longinquas excursiones, singulis hebdomadis ex utroque oppido ad alia duo excur-

rebant,

rebant, magno semper numero in Christianorum album relato. Fructuum magnitudinem ex eo conjicies, quod exiguo planè temporis spatio supra bis mille & quadringentos Ethnicos salutaribus aquis Socii tinxerint, & quadringentos Barbaros illegitimo aut multiplici concubinatu implicitos legitimo vinculo copulaverint. Hunc rerum cursum Aticaie, Lauretani oppidi dux, dum retardare tentat, incitavit magis: is, legitimâ uxore sepositâ, pellicum gregem adeò numerosum alebat, ut octo ei proles uno eodemque anno natæ, paulóque pòst baptismum feliciùs denatæ sint: pro Sacerdote se venditans in talari veste & paludamento plumis variegato, cæteroque magorum choragio, nefandis prorsus ceremoniis apud plebeculam authoritatem captabat, conflabatque in nostros Sacerdotes conspirationem. Nec per occultos cuniculos res agebatur, ausus namque fuit palam ad Simonem Maçetam & Antonium Ruisium adire, vociferans, se neutiquam permissurum ut sacrificuli advenæ suis moribus se interponerent: liberè hactenus pellicibus se usos, usurosque imposterum pro libitu: dictis minas addidit, & trecentis juvenibus armatis comitatus, rectà ad Maracanæ oppidum perrexit, quem ad conjurationem sollicitans, his ferme verbis usus est. *Vide*, inquit, *ô Maracana, quæ nostra conditio futura sit, ni opprimamus eos, qui nos oppressum venere. Quis ferat Guairamiæ Primores ad unam vetulam adigi, & avitum jus, tibi mihiq; in præstantissimas puellas debitum, inauctis externis moribus, adimi? Exere, ô Maracana, pristinos animos, & quanti facias pristinam libertatem, quid tuæ famæ, quid mihi tribuas ostende. Perdamus hos sacrificulos, Matrimonii & humani moris expertes, antequam me & te perditum eant.* Contrà Maracana, quamvis adhuc sub fornice pellices aleret, oculorum nictu armari suos jubens, arguit rebellem, monetque, si ultra pergat, cum se pro hoste habiturum: ac simul arma expedit involaturus in hominem, nî pedem extulisset. Interim Socii, conscientiis mutuò expiatis, mortem læti pro optima causa præstolabantur, cùm Aticaïe, dimisso comitatu, solus & inermis ad eorum pedes provolutus, de genibus veniam facti postulat. Sed nec ipse constantiam tenuit: nam licet pellicibus depulsis uxorem legitimam domum reduxerit, mansit tamen altâ mente repositus primariæ pellicis, industriâ Patrum in alias terras transportatæ, amor, ad quam fugâ profectus, rerum omnium inops, spretâ insuper apud populares suos Ducis dignitate, exilio se ipse multans, in remotissimis sylvis ab omnibus desertus in fœtidæ mulierculæ brachiis interiit. Exemplo novo docens, quantis damnis una libido mortales implicet. Inter has turbas magnæ fiebant Barbarorum ad nostra oppida accessiones, latronibus infrementibus, & materiam suis latrociniis subtrahi querentibus, omnemque lapidem moventibus, quo novas reductiones (sic oppida Societatis operâ ex reductis Indis constructa appellantur) disturbarent. Ausique sunt duorum pagorum Indos, nostris oppidis destinatos, contra quàm Anthonius Agnascus ab Francisco Alfaro Visitatore Regio delegatus jusserat, abigere: uno & octoginta capitibus è dura servitute ad ovile Christi, Sociorum operâ, tantummodò traductis. Præterea alii sycophantæ famam longè latéque sparserunt, aientes, Socios Jesu in Guairania otiosos esse, eo fine, ut iis per Majores suos revocatis, sine obstaculo Indorum deprædationi pro libitu vacarent: & eò cuniculi processerant, ut Rector Assumptionis de iis retrahendis consilium jam cœptaret. Quibus malis avertendis, Antonius Ruisius ab Josepho Cataldino ad Assumptionis urbem missus, relatis Sociorum Apostolicis facinoribus, technas adversariorum facilè dissolvit. In longissimo verò itinere dum per desertam inter Paranam & Paraquarium terræ intercapedinem nudis pedibus viam facit, ex humicubatione sub dio, tempore maximè pluvio, contractis crurum nervis eò adactus est, ut ultra progredi desperaret, nî Divus Ignatius imploratus opem tulisset, cujus speciem somniansne an vigilans vidit, clarâ voce monentis, ut iter continuaret: inter quæ verba comperit se contractione ac acerbitate doloris ita perfunctum, ut itineris socios imposterum præverteret. In Guairaniam postliminiò redux, Cataldinum ac Socios felicis negotiorum successûs relatione exhilaravit.

Bis mille & quingenti baptizati.

Aticaïe ducis perversio.

Conspiratio.

Intentatio.

Maracanæ fidelitas.

Sociorum periculum.

Aticaïæ pœnitentia.

Iterata perversio.

Mors infelix.

Vexantur Indi,

Et Socii.

Ab Divo Ignatio Ruisius sanatur.

CAPUT XV. Paranenſes primùm adeuntur. 1612.

IN altero verò Divi Ignatii oppido, inter Paraquarium & Paranam ſito, in mediis Barbarorum tumultibus, Marcelli Lorençanæ operâ novella gens deſertâ impietate mores Chriſtianos, ſuſcepto Baptiſmo, etiam induere ſatagebat: jamque fermè convenerant trecentæ familiæ, quas auxit Rochus Gonſalvius, Lorençanæ in eo oppido per ſemeſtre ſpatium ſocius, & poſtmodùm ſucceſſor, cujus præcipuè induſtriâ Sancti Ignatii oppidum contra Paranenſium inſultus defenſum eſt. Is idem, pacatis utcumque rebus, pauculis Neophytis comitatus, eò ſe contulit, ubi lecuius fluvius Paranæ committitur: ſtupentibus Barbaris, & identidem ſciſcitantibus, cur ſolus & inermis ſeſe in ſuas terras Hiſpanis adhuc impervias obtrudere auderet? quibus ille erectâ fronte gravis: *Non ignoro*, inquit, *ô Paranenſes, quantum vobis nomen rebellando feciſtis: verùm tempus aliquando venit, quo ſuavi Chriſti jugo ſuperba colla ſubdatis. Crux, quam manu gero, quovis enſe potentior, quovis enſe terribilior, vos domabit; hâc fretus ad vos ſolus venio, rogans, ut me ejus Myſteria, quæ mundi Reges proſtravit, promentem, benignè audiatis.* Mirum dictu! aſſenſêre Barbari, & auditis Fidei noſtræ elementis, Rochum Gonſalvium per vicinos pagos circumduxere, undead fluvios in Paranam ſe exonerantes delatus, eâdem planè audaciâ populis undequaque ex littoralibus ſylvis ſeſe effundentibus verbum Dei annunciavit. Cùm oculis perſpiceret, pagos fermè omnes in utroque littore ob bella, famem, & continuas tranſmigrationes, magna ex parte deſertos, ab ruinis occaſione ſumptâ, pleriſque perſuadere conabatur, ut obſtinatione depoſitâ, feritatem tandem & bella, tantorum malorum cauſas, etiam deponerent. Tabacambium, totius Paranæ præcipuum Caſiquium, donis & dicendi vi ſibi utcumque amicum fecit. Sed quia immaturos Evangelio plerorumque animos perſpiciebat, confectis in itu & reditu centum leucis, eò unde venerat ad Lorençanam rediit: quocum collatis conſiliis decretum, gentem nondum maturam beneficiis pedetentim conciliandam eſſe, antequam de ejus reductione ad Fidem ageretur. Marcello Lorençanâ ad regendum Aſſumptionis Collegium digreſſo, Rochus Gonſalvius Divi Ignatii oppidum ordinavit, Cathecumenos inſtruxit, Ethnicos è latebris erutos reduxit, peſte infectis domi foriſque impiger adfuit, materiam ſolidam ad conſtruendum templum advehi curavit: ſed præcipuè ad Paranenſes extendebat operam, quos crebris nunciis ad Fidem ſollicitabat. Ad ſe ventitantes donis onerabat. Coram ipſis ab Ignatianis Neophytis ludos, convivia, venationes, ſpectacula, & alia hilaria inſtitui volebat, ne nimiæ aſperitatis oſtentatio Chriſtianas leges horrificaret; quibus artibus matureſcebant ad Fidem: pauculi Baptiſmo ſuſcepto in oppido remanſere; ab reliquis obtentum, ne ruptâ pace vellent rebellare. Sic Paranæ ſub ſuave Chriſti jugum mittendo paulatim præludebatur, mihi ſeu ſcribenti, ſeu Socios juvanti, aliquando materiam ſuffecturo.

Rochi Gonſalvii magnanimitas.

Paranenſes immaturi.

Paulatim manſueſcit.

CAPUT XVI. Guaicuræi utcumque excolantur.

ROCHO Gonſalvio in ſpem Paranenſis Provinciæ domandæ evocato, Petrus Romerus, poſtea martyr, operi apud Guaicuræos continuando ſuffectus, difficillimâ in palæſtra Apoſtolicæ exercitationis rudimentum magnâ famâ poſuit. Prima ejus & Antonii Morantæ cura fuit, in privatis publicisque congreſſibus bonorum malorumque finem, & quâ viâ ad utrumque tenditur, edocendi, puerilemque ætatem moribus Chriſtianis informandi. Sperabant enim pueros nondum vitiorum uſu depravatos faciliùs diſciplinam percepturos, conſtantiusque conſervaturos, & parentibus ad pravitatem deponendam futuros illicium. Sed hanc ſpem Barbari paſſim eludebant: nam apud Socios aliquantiſper commorati, ex innata inconſtantia, prout lubebat, ad ſua latibula cum prolibus dilabebantur, & priſtinas furias redintegrantes latrociniis vicinos populos vexatum ibant, captivos pro mancipiis divendentes, & totas noctes ſuas victorias religionesque celebrantes, oſtendentesque, pravitate morum nihil minus velle, quàm ſuave Chriſti jugum ſubire. Relatum tamen aliquod operæ pretium ex multis infantibus, & nonnullis adultis in mortis articulo baptizatis: reliqui in impietate perſiſtebant: de quorum religionibus inquirens Romerus, reperit lunam & plauſtrum Bootis inter numina habere, alia ſacra ignorare. Igitur ubi novilunium geſticulationibus clamoribus-

Puerilis ætas informatur.

Novi-lunio rum ſuperſtitioſa celebritas compeſcita.

que

que superstitiosis ab Barbaris adorari perspexit, ad conciliandam majestatem Sacerdotali veste indutus, & manu Crucem præferens, acriter arguere sacrilegos ausus, effecit ut omnes flexo genu pro Luna Crucem adorarent, & mensis proximè sequentis novilunium facere omitterent. Sed bona principia inconstantiâ mox corrumpebant, & aliquantulam spem frustrabant pervertsitate animi. Anno integro in his rebus posito, rumor apud Hispanos invaluit, Guaicuræos de mactandis Sociis consilia agitare: quocirca multi revocandos censebant: sed Romerus frequentibus litteris à Majoribus suis postulabat, ne se periculo subtraherent. Jussit tamen Prætor, post unius anni frustra impensum laborem, tantisper loco cedere, ne Guaicuræi, occisis Patribus, desperatâ veniâ negotium urbi rebellando facesserent.

Socii retrahuntur è Calchaquina valle.

CAPUT XVII. Delegatio Ludovici Valdiviæ ad Regem Catholicum.

DUM hæc in Paraquaria geruntur, Ludovicus Valdivia ex Hispania, quò libertatis Indorum asserendæ ergò, ante quinquennium navigaverat, cum subsidiariis Sociis redire nunciatur: quod nuncium vario partium affectu acceptum, magnis motibus multorum animos concussit. Res è fonte petenda est. Reges Catholici in Chileno regno, multis Diplomatibus, vexari Indos & nimiis servitiis gravari, sæpè inhibuerant. Verùm cùm ob intervalla locorum, & mali obstinationem, incassùm reciderent optimorum Regum mandata, Peruviæ Prorex Comes Montium-Clarorum, cognito quòd nec apud Indos amicos, nec apud hostes, per Chilenum regnum Fides Christiana propagari posset, nî ea servitia abolerentur; Ludovicum Valdiviam, qui cum rebellibus Chilenis fide publicâ agitarat, in Hispaniam amandaverat, ut rursùm & solidè extremæ calamitati suprema potestas intercederet. Alia causa mittendi fuit, ut bellum, quod Hispanus cum Chilenis rebellibus atrox & diuturnum gerebat, tandem finiretur, dareturque locus ferocissimæ genti ad Christi partes traducendæ. In quas res Philippus Tertius, Rex Catholicus, pacis artibus clarissimus, & suopte ingenio ad sublevandos Indos propensissimus, litteris Proregis præventus, Ludovicum Valdiviam in Hispaniam & aulam appulsum monuerat, ut liberè diceret. Is regio favore usus, datis Regi gratiis, quòd severas leges in Indorum vexatores sanxisset, novas querelarum causas explicans, in hunc fermè modum fertur disseruisse. *Si*, inquit, *ô Rex, vera volumus noscere, Chilense bellum, injusta servitia Barbaris imposita, repugnantibus progenitoribus Tuis, magna ex parte fecere: hactenus eorumdem servitiorum metu, sine spe exasperatæ gentis aliquando per vim domandæ, cum intolerabili imperii tui & Christianæ Religionis detrimento, bellum continuatur, continuabiturq; ni vexari desinantur ii, qui vexationis prætextu rebellarunt. Singulis annis ex ærario tuo trecenta aureorum millia in Chilensis belli sumptus computantur, & hactenus per sexaginta annos nihil effectum, nisi ut lugeremus præcipuas Hispanorum colonias susque deque eversas, ditissimas aurifodinas ereptas, florem Hispanæ nobilitatis decerptum, Loiolam Prætorem Regium (ut alios ejusdem dignitatis taceam) in ultima rebellione fœdè trucidatum, clarissimarum stirpium fœminas puellasq; in servitutem & scorta abactas, Hispanos ad pauculas urbes & castella redactos. Sed hæc alii narrabunt fusius, ego pro instituto meo animarum jacturam lugeo, nec ferre possum tot matronas puellasq; Christianas inter Barbaros ritibus profanis assuescere: tot millia hostium sine spe salutis esse; Indos amicos fermè omnes ob vexationem pertinaciter Fidem Christianam respuere. Ad reprimendos ferorum hominum animos nihil ad id tempus juvit aut Peruviæ argentum, aut Hispaniæ ferrum. Frustra Prætores selectissimi domi militiæq; exercitatissimi vires & industriam exeruere: per tot annos armis offendisse exasperatos nihil profuit. Igitur in tantorum malorum remedium non aurum, non milites, non auxilia postulo. Quod reliquum est, ô Rex, Clementiam Tuam, quâ utrique Orbi affulges, appello, supplexq; peto, ut videas, utrum è Reipublicæ bono sit, beneficiis ultrò oblatis, obstinatam gentem ad Tuum obsequium allicere, allectamq; Christianis moribus imbuere. Si periculum obtendatur, en caput meum, & Sociorum meorum, cuivis discrimini pro pace regni nobilissimi, & amplificando imperio tuo, & pro animarum salute devoveo.* Placuit Regi Oratio: quare habito Senatûs-consulto decretum ex mente Valdiviæ, ut bellum Chilenum ex parte Hispanorum ad meram defensionem re-

Regum Catholicorum in Indos pietas.

Philippi Tertii laus.

Oratio Valdivia.

Belli Chileni damna.

Clementia Regi imploratur.

duceretur,

duceretur; si ultrò hostes offenderent, bellum bello repellerent. In injusta servitia severè animadverteretur. Duodecim de Societate Patres per Hispanorum præsidia in rebellium finibus, sumptibus Regiis, alerentur, qui amicos indigenas in officio continerent, prohiberentque fieri injurias, & hostes ad partes Christi Regisque allicerent. Difficilis erat hæc provincia, exigebatque hominem magnanimum æquè ac prudentem. Quamobrem Rex, cùm magnæ virtutis specimen ex patris Valdiviæ dictis & fama cepisset, cum huic negotio præficiendum censuit; quod ut majori authoritate administraret, Episcopum Chilensem creari volebat, quo ob instituti nostri rationes, & Ludovici Valdiviæ modestiam, non impetrato, cum saltem per Chilense regnum Regiorum negotiorum, ad sublevandam Indorum vexationem, Visitatorem, ut vocant, & pacis arbitrum, Episcopatúsque administratorem, suffragante per litteras Claudio Aquavivâ, ampla cum potestate constituit. Scisciranti verò Regi, quis vir regendo Chilensi regno eâ tempestate idoneus videretur, Valdivia respondit, Alfonsum Riberam Præturæ suæ restitui posse, quòd in eo homine belli artes, agendi dexteritas, & obluctans difficultatibus animus eminerent. Datum acceptumque consilium est, & Ludovicus Valdivia, cum auxiliariorum Sociorum manipulo, sumptibus Regiis, in Americam renavigavit. In Peruviam appulsus, Proregem, prout in mandatis habebat, de Senatûs-consulto docet; cui cùm non repugnaret, celeri navigatione ad Chilense regnum, quò Didacus Torres & Alfonsus Ribera Prætor se contulerant, revehitur.

Valdivia Episcopatum recusat.

Visitator Regius creatur.

Alfonsus Ribera Prætura Chilensi restituitur.

CAPUT XVIII. Ludovicus Valdivia finitimos populos rebelles Regi Catholico conciliat.

MAGNUM erat Ludovici Valdiviæ apud Chilenos nomen, tum ob propriam virtutem, tum vel maximè quòd obstacula Indorum saluti opposita omni ope amovere contenderet. Sed ob eam rem, tam sibi infensos Indorum vexatores, quàm amicos Barbaros experiebatur. Ubi ergo fama percrebuit ad Conceptionis portum appulisse, Indorum Domini non ignari eorum, quæ ab Rege Catholico, eo adnitente, decreta fuerant, variis modis obstrepuere. Sed ille rumores ante salutem Indorum habere, leve æstimans, acceptâ à Didaco Torres per litteras Vicariâ potestate, advectos Socios circa rebellium fines in Hispanorum præsidiis constituit; & communicatis cum Alfonso Ribera Prætore consiliis, adventûs sui, & rerum abs se in Hispania gestarum, famam apud hostes per captivos, ad id dimissos, longè latéque spargit. Quibus rebus cognitis, illicò Cataramnæ vallis incolæ rebelles nuncios ad eum misêre, postulantes, ut, si vera essent quæ nunciabantur, vellet ipse cum gentis Primoribus de pace colloqui. Non abnuit Valdivia, nulli non periculo, pro bono gentis, caput suum exponere promptus. Datâ utrimque fide, ex Araucana arce (ubi interim Venerabile Sacramentum pro sua incolumitate & felici rerum successu exponi voluit) ad hostium consessum properat. Quinquaginta Ulmeni (sic gentis Primores vocant) ex Araucana, Tucapelana, & Purena valle montibusque nivosis, omninò convenerant, & aderant militiæ Duces cum armatis cohortibus. Ad quos longam de Regis Catholici clementia, & laboribus abs se susceptis, habuit Orationem, cujus summa hæc est. *In Chilensi Regno*, inquit, *soli animarum saluti intentus, nullorum corporibus hactenus noxius, pænè consenui, nihil satius habens, quàm si unius Dei cultus omnium cordibus insinuaretur. Cùm verò multa huic rei obstare viderem, nullum lapidem non movi, quo obstacula amoverem. Bis in Peruviam, semel in Hispaniam vestrâ causâ navigavi, non sine operæ pretio. Nam Rex Catholicus, vestrarum animarum jacturæ condolens, præteritarum injuriarum oblitus, totus in eo est, ut utrimque inutili bello etiam cum aliquo authoritatis suæ dispendio finis imponatur. Id ut etiam velitis, per vestras armatas cohortes in hoc hostile solum solus & inermis rogatum venio, spondens, Regis Catholici nomine, si pax placet, neminem externis serviturum.* Finitâ Oratione, cùm per interpretem legi jussisset Regis litteras, & exposuisset pacis commoda, bellique mala, necnon ingentia quæ ex verbi Dei auditione ac Christianis præceptis bona percipiuntur; atque adeò suam Societatisque operam, ad eos in Fide instruendos, & ab vexationibus defendendos, multis verbis obtulisset, ita omnium animi commoti sunt, ut plerique cum lacrymis ejus dexteram oscularentur, affirmantes, si belli causæ præscinderentur, Regis

Ad rebelles pergit.

Cum iis colloquitur.

Ad pacem inclinat.

Catholici

Catholici imperata facturos. Interim Didacus Torres Provincialis Horatium Bechium & Martinum Arandam, linguæ peritos, è regni metropoli, ubi constiterat, ad Conceptionis urbem Ludovico Valdiviæ miserat, eorum operâ ad hostes conciliandos pro opportunitate usuro.

CAPUT XIX. Ludovicus Valdivia interiores populos cum Prætore pacificat.

FINITIMIS conciliatis, lubuit eorum animos tentare, qui terræ interiora habitant. Chileni rebelles in varias distracti factiones, tot duces habent, quot regiones: ad quos Alfonsus Ribera Prætor & Ludovicus Valdivia nuncios mittentes, à plerisque pacis responsa recipiebant. Inter hos, qui se pacis conditionibus non inclinabant, dolum subesse arbitrantes, præcipui erant Ainavilla & Aganamon, necnon Utablame, maximarum factionum duces. Hic Liecuræis, illi Purenis imperitabant. Aganamon tamen, datâ utrimque fide, cum Valdivia, Bechio & Aranda collocutus, visis Regis Catholici diplomatibus, ita permotus est, ut ad reliquæ gentis conciliandos animos ultrò ad remota populorum suorum oppida se contulerit: apud quos dum seriò pacis negotium urget, occasione absentiæ Hispana mulier, captiva Aganamonis pellex, cum duabus prolibus, & Barbaræ duæ ejusdem etiam concubinæ, suo utentes jure, ad Hispanorum castrum confugientes, magnos motus excitavere. Nam ubi Barbaro fuga pellicum suarum innotuit, & frustra eas, quòd Christianæ essent, ab Hispanis reposceret, negantibus Sociis id fieri posse, dissimulato furore, nihilominus in pacis negotio in speciem persistens, vindictam dolosè machinabatur. Interim dum hæc cum Purenis geruntur, Ludovicus Valdivia Utablamæ Liecuræorum duci filium, apud Hispanos dudum captivum, libertate donatum dono misit, rogans ut secum & cum Prætore Regio vellet colloqui. Beneficium æstimavit Barbarus, venitque cum sexaginta factionis suæ Casiquiis ad castrum Paicavim, ubi eos præstolabatur regni Prætor, & Valdivia cum Sociis. Præcedebant quindecim gentis Sacerdotes in talari veste ramum cinnami manu, & capite pileos algâ marinâ, pro suo more in signum pacis, redimitos gestantes. Simul ac Barbari ad Hispanorum arces venere, sic ex abrupto Utablame, septuaginta annorum senex, Ludovicum Valdiviam in limine obvium breviter alloquutus fertur. *Non*, inquit, *armorum pavor, aut Hispanorum vires, ad paciscendum me adigunt, qui ab ineunte ætate militiæ Præfectus, sex-decim omnino Chileni regni Prætores sibi invicem subsequentes, jam inde ab Villagrano, non tantùm fatigavi, sed etiam insignibus cladibus affeci. Sed tuum me beneficium, ô Pater magne, restituto filio, & Regis Catholici clementia, ultrò bonas conditiones offerentis, ad pacem trahit.* Hæc ferocienti, quàm urbano similior cùm dixisset, ad Prætorem introducitur. Prætor, ne ostentatione virium exacerbaret Barbaros, in adventu Utablamæ vetuit tormenta explodi, & sede æquans se Barbaro, postulat quibus conditionibus vellet pacem fieri: cùm respondisset, placere sibi eas, quas Valdivia scriptas à Rege attulerat, dummodò Sancti Hieronymi castrum, quod in finibus Hispani construxerant, destrueretur, & Aganamoni duæ saltem fugitivæ restituerentur, Societasque suarum animarum curam susciperet: illicò Prætor per interpretem pronunciari jubet, placere etiam sibi, postquam cæteræ factiones in pacis conditiones consensissent, S. Hieronymi castrum destrui; Aganamoni filiam Ethnicam restitui posse, pellices & filiam Christianas reddi non posse. Denique cùm Valdivia asseverasset, se Sociosque omnes totius gentis saluti lubentissimè impensuros, Utablame, Liecuræorum & Purenorum, quorum nuncii aderant, nomine, ramum cynnami in signum pacis Prætori offert, vicissimque alterum à Prætore & pretiosa dona recipit. Sic inter mutuos amplexus & acclamationes solemni formâ, ipso Conceptionis Virginis MARIÆ die, in arce Paicavi, adnitente Ludovico Valdiviâ, pax Liecuræos inter & Hispanos promulgata est.

Rebellium duces.

Aganamon colloquitur.

Ejus pellices fugiunt.

Utablame de pacis conditionibus actutus venit.

Utablamæ superbia.

Alfonsi Ribera Prætoris modestia

Pacis conditiones.

Pax concluditur.

CAPUT XX. De mittendis Sociis deliberatur.

PACE Sancita, Utablame volebat JESU Socios ad interiora regni statim secum pergere, ut reliquas rebellium factiones iisdem conditionibus Regi Catholico conciliarent. Sed clam in secreto confessu præclarè ab nostris disceptatum est, num id conducibile foret. Dissuasores exaggerabant Barbarorum ferocitatem, &

Dissuasorum rationes.

ipsius Utablamæ pertinax in Hispanos odium, adeò notabile, ut medio fermè sæculo de uxorum & filiorum suorum captivorum redemptione, cum nostris ducibus agere noluerit, ne commercium cum Hispanis quoquo modo habere videretur. Addebant, præcipitatione spem optimam corrumpi posse. Non statim fidendum Barbaris, sed fidem eorum tempore probandam. Aganamonis negotium nondum maturum esse. Nondum finitimos omnes paci assensisse. Cataraianorum aliquot, post Valdiviæ colloquium, ad interiores populos confugisse, sparsisseque famam, quod dolosè Hispani pacem vellent. Denique, in tantâ Sociorum JESV paucitate, è Reipublicæ bono non videri, si viri selectissimi tanto discrimini exponerentur. *Valdivia contrà differit.* Contrà, Valdivia, acerrimus pacis conciliator, quamvis periculum esse non diffiteretur, Socios statim mittendos arbitrabatur, aiens, ad Cataraianorum consessum se sine comitatu & damno iviſse. Utablamem ultrò sine armis ad armatum colloquium veniisse, beneficium manumissi filii æstimasse, pacem cum suæ factionis primoribus palam jurâsse, Societatem JESU petiisse, securitatem spopondisse; si nimiâ scrupulositate pericula rerum humanarum perpendantur, nusquam heroïcis facinoribus locum fore. Id demum Jesuiticum esse, discriminibus caput offerre, dum salus hominum, aut insignis Dei gloria ageretur. Nobilissimas matronas & puellas dudum captivas, in media Barbarie, supplices Societati tendere manus, ut ereptæ turpissimorum mortalium libidini, restituantur patriæ, maritis, parentibus, & avitæ Religionis templis. Barbaris confidentiam ostentandam esse, ne ipsi etiam diffidere incipientes corrumpant optima principia. Ad eos se, ut nuper ad Cataraianos, lubenter iturum, ni officii sui negotiis destineretur. *Valdivia assentit Prætor.* Denique à Didaco Torres Arandam & Bechium, nuper ad se missos, ut in rebellium fines delati Regem Catholicum insigni aliquo beneficio demererentur, & Evangelii viam aut sermone, aut fuso sanguine sternerent. Hæc Valdivia, cui Prætor, laudatâ Societate, quòd tanto periculo se objectum iret, assensit.

CAPUT XXI. Martinus Arãda, Horatius Bechius & Didacus Montalvanus mactãtur.

DECRETA missione, dici vix potest, quantis lætitiis exilierint Horatius Bechius & Martinus Aranda, tantæ sortis compotes: quare ille, litteris ad Didacum Torres missis, immensas gratias dedit, quòd se potissimum tantæ rei exhibuisset. Dum ambo è regni metropoli abirent Sociis valedicentes, se ampliùs invicem non revisuros, prælagiendo, disertis verbis asseruere. Nonâ Decembris, peracto Sacrificio, uterque cum Didaco Montalvano laico, nuperrimè in Societatem assumpto, Utablamæ traduntur ducendi. *Valdivia Socios valedicit.* Abeuntes Ludovicus Valdivia monuit, ut se egregio facinore Societati commendarent. *Et Prætor.* Prætor cum cohortibus Regiis & frequenti nobilitate diu extra castrum honoris ergò prosequutus, non priùs rediit, quàm omnium oculis se subduxissent. Ibant per abrupta montium & anfractus viarum, donec ad Utablamæ oppidum venirent: ibi eos statim convenere è Purenis multi Casiquii, tantâ ostentatione benevolentiæ, ut pacis generale negotium planè confectum putaretur. *Socii à Licuraii recipiuntur.* Alterâ die litteras ad Valdiviam dedere, quibus ex animi sententia fluere omnia nunciabant, seque tam tutos esse, quàm si Toleti forent: & aliis litteris monebant, missos jam esse nuncios ad singulas Barbarorum factiones, ut ad condictum generale colloquium gentis Primores convenirent; spemque proximam esse firmandæ pacis. *Ab Aganamone occidiuntur.* Sed quinto postquam à Prætore discesserant die, Aganamon cum numeroso perduellium equitatu Licuram invectus, nequicquàm cum suis municipibus reluctante Utablame, occisis aliquot Ulmenis paci faventibus, ferociter exprobrans pellicum suarum detentionem, in Socios nihil reluctantes involat, opprimitque. Omnibus capita primùm clavis contusa sunt, mox variè machæris & lanceis sævitum in corpora. Sic glorioſi pugiles, quòd negassent pellices Barbaro reddi posse, debitam pretiosæ morti coronam decimâ quartâ Decembris anno millesimo sexcentesimo duodecimo adepti sunt.

CAPUT XXII. Martini Arandæ vita.

MARTINUM Arandam, Villaricæ ab rebellibus destructæ, in Chileno regno natum, commendabat sanguinis nobilitas, quâ proximè Ludovicum Valdiviam attingebat. Is in patria diu honorarius miles turmæ equitum præfectus

arma

arma tulerat, donec extra patriam novæ Coloniæ ductor Riobambensem Præfecturam à Peruviæ Prorege acciperet. In qua administranda egregio facinore se Regi probavit, tumultuoso homine novas res machinante, & Provinciam ad defectionem sollicitante, comprehenso atque ad Proregem transmisso. Præterea immortalitatem nominis, tradito Riobambensibus nobilissimo stemmate, consequutus est. Rem memorabilem non pigebit enarrare. Convenerant cum Martino Aranda Præfecto frequentes cives in templum facienti Sacerdoti adstituri, qui cùm pro more Venerabile CHRISTI CORPUS populo adorandum genu flexus sublevasset (horreo dicere) hæreticus homo, nescio unde emersus, instigante in Christum odio, ex abrupto in Sacerdotem involat, Hostiam Sacro-sanctam rapit, in partes discerpturus. Horruêre quotquot cum Præfecto cives aderant enormitate intentati facinoris, & ensem quàm consilium, in repentino casu, promere promptiores, strictis gladiis in ipsa Ara monstrum hominis perfodiunt, donec constaret expirasse. Qua in re illud memorabile contigit, quod ex innumeris pœnè vulneribus, quamdiu cadaver in templo remansit, ne gutta quidem sanguinis profluxerit. Sed mox extractum quà data porta ita ebulliit, ut quot erant vulnera, tot cruoris scaturigines viderentur: nolente nempe Cœlo id templum effusione sanguinis inter profana haberi, cujus Aram Riobambenses cives Hispanâ prorsus pietate expiaverant. Porrò ad æternam tanti facti memoriam Martinus Aranda Præfectus statuit, ut urbs nova deinceps pro stemmate, Hierothecæ CORPORIS CHRISTI effigiem, & infra illam cadaver hæretici hominis multis ensibus perfossum haberet. Quod stemma Marchio Canietensis Peruviæ Prorex æternùm piæ urbi esse voluit. Publico huic facinori addam felicem Arandæ dexteritatem, quem cum æqualibus equestri cursu certantem effrænis equus ex insperato in eam partem rapuit, ubi campus in ingentem hiatum apertus præcipitium ostentabat, proclamabatur ab omnibus de sessoris vita: sed is incitatum equi impetum ingenti saltu hiatum prævertentis imperterritus sustinuit, equoque domito incolumem se spectatoribus stetit; eo majori plausu, quo hominem pluribus laudibus propè funeraverant. Si famam spectares, nullus in Peruvia equitum velitationibus Arandâ præstantior erat. Quare Proregi charus, per felices vulgi admurmurationes gradum sibi faciebat ad ampliores honores: cùm se à Deo ad animi curam, susceptâ ex vago concubitu prole, graviter neglectam, retrahi sensit, vocem Divinam secutus, Prorege ægerrimè annuente, Societati se mancipavit. Tyronem ipse Prorex honoris ergò invisit: à quo didicit eum longè feliciùs equitare, quem gratia Dei portat, quàm qui phalerato equo vectus honorum præcipitia sectatur. Expletò tyrocinio, inter rerum externarum coadjutores mereri ambiens repulsam passus est. Triginta trium annorum vir, jussus Latinitati studere, ita se præstitit, ut majorem laudem inter pueros, quàm in gesto olim Magistratu, meteretur. Sacerdotio ornatus, cum Michaële Urrea ad Chunchos, montanos Peruviæ Indos, crudelitate insignes, destinatus, trucidato à Barbaris socio, per difficillima itinera ægrè in tutum se recepit. Evitato periculo, ob peritiam Chilenæ linguæ in patriam amandatus, talem inter Hispanos & Indos se præbuit, qualem triumphi avidum decebat. Cùm ei aliquando Mandibulæ pars malè affecta resecanda foret, inter cruciatus ita duravit animo, ut ne quiritatum quidem ederet, orisve hilaritatē mutaret. Quâ tolerantiâ prælusisse toleratæ pro Christo morti dicerem, nisi illustriora Martyrii imitamenta edidisset, dum homo præfervidus & vehemens, nativo iræ igne violenter repressō, ita animi motus composuit, ut Religioso homini indecoros impetus imposterum nullos proderet. Præter has virtutes in Martino eminuere sui castigandi studium, magna cum Deo familiaritas, de omnibus benè merendi desiderium, & singularis Indos juvandi cupido. Quibus dotibus gradum spiritualis coadjutoris in Societate, & in Cœlo inter heroës amplissimum locum est adeptus. Alegambe fusè describit nostri Martini ad Chunchos frustratam expeditionem, & ut in perversæ nationis adeundæ conatu ab comitibus, viarum asperitate & portentosâ fluminum trajectione deterritis, desertus fuerit. Ut in itu & reditu Zupimarim, rapidissimum flumen, octogesies incredibili labore vado transmiserit. Ut ab torrente raptus, ad scopulos allisus, & alia vitæ pericula ab viperis, tem-

Ejus militia.

Præfectura.

Riobambensium stemmatis origo.

Aranda equestris dexteritas.

Tyrocinium Religionis.

Studia.

Ad Chunchos expeditio.

Magnanimitas.

Cætera virtutes.

pestatibus, solitudine, fame, & morbo adierit. Quæ omnia non parùm faciunt ad Apostolici viri commendationem.

CAPUT XXIII. De Horatio Bechio & Didaco Montalvano quædam memorabilia.

HORATIUM Bechium nobilem Senensem, Episcopi germanum fratrem, ornabant Virginitas totâ vitâ conservata, erga Virginum Reginam amor, zelus animarum, precandi studium, necnon scientia multiplex, prudentiaque adeò singularis, ut summis provinciæ muneribus etiam tum juvenis omnium votis destinaretur. Magnâ contentione ab Didaco Torres Provinciali missionem ad Araucanos flagitavit, ne vocationi Divinæ obniti videretur: in Italia namque adhuc versanti cœlitus injecta martyrii spes, adeò certa, ut vix de futuro eventu dubitaret. Anno hujus sæculi quarto ex Europâ cum Didaco Torres in Peruviam navigavit, Litteris sacris Limæ non sine laude informatus, cum eodem per Tucumaniam ad Chilense regnum immenso circuitu ductus, tanta quanta narravimus, inter amicos Indos & rebelles patravit, usque dum, fuso Sanguine, spem cœlitùs datam firmaret. Nostrum Horatium non ita pridem illustravit imago Alexandro Septimo Pont. Maximo cum eleganti carmine eo præsertim nomine dicata, quòd utriusque familiæ mutuâ affinitate illigatæ dicantur. Tantis Heroïbus additus est Didacus Montalvanus, Mexici in nova Hispania Hispano genere natus, ex Chilensi milite, post annuam in humilibus culinæ, cellæ penariæ, & Sacrarii servitiis periclitationem, IESU Socius factus, sexto tyrocinii die rarâ felicitate triumphum meritus est. Dum in exercitu Regio stipendia faceret hoc solemne habuit, quod numquam adduci potuerit, ut Quadragesimali tempore carnes, eò loci & temporis Regiis militibus legitimè concessas, esitaret, pane subcinericio, nullo alio pulmento addito, contentus. Tria cadavera occisorum Sociorum in summis caloribus per triduum nec muscæ, nec aves carnivoræ attigere, donec Valdivia adnitente ad Levo Hispanorum castrum transferrentur. Biennio pòst ad Conceptionis urbem deportata, nostro in Templo, ad principis aræ latus, cedrina Lipsanotheca intus & foris aureo panno inducta, honorificè depositа sunt. Sic novellæ Provinciæ fundamenta Sanguine consecrata fuere, & Socii, exemplo animati, ubique grandia heroïcæ virtutis vestigia impressere.

Horatii Bechii necis præsensio.

Cum Alexandro Septimo affinitas.

Montalvani patria.

Abstinentia.

Cadavera triduo à muscis & avibus intacta.

CAPUT XXIV. Quatuor Societatis sedes stabiliuntur sumptibus Regiis. 1613.

CÆDE peractâ, pacis negotium disturbatum est: nam pleræque factiones, quamvis innocentes, verecundiâ abalienati, ultionis metu iterum pro hostibus se gessere. Cataraianorum octo millia in amicitia perstitere. Hispani contrà bello vindicatum ire avebant Sociorum neces: sed Valdivia restitit, volens adhuc servari decretum Regis de non offendendis hostibus, in quorum finibus quatuor Societatis sedes Vicariâ ab Provinciali potestate acceptâ stabilivit: nam Rex Catholicus in singularum sedium levamentum mille ducatos annuatim numerari jusserat, & Sociorum, partim ex Hispaniâ, partim è Peruviâ advectorum manipulus præstò aderat: ex quibus Sociis sequentibus temporibus eminuere Rodericius Vasquius, Peruviæ non ita pridem Provincialis, Gaspar Sobrinus Quitensi Provincialatu perfunctus, Vincentius Modolellus Chilensis Vice-provincialis, Augustinus Villaza divinis illustrationibus maximè clarus. Prima sedes, cui deinde, aucto Sociorum numero, Collegii jura concessa sunt, in Conceptionis maritimâ urbe posita est. Unde egressi per vices quinque Socii, circumjacentes regiones, Indorum vicis frequentes, æquali fructu ac labore lustrabant. Ludovicus Valdivia trecentos, Socii alii sexcentos, ex pervicacissima gente anno hujus sæculi decimo-tertio baptizavere. Apud Araucanos temporaria sedes in perpetuam etiam mutata est, in qua singulis Dominicis diebus viginti triginta ve Barbari Baptismum suscipiebant, plerumque cum festivissimo arcis apparatu, bombardarum explosione, & templi spectatissimo ornatu, ut nempe feroces homines Sacramentum à se susceptum magis æstimarent, & Ethnici popularium suorum honore allecti in eamdem sortem filiorum Dei adoptari amarent. Arx Hispanorum altera est, quam Levo vocant: huic arci unus ex Araucanis Sociis perpetuò aderat, Prætoris rogatu, deficiente alio Sacerdote, aliquot Indorum millibus atque Hispanis militibus operam navaturus: præterea

Ludovicus Valdivia vindictam prohibet.

Conceptionis sedes.

Nongenti baptizantur.

Araucana sedes.

Levo castrum.

iidem Socii ad Sanctæ Mariæ insulam adnavigabant, terrâ mariqúe dæmonibus infestissimi. Tertia sedes in Bonæ-spei arce, hinc hostium finibus, & inde obversa Cataraianis, posita fuit: hos præsertim Socii frequentibus excursionibus per ordinarias Societatis operas excolebant, non tamen sine militum comitatu, nam Peruviæ Prorex vetuerat ne Socii, nimio animarum ardori velificantes, sese periculosis locis incomitati ingererent. Ibat pro more Hispanorum manipulo cinctus Modolellus Socius impiger ad opus Evangelii, cùm derepentè hostium phalanges sese ex propinquo ostentant. Sola salus in fugâ fuit, pauci milites facilè evaserunt; sed Modolellus non optimus eques, in equo malè ephippiato, longo post comites intervallo, in potestatem hostium pœnè venerat, quando ei calix, quem ad usum aræ portatilis secum ferebat, ex manibus elabitur. Quid ageret? exilit, calicem, ne præda profanis sit, rapit: rursum insilit in equum, & laxatis habenis calcaria admovet, tantâ vi, ut momento temporis, à præcipite equo raptus potiùs quàm vectus, comites trans fluvium, ubi periculum ob nostri equitatûs vicinitatem jam nullum erat, assequutus sit. Verùm quis referat sigillatim hostiles incursus, aliásve in mediâ Barbarie ac militum licentiâ à Sociis toleratas molestias, quas lubenter sufferebant, ut animas Ethnicorum quamplurimas è Dæmonum servitute ereptum irent. Chiloënses quartam sedem accepere stabilem in principe insulâ fundatam, unde Socii deinceps cymbâ vecti, & subinde suis manibus remigantes, ad viginti-quinque pagos ejusdem insulæ, & triginta-quinque alias circumjacentes insulas, deferebantur, Catechesi, Baptismo, Confessionum auditione, vagantium hinc inde hominum aggregatione, fructus uberrimos colligentes.

Bonæ-spei domicilium.

Modolelli periculum.

Chiloënsis domus.

CAPUT XXV.

Societas privatim publicèque vexatur.

Valdivia decem millia in libertatem vindicat.

Calumniæ.

HIs quatuor sedibus constitutis, Ludovicus Valdivia pro Rege Catholico regnum Chilense inspiciens, decem Indorum millia (ut Allegambe scribit) ab nimiis servitiis in libertatem asseruit. Vexatores Indorum, legibus & potestate à Rege traditâ, coërcuit. Per frequentes nuncios rebelles iterum ad pacem sollicitavit. Captivos redemit. Nihil denique non tentavit, quo regnum profligatissimum pristino splendori redderet. Quæ res, cùm ei summum amorem conciliare debuissent, multorum paravere invidiam. Turbatum ubique est ab servitii personalis propugnatoribus, adeò ut vexationes non tantùm in Ludovicum Valdiviam, sed in Didacum Torres, universamque Chilensem Societatem redundarent. Aiebant ab Societatis nimia religiositate manasse servitiorum abrogationem; si ea regno pelleretur, facilè Regem Catholicum abrogationis decretum rescissurum. Hæc cives. Milites verò spargebant in vulgus, bello mancipia parari, bello regnum ditescere: si bellum finiretur, trecentis ducatorum millibus è Peruviæ ærario singulis annis jussu Regis Catholici in Chilensis militiæ stipendia mitti solitis, regnum carituram. Præterea Prætor, in militia Belgica innutritus, non approbabat offensivum bellum prohiberi, quòd fortè iniquam putaret esse præliantium conditionem, ubi lædi possis, non lædere. Et quamvis Ludovicus Valdivia, Societatis suiqúe purgandi ergò, multa adferret, demonstraretque non posse non probari Regis Catholici consilium, post tot annorum bellum, direptionem tot urbium, neces tot populorum, & exhaustum ærarium, blanda remedia experientis: tamen apud præoccupatos cupiditate animos non audiebatur. Inter has turbas, privata res Societatem commisit cum regni Primoribus, causam dante discolo Societatis nostræ Sacerdote, Theologiæ professore, qui, quòd ex ordine submovendus esset, & Societati Chilensi expediret extra Provinciam portari, antequam è Societate dimitteretur, in Peruviam jussus est navigare. Is antequam è portu solveret, fasciculum litterarum, quem Socius navigationis à Provinciali traditum habebat, dolo subreptum referat, diploma expulsionis suæ capit, & quamvis coram Provinciali jurasset, nî in Peruviam navigaret, se è Societate dimissum non fore, tamen pro legitimè dimisso se gerit. Contrà Societas reclamat, & hominem apostatarum legibus postulat. Sed intercessit Episcopus, defensionem fugitivo adpromittens: Senatus Regius in partes trahitur. Senatores jure dimissum pronunciant. Nihil apud alienatos valuere nostra jura, nihil Peruviæ Proregis litteræ, jubentis inquietum hominem regno facessere,

Discolus fasciculum litterarum aperit.

Ab Episcopo & Senatu defenditur.

nihil Dominicanorum, Mercenariorum, & Academiæ Limensis authoritas, arbitrantium fautores Ecclesiasticis pœnis subjici, donec lite Romam delatâ Societatis Præpositus Generalis pronunciaret, Emmanuelem Fonsecam (sic turbulentus homo vocabatur) verè apostatam fuisse, & juberet votis pœnisque solutum è Societatis albo abradi. Quid verò per tres inregros annos, quibus lis pependit, nostris sufferendum fuerit, modestius nobis erit tacere, quàm propalatione tot injuriarum viros cæteroquin bonos, levissimi hominis simulatâ virtute deceptos, dedecore aliquo nominatim afficere. Abalienatis ab Societate regni capitibus gens medii infimique subsellii fœda crimina Ludovico Valdiviæ ausa est affingere; eo fine, ut absterreretur ab Indorum defensione: sed juridicè explosa in authores suos vertit infamia. Fasciculum litteratum Regi Catholico inscriptum dolo ab Societatis hominibus subreptum fuisse fama cùm invaluisset, tabellarius, mendacis famæ author tandem inventus, egregii criminis notâ Societatem liberavit. Nonnemo ancillam suam vexabat, ut Societatis quemdam hominem impudicitiæ secum perpetratæ accusaret: sed illa nullis præmiis, nec atroci flagellatione adduci potuit, ut tantum scelus innocenti viro affingeret. Nihil denique ab otiosis hominibus tentatum non est: ita ut Chilena vexatio cum Cæsaraugustana & Silicæi temporibus conferretur. Sed Valdivia adhibebat constantiam, otiosorum hominum probris, calumniis & comminationibus imperterritam: qui cùm videret inveteratissimum malum efficaciori & perpetuo remedio indigere, Gasparem Sobrinum, Socium rebus agendis idoneum, in Hispaniam cum legitimis abs se inspecti regni instrumentis amandat. Quibus examinatis favit Rex pro se, pro justitia, pro bono Religionis decertanti: favit Senatus Regius, favit Peruviæ Prorex: omnes denique cordati viri Ludovicum Valdiviam, virum summis in America parem, pro re benè & fortiter gesta meritis laudibus affecere. Sed deinde repullulantia Hydræ capita alios Hercules fatigavere.

Calumnia explosa.

Valdivia laudatur.

CAPUT XXVI.

Didacus Torres Tucumaniam Paraquariamque lustrat.

DIDACUS Torres, Chilenos montes rursum prætergressus, in Tucumaniâ mitiora tempora reperit: nam, adnitente Joanne Romero, Franciscus Sausedus Ecclesiæ Esterensis Thesaurarius, & postea Ecclesiæ Chilensis Episcopus, Sancti Michaëlis domui agros, pecuniam, & mancipia, viginti aureorum millibus æstimata, dono dedit. Præterea Episcopus Tucumanensis Ferdinandus Trexus spem fecit Esterensis Collegii fundandi. Cordubæ verò Seminarium nobilium adolescentûm majori aviditate quàm successu, ejusdem Episcopi procuratione, institutum Societatique traditum, aliquandiu usui fuit; quamquam, paulò pòst mortuo Episcopo, deficientibus subsidiis, ætatem non tulit. In portu Boni-aëris, quoad Æthiopum, Indorum ac Hispanorum curam, prosperè cadebant omnia. In Sanctæ Fidei urbe Franciscum à Valle Societatis sedi præfectum, impigrè laborantem, nescio quis quadruplator revelati pœnitentium secreti, & corruptæ mulieris, palàm insimulavit. Sed institutâ per Franciscum Truxillum Provincialis Socium facti inquisitione, utrumque scelus temerariè innocentissimo homini imputatum fuisse, ipsomet sycophanta dicto scriptóque calumniam retractante, compertum est. Falsitatis reum ducentis plagis Ferdinandus Arias Prætor indubiè castigasset, nî Socii, tolerare injurias, quàm vindicare doctiores, intercessissent. Calumnia, ut fit, legitimè depulsa, nihil reliquæ vitæ, Apostolicorum virorum in morem traductæ, splendori offecit. Eo ad procurationem Indorum translato, Joannes Darius Sanctæ Fidei domus curam suscepit, adeò plausibili successu, ut cùm è pulpito tonaret, universa civitas, & circum omnis vicinia, suggestu in forum transportato, quòd multitudinem templum non caperet, avidissimè concurreret. Fervori Concionatoris respondebat multiplex ex omni hominum genere fructus, certatim se confessionis tribunali, abjuratis publicis privatisque vitiis, offerentium. Nec animarum fructus in Paraquariæ metropoli sine inquietudine percipiebatur, Dæmone utilissimos quosque reipublicæ Christianæ viros ubique perturbante. Delegaverat suas vices Sanctæ Inquisitionis Commissarius Didaco Holguino, Assumptionis Collegii Rectori, homini severo, ac in rebus ad fidei integritatem spectantibus dissimulare nescio: ex qua severitate occasionem arripientes nonnulli cives Societati

Franciſci Sauſedi Epiſcopi liberalitas.

Seminarium Cordubenſe.

Franciſcus à Valle calumniam patitur.

Et liberatur.

Joannis Darii zelus.

Didacus Holguinus nimiæ ſeveritatis inſimulatur.

suboffensi, exaggeratis rebus, Commissarium permovere, ut Limam Holguinum ire compelleret, immoderationis, ut aiebant, in delegati officii administratione apud primarios Inquisitores rationem redditurum. Septingentis leucis Lima abest ab Assumptionis urbe, & jam Didacus Holguinus medium iter confecerat, cùm ab Inquisitoribus Limensibus, de ejus integritate per citatos tabellarios edoctis, litteras accipit, quibus monebatur, ne ultrò pergeret, satis enim amplissimo Senatui ejus innocentiam & malevolorum hominum temeritatem esse perspectam. Procedente verò tempore re cognitâ, Summum in Hispania Inquisitionis Tribunal non tantùm eum immoderationis absolvit, sed magna cum potestate Commissarium suum, vexatore ejus reprehenso, per Paraquariam delegavit. Didacus Torres è Tucumania in Paraquariam profectus, novum Divi Ignatii oppidum inter Paranam & Paraquarium ab Societate fundatum pro munere inspiciens, laudavit omnipotentem Deum, qui de lapidibus fideles Abrahæ filios effecerat. Nec potuit se continere, quin pallium unicum, quod habebat, tentorium, mantilia, & reliqua longissimorum itinerum instrumenta in partes discissa, novis hominibus manu nudioribus; Sociis verò rerum omnium egentibus jumentum, quo vehi solebat, indusia sua, ac cætera vestimenta conferret. Præterea Rocho Gonsalvio Iconem Beatæ Virginis manu pictæ dono dedit, jubens, ut eam in sociam expeditionum Apostolicarum assumeret, quam lubuit populorum debellatricem appellare, non vano nomine. Nam commodè accidit ut duo Casiquii è Parana tum venirent, qui ab Provinciali sollicitati ad Fidem, cùm initio resisterent, ab iis saltem impetratum, ut vellent ante Iconem Virginis MARIÆ genibus flexis cum cætera plebe cœleste lumen pro se implorare. Mirum dictu! sequenti die ambo Casiquii diversis ex domibus, non communicatis consiliis, ad Provincialem redeuntes, Christianos velle se esse, & cum suis popularibus in eam spem oppidum condere (quod & postea fecere) testati sunt. Idcircò ritè Iconi Virginis MARIÆ nomen Debellatricis assertum est, quâ in perpetuam comitem assumptâ, Rochus Gonsalvius insignes victorias à Paranensibus Urvaicensibusque, uti demonstrabimus, cum claritate nominis reportavit.

Laudatur.

Didaci Torres liberalitas.

Virgo Maria Ethnicis salutaris.

Ethnicorum debellatrix.

CAPUT XXVII.

Guaicuræi excoluntur.

PROVINCIALIS ex eo oppido abiens Petrum Romerum in spem Guaicuræos rursum adeundi secum abducit, cum quo adverso Paraquario naviganti Guaicuræorum Dux obviam processit, spondens se suosque, si Societas restitueretur, imperata fideliter facturos. Laudato Barbari Ducis consilio, Didacus Torres ad Guaicuræorum littus applicat, pellectosque muneribus Barbaros alloquens, affirmat, se eâ lege Sacerdotes concessurum, si à trucidatione abstinere vellent, & se sinerent in oppidum coactos verâ Religione instituí. Mox urbem Assumptionis petens, sacram supellectilem, resque varias ad conciliandam largitionibus gentem mille & trecentis aureis coëmptas, Petro Romero & Antonio Morantæ tradit, monitosque ut Provinciam, gloriosis periculis obnoxiam, magnis animis aditent, abs se sub finem anni amandat. Ipse verò evocato è Guairania Josepho Cataldino, quatuor Societatis vota coram se professuro, cum eodem magnis itineribus Cordubam Provincialia Comitia coacturus contendit. Petrus Romerus cum socio Guaicuræis redditus, constructâ casâ, & æde sacrâ refectâ, primos labores resumens, quanto numero potuit Barbaros in unum reduxit. Quibus interjecto tempore pro more dilapsis, ardente maximè Sole, & summâ aquæ potabilis inopiâ, eò perrexit, ubi Guaicuræorum Dux cum frequenti multitudine vivebat. Ibi à Ducis matre evicit, ut se sequeretur, & non procul æde sacrâ abs se constructâ habitaret: quæ non abnuens & Christianis imbuta præceptis effecit, ut nurus eòdem secum concederet; & mox alii atque alii exemplum sequuti, pleroque tandem eò perpulere, ut se cum duce Sociis adjungerent, sinerentque simul doceri. Detrectantibus verò adolescentibus pueritiam jam egressis inter pueros & fœminas sedere, attributum est Catecheseos tempus diversum, ne superbo pudore ab doctrinâ retraherentur. Neque animis solùm, sed etiam corporibus ferebant opem: quare contenti talari veste ex vili gossipio, aquæ potu, cibaru simplici, & reticulo pro lecto pensili, pecuniam fermè omnem, ab Rege Catholico pro vitæ subsidio utriq; numerari jussam,

Didacus Torres Guaicuraos adit.

Largè donat.

Guaicuræi utcumque conciliantur.

in

in coëmendis ferramentis, aliisque rebus ad devinciendos largitate Barbaros, insumebant. Si quid cupediarum aliunde mitteretur, in pueros ægrosque largiebantur, & à multis multa corrogabant, ut semper suppeteret quod darent, rati, ex mente Didaci Torres, dona apud Barbaros, mortalium egentissimos, miraculorum vicem subire debere. Si Guaicuræi, quod frequentissimum erat, mutarent loca, ipse Romerus (Morantâ ad Sarcinas relicto) difficillimis itineribus ad eos ititabat, nec unquam fere sine operæ pretio, nam multos adultæ ætatis homines infantesque morti proximos his in excursionibus Christo lucri fecit. At in oppido quotquot graviter ægrotare contingebat, summâ ope ambo Socii admitebantur, ut qui reliquo vitæ tempore ferarum more vixissent, saltem in morte ad Fidem Christi animum adjicerent. Satis constat his artibus ferocissimam Guaicuræorum gentem non tantùm diu utcumque in officio fuisse retentam, sed etiam Niapurorum & Baiarum barbarissimorum hominum quamplurimos pellectos, ut de Divinis rebus Socios verba facientes audire vellent.

Petri Romeri excursiones.

CAPUT XXVIII. Guaicuritii primùm ab Romero adeuntur.

IN eodem terrarum tractu Guaicuritiorum Dux (nam Guaicuræorum gens, uti supra demonstravimus, sub duobus capitibus bipartita est) sive vicinorum æmulatione, sive religionis æstimatione, Socios apud Guaicuræos degentes rogatum venit, ut coram terras suas inspicerent, locumque ad condendum oppidum designarent. Lætus hoc nuncio Romerus, confidentiùs quàm securiùs Barbaro se tradit ducendum: porrò in omni peregrinatione perpetuus is apud eam gentem mos inolevit, ut non tantùm uxores & filios, sed etiam supellectilem, arma, domos plicatiles, omnia denique, de commeatu nihil solliciti, secum portent His impedimentis impliciti vix milliare Italicum triduo eundo conficiunt: nam ubi tantillum processerint, erectis in caularum speciem storeis, cibum quærunt, nec ante ex uno in alium locum abeunt, quàm totum venatione piscationéve exhauserint. Sic intolerabili tædio Romerus cum Guaicuritiorum gente, unico servulo & linguæ interprete comitatus, Barbarorum cibo contentus, per infestas aculeatis culicibus paludes, per obnoxia tygribus loca, per spineta, arundineta, & ambages, quadraginta totis diebus vix septem leucarum spatium, si rectà iretur, confecerat, cùm litteras ab Assumptionis Collegii Rectore accipit, quibus perlectis, Barbarorum Duci significat, nisi citatis itineribus cum expedito comitatu pergerent, re infectâ, è Majorum voluntate, eò unde discesserat se rediturum. Ergo, relictâ popularium suorum multitudine, Dux duplicavit itinera, Romerumq; per suas terras celeriter circumductum, designato oppidi loco, ad Guaicuræos reduxit. Quamvis verò res ad exitum non perducta sit, non parva tamen Romeri laus fuit, contemptâ morte, infidæ genti pro Christi causa se tradentis. Verùm ne incassum omnis à Romero susceptus labor caderet, infans in itinere ante mortem Sacramento expiatus est, & venefica anus cum morte colluctans, diu animæ medelam respuens, tandem Christiana fieri voluit, feliciterque in ultimo agone obtinuit. Sed jam gestit calamus Guairaniam, Apostolicis operibus claram, revisere.

Petri Romeri patientia.

Guaicuritiorum mores.

Guaicuritiorum primitia Deo sacrata.

CAPUT XXIX. Martinus Xaverius Urtasum in Guairaniâ moritur & laudatur.

JOSEPHO Cataldino ad Comitia Provincialia profecto, tres tantùm Socii, Antonius scilicet Ruisius, Simon Maçeta, & Martinus Xaverius Urtasum in Guairaniâ permanserant; pauci admodum pro multiplicitate rerum agendarum: nam Maracana, numerosi pagi Dominus, diù Sociis reluctatus, Divino terrore percitus, combusto suo pago, se tandem cum suis popularibus Ignatianis Neophytis adjunxerat; cujus exemplo confluebant undique Ethnici ad Sociorum oppida, adeò jam numerosa & splendida, ut Antonius Ruisius scriberet, novalia hæc cum Peruviæ veteribus conferri posse. In continuo motu erant Socii, sive in oppidis Ethnicos Neophytosque edocerent, sive ad loca remota, Barbaros reducendi ergò, excurrerent, sive denique quò fervor animi, peste miserum in modum grassante, singulos distraheret. Sic res Guairaniæ solâ Sociorum paucitate laborantis se habebant, cùm Æterno Numini ex hac paucitate Martinum Xaverium Urtasum Sacerdotem, juvenem veteranis parem, ad Cœlestes sedes evocare lubuit. Id ante maturitatem

Incrementa Guairaniæ oppidorum.

annorum

annorum merebantur spreti nobilissimæ familiæ honores, innocens vita, & salutis animarum cupîdo. Pompeiopoli in Navarra natus is fuerat, clarissimæ Urtassunæ domûs, Xaverianam sanguine attingentis, hæres & dominus. Adolescens amplâ trium millium ducatorum census annui hæreditate dimissâ, obluctante licet matre, & magnas honorum spes obtrudente, Societatem Jesu amplexus est. Ambienti unam ex Indicis Provinciis, nequicquàm reclamantibus in aula Madritana viris primoribus, necnon medicis valetudinem ejus causantibus, Paraquaria obtigit. Linguæ Indicæ peritiam adeptus, egregiam Neophytis & Cathechumenis in Guairania navavit operam. Sesquianno in his laboribus posito, pestis grassata nostrum Xaverium ægris ministrantem prostravit. Prostrato & morbis afflictissimo, in hoc Orbis angulo linteamina ad decumbendum, pharmaca, cibus idoneus, & omnia ægrorum subsidia defuere; ne panis quidem frustulum repertum, quod appetenti præberetur; farina linea olida, & id genus edulii insulsi ac insipidi pro ultimis cupediis fuere: & tamen violentæ necis avidus querebatur in lectulo se molliter mori. Paulò ante mortem idcircò subtristem se ostendit, quòd tamdiu, ob intervalla locorum (nam ducentis & amplius leucis ab Assumptionis Collegio, & quingentis à Tucumaniæ metropoli, in media Barbarie aberat) Sociorum suffragiis carituras esset. Sed eum solatus est Ruisius, spondens quinquagies se pro ejus anima sacrificaturum: vicissimque à moriente petiit, ut in Cœlum admissus, pro se Virginis pedibus osculo impacto, amoris Mariani argumentum flagitaret. Mirum dictu! nona post ejus mortem hora sensit Ruisius cœlestem quamdam urbem, fulminis instar transeuntem, menti suæ objici, sequuto ex ejus aspectu in Cœlorum Reginam tenerrimo sensu: quem sensum ne amitteret, catenam ferream cuspidibus horridam, haud rudis talium instrumentorum faber, sibi statim confecit, tamdiuque gestavit, donec in morbum incidens, eo tormento corpusculum vexare à Majoribus prohiberetur. Præter genus mortis, Martinus noster multa habuit cum Magno Xaverio paria. Nam virginitatem, & animam à lethali culpa totâ vitâ intactam, conservavit. Obedientiam adeò integram professus est, ut moriens ausus sit asserere, nihil se à Majorum jussibus transversum fecisse. Jussus in Guairaniam proficisci, agnatæ virtutis exemplo, ne libellos quidem, quibus pietatem alere assuefecerat, secum ferre voluit. Per paludes atque abruptos scopulos pedibus nudis longissima itinera confecit. Servulum aquam sibi febricitanti clam offerentem repulit, aiens se ne guttam quidem injussu Majorum libaturum. Diu post mortem spectandum se præbuit, quasi Indos Catechesim doceret: diceres voluisse redire è Cœlo ad juvandam Sociorum paucitatem, aut nondum satiatum Apostolicis laboribus. Casiquio per visum civitatem cœlestem ingredi jamjam putanti, Martinus Xaverius, Sole splendidior, ab ingressu severè arcuit, docens eâ tantùm civitate donari, qui integrè peccata confiteretur; simulque indicavit homini inexpiatas ex oblivione noxas optimo successu. Josepho Cataldino, ut suprà narratum, opportunus è Cœlo auxiliator adfuit, territo invasore. Antonio Ruisio ob solitudinem & cætera vitæ incommoda mœsto, in veste splendida & cœlesti apparuit, jubens, ne desponderet animo, sed cogitaret talem qualem oculis perspiceret gloriam, constanter in vinea Domini laborantes manere. Idem eundem spectavit, fracto in speciem Cœlo, inter illustres splendores gloriosè sedentem, cum hac voce: *Martinus Urtasum ob labores eâ gloriâ dignus inventus est.* Hæc de Paraquariæ nostræ Xaverio, laudatissimo juvene, anno ætatis vigesimo-sexto extincto, satis esse arbitror, ut inter præcipua Provinciæ nostræ decora computetur. Nec abs re Petrus Gusmannus in Francisci Xaverii vitæ præludio Navarræ Heroibus addidit, & Joannes Rho variæ suæ virtutum historiæ decorè admodùm inseruit.

Martini Xaverii patria,

Parentes,

Navigatio,

Labores,

Morbus,

Virginitas,

Obedientia,

Paupertas,

Apparitiones.

CAPUT XXX.

Socii in Guairaniâ inter adversa rem Christianâ promovêt.

Visitator Canonicus Socios adversatur.

MARTINO Xaverio morte sublato, Simoni Maçetæ, & Antonio Ruisio immensæ Provinciæ incubuit onus, adeò ponderosum, ut miraculum fuerit utrumque non succubuisse. Indorum abactores, occasione solitudinis usi, omnem lapidem moverunt, quo uno iterum è duobus è Provincia dejecto, alter penitus sub onere fatisceret, tandemque Indis à Societate reductis pro libitu abuterentur. Perversa consilia juvit Canonicus Paraquariensis, pro Sede Episcopali vacante

Guairaniæ inſpector, & ab Inquiſitionis Commiſſario delegatus, Societati maximè infenſus. Qui ubi in Provinciam venit, communicato cum Indorum vexatoribus conſilio, ſparſit famam ſe expellendæ Societatis ergò in Guairaniam cum poteſtate veniſſe: & ut Neophytos à Sociis alienaret, adeò multa in hos confinxit, ut illi à ſuorum Magiſtrorum cura abhorrentes, templum noſtrum domumque ingredi plerique jam renuerent. Sed quod palmare fuit, idem ipſe Antonium Ruiſium Sanctæ Inquiſitionis Commiſſario rationem redditurum ad Aſſumptionis urbem ire compulit, occaſione inde arreptâ, quòd Inquiſitorum faſciculus litterarum Ruiſio commiſſus (quem bonâ fide, non acceptâ cautione, reddiderat) nuſquam appareret. Abſente Ruiſio in unum Simonem Maçetam incubuit novorum oppidorum cura, necnon malevolorum perfidia, in id maximè intenta, ut deſtructis Lauretanâ & Sancti Ignatii coloniis, aliò ad ſervitia tranferrent. In eum finem Simonem Maçetam indignis planè modis adverſarii vexavere. Atque ut videas Barbarorum inconſtantiam, ipſe Maracana, Sociorum hactenus adſtipulator, ab Canonico illo ſollicitatus de Societate expellenda, accerſendisque aliis Sacerdotibus, & deferendis oppidis, conſilia cum duobus aliis Caſiquiis agitans, magnam popularium partem in ſuam ſententiam traxit. Quâ re cognitâ, Simon Maçeta, inſtinctu planè Divino, advocatâ Neophytorum concione in hæc verba protupit. *Filioli*, inquit, *mei, quos in Chriſto genui, non me latent malevolorum machinationes: ſed ſic exiſtimatum velim, conſpirationis authores brevi morituros: his ſublatis optatâ pace fruemur.* Hoc dicto ſe ſubduxit: poſtridie verò quàm hæc dixerat, Maracana, & duo conjuratores Caſiquii, in morbum incidêre, atque inter quatriduum à peccatis abſoluti obiere: quos Simon Maçeta ad terrorem cæterorum, continuatis tumulis, addito vindictæ Divinæ monumento, ſepelivit. Canonicus interjecto tempore in Aſſumptionis urbe viperæ morſu extinctus, funeſtâ morte documento fuit, longas eſſe Dei manus, miſeros à malevolorum injuriis ſeverè vindicantis. Multos menſes tenuit hæc vexatio, donec è Paraquariæ metropoli Ruiſius rediens, Sanctæ Inquiſitionis Commiſſarii litteras, tam ſuæ innocentiæ, quàm Canonici temeritatis teſtes, promeret. Deinde memoratur factum Caſiquii numeroſo pellicatu & ſimulatione infamis, qui quaſi è dæmonis ſervitute ſe eripere vellet, ſex pellices, ſpectante populo, ad Socios adduxit, rogans ut eas juſto cum aliis matrimonio copularent. Triginta tamen alias, Ananiâ pejor, occuluerat: quare non diu pòſt in morbum incidens, morte corporis, Sacramentis ante expiatus, ſimulationem luit. Æger in ultimo agone inquietiſſimè agens, interrogatus à Sacerdote noſtro, num Chriſtianus foret? Reſpondit dudum ſibi nomen aſſumpſiſſe, cùm die Dominico, pro more, in Hiſpanorum templo plebem aquâ luſtrali Sacerdos aſpergeret, Baptiſmum alium neſciſſe, & hunc ſibi ſufficere putaviſſe. Errorem dedoctus, à Ruiſio baptizatus placidè exſpiravit.

Antonium Ruiſium ad urbem ire compellit.

Maracana à Patribus deficit.

Maracana & ejus adſtipulatores puniuntur,

Et Canonicus.

Antonius Ruiſius ab calumniâ liberatur

Simulator Caſiquius punitur,

Et baptizatur.

1614.

CAPUT XXXI.

Guarambaræ expeditionis initium, progreſſus, & finis.

GUARAMBARÆUM oppidum, nongentis familiis partim Chriſtianis, partim Ethnicis, tum temporis conſtans, adverſo Paraquario flumine quinquaginta leucis ab Aſſumptionis urbe diſtat, nullâ re memorabile, niſi quòd morbido in loco ſitum eſſet. Eò iter erat per paludes nudatis fermè corporibus tranſmittendas, aut per Paiaguarum ferociſſimorum Barbarorum fines; utrobique iretur, magna erant vitæ pericula & labores ſubeundi. Decimo circiter à Guarambaræis lapide, Pituenſes & Nieguaræi duo oppida trecentarum familiarum conflaverant. Sed omnes hi ſervitio perſonali obnoxii fuerant, timebaturque, ne, recrudeſcente malo, ſi Societas ſervitiis obſiſteret, lites religioſæ quieti obverſæ orirentur. Quare eò Socios mittere Provincialis diu recuſarat. Cedendum tamen tandem fuerat ante biennium authoritati Franciſci Alfari, nomine Regis id exigentis, & miſeriæ Indorum à quindecim annis, Sacerdotum defectu, ſe ſine Sacramentis vivere & mori querentium. Præterea ſpes erat per eam regionem ad Itatinenſem Provinciam, Societati deſtinatam, & ejus poſtea laboribus clariſſimam, penetrandi. Illùc igitur delati Vincentius Griffius, & Baltazar Senia, cum altero Socio, Ethnicos maximè volentes in his tribus oppidis baptizavere: tum Neophytorum curæ ſe totos tradidere. Non diu pòſt Vincentius Griffius ex eo loco in alium tranſlatus eſt, qui poſt egregiè

Defectus Sacrorum.

Vincentius Griffius ad alium ordinem ſe tranſfert.

inter

inter Indos navatam operam, quòd iracundiam non satis frænaret, interjecto tempore alterius Ordinis Institutum, Societatis permissu, amplexus est. In hoc etiam laudandus, quòd totâ vitâ, Societatis æstimator, pristino gradu non sinè lacrymis ac tenerrimo sensu ubique se indignum prædicaret. Ideò bonam mortem Cordubæ Tucumanorum in senectute sortitus est. Vincentio Griffio successit Didacus Boroa, & Baltazari Seniæ morte præcoci sublato Joannes Salas, quorum laborum magnitudinem inde conjicies, quòd sesquianno quingenta supra mille capita Sacramentis expiata in his oppidis pestis absumpserit. Sed quâvis peste gravior imminebat miserorum capitibus quorumdam vexatio, adeò pertinax, ut, quamvis Senatus Regius & Archiepiscopus juberent leges Regias, quoad servitia, servari, non deessent qui his refragarentur. Cúmque Societas negaret posse se connivere indorum injuriis, jussu Majorum stationem, continuis litibus obnoxiam, biennio postquam iniverat, deseruit.

Pestis.

Servitium personale.

PRIDIE quàm abirent, Baltazaris Seniæ ossa secum ad Assumptionis Collegium transportanda Socii clam effodere tentantes, ab indis prohibiti sunt, miseriam suam inconsolabiliter deplorantibus: *An non*, aiebant, *satis miseri sumus vestro, ô Patres, discessu, ut etiam velitis nos carissimi animarum nostrarum parentis exuviis privare? quam spem tandem habebimus, si defunctorum æquè ac vivorum perfugio carere cogamur?* dictis addidere gestus planè lamentabiles, adeò ut doloris portio redundaret in Socios, amarissimo fletu filiorum, quos in Christo genuerant, infelicitatem prosequentes. Post Sociorum discessum Guarambaræi, vexationis metu, oppido suo deserto, se nemoribus, pristino more, reddidere; & in fugâ factum edidere memorabile. Nam Baltazaris Seniæ Sanctitatem æstimantes, ossa ejus effossa, arcâque inclusa, secum asportavere, singulis noctibus ex cera sylvestri cereos, venerationis ergò, circa lypsanothecam incendentes, donec rursum cicurati ad Assumptionis urbem ossa deferrent, ubi uterque Magistratus solemni pompâ præclaro planè viro parentavit. Id debebatur ejus integritati, jam ante initam Societatem adeò notabili, ut ipse, memor anteactæ in pueritiâ vitæ, tanquam cessatorem se in Religione accusaret, soleretque conscientiarum suarum moderatoribus affirmare, felicem se fore, si æquè piè viveret inter religiosos, ac inter sæculares olim vixerat. Nihil tamen eo fingi poterat ad institutum nostrum accommodatius, sive corporis modestiam, verborum parcitatem, prudentiamque, sive cæteras animi virtutes spectares. Dum adhuc viveret, Guarambaræorum Duci & ejus uxori in somnis apparuisse, ac utrumque invitasse, ut se aptari sinerent ad primam Venerabilis Sacramenti sumptionem, litteris ad Provincialem datis Didacus Boroa author est. In ultimo morbo, in summâ rerum omnium inopiâ, ne buccella quidem panis reperta, quæ appetenti daretur, adeò ut Xaverianam mortem aliquousque adumbrasse putatus sit.

CAPUT XXXII. De Baltazare Senia.

Cadaver ejus æstimatum;

Et honoratum.

Baltazaris Seniæ virtutes.

ANNO currentis sæculi decimo-quarto, comitiis Provincialibus Cordubæ celebratis, plurium suffragiis electus est Joannes Viana, qui Madritum apud Regem Catholicum, & Romam apud Societatis Generalem res Provinciæ & subsidiarios Socios procuratum iret. Sub finem ejusdem anni, Claudii Aquavivæ Generalis litteræ apertæ sunt, quibus Petrus Oniatus Paraquariæ Provincialis designabatur. In quâ Provinciâ fundandâ supra septennium Didacus Torres æquali successu ac labore posuit. Cujus si res gestas, itinera, terræ molem consideres, longè plurium annorum opus affirmabis. Provinciam iniens, quatuordecim tantùm Socios in uno Collegio, ac tribus domiciliis, per Chilense regnum, Tucumaniam & Paraquariam sparsos reperit. Successori unum supra centum in novemdecim stationibus reliquit. Quis credat tantillo tempore, tantillis copiolis tres amplissimas Provincias, octingentis & quinquaginta leucis in longum protensas (nam id intervallum inter Chiloënsem sedem & Guairaniæ ultimum oppidum intercedit) & utrumque mare, Athlanticum scilicet & Pacificum, quâdam quasi domorum serie connecti potuisse. Chiloënses, ultimi fermè terrarum populi, per-

CAPUT XXXIII. De sedibus novæ Paraquariensis Provinciæ.

Joannes Viana procurator.

Provincia magnitudo.

petuo domicilio inſeſſi ſunt. In Araucanorum rebellium finibus tres ſedes poſitæ. In Chileni regni metropoli, præter Collegium, Seminarium etiam conditum eſt. Mendoçinâ ſedes ad radices Chilenorum montium ideò conſtructa, ut Chilenſe regnum cum Tucumaniâ necteretur. In Tucumaniâ Cordubæ Collegium, Tyrocinium, & Seminarium feliciter ſurgebant. Portus Boni-aëris ad excipiendos ab Europâ venientes Socios opportuniſſimâ ſede occupatus. Stabilitâ verò in Sanctæ Fidei urbe domo, Paraquaria Tucumaniæ commiſſa eſt. Collegium Aſſumptionis Socios versùs Saranam, & apud Guaicuræos Guairaniosque, in quatuor ſedibus degentes, ſub tutelâ habebat. Sic immenſam terrarum molem, mediæ Europæ propè parem, exiguo numero opportunis intervallis diſtributo, Didacus Torres comprehendit, paucitatem Sociorum induſtriâ & magnitudine animi compenſans. Hæc de locis ſummatim.

CAPUT XXXIV. De primis Paraquariæ Provinciæ Sociis.

Operum varietas.

Per adverſa res promota.

Sociorum ardor.

Et tyronum.

Selectus Sociorum ad Miſſiones.

Socii illuſtres.

QUIS jam ſigillatim referat ex his ſedibus ad remota vicinaque loca ordinarias excurſiones? Præcipuas attigimus: de reliquis, ne paria paſſim narremus, & brevitati ſtudeamus, ſatis erit dixiſſe, in tribus ampliſſimis Præfecturis ſtudio pari per frequentes Indorum & Æthiopum baptiſmos, Neophytorum expiationes, Hiſpanorum exhomologeſes, amicitiarum redintegrationes, vitiorum publicorum amolitionem, & conſuetæ vitæ Jeſuiticæ munera, magnam meſſem ubique fuiſſe collectam. Dubium eſt, per proſperáne magis, quàm per adverſa, rem Chriſtianam Socii promoverint: nam vexatio ex ſervitio perſonali orta peperit nobis ampliſſimas Provincias, & novas ſedes ad promulgandam Legem Divinam ab Rege Catholico, ac Regiis Prætoribus, & Senatoribus Societati aſſignatas. Quamvis verò plerique Socii, ut in rerum initiis fieri ſolet, ſi pauculos veteranos excipias, juvenes eſſent, cupiebant tamen omnes defectum ætatis virtutum maturitate ſupplere & quàcumque res ſanguinem, pericula, egeſtatem, iniurias, vexationes pro Chriſti gloria ac animarum ſalute promittere videbatur, impavidè effundebantur. Tyrones in eam ſpem ſe exercebant, & ægrè poſt tyrocinium ad ſtudia cogebantur, aventes per æmulationem in arenam citò deſcendere, ne materiam totam (ut eſt timida ſpes) ſibi veterani præriperent. Expoliebantur tamen eò accuratiùs, quò ſolidiores virtutes operæ inter Indos exigunt. Operosè admodùm Didacus Torres ad Claudium Aquavivam ſcribebat, monens, ne quamvis virtutem putarent Provinciales Europæi docendis Indis idoneam eſſe, ſed ſelectiſſimos mitterent. Ex ſubſidiariis ab Europâ advectis non quivis temerè ad opus Evangelii inter Indos diſſeminandi eligebantur, nec æſtimabantur operarii ex floribus deſideriorum, ſed ex ſoliditate virtutum: ſolebatque Didacus Torres ad delectum faciendum indicere Sociis octiduana ſupplicia, & Deum in Venerabili Sacramento palam expoſito diu multumque conſulere. Nec fefellit Deus vota ſupplicantis: nam ex ejus delectu prodiere multi præcellentes Miſſionarii, Rochus Gonſalvius, Martinus Aranda, Horatius Bechius, Petrus Romerus, palmam cruentæ mortis pro Chriſto obitæ conſequuti: Melchior Vanegas, Antonius Ruiſius, Marcellus Lorençana, Xaverius Urtaſum, Didacus Boroa, Joſephus Cataldinus, Simon Maçeta, Darius Morellius, & alii ſanctitatis famâ inter illuſtres noſtræ Societatis Heroës locum ampliſſimum meriti. Nec exempla defuere, ut fit, ab tanto gradu, adeoque ab Societate, deſciſcentium, quòd animi virium parvitatem cum operis Evangelici magnitudine non comparantes, ab primo animi fervore torpuiſſent. Paucorum caſu reliqui excitabantur ad conſervandum vigorem: unde factum, ut per totam Americam & Europam, longè lateque vulgaretur fama Paraquarienſium Sociorum, quos ſupremæ etiam poteſtates, & viri præcellentes, beneficiis & favoribus animabant ad conſtantiam. Ordiar ab ſummo capite.

CAPUT XXXV. De novæ Provinciæ benefactoribus.

PAULUS Quintus Pontifex Maximus Epiſcopum Chilenſem, noſtris rebus non ſatis amicum, brevi diplomate monuit, ut Societatem amaret; quidquid in eam beneficii contuliſſet, illud ſe tanquam ſibi præſtitum agniturum. Philippus Tertius Rex Catholicus pro tranſportandis ex Europâ ſubſidiariis Sociis ſæpè & liberaliter

liberaliter viaticum navimque conceſſit. Idem juſſit Socios Jesu in Miſſionibus Paraquarienſibus ſuis ſumptibus ali. Ejus juſſu in oppidis Guairaniæ & Chileni regni, ex Indorum reductione conſtructis, Sociis annua pecuniarum ſubſidia attributa ſunt. In Sancti Jacobi Tucumaniæ metropoli domum noſtram, & convictorium Societati traditum, liberali & annuo cenſu juvit. Inſuper quidquid vini in ampliſſima Provincia ab omnibus Societatis hominibus in Sacrificiis, quidquid olei in Eccleſiis noſtris pro Venerabili Sacramento cohoneſtando, quidquid pharmacorum in omnibus domibus noſtris pro curandis infirmis inſumeretur, illud totum Philippus Tertius Rex Catholicus, Regiâ planè pietate, ex ſuo etiam ærario dari voluit. Cujus authoritate & auſpiciis Senatus Regius Indicus Madriti degens, miſſis ampliſſimis Diplomatibus, nobis favebat, & rerum Sacrarum profanarumque Præfecti ubique in Paraquaria manum Societati commodabant. Inter quos eminuere Ferdinandus Arias, fluminis Argentei Prætor, & Ferdinandus Trecus, Tucumaniæ Epiſcopus, fratres uterini, non magis nobilitate & geſtis Magiſtratibus, quàm propriâ virtute illuſtres. Illum bello optimum exornabat prudentia civilis, adeò ſingularis, ut ob eam unam inter præcipuos Americæ Auſtralis Heroës, rationum Indicarum Senatores, Hiſpali in aula ſua, pingi aliquando juſſerint. Ejus præcipuè authoritate & niſu Collegium Aſſumptionis, & Boni-aëris domus, ſurrexere. Sedem in Sanctæ Fidei urbe, ſuis maximè ſumptibus, & tantùm non manibus, nobis erexit. Guairaniam, Guaicuræorum regionem, Paranenſem Provinciam, necnon Indos adverſo Paraquario hinc inde diffuſos, Societatis curæ primus tradidit. Quidquid arduum occurrebat; & in ſpeciem inſuperabile, in Barbarorum feritate domanda, illud Jesu Sociis, tanquam ſelectis, ut aiebat, Chriſtianæ militiæ athletis, commendabat. Nec tantæ æſtimationi & amori ceſſit ejus frater Ferdinandus Trecus, Epiſcopus, in Franciſcana olim familia apud Peruanos primos honores meritus, adeò in Societatem propenſus, ut priſtinæ profeſſionis immemor, totum ſe ad noſtram conſuetudinem & familiaritatem adjungeret; nihilque prætermitteret, quod ad eam illuſtrandam ac augendam pertinere exiſtimaret. Noſtrâ domo, mensâ & moribus, ubi ſalvâ dignitate poterat, utebatur. Collegio Cordubenſi, & Eſterenſi domui, bis mille aureos annuatim dum viveret numerari juſſit. Præterea utriuſque domûs fundatorem ſe fore ſcripto profeſſus eſt, ſi ex Epiſcopatûs ſui redditibus eam ſummam pecuniarum, quæ duorum Collegiorum rationibus ſufficeret, aliquando conſequi poſſet. Ejus præcipuè operâ duo nobilium adoleſcentûm ſeminaria in Tucumania Societati tradita ſunt. Matrem ſuam, nobiliſſimam matronam, minùs ſplendidè vivere maluit, quàm Societatem egere. Quin ſæpiùs genium ſuum defraudabat, ut plus haberet quod in Societatem conferret. Supellectile domos noſtras inſtruxit. Socios omnes authoritate defendit. Honorariis litteris Regi & Senatui Regio ampliſſimè & ſæpè res noſtras commendavit. Denique lethali morbo in opere charitatis correptus, anno hujus ſæculi decimo-quarto moriens, Societatem ex aſſe hæredem ſcripſit. Corpus ſuum, quamvis Cordubæ Franciſcani Patres nobile Monaſterium haberent, in noſtro templo ſepeliri voluit. Ejus Mater Domina Anna Sanabria, cognito filium ſuum Epiſcopum omnia bona ſua & ſpes omnes in Societatem contuliſſe, per litteras ei gratias egit, laudavitque, quòd non carnẽ & ſanguinem reſpexiſſet: nonagenaria obiit, non minùs virtutibus, quàm nobiliſſimis prolibus, illuſtris. Tantis viris addendi mihi ſunt Franciſcus Sauſedus, poſtea Chilenſis Epiſcopus, in Sancti Michaëlis domum profuſæ liberalitatis; & Prætor ille Paraquarienſis, cujus factum quàm nomen mihi notius eſt, qui ad Regem Catholicum ſcribens monuit, ne milites ex Europa ad propagandum ſuum inter Indos imperium tranſmitteret: ad id enim ſufficere Jesu Socios, quâvis armaturâ fortiores. Nec hoc loco tacendus Franciſcus Alfarus, Senator & Inſpector Regius, vel ob id maximè, quòd leges Indis utiles, profligatis nimiis ſervitiis, ſanxerit; noſtrosque aut Provinciis Indorum admotos, aut in urbibus degentes, omni ope juverit. Rebus jam conſtitutis, dubitari potuit, quo potiſſimùm nomine nova Provincia, tres præfecturas Regias amplexa, vocaretur: Chilenis titulum regni & Collegii antiquitatem, Tucumanibus Collegii Cordu-

Paulus Quintus.

Philippus Tertius.

Senatus Regius.

Prætores. Ferdinandus Arias.

Ferdinandus Trecus.

Anna Sanabria.

Franciſcus Sauſedus.

Franciſcus Alfarus.

De nomine Provinciæ Paraquariæ

bensis principatum, Paraquariensibus denique causam fundandæ Provinciæ obtendentibus. Sed usus dissidium æqualia jura prætendentium dissolvit, invaluitque, ut Provincia Paraquaria nuncuparetur. Sed si meum judicium requiratur, Mariana Provincia dici debuit, quæ sub Mariæ patrocinio nata, tantillo tempore in eam spem & magnitudinem, qualem vidimus, crevit. Nulla domus in Hispanorum urbibus posita est, quæ Lauretanæ Virginis sacello ab origine suffulta non fuerit. Socii ad Chiloënses, Araucanos, Calchaquinos, Paraquariensis, Guairanios, Guaicuræos, & alios populos, Virginis præsertim auspiciis viam sibi straverunt. Hanc populorum debellatricem amemus, hanc colamus, si parta tueri, & ulteriores victorias adipisci velimus.

De Lauretanæ Virginis patrocinio.

HISTORIÆ PROVINCIÆ PARAQUARIÆ SOCIETATIS JESU

LIBER QUINTUS.

CAPUT I. Petrus Oniatus Provinciam init. 1615.

PETRUS Oniarus, Theologicis voluminibus Romæ non ita pridem in lucem editis, orbi utrique jam notus, postquam in Peruviâ Provinciali à Secretis fuisset, & Apostolicis ad Indos excursionibus, necnon tyronibus Limæ instruendis diu vacasset, Didaco Torres successurus, cum aliquot adolescentibus ex Limensi Sancti Martini convictorio in Societatem assumptis, & Dominico Gonsalvio Sacerdote, ad Chilenum regnum Provinciæ suæ partem navigans, anno millesimo sexcentesimo decimo-quinto, mense Februario, feliciter appulit. Inde Cordubam delatus, pro officio statim inquisivit, num quæ res præter Societatis institutum in novam Provinciam irrepsissent: factoque prudenti examine, reperit præclari ingenii adolescentes, præcisâ spe summi gradûs in Societate adipiscendi, ante legitimum studiorum curriculum præmaturè rebus agendis & Indorum culturæ fuisse destinatos. Tertium probationis annum à plerisque omissum. Rationum & expensarum libros in plerisque domibus nullos esse. Omnium sedium bona velut communia sine discretione haberi. Quas res, quamvis monito Generali sic factitatas aliquâ ex parte constaret, tamen nonnulli eas incitatiùs quam prudentiùs apud novum Provincialem exaggerabant, satis gnarum longè aliud esse fundare Provinciam, quàm jam stabilitam administrare. Igitur is multis rationibus decessorem suum excusans, aiebat, ut hominibus, sic etiam Provinciis suas esse ætates: prima fundationis tempora conferri posse cum puerilibus annis, in quibus frustra requiras omnimodam morum compositionem. Divum Ignatium in Societate fundanda multa præstitisse, quæ jam stabilitis rebus fieri prohibuisset. Quis nesciat, ab eo tyrones Collegiis, & recentissimos homines Provinciis ipsis præpositos, & ante finita studia multos magnis rebus fuisse admotos, quos nunquam admovisset, si maturorum hominum copia suffecisset. Quare Didacum Torres omni notâ liberum, & insuper laudatum, quòd Societatem per immensam propè terrarum molem inimitabili celeritate atque ingenti fructu sparsisset, ex designatione Præpositi Generalis Cordubensis Collegii Rectorem renunciat. Sub id tempus Joannes Romerus Collegio Chilensi: Ludovicus Valdivia, sedibus apud Araucanos & Chiloënses positis: Joannes Darius Esterensibus sociis: Ludovicus Leiva portui Boni-aëris: Marcellus Lorençana Assumptionis Collegio: Cataldinus Guairaniæ rebus: Petrus Remerus Guaicuræis: Rochus Gonsalvius in novo Divi Ignatii oppido Neophytis moderabantur. Quos omnes ad munus suum præstandum Provincialis animans, monebat, ut primorum Sociorum, qui per Australes has Provincias Fidem propagaverant, memores, constantiam adhiberent. Nondum exhaustam esse materiam Apostolicorum facinorum, sed indicatam. Occupatas quidem sedibus magni nominis regiones, sed non pervagatas: si antiquâ fortitudine pugnaretur, innumeros Indos ad Fidem reduci posse: præpararent itaque animos virtutibus, sine quibus indubiè spes tantæ evanescerent. Denique singulos obtestabatur, ne adeò læta sub decessore suo principia præposterâ ignaviâ sub se corrumperent. Verùm calcaribus non opus erat plerisque ad opus Evangelicum incitatissimis.

Aliud est fundare, aliud regere Provinciam.

Petri Oniati exhortatio.

CAPUT

CAPUT II. Num Societati expediat sedes apud Indos ponere.

SED à multis disceptabatur de commodissimo modo tot Ethnicorum nationes juvandi; & præsertim num è re Societatis videretur, sedes inter Indos à Collegiis maximè semotas, ubi duo tantùm trésve Socii sine recursu ad Collegia, Parochorum more, degerent, ponere. Qui dissuadebant, non vitæ pericula, non solitudinis ærumnas ac tædia, vel si quæ sunt Apostolicorum laborum imitamenta, objectabant; sed verebantur, ne per desuetudinem domesticæ disciplinæ, Religiosa vita solveretur. In magnis domibus unos aliis exemplo esse, ne se relaxent. Rectorum ac Syndicorum oculis castigationeque paternâ refrænari animos ad pristinam libertatem suopte proclives: impunitate atque inobservantiâ dissolvi. Si calor ille spiritûs subinde refrigesceret, per usitatos exercitiorum receptus in Collegiis refici solere. In id invigilare rerum spiritualium Præfectos, ne negotiorum mole prægravari subditorum animos sinant. Labefactato per nimias evagationes atque immodicas rerum externarum tractationes animo, facilem esse lapsum, ubi præsertim non desunt peccandi illicia, in summa Barbarorum libertate nuditateque, ultrò se & continuò obtrudentia. Si quid humani contingeret, Societatem plus dedecoris ex paucorum lapsu, quàm ex multorum rectè factis, veræ laudis percepturam. Peruanos Patres non sine Proregis offensione obtrusas ultrò, ut vocant, Indorum doctrinas, in suam curam recipere noluisse, quòd earum administratio non satis cum Instituto nostro quadraret. His si addas calumnias vexationesque, ex defensione Indorum, nostræ curæ commissorum, necessariò orituras, videri omninò consentaneum, ut Societas excursionibus ex Collegiis fieri solitis contenta, eas sedes non admitteret. Contrà alii prætendebant multorum annorum experimentum, addentes satis superque animorum periculis præcautum iri, si ad eas sedes imposterum mitterentur viri in virtutum palæstra diu multúmque exercitati. Si pietatis tepor & ad pristina relabentium casus timeretur, nihil prohiberi quominùs ad Collegia subinde Socii retraherentur: inibi attritas animi vires refici, & novum calorem per usitata exercitia concipi posse. Cæterùm longo usu constare, eos ab Superis præcipuâ curâ haberi, qui relictis patriâ, parentibus, ac cæteris mundi illecebris, voluntario exilio inter Barbaros & Antropophagos, nullâ humani commodi cupiditate, se multarent. Si quis (ut fit) caderet, non ideò infamiæ notâ Societatem universam notatum iri: Judam in exemplo esse, lapsu suo nihil de reliquorum Apostolorum honore detrahentem. Porrò, satis compertum esse, excursiones Sociorum è Collegiis ibi utiles, ubi ordinarii animarum pastores non desunt; at apud populos Sacerdotum ope perpetuò destitutos, ferè inutiles videri: nam Barbari non ægrè Baptismum recipiunt, sed mores Christianorum nulli conservant, nisi qui continuâ Sacerdotum curâ ac sermonibus ad constantiam animantur. Reliqua post Baptismum Sacramenta, & verbum Dei, cibos esse animorum, quibus in Christo nati Neophyti in vita sustentantur: deme hos cibos, & in via deficient. Hâc ratione motum Pium Quintum Pontificem Maximum olim congruentissimè censuisse, modum adhibendum esse evulgandis Baptismis eo loci, ubi Sacerdotes deessent, per quos baptizati in Religione continerentur. Prudenter Peruanos Patres se subtraxisse plerisque Indorum parœciis regendis, quòd in Peruvia externorum Sacerdotum idoneorum copia suppeteret: at in his provinciis, aut sedes cum Indorum cura ab Societate admittendas esse, aut Barbarorum salutem ob Sacerdotum aliorum defectum pœnitùs negligendam. Contra contumeliarum & litium timorem remedium videri, si sedulò consideraretur, neminem ignavis atque desidibus obstrepere. Christianæ Religionis generosos propagatores his obnoxios fuisse, semperque futuros. Societatem adversis hactenus crevisse, & imposterum tantum gloriæ acquisituram, quantum obtrectationum patientiâ sibi comparaverit. Cæterùm Regi Catholico & Senatui Regio Societatis defensionem contra quadruplatores cordi fore, quam ipse Rex ultrò pro augenda Dei gloria obtrectatorum telis objiceret. Quòd ad alia pericula attinet, meminissent binos aut etiam singulos ab Ignatio fundatore nostro in diversissimas partes missos sine detrimento Societatis: quæ nunquam in eam magnitudinem crevisset, si nimiâ scrupulositate discrimina omnia perpendisset. Longè periculosiùs in Anglia, Batavia, Scotia nostros homines inter Hæreticos in veste profanâ & domibus externorum degere, & tamen ab Præ-

Parvarum domorum incommoda.

Parvarum domorum apud Indos necessitas.

positis

positis Generalibus eò mitti Socios, ubi Collegia nulla, nec domus frequentes esse possunt. Divum Xaverium Orientem pœnè totum pauculis Sociis occupasse. Josephum Anchietam multas sedes, in quibus duo trésve Socii tantùm morarentur, in Brasilia posuisse. Idem factitatum ab Oviedo Patriarcha in Africa. Quis tantorum virorum vestigiis pedem figere recuset? Denique Claudium Aquavivam non ignorasse harum regionum conditionem, Hispanorum urbibus magnorum Collegiorum capacibus carentium, & tamen eis jura Provinciæ concessisse, quòd existimaret eam Orbis partem Societati prætermittendam minimè esse; sed per extraordinaria subsidia juvari debere. Huic parti suffragatus Didacus Torres, acerrimus earum sedium incentor, narrabat Sociorum inter Indos degentium virtutes, ob quas tantum sibi nomen præ Collegiorum incolis fecerant, ut plerique cum præcipuis Societatis nostræ Heroïbus conferri possent. Igitur decretum, ut sedes inter Indos positæ non tantùm retinerentur; sed etiam, quantum commodè fieri posset, multiplicarentur.

CAPUT III. Paranensis Provinciæ descriptio.

DUM sic sub umbra decertatur, Rochus Gonsalvius, glorioso pulvere decorus, Paranensem Provinciam Christo subigere, constructione novorum oppidorum, satagebat; quem antequam sequar, lubet Paranæ conditionem describere, ut loca, ubi tot Apostolici viri certaturi sunt, magis in perspicuo sint. Parana fluvius quingentas omninò leucas, ut suo loco dictum est, conficit, antequam per octoginta leucarum ostium intret in Oceanum. Non immeritò Paranæ nomen sortitus, qui fermè ubique maris majestatem granditatemque præseferat. Unde Josepho Acostæ & aliis non assentior, arbitrantibus Maranionem inter Americæ flumina principatum tenere, cùm ipse Acosta asserat Maranionis ostium triginta tantùm leucis patère. Cæterùm Parana vi occultâ, non secus ac Silaris fluvius, ligna in lapides vertit: unde quandoque videre est lignorum frusta, qua parte aquâ merguntur, lapidescere: columnam lapideam ex hujusmodi metamorphosi aut naturæ ludicro Ferdinandus Arias Prætor in atrio suo erexerat. Præterea ingentes ubique piscium figuras alit. Ruisius bove majores versus Guairaniam se vidisse narrat. Sæpè videre est lupos marinos turmatim natantes, capita ad humanos sibilos quasi ex condicto erigentes, & mox ludibundè submergentes. Capibara, amphibium animal, porco non absimile, frequenter à præternavigantibus cum voluptate occiditur. Avium & ferarum in utroque littore, sive sylvis vestito, sive in campos aperto, magna vis cernitur: perdicum ubique & psittacorum circumvolant greges; sed horum species peregrina prorsus est, qui triplo Asiaticis majores, varietatem plumarum adeò spectabilem ostentant, ut eos olim indigenæ ob pulchritudinem pro Diis colerent: hi tamen Psitaci, formandis humanis vocibus inepti, solâ variegatione sunt commendabiles. Ursorum ea species notabilis est, quam formicatios ab ordinario formicarum esu appellant: caput habent oblongum; rostrum verò porci ore duplo longius acutiusque, ex quo cuspidatam linguam quasi è vagina exerentes in ipsos formicarum tumulos ingerunt, identidemque cum ingenti formicarum linguæ adhærentium præda retrahunt. Formicæ auricularis digiti summitate grandiores ab indigenis & Hispanis igne tostæ, inter ciborum delicias reputantur. Nulla olim magna oppida ad Paranam visebantur: pagatim vicatimque degebatur. Utrumque littus, quà longè patet, variæ nationes habitant, tam moribus (si Guaranos excipias) & feritate conformes, quàm linguarum diversitate notabiles: inter quos memorabiles mihi videntur hi, qui nescio quo terræ genere igne maceratæ, pisciumque pinguedine intinctæ, victitant: ut nihil mireris, si de Cœlo parùm cogitent, quibus terra tantùm sapit. Partem Paranæ Oceano obversam, per ducentarum ab ostio leucarum spatium, flumen Argenteum Hispani vocavere, variantibus appellationis causis: nam uni sic appellatum volunt à Gavoti argento (uti suo loco notavi) alii verò, quòd primi coloni è navibus indigenas in ripis conspexerint albis conchiliis, argenti splendorem ex longinquo referentibus, indutos. Nec defuit, qui sic vocari vellet, quòd lacus & flumina, ad quorum ripas in Charquensi Peruviæ regione versatilibus machinis expurgatur argentum, in Paranam longo pòst tractu cum scoriis argenti in-

Parana magnitudo.

Parana ligna in lapides vertit.

Psittaci pro Diis culti.

Ursi formicarii.

Argentei fluminis nominis origo.

fecti multa frusta devolvant, adeò notabili quantitate, ut metallorum æstimatores autument, ab eo tempore, quo Potosinus mons excavatur, usque ad annum hujus sæculi undecimum, quadraginta argenti milliones à Tarapaiæ ac Pilcomai confluentibus abreptos fuisse: Hidrargirii verò, ad facturam argenti adhiberi soliti, tantum pondus, quantum sufficit ad ita inficiendum eorum fluminum aquas, ut per ingens deinde spatium nullum piscem gignant aut conservent: vomicâ illâ, ut poëticè semel loquar, liquoris æterni subtilitate suâ, animantia omnia exanimante. Sed ex hac causa vanum est Argentei fluminis nomen quærere, cùm antequam Potosinus mons Hispanis innotesceret, sic appellatum fuisse certum sit. Quidquid sit de nominis origine, Parana, quà fluvius Argenteus usque ad Paraquarii ei se miscentis ostium vocitatur, grandibus navibus permeabilis, tres Hispanorum urbes habet, quibus littorales Indi utcumque in officio continentur. Versus originem pari fermè ducentarum leucarum intervallo Guairaniam, Hispano etiam aliquousque parentem, & alias terras alluit. Ea verò Paranæ pars, quæ inter Guairaniam & flumen Argenteum media est, Paraquarioque per centum fermè leucas obvertitur, adhuc reluctans, bello se atteri, quàm externum jugum subire, malebat. Ferdinandi Ariæ Prætoris fortissimi & aliorum Ducum copias, magno Europæorum numero atque auxiliariorum delectu, compositas, eluserant. Sancti Joannis Hispanorum oppidum, in concursu Paranæ & Paraquarii positum, continuis excursionibus fatigatum pœnè oppresserant. Ignatianos Neophytos iteratis invasionibus territaverant: militum præsidio opus erat è Tucumania in Paraquariam euntibus, & inde redeuntibus contra Paranensium insultus, itinera omnia cædibus & latrociniis infestantium. Sed super omnes infesti erant Religionis Christianæ transfugæ, Europæorum servitiis exacerbati, Paranæ accolas in heros suos sine fine proritantes; adeo ut variis concurrentibus causis, Paranensium nomen æquè Hispanis ac Indis amicis terrori esset. Ad eos nullus hactenus Sacerdos penetrarat, nisi quòd Rochus Gonsalvius eò ante biennium Cruce tantùm armatus iverat, Marcello Lorençana mittente; unde dubitatum, uter eorum Apostolus Paranensium dici debuerit: nam primus licet perruperit Rochus Gonsalvius, Lorençana tamen expeditioni legitimè præerat, & fundatione primi oppidi, quindecim à flumine leucis positi, viam straverat. Præterea primus Paranenses aliquot ad colloquium allexerat baptizaveratque. Ergo in æquali jure durus arbiter non sedebo, & neutri palmam eripiam, facilis utrique concedere. Quamquam non negârim pleraque deberi (uti videbimus) Rocho Gonsalvio, diuturnitate laborum, periculorum contemptu, tractandorum Indorum peritiâ, animi magnitudine, Paranensis Provinciæ, & ulteriorum regionum victoriam adepto.

Argenti vivi vis.

Paranẽsium ferocitas.

De primo Paranẽsium Apostolo.

CAPUT IV.

Rochus Gõsalvius inferiorem Paranẽsis Provinciæ partem explorat.

ROCHUS Gonsalvius, Sancti Ignatii ab Lorençanâ fundato oppido præpositus, nullum non lapidem moverat ad perfringendam Paranensium pervicaciam, quorum aliquot multiplicitate beneficiorum sibi conciliatos sacro Fonte infuderat; per quos, cognito præsenti Paranæ statu, in spem venerat rei benè gerendæ. Igitur Cruce, & MARIÆ Virginis Ethnicorum debellatricis icone, armatus, assumptis ex Divi Ignatii municipio secum aliquot Neophytis, ineunte anno se dat in viam. Ibat per scabrosa & invia loca terrestri itinere, donec scapham ex unicâ arbore concavam nactus, ad Appupen paludem Paranæ influentem, quam primi expugnatores Paraquariæ ab Sancta Anna nuncupavere, se conferret. Circa eam paludem incolebant Ethnici non pauci, quos eloquentiâ ad partes Christi ita pellexit, ut statim oppidi aream designari sibi postulârint. Verùm, quòd eos Franciscani Patres priùs olim ad fidem sollicitassent, litium occasionem præcavens, ad Hispanorum urbem in Paranæ & Paraquarii concursu sitam perrexit. Ubi cum Franciscanorum Præside ita convênit, ut si intra sex menses ab suo Provinciali Sacerdos aliquis non mitteretur, Societati jus esset Appupennæ paludis accolas in oppidum reducendi, templumque condendi. Nam Gonsalvius hanc paludem, Paraquarii ostio non longè semotam, quasi gradum ad reliquum Paranam Christo subjugandum, aut si res malè succederet, in receptaculum designaverat. Rebus

Appupen palus.

sic constitutis, animos Paranensium, & loca fundandis oppidis opportuna, coram exploraturus, reclamantibus licet Hispanis, certum adiri vitæ discrimen asserentibus, è portu Divi Joannis solvit, & adverso Paranâ navigans, confluentium rivorum ostiis ac littoribus lustratis, reperit Ethnicorum plurimos bellorum diuturnitate, & calamitatum multiplicitate fatigatos, legi Christianæ minimè refragaturos, si Societas oppida conderet. Confectis adverso flumine quadraginta leucis, in duarum insularum angustiis multi Barbari pictis ad conciliandam corporibus majestatem ferocitatemque, clavâ & arcubus armati Gonsalvium, in cujus necem ex condicto conjuraverant, ex improviso circumdant: quorum Dux pro Deo se venditans ad eum conversus, *Quæ*, inquit, *audacia tua est? eò sine armis & sine comitatu te ingerere, quò tot Hispanorum cohortes jam inde ab avorum nostrorum temporibus penetrare frustrà conatæ sunt? Europæorum nullus hactenus nostra littora calcavit, nisi ut mactaretur. Quæ tua spes est? Aut quod tantæ temeritatis præmium expectas: quid per tanta quæris discrimina? nam si novam Religionem & novum Deum annunciare te jactas, injuriam mihi facis, terrarum aquarumq; quas vides, potentissimo conditori.* Hæc cùm Dux intolerabili superbiâ deblaterasset, circumstantes Barbari addidere vultuum barrituumque ferocitatem. Contra Rochus, obsimato in omnem casum animo, imploratoque Purificatæ Virginis, cui dies sacer erat, auxilio, leni & prudenti orationis exordio cùm Barbari Ducis phantasticæ divinitatis titulo elusisset, veramque divinitatem uni Deo asseruisset, nullo ferocitatis ostentamento destiturum se ab incœpto fortiter pronunciat. *Non*, inquit, *tam vilis sum, ut pedem metu retrahere velim: cui mortem pro Christo oppetere lucrum est, clavas & sagittas cæteraq; necis instrumenta ridet. Cæterùm hoc scitote: si nocturus venissem, arma & comitatum adhibuissem: sed verbum Dei annunciatum veni, & hæc mea spes est, nullumq; piæ temeritatis præmium expecto, quàm ut vos in oppida reductos barbariem dedoceam, & regni cœlestis hæredes per Baptismum efficiam.* Hæc intrepido vultu cùm dixisset, multaque addidisset in Christianæ legis commendationem, aspirante Numine, ita eloquentiâ; quâ multùm pollebat, permovit Barbaros, ut sensim sine sensu mitigatâ ferocitate plerique in spem Baptismi obtinendi se illi adjungerent, & reliqui blandis verbis liberum transitum præberent. Defunctus hoc periculo Gonsalvius, auctus aliquantulo comitum numero, sensit solito alacriùs concitatiúsque ab remigibus navigiolum suum agi, causæ nescius, ad Indorum pagum citissimè pervenit, ubi plorabatur infans animam jam vix reciprocans, qui raptim ante mortem baptizatus, ad Cœlos, popularium suorum orator futurus, evolavit. In altero pago eâdem felicitate alteri infanti saluti fuit. Paulò antequam hæc contingerent, in sepeliendo barbaro advena eluxit Neophyti Gonsalvii comitis pietas, suâ sponte unicâ veste se exuentis, ne cadaver nudum terræ mandaretur. Inter has res, per reluctantes ubique Barbaros, fidem Christianam & humanitatem respuentes, & ni retrocederet minas intentantes, confectis jam adverso flumine quinquaginta leucis, Itapuam locum in littore eminentem evasit. Hunc locum insidebant quatuor Casiquii cum non contemnendâ clientûm manu, qui postquam diu restitissent, tandem se Rocho Gonsalvio permisere, spondentes novum oppidum eò loci constructuros, si Societas stabilem sedem promitteret. In quam spem solemni pompâ ingentis Crucis erectione Paranæ possessionem adiens, difficillimo itinere quàm celerrimè potuit Assumptionis urbem eo fine petiit, ut cum Paraquariæ Prætore, & Marcello Lorençanâ Collegii Rectore, de subsidiis ad occupandam pro Regum Rege Christo & Rege Catholico tantam Provinciam, coram agitaret. Vix abierat cùm Paranenses, adversi fluminis accolæ, nescio quo apostatâ incentore, Itapuanis Casiquiis, quòd Rochum recepissent, infensi, bellum parant, vi armatâ nuper erectam Crucem deturbatum veniunt: feciissentque scelus, nî vim ostentantes Itapuani, adhuc Ethnici, circa eandem Crucem conglobati, perfidos repulissent: qui licet numero pauciores, occultas Crucis vires experti, ita dimicarunt, ut nullo ex suis desiderato ad turpem fugam ac latebras hostes adegerint. Jacto per id facinus Religionis Christianæ fundamento, invicem se animantes, fidem Gonsalvio datam constanter servare decreverunt. Interim Rochus Gonsalvius ad Assumptionis urbem appul-

Paranẽsium ferocitas.

Barbari Paranensis oratio.

Rochi Gonsalvii magnanimitas.

Infantium duorum baptismus.

Neophyti pietas.

Itapuani Gonsalvium admittunt.

Hostibus suis resistunt.

sus, ubi pericula abs se adita, numerositatem Barbarorum, fluminis amplitudinem, oppidorum condendorum spem, Urvaicensis Provinciæ adeundæ opportunitatem, sylvarum & camporum vastitatem civibus narravit, variis omnium animos affectibus imbuit. Plerique in cœlum Societatem evehebant, tantis periculis, quanta descripsimus, filios suos objectantem. Reipublicæ Primores urgebant continuationem expeditionis, Religioni Christianæ, Regi Catholico, & toti Paraquariæ, adjacētibusque Provinciis, utilissimæ: admirabanturque, quomodo unus vir eò penetrasset, quò nulla armatorum vis per integrum fermè sæculum perrumpere potuisset.

CAPUT V. Rochus Gōsalvius Itapuanum oppidum fundat.

DIDACO Marino Negronio, Paraquariæ & fluminis Argentei Prætore, Religionis Christianæ adeoque Societatis rebus promovendis viro planè idoneo, morte sublato, interim dum Rex de successore provideret, Franciscus Gonsalvius à Sancta Cruce, Patris Rochi Gonsalvii germanus frater, Paraquariæ Proprætorem agebat: qui decorum familiæ suæ ratus, si Paranensis provincia, toties Hispanorum armis frustra tentata, suæ maximè præfecturæ tempore ad Catholici Regis obsequium per germanum suum reduceretur, communicato cum eo, & Marcello Lorençana Rectore, consilio, diploma fecit, quo Societati pro potestate permittebat, quotquot oppida vellet ad Paranam & Urvaicam condere, Magistratus creare, templa fundare. Addidit Lorençana Rector sacræ rei instrumenta ferramentaque, necnon cæteras res erigendis de novo oppidis idoneas, monitumque Gonsalvium, ut se præclaris facinoribus commendaret, abs se dimisit. His rebus instructus, per eadem discrimina, & nova verborum opprobria in itinere à Barbaris jactata, ipso Incarnati Verbi pervigilio Itapuam rursum tenuit. Itapua locus est à Paraquarii ostio & Guairaniæ finibus, pari circiter utrimque sexaginta leucarum intervallo, ad Paranæ Australe littus eminens. Paludem in fluvium sese exonerantem pro portu habet. In vicinia Indorum satis ad justum oppidum conflandum computabat. Itapuani Casiquii, defensâ Cruce nobiles, Gonsalvio reduci domum ex palea & luto barbarico more confectam concessere: cujus domûs parte in usum Sacelli adaptatâ, Rochus per se & per emissarios Indos vicinitatem omnem excutiens, brevi effecit, ut non contemnenda manus se Itapuanis adjunctum veniret. Adulto jam anno, bini Socii è Guarambaræa expeditione reduces Paranensibus rebus augendis destinati advenere: ex his Joannes Salas in Sancti Ignatii oppido cum Francisco à valle ibi curante remansit. Didacus verò Boroa Itapuam, ubi quadrimestri spatio Gonsalvius solus jam perstiterat, per eadem discrimina evasit. Læti uterque mutuo consortio novi oppidi aream designant, templum multitudinis capax atque domum fabricant, casas Barbarorum erigunt, plurâ exemplo quàm verbis imperant. Lutum & paleam advehunt, ligna findunt, aptantque ædificiis, tantâ rerum omnium inopiâ, ut inter delicias nescio quod carduorum genus agreste & insipidum, farinamque ligneam, computarent. Defectu idonei cibi, cùm ex quibusdam herbis campestribus, à Psittacis tantùm edi solitis, pulmentum sibi facerent, gens nova Gonsalvium & Boroam simplici joco Psittacos appellitabant. Templo ad culmen perducto, solemni ritu & supplicatione, non sine Barbarorum tripudiis, Virginis Icon, quam tanquam populorum expugnatricem secum Rochus vehebat, in templum & aram illata est. Exinde Paranensis provincia sub Cœlorum Reginæ patrocinio sterit: novaque colonia Annunciatæ Virgini ritè dicata sub tanti nominis auspiciis hactenus feliciter perseverat. Notatu dignum est, quod postquam Sacro-sanctum Missæ Sacrificium in æde fieri cœpit, dæmones antea infestissimi Itapuanos spectris territare desierint. Eorundem infernalium hostium industriâ vulgatum est, Gonsalvium & Boroam Sacerdotes non esse, sed sub ficto vestitu terras exploratum venisse, ut gentem novâ religione infectam Hispanis proderent: eosdem Imaginibus Sanctorum ac scriptis libris pestem facere. Quibus rebus divulgatis, plerique Barbarorum ab iis abhorruere, donec sensim inanes ineptias dedocti, Sociorum consortio assuescerent. Verùm ne nimis minutus sim in recensendis sub ea initia Barbarorum protervitatibus, magorum odio, vicinorum populorum inquietudine, pestium strage, satis ad commendandam Sociorum virtutem fecisse me arbitror, si dixero nullam calamitatem

Francisci Gonsalvii Proprætoris diploma.

Itapuæ descriptio.

Itapuanum oppidum ædificatur.

Missa efficacitas.

Suspicio Itapuanorum.

Apostolicis

Apostolicis viris defuisse: adeò ut miraculo proximum videatur, inter tot adversa in regione corruptissima constantiam tenere potuisse. Satis constat supra sex capitum millia eò loci usque ad id tempus à Societatis hominibus baptizata fuisse. In Divi Ignatii colonia idem erat operariorum vigor: pedetentim tamen res procedebat quoad Baptismos, ducentis circiter capitibus singulis annis in his rerum primordiis Christianorum albo inscriptis.

CAPUT VI.

Rochus Gonsalvius constructum abs se Sanctæ Annæ oppidum Franciscanis concedit.

REBUS apud Itapuanos utcumque stabilitis, relicto ibi, qui curam eorum gereret, Didaco Boroa, Rochus Gonsalvius Augusto mense ad Appupen paludem ab Sancta Annâ dictam, Barbaris nondum baptizatis, ducendum se tradidit. Triginta leucis secundo flumine palus distabat, pergendumque erat per littora utrimque ferocissimis hominibus infesta, quos confidentiùs, quàm securiùs ex itinere passim ad partes Christi sollicitans, tandem eò quò tendebat incolumis pervênit. Maximâ propensione animorum Appupennæ paludis accolæ venientem excepêre, rati nullum sibi contra vexatores potentius auxilium obvenire posse, quàm si Societas sedem stabilem ibi poneret. Itaque cùm octo menses effluxissent, & nullus è Franciscanâ familiâ Sacerdos advenisset, Appupennenses multiplici sedulitate extemporale templum domumque Gonsalvio ædificant, sparsam multitudinem cogunt, sementem non uni ab aliis sejuncti, sed continuatim faciunt, denique rem adeò strenuè urgent, ut ante quadrimestre spatium sexcenta capita in novello oppido computarentur. Constitutis utcumque rebus, Rochus Gonsalvius cum Ferdinando Ariâ in Paraquariæ & fluminis Argentei Prætorem rursum electo, de Paranæ statu acturus ad Assumptionis urbem mense Novembri contendit. Prætor nuper sororem suam cum Rochi Gonsalvii germano fratre in matrimonium collocârat, & affectu in Societatem jam satis clarus erat: quare omnia proclivia in eo reperit, nisi quod famæ suæ velificans voluerit ad nova Paranæ oppida statim pergere. Dissuadebat fortiter Gonsalvius, asserens adhuc esse immaturos Barbarorum animos; posse præcipitatione magnas res corrumpi: nomen Hispanorum ob præterita bella apud Paranenses esse odibile: Societatem apud novos homines fore suspiciosam, si statim Hispanos quovis prætextu introduceret: desisteret itaque ab incœpto, & tantisper differret gloriæ segerem, quam sine periculo aliquando meteret: interim authoritate Societatem juvaret, hanc esse unicam de religione Christianâ & Rege Catholico benè merendi viam. Hæc Rochus: sed Prætor pulchrum sibi fore ratus, si præsentem adi Paranæ aliis præriperet Prætoribus gloriæ occasionem, Rocho Gonsalvio (cujus in comitatu sibi tuta omnia confidebat) ad præparandos Paranensium animos præcedere jusso, cum quinquaginta Hispanis militibus se dat in viam. Ubi Paranæ littus attigit, in exornata navigiola ab Gonsalvio honorificè exceptus fluvium transmisit. In obversâ Itapuano oppido insulâ Didacus Boroa ingentem Crucem erigi curarat, quam ut à longè conspexere Hispani, festâ cymbarum circumductione, & repetita sclopetorum explosione, aliisque venerationis ac lætitiæ ostentamentis, militariter adoravere; læti quòd eo in loco Crux triumpharet, in quo communes hostes tamdiu regnârant. In Itapuanum oppidum inductus Prætor, ubi ad exornatum templum venit, ad comites suos conversus, *Gratias*, inquit, *Omnipotenti Deo flexo omnes poplite agamus, quòd unius virtute Crucis hodie ea loca calcemus, quæ nec meus per tot annos ensis, nec Hispanorum robur debellare valuerunt.* Deinde Gonsalvio & Boroæ gratiis actis, quòd per eos tanta res peracta esset, promittens se honorarias litteras in Societatis commendationem ad Regem Catholicum daturum, Itapuanorum primoribus in oppidi duces ritè constitutis, Barbaros monuit, ut Sacerdotes suos (quorum ipse manus demisso capite ad exemplum osculatus est) vellent reverenter habere. Secundùm id, quia rumor increbuerat, ob ejus adventum, adversi fluminis accolas inquietè agere, & jam ex propinquo sese hostiles cymbæ ostentarent, eo quo venerat die, metum necessitate abeundi celans, quàm celerrimè ex Itapuano portu solvit. Navigantibus trecenti circiter Barbari clavâ & sagittis armati in fluminis præcipitio occurrunt, qui indubiè vim Prætori intulissent, ni Gonsalvius authoritate ducem eorum repressisset.

Sanctæ Annæ oppidum cõditur.

Ferdinandus Arias Prator Paranam vult inspicere.

Rochus Gonsalvius dissuadere conatur.

Prætor in opinione perstitit.

Crux triumphat.

Societatis commendatio.

Prætoris periculum.

Is erat Tabacambius, qui à Prætore rogatus, ut vellet Regis Catholici nomine Ducalem baculum acceptare, quo Paranensium Dux dignosceretur: superbè respondit, se satis hactenus omnium Ducem fuisse sine baculo, deincepsque futurum. Ex quo congressu intellexere Hispani milites, quod potentior occulta Sacerdotum & Crucis reverentia quàm armorum confidentia sit. Defuncti periculo, non diu pòst ad Appupen paludem pervenere. Ibi iterum Prætor laudavit Gonsalvium, quòd tantillo tempore templum oppidumque eo loci construxisset, & gentem barbaram mansuefeciisset. In his rebus dum sunt, Franciscani Patres, Prætoris & aliorum authoritate interpositâ, postulavere, ut Appupennensium cura, quos ad Fidem olim sollicitaverant, sibi traderetur: aientes, eos ad vicinam coloniam abs se constructam, incolarum paucitate laborantem, traduci, & ex utraque gente justum oppidum conflari posse. Rochus rem decoram se facturum arbitratus, si urbanè & sine lite præclarissimo Ordini, quod postulabat, concederet; præsertim cùm non deessent alibi alii Barbari, in quibus reducendis Societas fructuosiùs operam collocaret, & sedem fixam in medio Paranensis provinciæ jam haberet, sexcenta illa capita abs se reducta, ad Franciscanorum curam pro potestate traduxit. Sic Paranensis Provincia, hactenus rebellis & ferox, fræno accepto, regimini se subjicere tandem utrimque cœpit. In qua penitus domanda quid Societas egerit, suis temporibus tradam. Porrò quia Paranenses & Guairaniæ populi, necnon multæ aliæ Ethnicorum regiones, Societatis laboribus destinatæ, è Guarana gente sunt, lubet de Guaranorum moribus aliqua simul tradere, ut rerum scribẽdarum compendio & ordini consulam.

Sacerdotum & Crucis potentia.

Appupennenses Franciscanis traduntur.

CAPUT VII. De Guaranorum moribus.

TERRA illa, quæ inter Maranionem, sive fluvium Amazonum, vel si mavis Aurelianum & Paranam, immenso plusquam mille leucarum tractu abs se divaricatos, interjacet, mediam pœnè Americæ Australis partem constituit. Quam terram omnem Guarani non tantùm incolunt, sed extra hos limites pervagati, quidquid spatii inter Paraquarium & Paranam ad Peruviæ fines excurrit, latissimè occupant. Porrò passim reperire est in eo spatio alias nationes, linguâ & moribus ab Guaranis discrepantes, quos ipsi ex innata superbia mancipia appellant. Cum eis internecinum æternumque bellum gerunt. Bello captos solemni ritu saginant, devorantque. In his epulis ad bellicosi facinoris monumentum, nomina nova sibi assumunt. Exiguos pagos passim habitant, quibus præsunt Casiquii hæreditariâ nobilitate aut eloquentiâ populari insignes. Si bellum ingruit, ducem fortitudinis famâ præstantem sibi præficiunt. In bello præponere electos, servare ordines, occasiones prævidere, diem & locum eligere, tempestivitate uti, cibos curare, omninò negligunt. Fortuitam plerumque pugnam ineunt, repentinâ irâ validi; si impetus differatur, vecordiam induunt. Clavam & sagittam præliando adhibent. Corpora nuda ante pugnam tetris coloribus horrificant. Nec cæmentorum nec tegularum apud illos usus est: paleâ, luto & informi materiâ domos rotundas aut oblongas ædificant, tantâ plerumque magnitudine, ut una domus pagum conficiat. Matrimonia libera sunt: quot quisque fœminas alere & adipisci potens est, tot conjuges aut pellices numerat. Casiquii præsertim jus sibi in præstantissimas pagi sui puellas usurpant, quas non ægrè clientibus aut hospitibus minuendas tradunt. Nutribus passim abutuntur. Dimittere uxores, & vicissim ab uxoribus dimitti, nemini admodùm probro est. Quemque mortalium hospitali arcere tecto nefas habetur. Hospites fletu & prolixâ laude Majorum excipiunt: fletum risu & convivio terminant. Perbrevi veste ex plumis aut conchiliis contextâ verenda tegunt, cætera nudi. Triticum turcicum, & cucurbitarum, necnon fabarum radicumque varia genera serunt. Carnibus venatione captis pœnè crudis vescuntur. Si quis inter illos, præsertim nobili loco natus, à vita discesserit, dici vix potest quanto ejulatu fœminæ omnia loca compleant; buccis inflatis voces intercalari silentio horribiles emittunt, ex altis locis subinde se præcipitant, crines lacerant, frontem feriunt, mortua corpora versant, amplexantur, alloquuntur, latera intendunt, palmas dilatant, ollis prægrandibus cadavera imponunt: & autumantes animas simul cum corporibus sepeliri, patellis concavis ora mortuorum cooperiunt, ne nempe animæ suffocentur: ut scias ab

Guarani latissimè habitant.

Belligerantur

Barbarè.

Eorum domus.

Matrimonia

Hospitalitas.

Funera.

eodem

eodem magistro doctas, qui terram levem carorum suorum cadaveribus precabantur. Nullum omninò Deum colunt, superstitionibus tantùm & Ariolorum veteratorumque insaniis dediti sunt. Ariolandi varia ars pro varietate terrarum: pœnè tamen omnes in eo conveniunt, ut magos dæmonum familiaritate nobiles præcæteris revereantur. Magicæ artis peritiam adipisci volentes severissimis jejuniis & afflictationibus se mactent oportet: in quibus peragendis, illoti, nudi, & soli in locis obscuris remotisque agunt: nihil nisi piperis quoddam genus & triticum turcicum igne tostum ad cibum adhibent; crinibus impexis atque turbidis horrere, ungues prolixè deformes habere, atque alias fœditates affectant, aliisque rigoribus corpus atterunt, donec viribus æquè jam ac sensibus ex inedia destituti dæmonem invocatum videant. Horum officium est, per imperceptibilem ossium, capillorum, carbonumque jaculationem, corporibus nocere: quæ res incantationibus depravatæ, ubi mortalium membris sese indiderint, maciem atque adeò mortem persæpè creant; nisi, qui pestem manu fecere, causam ex affectis partibus demant. Aliud verò magorum genus reperire est, ab noxa abstinentium, & solâ dæmonum familiaritate se jactantium, fingentiumque, semotas & secretas res, ab stygiis inspiratoribus cognitas, sciscitantibus posse se revelare. Quibusdam in regionibus, si mulier maga & incantatrix esse velit, castitatem præseferat necesse est: si parit, venerationem apud omnes amittit. Nunquam sine strepitu & horrore perniciabili dæmon his magis se videndum præbet. Sunt & arioli pro medicis se habentes: horum munus est multa loqui, plura fingere, & nihil plerumque efficere: affecta morbo corpora sugunt, &, ac si morborum causas exsuxerint, ex ore putridum quid evomere simulant. Ad insaniam somniis & auguriis dedita Gens est. Tactu bubonis pigros se reddi autumãt, quòd ea avis nec multùm volet, nec nidum apud eos faciat. Si spicam milii gemellam comederit mulier, gemellos se parituram credit. Puellam primum menstruum patientem mitis modis exercent: mulieri lacertosæ exercenda traditur: à carnis esu abstinere cogitur, donec abrasi crines aurem pertingant: ei nefas viros aspicere: si psittacos videre contingat, loquacem fore imposterum existimant: domum verrere, accelerato passu sine diverticulis aquatum ire, triticum pilo terere, ne momento quidem otiari, omnia denique frugi matrisfamilias munia obire jubetur; (quam exercitationem Joannes Rho inter varias suas virtutes numeravit) talem denique reliquâ vitâ futuram puellam putant, qualis circa primi menstrui tempora fuerit. Fœminæ gravidæ pœnè ab omnibus se abstinent. Ne proles inflatis naribus nascatur, alcium carnes non comedunt: si exiles aves ederint, arbitrantur exigui corporis fœtum nasciturum. Ab eorum animalium esu arcentur, quorum qualitates suæ proli nocituras phantasticè verentur. Prægnantibus uxoribus virorum hæ sunt leges: feras ne occidito: sagittas & clavas, aliáve instrumentorum manubria ne facito: post partum ab carnis esu quindecim diebus abstineto: arcum laxato: decipulas avibus ne tendito: domi stertens & jejunus, donec proles umbilicum solverit, maneto: si quid contra feceris, magnum malum timeto. Cùm infans recenter natus infirmatur, cognati cognatæque ab eorum ciborum esu se privant, qui infanti damnum, si comederet, allaturi creduntur. Natis prolibus nomina imponunt defectibus virtutibusque corporum accommoda: si fuscus fuerit, corvum; si raucum fletum edat, ranam nuncupant. Sexcenta similia omitto, ne fastidium pariam. Cæterùm gentem hanc inter tantas ineptias, & tantam barbariem, ad Fidem Christianam capessendam retinendamque, necnon ad res mechanicas, aliquantulamque politiam, si non desit cultura, præaliis Americæ Barbaris idoneam esse compertum est.

Præstigiatores.

Ariolorum experimenta

Magi.

Medici.

Superstitiones.

Puellarum exercitationes.

Gravidarum & parientium deliria.

Maritorum vanæ observationes.

Et parentum.

Infantium nomina.

JAM verò in utroque Guairaniæ oppido Socii varias Reipublicæ Christianæ utilitates adferebant, quamplurimis Guaranis è dæmonum servitute in Christi libertatem assertis. Josephus Cataldinus ausus non semel Barbarorum abactores per longissima itinera insequi, multos è vinculis authoritate, & intentatis cœlestium mortaliumque minis, extorsit. Præterea multi aliunde Ethnici Sociorum industriâ ad Ignatianum Lauretanumque oppida traducti sunt. Magnitudinem laborum inde cognosces, quòd non integro anno pestis in utroque oppido sexcenta circiter capita

CAPUT VIII. De variis Guairaniæ rebus.

Sacramentis

Mille quadringenti & septendecim Barbari reducuntur, octingenti baptizãtur.

Adulter divinitus monetur.

Regina Cœlorum Barbaram visitat.

In templo se præsentem sistit.

Domum nostrã circuit.

In ebrium animadversio.

Prudens Barbara dictum.

Festi dies eslendi.

Divi Ignatii reliquiæ.

Sacramentis expiata messuerit: nulla oppidorum diminutione, in mortuorum locum succedentibus mille quadringentis ac septemdecim Barbaris, ex nemoribus ad oppida reductis, & in Cathecumenorum album per Socios relatis. Octoginta suprà octingenta capita sacro fonte abluta, & nongenta ac septemdecim paria legitimo Matrimonio copulata sunt. Nunc ad singularia devolvor. Antonio Ruisio divina meditanti audita per aërem nescio cujus vox est, imperantis, ut quemdam Matrimonio jungeret. Finitâ prece, Casiquius, pellicatu infamis, se ei stitit, affirmans noctem integram insomnem duxisse, quòd voce incognitâ identidem monitus fuisset de conjugio Christiano ritu ineundo: nec dubitatum, vocem ab utroque auditam cœlestem fuisse. Sed longè illud est mirabilius. Barbaræ mulieri gravi in morbo se visendam præbuit Cœlorum Regina, pretiosissimâ veste, & capillamento Solis instar radiante, conspicuam: cujus hæc vox fuit: *Ne turberis*, inquit, *ô Mulier, quòd ad te in infirmitate recreandam venerim, singulis enim Sabbatis in hujus oppidi templo me præsentem sisto.* His dictis videri desiit. Affirmavit Barbara illa mulier, se aliàs eandem Virginem spectasse domum nostram benevolentissimè circumeuntem, memorando prorsus in Guairaniæ Socios tantæ Reginæ favore: quorum Sociorum diligentiâ præcipua gentis vitia ita profligata sunt, ut integro anno in utroque oppido unus tantùm ebrietati succubuisse repertus sit; quem Neophytorum primores acerrimis flagris multatum diuturno carcere macerarunt: optando Septemtrionalibus quibusdam in regionibus remedio. Obviam etiam itum est venditionibus puellarum, ab Europæis emi solitarum. Virgunculam unam Hispanus ab Neophyto emere volens, spopondit eam se clam Societatis Patribus habituram: cui Indus, & clam Deo, inquit, etiam habere poteris? Duobus Neophytis totidem navigiola ex unâ arbore concava Dominico die fabricantibus prædixerunt populares, adverso Deo confectis cymbis non usuros: nec vana fuit prædictio, nam antequam usui esse possent, confractæ cymbæ sunt. Semen die festo terræ mandatum, reliquis circum agris fertilitatem facientibus, exsiccari contigit. Infans morti proximus Baptismo valetudinem repentinam recepit. Puellus pro mortuo ab omnibus habitus, contactu Divi Ignatii Reliquiarum, aut revixit, aut ex deplorato morbo convaluit. His portentis Divo Ignatio, festis diebus, & Sacramentis cultus conciliatus est.

CAPUT IX.

Gesta apud Guaicuræos

Guaicuræorum error circa baptismum.

Regina Cœlorum & Reges Barbaris prosunt.

Petrus Romerus sanatur.

Linguæ peritia indicium cœleste accipit.

APUD Guaicuræos non eadem erat baptismorum felicitas, falsò æstimantibus Barbaris, primum Christianorum Sacramentum æquè infantibus ac adultis esse lethale: qui error inde præcipuè oriebatur, quòd viderent plerosque (nam nulli, ob gentis vitia, nisi in mortis articulo baptizabantur) susceptò baptismo exspirare: sed ne ea serperet hæresis, commodè factum, ut mulier adulta, multique infantes morti proximi, baptismi aquas æquè corporibus ac animis salutares experirentur. Aliud tanto malo remedium fuit, tabellam Christi inter brachia Matris ab Regum Triade adorati historiâ insignem, solemni pompâ in ædem novi oppidi, ab Tribus Regibus nuncupati, intulisse: exinde enim observatum plerosque Barbaros, saltem in mortis agone, minùs ab baptismo abhorruisse. Cœlorum Reginâ, nec non Regibus, gentium patronis, Christianorum rituum æstimationem novis hominibus, ut piè creditum est, insinuantibus. Sed & Petro Romero, Barbarorum doctori optimo, Christi Mater voluit esse salutaris. Is per fluidum fœdumque carcinoma putrem materiem egerebat, adeò pertinaci malo, ut brevi vires omnino profligatas, & ad munus suum obeundum prorsus ineptas, senserit: nulli supperebant medici, pharmaca nulla: optabat tamen ipse in operarum paucitate rei Christianæ promovendæ operam suam diutiusculè collocare, quam rem seriò ab Superis postulans, folium arbusti temerè repertum ulceri applicuit, sensitque pænè subitò in cicatricem coïvisse. Idem Guaicuræorum linguâ, difficili planè & implexâ (nam ea gens turbinatim in gutture plerumque loquitur) mysteria nostra explicanti dubium subrepsit, num fideliter lingua Guaicuræa catechesim explanaret, ab quâ animi perplexitate ut eximeretur Deum impensè rogabat. Nec frustra fuere preces: nam eo tempore, quo sacrificabat, ei cogitationi intentus, alter pro eo indicium sinceræ explicationis cœlitus accepisse creditus est. Insignis Romerianæ

caritatis

caritatis partus fuit venefica mulier ex Frontonibus orta, & apud Guaicuræos captiva, quæ in ancipiti morbo suæ gentis vereratoris præstigiis se curandam tradiderat. Sed quamvis sic agenti quotidiè per servulum lautiusculam paropsidem submittebat Romerus, quâ assiduitate benefaciendi permovit, ut deserto venefico homine, agnatisque artibus, Baptismum ab suo benefactore peteret. Verùm volentem eam baptizare turmatim circumstant Barbari, postulantes ne id officii præstaret mulierum pessimæ, & venena spargere assuetæ: nam si eam pro instituto suo in sacrâ æde sepeliret, fore ut in tygridem conversa omnia circum se vexaret, perderetque. Satius esse in loca vasta remotáque mortuæ cadaver efferre, ne post mortem quàm in vitâ foret nocentior. Hæc illi: quippe Guaicuræi in eâ sunt hæresi, ut malorum hominum animos putent in feras, eò terribiliores, quò in vitâ pejores fuêre, commigrare. Sed Romerus ridiculam transmigrationem dedoctos docuit eam esse baptismi vim, si ritè percipiatur, ut fœdissimorum mortalium animas sole ipso pulchriores reddat, & ad cœlos æternâ donandos beatitudine transmittat.

Venificam ad fidem adducit.

Ridicula animarum transmigratio explodituir.

CAPUT X.
De Chileni Regni rebus.

IN Chileni regni metropoli, ac ejus ditione, Guarporum aliquot de novo ab Societate JESU-CHRISTO transcripti sunt. Nec indiligentiùs Socii Mendoçæ degentes, in Barbariem signa Christi intulere, magno semper Dæmonum dehonestamento. Sed præcipua vis agendi per Chilense regnum in uno Ludovico Valdivia vigebat, Socios terra marique in hostium finibus laborantes exemplo atque verbis animante. Eo adnitente multi ex Araucanis, Zumbellaniis, Catarajanis, ac aliis populis, abjurato bello pacem cum Hispano Rege sanxêre; vario numero ex his nationibus ad partes Christi etiam translato. Melchior Vanegas, Chiloënsi missioni Præfectus, jussu ac nomine Peruviæ Proregis, inspexit tringinta & quinque insulas archipelagi Chiloënsis, ut sincerè Indorum indemnitati caveretur: defectu remigum ipse cum Socio periculoso in mari scaphâ vectus, aliquando remigavit; præter Neophytorum omnium per tot insulas sparsorum Exhomologesim, trecenta & octoginta capita salutaribus aquis, Socio idem officium præstante, immersit. Octo mensibus eo in munere positis, ad Proregem, rationes procurationis suæ daturus, magno cum Indorum levamento navigavit. Inde redux, in Insulis suis labores apostolicè continuavit. Eo absente, è terra continenti rebelles Osorniani, & aliarum factionum populi, legatione ad Chiloënsem Præfectum adornatâ, Christianum Sacerdotem postulatum venêre; spondentes se Ludovici Valdiviæ conditionibus ab Rege impetratis accommodaturos, & Legem Christi capessituros, si milites ab vexatione cessarent. Præfecti jussu, fide publicâ, Didacus Castanieda, externus Sacerdos, eò delatus, interiores rebellium factiones Regis Catholici amicitiæ cupidissimas reperit: quingenta capita in Osornianis ruinis sacro fonte tinxit; aliis in locis vario numero quamplurimis Ethnicis idem beneficium impertivit. Sed tantis spebus promovendis obstabat quorumdam hominum avarities, salutem tot mortalium privatis commodis contra Regis Catholici & Senatûs integerrimi sancita pertinaciter postponentium, atque Ludovici Valdiviæ acerrimi pacis conciliatoris famam nefandis prorsus criminationibus insectantium; immoto ad hæc Valdivia, & quadruplatorum tela, tolerantiæ Christianæ clypeo, fortiter retundente.

Ludovicus Valdivia multos Christo & Regi conciliat.

Melchior Vanegas chiloënses inspicit. Remigat.

Trecentos & octoginta cum Socio baptizat.

In Peruviam navigat.

Didacus Castanieda quingenta capita sacro Fonte abluit;

Et multa alia.

Calumniæ in Valdiviam.

CAPUT XI.
Monasteriũ Monialium Provinciæ capitibus facessit negotium. 1616.

CORDUBÆ Tucumanorum, fundatio Monasterii Dominicanarum Virginum Provinciæ nostræ capitibus fastidiosum negotium facessivit. Rem variorum temporum maximè creperam lubet simul evolvere. Leonora Texeda, matrona æquè dives ac nobilis, à dæmone diu sollicitata, ut laqueo vitam finiret, nullis remediis ab importuno monitore sese satis extricare potuerat; donec monita ab Joanne Dario, Sacerdote nostro, ut se Divæ Catharinæ Senensi committeret, otium mentis sibi reddi sentiret, & in grati animi testimonium se suaque omnia erigendo Dominicanarum asceterio lubens volensque dedicaret. Gratum planè Superis votum: sed multa diu obstitere destinato operi: nam nullum adhuc erat in Tucumaniâ Paraquariâque sacrarum Virginum monasterium, ad cujus normam nova domus

Leonora Texeda votum.

conformaretur: & veteres Moniales è Peruvia Chilenoque regno, aliarum inſtitutrices, venire renuebant. Præterea in his terrarum ultimis, Regula, ut vocant, Divæ Catharinæ Senenſis nuſquam reperiebatur. Quibus non obſtantibus, cùm Domina Leonora opus quoquomodo fieri urgeret, quòd ſe votis adſtringi profiteretur; habito ſuper ea re gravium virorum conſulto, Didacus Torres Epiſcopo Tucumanenſi author fuit, Virginibus cum Domina Leonora, Dominicanarum velum ac veſtem ſuſcepturis, Sanctæ Thereſiæ Regulam additis demptisque, ſpectatâ loci conditione, pauculis ordinationibus, tradendi: & defectu veterum Monialium ipſam Leonoram, prudentiſſimam fœminam, novo ſuo Monaſterio præficiendi. Rebus in hunc modum authoritate Epiſcopi ordinatis, tyrocinio peracto, multæ Virgines, præeunte ſolemni ritu fundatrice, religioſa vota emiſerant, & pleræque virtutum ſpecimina exhibere ſummâ fide & pace pergebant: donec Ferdinandus Mexia Dominæ Leonoræ conſobrinus, Sancti Dominici Religioſus planè gravis, Româ, quò negotiorum ergò iverat, rediret. Is ſanguinis & Religioſæ profeſſionis privilegio conſobrinam ſæpè alloquens, dum ultrò citróque de ſtatu novi Monaſterii, ſe abſente erecti, agitant, brevi Domina Leonora in eam mentem adducta eſt, ut de validitate votorum nuper emiſſorum vacillaret. Concuſſis eâ vacillatione pleraruмque Monialium animis, de novandis rebus palam actum eſt; nonnullis è frigidioribus in ſpem deſerendi Monaſterii erectis: & quia non dubitabatur, Didacum Torres, defuncto Epiſcopo, conſilium ſuum authoritate, quâ multùm pollebat, defenſurum; Ferdinandus Mexia alios Religioſos & Sacerdotes in partes traxit: ſimulque omnes earum rerum capita, quibus in erigendo novo Monaſterio peccatum fuerat, explicant, aientes, *Chymericum videri Divæ Thereſiæ Regulam ſervandam tradi Monialibus in Dominicanarum habitu Divæ Catharinæ Inſtitutum profiteri volentibus; & invalidâ fuiſſe vota concepta ſub Sanctæ Thereſiæ Regula, demptione & additione legum corrupta*, & alia hujuſmodi. Ex quibus conficiebant, nec Dominam Leonoram, nec ejus ſocias, Religioſas eſſe, & poſſe, deſerto phantaſtico inſtituto, ad nuptias pro libitu convolare. Epiſcopum verò & Didacum Torres, chymerici Monaſterii machinatores, aſſerebant cenſuras Eccleſiaſticas incurriſſe in Beguinos fulminatas, qui pro libitu novas religiones fabricabant, detruncabantque. Denique eò res deducta eſt, ut dicta capita in ipſo Monialium monaſterio theſibus propoſitis defenſuros ſe, ſcholaſtico modo, publicarint. Quâ re vulgatâ, Petrus Oniatus Provincialis, inter primos hujus ſæculi Theologiæ Moralis ſcriptores computandus, inſtar multorum unus, ægerrimè ferens Didacum Torres, duarum Provinciarum pro Societate fundatorem, pro uno Virguncularum Aſceterio traduci, non diſſimulandum ratus, ad condictum diſputationis locum ſe contulit, & ſigillatim objecta revolvens, demonſtravit: *Veſtem Sancti Dominici, ex voto Dominæ Leonoræ ſuſceptam, nihil officere potuiſſe valori Religionis ſub Regula Divæ Thereſiæ juratæ: cùm accidentalis illa mutatio nihil attingeret ſtatûs Religioſi ſubſtantiam, per ſe ſub quavis veſte ſatis ſtantis, & naturam conſervantis, ſecundum tritum illud adagium:* Veſtis non facit Monachum. *Multò minùs, ob additionem demptionémve paucarum legum non ſubſtantialium, confici poſſe novum id inſtitutum eſſe; cùm certum ſit, parvitatibus illis, Regulæ integritati nihil admodùm demptum fuiſſe: & proinde ejus machinatores minimè obnoxios eſſe cenſuris contrà Beguinos in Clementina contortis. Quinimò, licet concederetur novum illud inſtitutum fuiſſe, non ideò concludi poſſe ejus authores Clementinæ pœnis, in ſolos Beguinos latis, obnoxios fore, cùm Suarius & Toletus, Theologicæ palæſtræ decora, Clementinæ pœnas in Beguinos contortas expreſsè demonſtrent in alios non poſſe detorqueri.* Denique nullum argumentum ab adverſariis allatum fuit, quod Provincialis Oniatus, diſputator acerrimus, coram indicatis Doctorum locis æquè promptè ac doctè non infirmarit.

Monaſterii fundatio.

Religioſæ vovent.

De valore votorum ortum dubium.

Votorum valor aſſeritur.

CAPUT XII. Diploma & ſententia Pauli V.

VERÙM quia non dubitabatur, in novi Monaſterii fundatione ob ineptitudinem locorum, perſonarum idonearum abſentiam, & regularum defectum, multa contra jus commune factitata fuiſſe, & ſacræ Virgines cuperent ſcrupulos omnes ſibi demi: Pontifex Maximus per litteras ſupplices de re tota edoctus,

pleraque

pleraque Oniati Provincialis asserta, Frederico Cardinali Boromæo adnitente, diplomate confirmavit: quod hîc appendere non pigebit, ut ab fastidioso negotio se mel me expediam. *Ad perpetuam rei memoriam. Sanè pro parte dilectarum in Christo filiarum Monialium monasterii Sanctæ Catharinæ de Senis nuncupati, civitatis Cordubensis, in Indiis Occidentalibus, nobis nuper expositum fuit, quod aliàs monasterio prædicto, per Ordinarium loci Apostolicâ authoritate erecto, pro felici illius regimine & directione infrascripta statuta, juxta regulas Beatæ Theresiæ, aliquantulum tamen immutatas, edita fuerant, tenoris subsequentis.* (hoc loco de verbo ad verbum Regula ab Episcopo tradita referebatur) *Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, Moniales præfatæ professionem, servatis aliàs servandis, emiserint; à nonnullis verò dubitatum fuit, an statuta, necnon professio illorum vigore facta, sint valida. Nobis propterea Moniales præfatæ humiliter supplicari fecerunt, quatenus in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabili Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ negotiis Regularium Præpositorum consilio, statuta præfata Apostolicâ authoritate præsentium approbamus, & confirmamus, illisq; inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes ac singulos tam juris quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: decernentes statuta prædicta, ac professiones hujusmodi, juxta illorum formam factas, validas. In futurum autem suprascriptum ritum habitum Monialibus concedendi, à Regula Sancti Dominici sumptum, servari debere, ac irritum & inane si secus super his à quoquam, quavis authoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, &c.* Hoc Pauli Quinti Diplomate accepto, Didaco Torres authoritas, & pax Monialibus professis stetit: sed si vera volumus fateri, sicut Divo Ignatio unum Romæ Monialium monasterium plus olim faciebat molestiæ, quàm totius Societatis regimen: sic altera domus Monialium majorem inquietudinem, quàm immensæ Provinciæ loca omnia, Petro Oniato & ejus decessori consciverunt. Nec dubium fuit, longè consultius utrique futurum, si se ab hac negotiatione abstinuissent.

Didacus Torres à calumnia vindicatur.

CAPUT XIII. Prætor Paraquariæ ab armorum consilio avocatur.

PETRUS Oniatus Provincialis, ordinatis Tucumaniæ rebus, ad Assumptionis urbem navigans, è Paranensi expeditione Rochum Gonsalvium & Didacum Boroam evocavit, cum utroque de propaganda per Paranam Fide, & de modo Urvaicensis Provinciæ subjugandæ, consulturus. Auditis verò eorum sententiis, in magnam spem venit Christianum imperium per utramque regionem Apostolico marte dilatari posse. Tantæ spei utcumque officiebat Ferdinandi Ariæ Prætoris intempestiva magnanimitas, volentis Urvaicenses populos hactenus intactos, armatâ manu adire; & jam fecerat decretum, quo jubebat Hispanorum pleroſque huic militiæ nomen dare: quam rem Socii, missionibus destinati, ægerrimè ferebant, affirmantes ostentatione armorum Paranenses, per quorum ditionem eundum erat, turbatum iri: Urvaicenses verò semel armis exacerbatos, difficilè postea Legem Christianam recepturos. Cùm nihilominùs Prætor in opinione persisteret, Provincialis jussu Rochus Gonsalvius, affinitatis titulo ab Prætoris offensione satis tutus, liberè & modestè rogat ne bellum, Reipublicæ Christianæ nocivum, incœptaret: meminisset Regis Catholici litterarum sibi primùm Prætori missarum, & aliorum Regiorum Diplomatum severè prohibentium, ne quovis prætextu, armorum vi in Ethnicorum terras Evangelium inducceretur: inconcusso ad hæc Prætore ad bellicam gloriam omnia referente, & speciosum communis boni pallium destinatæ expeditioni prætendente. Sed tota vis ad dissipanda Prætoris consilia in Hispanis civibus fuit, Paranensis belli diuturnâ infelicitate, & Urvaicensis expeditionis magnitudine, deterritis, ideóque odibili militiæ nomen dare renuentibus.

Ferdinandi Ariæ præcox consilium.

Rochus Gonsalvius authoritatem interponit.

CAPUT XIV. Iaguapuani oppidi initia.

HOc metu discusso, Rochus Gonsalvius ad Paranam rediens, Tabacambium, ducentorum circiter Indorum Dominum, sed longè latéque Barbaris authoritate moderantem, quem Prætori ferocientem nuper vidimus, adit; rogatque ut novi oppidi, quod fundare decreverat, ducem acceptato ducali baculo constitui se sinat. Sed Barbarus ferociter refragatus vociferatur, se satis Paranen-

Tabacambius Gonsalvio resistit.

sium omnium ducem esse, quàm ut uno oppido potestatem suam coërcens, baculum aut virgam limitatæ dignitatis ab advenâ accipere indigeat. Dilatâ itaque in aliam tempestatem Barbari devinciendi curâ, Gonsalvius ad locum eminentem, quem indigenæ Iaguapuam nuncupant, adnavigat, excussáque circum omni vicinitate, impetrat à non paucis Ethnicis, ut sedem in eo loco figant. Multitudinem auxit Tamboaicus, Insulæ Iaguapuano littori obversæ Casiquius, quorum Insulanorum exemplo variis ex nemoribus Barbari confluentes, erecta solemni ritu Cruce, Gonsalvio delineatore, oppidum constructere. Distat Iaguapua ab Itapuano oppido leucis circiter quatuor, ab Ignatiano duodecim, in quibus oppidis Socii sedem fixam habebant: & quia nullus Sacerdos suppetebat Iaguapuæ remansurus, Socii per vices ex utroque oppido novellam gentem omni Christianorum Officiorum genere excultum ibant: magno semper in Neophytorum Catechumenorumque catalogum numero relato.

Plures novæ colonia dant nomen.

Tamboaicus partibus accedit.

Iaguapuani excoluntur.

CAPUT XV.

In S. Ignatii oppido turbatur.

Maracanaïa peninsula.

Arapizanduvii defectio.

Joannis Salæ periculum.

Vetula consilium.

Joannis Salæ oratio.

Arapizanduvii pœnitentia.

Barbari in Didacum Boroam insultant.

Joannem Salam alapa ferunt.

Utrumque calumniantur.

HIs qualibuscumque prosperitatibus intercessit Arapizanduvius, Ignatiani oppidi dux, nescio quâ occasione ab Patribus abalienatus, qui assumptâ secum malè contentorum hominum catervâ, ad Paranenses Ethnicos, consilia ac vires cum Tabacambio collaturus, importuno admodum tempore transfugit. Ad littus Paranæ peninsula jacet, quam hinc fluvius, inde ingens palus exiguo planè aditu efficit, Maracanaim indigenæ vocant, rebellibus opportunum receptaculum. Hac se peninsulâ Tabacambius ac Arapizanduvius includentes, novis Paranæ oppidis terrori erant, verebanturque Socii, ne utriusque authoritatem sequuti plerique Neophyti desertâ fide dilaberentur. Igitur antequam firmarent consilia, Joannes Salas ex Sancti Ignatii oppido ex improviso eò delatus reperit Neophytos æquè ac Ethnicos ferocitatem potiùs, quàm pœnitudinem præseferentes. Igitur mortem in singula momenta præstolans, portatili altari erecto (nam retrocedere non tutum erat) deficientibus humanis consiliis, Deum sacrificio in subsidium vocare contendit: & jam audaciores de eo mactando agitabant, cùm interceslit vetula, magnis vocibus parricidium prohibens, aiensque, si scelus patrarent, Hispanos omnes undequaque in vindictam Sacerdotis indubiè advolaturos, & unius necem in totius Paranæ perniciem versum iri. Valuit mulieris vox ad reprimendos utcumque Barbaros: quare Joannes Salas, sacrificio peracto, uti erat Deo plenus, Arapizanduvium inter metum & audaciam vacillantem hac oratione percellit. *Tu*, inquit, *ô Arapizanduvi, primus omnium, adito olim Ferdinando Ariâ Prætore, fidei Christianæ viam Paranensibus populis aperuisti. Tu primus Socios evocasti: evocatos objectu corporis non semel contra rebellium furorem defendisti: tuâ authoritate Divi Ignatii oppidum surrexit: nomen tuum longè latéque volat. Noli, amabo, tot decora pertinacitate turpis transfugii corrumpere. Si citò respiscas, non tantùm pristinum gradum & amicitiam recuperabis, sed etiam inter præcipua merita computabimus celerem pœnitentiam. Elude, amabo, dæmonis artes, tot ornamenta per invidiam dehonestare volentis.* His dictis allata munuscula expromit, & compellatis nominatim transfugarum Primoribus, unumquemque rogat ne se perditum eant. Mirum dictu! Arapizanduvius rubore perfusus, certis oculis clientes suos respiciens, paucis verbis postulatâ facti venià, Tabacambio deserto, cum omnibus Neophytis Sacerdoti ad oppidum se reducendum tradens, Socios ingenti metu perculsos pari gaudio affecit. Non diu pòst, in eodem oppido, feroces Indos clavâ ac securi armatos in Didacum Boroam insultantes, jam jamque opprimere paratos, Joannes Salas ostentatione fortitudinis repressit. Aliàs, alter Barbarus eumdem in eas angustias redegit, ut de ejus vita actum putaretur. Ipsum verò Joannem Salas ferociens Barbarus, quòd filiam ad audiendam Catechesim adigere vellet, adeò vehementer in facie percussit, ut ex impactâ alapâ compluisculos dies febricitasse se mihi hæc scribenti optimus senex non semel narraverit. Sed longè acerbior fuit quovis necis obeundæ periculo fama contra utriusque integritatem sparsa, inde orta, quòd Didacus Boroa, vir Sanctus, eo tempore quo ludi publici celebrabantur, in meretricis confessione excipiendâ diutiùs immorans, tædium creasset Neophyto, quem interim in templo præsentem

sibi

sibi adesse voluerat, qui frustratione spectaculorum impatiens in forum egressus, obviis sodalibus calumniosè affirmavit, se adfuisse in templo Didaco Boroæ cum meretrice fornicanti: altero addente, Joannem Salas eodem crimine implicitum esse. Octo integris mensibus, inscio utroque Socio, incredibili detrimento, ab Neophytis credita res est, donec, accepto indicio, sycophantæ, publico in conventu retractatâ calumniâ, diffamationem legitimè expungerent. Interea Socii, Catechumenis, quotquot erant in oppido, baptizatis, latebras infidelium nondum reductorum tum per se, tum per Neophytorum fidelissimos non sine multiplici fructu excussum ibant; eò in Barbarorum emolumentum propensiores, quò pluribus injuriis afficiebantur. Sic tolerantiæ artibus pedetentim ferocissimos homines ad rectam formam ita finxere, ut postmodùm Ignatianæ coloniæ municipes aliis oppidis in probitatis exemplum proponi mererentur.

Calumnia expungitur.

Utriusque Socii labores.

CAPUT XVI.

IN Guairaniâ Josephus Cataldinus, pro more prævertere satagens prædonum servituti Indorum inhiantium consilia, præstantissimos Neophytos expeditionis Apostolicæ Socios ex utroque oppido sub id tempus selegit, monuitque ne animos ut olim belli ac sanguinis humani siti imbutos secum adferrent; certamen enim se cogitare, in quo glorioſius esset cadere, quàm cædere: martyres secum esse posse, si, resistendi animo depositò, in opere Evangelii mactarentur. In animo suo esse omnes Piropoënses ad Christum adducere. His verbis animati se dant in viam. Inter eundum sensit Cataldinus, nescio quâ diffidentiæ umbrâ, animum obscurari, cœpitque dubitare num prosperum exitum expeditio habitura esset: inter quos animi fluctuantis timores has voces confidentiæ conciliatrices audit ferri per aëra: *Noli timere, fili mi:* Nec dubitavit eâ voce se ab Virgine MARIA confirmari, quam paulò ante precibus fatigaverat, rogans ne incassum à se susceptus abiret labor. Tantis auspiciis, post menstruam indagationem, præcursores in numerosam Barbarorum manum incidunt, qui more gentis arma concutientes, lunatis arcubus advenas ad prælium ferociter provocavere. Sed Neophyti, prout jussi erat, arcus & sagittas deponentes, colloquium postulavere: quo impetrato nuda pectora & inermes manus ostentantes: *Mors*, inquiunt, *nobis pignus pretiosum erit, si, pro annunciato vobis Christo æterni Dei Filio, non repugnando mactemur. Avitos mores feliciter sub advenis Sacerdotibus dedidicimus, & ut vos eosdem dediscatis Magistrum sacræ doctrinæ nobiscum adducimus.* His verbis, cœlitùs, uti creditum est, delinitus Aveneira, Piropoënsium facilè princeps, popularibus suis compescitis, jussit Sacerdotem sibi sisti, qui ad eos ductus, opportuno de divinis rebus sermone ita sibi pleroſque devinxit, ut Aveneira pagum suum & operam ad fundandum oppidum offerret: quò antequam se conferret, veterator magus, de Cataldini nece cogitare ausus, cœlesti portento elusus est. Is numerosâ parricidarum manu contractâ, noctu quiescentem oppressurus, sacro capiti jam imminebat, cùm sensit se suosque ab incognito Sacerdote in veste Jesuiticâ reprimi; quo spectaculo perterriti Barbari, re infectâ, in fugam se dederunt. Nec in dubio fuit quis conjuratos fugaverit: nam eâdem nocte Cataldinus in somnis vidit speciem Martini Xaverii Socii sui, non ita pridem demortui; parricidas minaciter terrentis, seque à morte tutantis. Mane facto, cognita præstigiatoris fugâ, fides somno habita est. Evitato periculo, per intacta omnibus retro sæculis nemora ac rupes, Ethnicis (nam Neophytos ad oppida remiserat) se tradit ducendum. Post quintum itineris diem veste & carne lacer, in designato ab Aveneira loco novi oppidi fundamenta jacit, Crucem erigit, ædiculam sacram & casam ex arborum ramis extemporaliter excitat; in quâ decem solidos menses in mansuefaciendâ barbarie, inexplicabili mentis & corporis patientiâ, perduravit. Radices pro omni cibatu, aqua pro potu, pro omni confabulatore inculta Barbarorum frequentia erat. Ex circumjacentibus sylvis quotidiè tygrium leonumque rugitus audiebantur, viperæ passim occursabant, Barbari solemnibus ululatibus noctes terrificabant, calor in ramali casa sub Zona torrida, & inter spississimas sylvas aëre minimè eventilato, pænè intolerabilis. Inter quas res nihil ægrius Cataldino fuit, quàm per tot menses nullum Sacerdotem,

Josephus Cataldinus novi oppidi fundamenta jacit in Guairania.

Neophytos comites animat.

Et ipse cœlitùs animatur.

Neophytorum religiosa moderatio.

Aveneira dat manus.

Cataldinus cœlesti ope à morte liberatur.

Martini Xaverii apparitio.

Oppidi initium.

Cataldini patientia.

Cataldinus Cœlestibus deliciis affluit.

nullùm de Societate Socium videre. Quanquam scripto asserui tantis se eò loci cœlitùs immissis exundasse deliciis, ut sui vix compos præ nimia mentis hilaritate toto corpore subsilire cogeretur, mirabundusque exclamatet: *O IESV! ô Bone IESV! qui fieri potest, ut ego unus tantâ Cœlestium illecebrarum tempestate non obruar!* Interim creverat numerus Catechumenorum ad septingentos, & spes erat longè major, cùm Visitator è Paraquaria in Guairaniam appulisse nunciatur.

Septingenti reducuntur.

CAPUT XVII.

Marcellus Lorençana Guairaniæ Socios inspicit.

MARCELLUM Lorençanam Assumptionis Collegii Rectorem pro se Guairaniæ Socios inspecturum Petrus Oniatus Provincialis miserat, ne dum ipse ad extremas immensæ Provinciæ partes se extenderet, corporis interiora, ceu vitalia, spiritu privarentur. Eò iturus, averso primùm Paraquario per Paiaguarum, hactenus indomitorum, fines navigationem occæpit, qui ut cognovere de ejus consilio nota & opportuna latrocinio loca occupavere. Sed Deus elusit positas insidias: nam quamvis Marcellus in conspectum venerit, nunquam eum assequi potuere; fatentibus prædonibus se insolitâ vi detentos, ne in Sacerdotem involare possent. Securius fuit iter, quo è Paraquario ad Paranam, è Parana ad Paranapanæum transmittitur: in quo itinere Indorum pagos, omni Sacrorum ope destitutos, solitis Societatis officiis procuravit; donec collectâ ubique animarum messe, feliciter tandem Lauretum appelleret. Aberat Cataldinus, cæterorum superior, in sylvis Piropoënsibus novum oppidum conflans, qui audito Lorençanam venisse cum Catechumenorum recenter reductorum primoribus, quàm celerrimè advolat: post mutua urbanitatis ac caritatis officia, statim inter utrumque disceptatum, quo in loco Piropoënsibus illis nuperrimè reductis nova sedes poneretur. Re multùm ultrò citróque agitatâ, Lorençana pronunciavit, eam non procul ab veteribus oppidis ponendam esse: igitur septingenti illi Catechumeni ad proxima Laureto littora transmigrantes, ante finem anni magna ex parte Christo per Baptismum nomen dedere. Præter hos, mille & quadringenta capita hoc fermè anno Laureti, & in Divi Ignatii oppido, Christianis accessere. Et tamen malevoli homines, litteris per Provinciam missis, famam sparserant, Socios JESU in Guairania inutiles esse: quam calumniam adeò artificiosè fucaverant, ut de iis revocandis ageretur: nimirùm calumniatores irritaverat mascula integritas Sociorum, vetantium Indos vexari, & ad iniqua servitia pellicatumque adigi. Præstigiatores & Magi operam suam ad id commodabant: incassum tamen stygiæ artes, & malevolorum hominum malitia, cecidere; innocentiâ Sociorum, quasi scuto, inanes ictus eludente. Marcellus Lorençana perspectis Guairaniæ rebus, in Cœlum extollebat singulorum Sociorum virtutem, inter tot curas, inque tanta solitudine & operarum paucitate, Collegiorum mores strictè observantium. Unum fuit quod Visitatoris censurâ indiguit, nimia scilicet in curandis corporibus incuria: quâ in re nobile factum sub id tempus ab Ruisio patratum comperimus. Dæmon, injecto peregrino Veneris igne, corpus ejus adeò vehementer inflammarat, ut adhibitis frustra domestici incendii ordinariis sopimentis, ad inusitata auxilia confugiendum fuerit. Formicas quadruplo Europæis majores Paraquaria gignit (Joannes Rho id idem Ruisii factum memorans, squillis comparat) morsiunculârum acrimoniâ pænè intolerabiles; ergo quâ innumerum earum fervebat agmen, nudatum corpus abjiciens se tradit laniandum, donec totâ cute cruentus victor assurgeret: & quia formicæ forcipibus suis mollia ventris pænè disruperant viscera imminentes, diu Ruisius turbellis, seu scrupulis, mentem vexari sensit, quasi inconsideratè nimis mortis periculo se exposuisset. Quamquam illâ se cogitatione defendit, quòd uti marsupium, sic Castitatis gemma quovis auro pretiosior, adito qualicumque discrimine propugnari possit. Addo ego Franciscum Assisium in spineto, Bernardum in lacu gelido, & Ruisium in formicino tumulo aliquod periculum adire potuisse, sine detrimento conscientiæ, insolito ardore mentis divinitùs ad heroïcum facinus impulsæ ab culpâ eos defendente: dandum enim aliquid est heroïcæ virtuti. Præterea ipse Ruisius, Cataldinus & Maçeta, in ordinariis actionibus humanæ necessitatis obliti, immodicis afflictationibus supra modum se divexantes, spem non dabant talem vivendi normam diu sine noxa corporum usurpari posse.

Paiaguarum Insidiæ eluduntur.

Piropoënsii transmigratio.

Mille & quadringenti baptizati.

Calumnia expuncta.

Sociorum Guairaniæ Religio.

Antonii Ruisii castitas.

Sociorum vitæ asperitas.

Nullus

Nullus eorum linteaminibus ad dormiendum utebatur, noctium magnâ parte in templo positâ, reliquam aut super rete pensile, aut stratum ex cannis contextum, nullo vestium additamento, somnum gustando transigebant. Præter id, ex officio singulis incumbebat Dominicis diebus verba ad populum facere, quotidie Catechesim bis cogere, eruditos Sacris undis abluere, pœnitentes Exhomologesi expiare, conjugium ineuntibus adesse, moribundos ad luctam ungere, mortuos sepulturæ mandare, domi curare, sementem facere, gossipium pro vestiendis hominibus, manu nudioribus, serere, ariolos præstigias dedocere, vexationes prohibere, reos paternè castigare, domos ædificare, templa ornare, peste grassante ad vicina remotaque loca excurrere, & alia sexcenta in novis Indorum reductionibus usurpata factitare. Quibus si addas quotidianum precum pensum, religiosasque exercitationes, nemo inficias ibit tribus Sociis in totidem oppidis tantum laboris incubuisse, quantum justo Collegio occupando satis foret. Et tamen sic agentes querebãtur materiam laborum, quantam avebãt, sibi deesse exercendæ pro Deo patientiæ. Nihilominus exoptabant supplementum Sociorum, tum ne soli in singulis oppidis vivere cogerentur; tum vel maximè, ut majoribus copiis dæmoni bello indicto, novis coloniis constructis, quamplurimos Ethnicos ad Christi partes traducerent. Ad id Lorençana operam & consilium apud Provincialem spondens, eò quo venerat itinere, confectis in itu & reditu quadringentis & quinquaginta leucis, ingenti de Guairaniæ Sociorum laboribus atque sanctitate famâ ubique sparsâ, Assumptionis urbem postliminiò tenuit.

Labores.

Laus.

CAPUT XVIII.
De Guaicuræorum rebus.

APUD Guaicuræos, nullam dum Barbari spem faciebant perpetuandi oppidi, moresque efferos corrigendi; sed trucidationes, divagationesque continuantes, per intervalla tantummodò, non tam Religionis, quàm sui commodi ergò, Petro Romero & Antonio Morantæ se permittebant. Quamobrem multi arbitrabantur deserendos esse, & utrumque Socium eò transferendum, ubi eximias animi vires majori cum fructu exererent. Constans tamen Romeri sententia fuit, contumaciam Barbarorum Christianâ perseverantiâ frangendam arbitrantis: cujus constantiam in natione prava inter indicibiles labores, magno animo, per tot annos perdurantis, Petrus Oniatus, litteris Præposito Generali datis, summis laudibus extulit. Has res gravis, sed utilis, procella excepit: nam pestis grassata multis Guaicuræorum capitibus se pavit, æternùm alioquin perituris, nisi cœlum sæviisset. Igitur multi adultæ ætatis homines, etiam venefici sagæque, in ancipiti morbo animarum salutem adepti creduntur. Sed infantium ut copia major, sic salus securior: quos omnes, etiam parentibus invitis, Socii sacris undis lustravere. Illud eminet. Agebat animam infans inter suos primatis filia, nec adduci poterat homo Barbarus, ut vellet eam Christianam mori. Sed Romerus, quasi aliud agens, moribundam dissimulanter baptizat, & ad Barbarum conversus: *Filia*, inquit, *tua Sacramento expiata æternùm cum Christo regnabit, quare eâ mortuâ ab mactatione carorum abstine.* Cui Barbarus: *Ego verò*, inquit, *mactabo quamplurimos.* Et jam negotium ad vim vergebat, cùm Barbarorum turba solito more cadaver infantis demortui inconditis ululatibus & gesticulationibus prosequi cœpit, quæ res Barbarum hominem exacerbavit magis in Romerum: cui in his angustiis constituto nullum præsentius remedium oblatum est, quàm si ex Divi Pauli consilio, fieret cum flentibus: ergo Barbarorum ululatus simulans, supraque infantis cadaver se jactitans, amarissimè lamentabatur, tanquam si amicissimum caput amisisset. Mirum dictu! ea comploratio adeò commovit Barbarum, ut filiam ritu Christiano sepeliendam Romero permitteret, spondens se nullius nece carissimæ filiæ manibus litaturum. Sed ejus assecla promissis Domini sui nonstetêre, & clanculum occisam anum dissimulanter intulissent in infantis sepulchrum, nî Romerus id advertens, contempto iterum mortis periculo, profanum cadaver removeri jussisset. Non diu post evicit ab eodem Barbaro, ne uxorem paulò ante mortem sacris initiatam amici mactatione vellet prosequi. Interjecto tempore, recrudescente iterum peste, unà se ferè omnes Guaicuræi, deserto oppido, ad remota loca fugâ se receperunt. Sed quia plerique luem jam contagione conceperant, in

Guaicuræorum pervicacitas.

Petri Romeri constantia.

Pestis utiliter sæviens.

Infans non sine periculo baptizata.

Romeri prudens factum.

Pestis iteratò grassatur.

itinere

itinere tabescentes, per vastos campos aut paludes (prout singulos morbi vis dejecerat) omni ope destituti miserrimè animam efflabant: quos insequens Petrus Romerus ibat pauculis Indis comitatus, si fortè nonnullos Christo lucrifaceret. Satis constat, aliquot Ethnicis in desertis locis pænè exanimatis saluti fuisse; quos per bajulos domum revectos, ritéque de Fide Christiana edoctos, sacris undis ante mortem abluit. Quin ipse, defectu bajulorum, anum edentulam, ipso fœtore putidiorem, humeris suis ex remoto loco, ceu opimam prædam, ovans in oppidum intulit; nullumque non movit lapidem, quo eam Christianam faceret: sed mulier in malis inveterata, pertinaciter recusato animæ remedio, æquè duraturam sibi pœnam ac Romero gloriam accersivit: qui in omnes beneficiendi occasiones intentus diu noctuque, non interruptâ indagine, per arundineta & asperos terræ hiatus, per saxeta & vepreta discurrens, plurimos omnis generis homines in ipsa morte Christo per Baptismum genuit: irato clementer Deo, debiles & claudos ad cœlestes epulas intrare compellente. Vi pestis remissâ, Romerus quà per se, quà per alios, tum præmiis, tum propositis mortalium Superorumque minis, iterum palabundos ad oppidum revocavit: in summa pervicacissimorum hominum pertinacia hâc se cogitatione cõsolans, quòd vires omnes conatumque pro singulorum salute cum Socio impenderet. Ex adverso Barbari, pro solita inconstantia, valetudine abutentes, ad injusta bella mox dilabebantur: belloque captos pro mancipiis distrahentes, solitis modis vexabant: sed, quæ Dei misericordia est, nonnullis variarum nationum captivis ipsa corporum servitus libertatem filiorum Dei, adnitente Romero, peperit: Cœlo summa Guaicuræorum scelera in aliorum salutem vertente. Si ad oppidum redibant Barbari, ululatuum terroribus, ebrietatum tumultibus superstitionum stentoreis vociferationibus Novilunia sua facientes, intolerabili aurium tormento integras noctes horrificabant. Præterea rugientes tygrides non semel in Sociorum casam ingressæ, enormesque viperæ inter domestica instrumenta repertæ, necnon angues ex ipsis culminis paleis caput exerentes, ut sexcenta alia taceam, quotidianæ formidini erant. Inter quos terrores insigni patientiâ perdurans Romerus ad Socios scribebat, pluris se suam Provinciam æstimare, quàm alias regiones Neophytorum numerositate celebriores, & ab Provinciali contendebat, ne se cupitissimis pro Christo ærumnis subtraheret. Nec dispar erat Antonii Morantæ sensus, nihil non publicè privatimque experientis, quo mortalium ferociss-imos aliquando cicuraret.

Non sine utilitate.

Romerus vetulam humeris bajulat.

Palabundos reducit,

Et aliquot baptizat.

Socii multa patiuntur & agunt.

CAPUT XIX

De Joannis Vianæ procuratione.

1617.

DUM sic ubique laborant Socii, faustus nuncius de Joannis Vianæ procuratoris cum subsidiariorum manipulo ad portum Boni-aëris appulsu, mirum quantum tanti subsidii sitientissimam Provinciam exhilaravit: de quorum Sociorum delectu & navigatione, hæc fermè reperi. Postquam Joannes Viana Romam attigit, & mortuo jam Claudio Aquavivâ septimæ congregationi interfuit, Mutius Vitelleschus, novus Generalis, suavissimis ejus moribus delectatus, in Paraquariæ auxilium plerisque Provinciarum præsidibus subsidiarios Socios imperat, & ipse exemplo præiens pro Romanâ Josephum Oregium, Cardinalis Oregii germanum fratrem, designat. Inter alios triginta-septem variarum nationum sodales, futuris temporibus eminuere Alfonsus Aragona Neapolitanus, Claudius Ruierius Burgundus, Hieronymus Gratianus Italus, Didacus Alfarus pro defensione Indorum occisus, Alfonsus Rodrigues & Joannes Castillius Hispani pro fide interfecti, Didacus Salazarius Bœticus, & Joannes Vasæus Gallobelga, necnon Petrus Bosquierus Flandro belga & alii, qui omnes terrâ marique Ulisiponem confluxere. Sed Joannes Viana, feliciter Romæ expeditis procurationis suæ negotiis, dono acceptis multorum Divorum reliquiis, & à Præposito Generali eâ Cruce, in cujus amplexu olim Divus Ignatius diem suum obierat, atque ejusdem Divi chirographo donatus, benè precante Summo Pontifice, iter suum relegens, Mediolani ab Federico Boromæo Cardinali in gratiam Didaci Torres multis muneribus oneratus est. Per Navarram iter agens, ab Magistratu Vianensis urbis Patriæ suæ, per honestissimos nuncios obviam missos enixè rogatus, ut flexo tantisper itinere cognatis ac civibus

Mutius Vitelleschus subsidia Sociorum imperat.

Delectus Sociorum.

Joannes Viana sacra dona accipit,

Et ab Summo Pontifice bonam apprecationem.

Patriâ suam ingredi renuit.

suis

ſuis fruendum ſe ſineret, Divi Xaverii populatis ſui exemplo nuſquam adduci potuit ut id faceret. Urgentibus nunciis & nomine publico ſpondentibus, nepotem ejus in carcere de capite periclitantem in illius gratiam ſolutum iri, ſi patriam ſuam tantiſper præſentiâ ſuâ honorare vellet; conſtanter reſpondit, ſatis Deo curæ futurum de ſuo nepote, ſi innocens foret; ſi reus, nolle ſe pœnam deprecari, ſed malle hîc eum quàm alibi plecti. Quo dicto, patriam ne aſpectu quidem dignatus, cum hac voce: *Sinite mortuos ſepelire mortuos*, heroïce ſe ab invitantibus extricavit. Iter proſequens, ex altiſſimo ponte in ſubjectam foſſam ſaxis aſperam præcipitatus, invocato Divi Ignatii, cujus Chirographum ferebat, auxilio, in aliam partem dilapſo equo molliter cadens, ſubjecto ſcopulo illæſus adhæſit: Sociis ad auxiliandum concurrentibus, & ad miraculum mox ſtupentibus, nihil aliud ſubridens dixit, quàm quod lædi non poſſet, quem adeò molle pulvinar (Divi Ignatii lypſanothecam intelligens) excepiſſet. Ex his caſibus dubium ortum, utrùm plus patrocinio Ignatii, quàm Xaverii imitatione Viana claruerit. Madriti navim & commeatum ab Rege Philippo Tertio, in tales ſumptus Regiè & Catholicè propenſiſſimo, pro ſe & Sociis impetravit. Socios variis ex Europæ partibus Ulliſſiponem appulſos benigniſſimè amplexus, navi conſcensâ, trimeſtri navigatione Africæ oram & Braſiliam prætervectus, nemine deſiderato, ſubſidiariorum catervam in portum Boniaëris ſalvam & incolumem menſe Februario invexit. Eo tamen in itinere ea miracula non evenere, quæ in mortibus Societatis illuſtribus deſcripta reperiuntur. Cui rei lubet tantiſper immorari. Narrat Alegambe, eo temporis illuſtre prodigium, & poſteritatis memoriâ dignum, decima-nona Novembris, durante maris malaciâ, accidiſſe, ſpectatoribus multis Sociis in Paraquariam cum Vianâ navigantibus, & omnium nomine ac ſuffragatione ab Mario Falconio Socio Neapolitano litteris in patriam miſſis Anno 1617. ipſis Calendis Martiis in portu Boni-aëris deſcriptum fuiſſe. Quas Falconii litteras non pigebit ex ipſo Alegambe tranſcribere, & poſtea ad hiſtoriæ veritatis trutinam exigere. Sic ſe habent. *Die Sabbathi*, inquit, *19. Novembris ſub noctem ventus verſus in Ortum eſt, qui per noctem omninò poſuit, ſecutaq; malacia eſt uſque ad pomeridianum Dominici. O malacia! ô ſuaviſſima malacia! Non qualis ſolet, quæ parit tædium navigantibus, ſiquidem iis in undis conſtituti, quæ molle ſepulchrum fuere illis unde-quadraginta Martyribus, quem credis nos ſenſum dulcedinis percepiſſe? Spectabamus undas, quæ in hanc uſque diem apparent tinctæ ſpecioſo ſanguine, cryſtallis pulchriores, ſplendidiores gemmis pretioſis videbantur ex guttæ, quæ ex aquis manu hauſtis ſtillabant, nobiliores Orientalibus margaritis, quæ ſi uno Sole irradiantur, illuſtranturq;, hæ fulgent Solibus unde quadraginta. Aquæ nobis nectare dulciores, quas deguſtantes, ſuaviſſimas percipiebamus. Cùm igitur conſtitiſſemus, animis præ dulcedine ſuprà ipſas aquas liquentibus, & vix non linquentibus, mille ſe nobis ſpecies exhibuerunt in undis, quas attoniti ſpectabamus. Iam videre videbamur Sanctos illos ſauciatos, jam plenis manantes rivis, ſtillantesq; de pectoribus ſanguinem, jam diſcurſare carnifices: cùm ecce ventus exſurgens aquas turbavit, noſtra gaudia diluit.* Hactenus Epiſtola: quam Alegambe ita explicat, ac ſi revera Falconius & ejus ſocii ſpectaſſent undas tinctas adhuc ſpecioſo ſanguine, & deguſtando eaſdem nectare dulciores reperiſſent: eóque proceſſit, ut crediderit, ab iiſdem Sociis viſam in undis lanienæ iteratam repræſentationem. Nos nec fidem damus, nec detrahimus huic narrationi adductæ ab Alegambe, extractæque ex epiſtola Falconii, redolente pium affectum erga Servos Dei; qui pergentes in Braſiliam, diſſeminandi verbi Dei ergò, in mari ab Hæreticis perempti fuere: de his judicabunt illi, penès quos eſt judicandi authoritas à Summo Pontifice conceſſa. Hoc notatu dignũ, quod Viana, in qua veſte ante triennium è portu ſolverat in Europam, ne ſubuculâ quidem mutatâ, eòdem regreſſus fuerit, tam ſui corporis negligens, quàm procurandis aliis ex Catholici Regis liberalitate intentus. Quingentos tantummodò aureos pro longiſſimi itineris viatico ex America cùm extuliſſet, redux in Provinciam multa ad templorum ornatum & Sociorum levamentum intulit, quamplurimis in Europa mortalibus ad juvandos hujus Provinciæ Apoſtolicos homines ultrò opem conferentibus. Ex his rebus, ne aciculâ quidem ſibi reſervatâ, Provinciali omnia

Ab Divo Ignatio ſervatur.

Ab Rege commeatum impetrat.

Feliciter appellit.

Ejus pauperitas commendatur.

Frederici Borromæi liberalitas.

tradidit: quæ quamvis grata fuere, longè tamen solidius gaudium fuit è conspectu selectissimorum Sociorum, qui antequam in varias partes spargerentur, visum est omnibus Frederici Borromæi, Cardinalis & Archiepiscopi Mediolanensis, dona, quantâ posset grati animi significatione, in templum nostrum induci debere. Dona fuere lypsanotheca elegans Divi Caroli visceribus insignis: ejusdem statua manu principis sculptoris elaborata, & aliquot tabulæ Italicis penicillis ad miraculum depictæ: præterea viginti calices auro illusi, & alia multa, cum litteris ad Didacum Torres significantibus ea à se mitti, ut Fidei propagationem, erga Virginẽ MARIAM pietatem (nam etiam bis mille rosaria miserat) & consanguinei Divi cultum, quoquomodo posset promoveret. Ea omnia è templo Dominicanorum educta, solemni totius urbis & Prætoris concursu, inter hilaria ostentamenta, in domum nostram inducta sunt. Finitâ pompâ, oratio latina, ab Petro Hortensio Zabellonio Socio Neapolitano in honorem Divi Caroli habita, multum admirabilitatis habuit. Secundùm hæc, litteræ Regis Catholici, semper benefici, apertæ sunt, jubentis Socios omnes sumptibus suis ex Europa missos, ubi portum Boni-aëris attigissent, ad urbes aut Indorum oppida, aut quò demùm à Provinciali suo destinarentur, pecuniâ Regiâ transportari, terrâ marique tanti Regis benevolentiâ nos prosequente.

CAPUT XX

De Collegiorum & sedium in Hispanorũ urbibus statu.

Tyrocinium separatum.

Convictores dispersi.

Multæ sedes in collegia eriguntur.

IGITUR Provincialis, ex Regis liberalitate Sociis aliquot commeatu instructis, ad Indorum regiones & aliò missis, ipse reliquos per desertam centum & viginti leucarum planitiem litteris & virtutibus informandos Cordubam duxit. Ubi, quia Generalis Præpositus significarat velle se tyrocinium ab Collegio sejungi; Seminarium Divi Xaverii convictoribus, defectu alimentorum, aliò dilapsis, in Novitiorum domum commutatum est. Præterea novæ Provinciæ hoc accessit splendoris, quod sedibus Conceptionis & Mendoçinæ in Chileno regno; Sancti Michaëlis in Tucumania; necnon Sanctæ Fidei, & Portûs Boni-aëris, acceptâ à Generali Præposito potestate, Petrus Oniatus Collegiorum jura concesserit. Sic novella Provincia novem Collegia jam computans, sedium ornamento, Sociorum numero, operum multiplicitate pedetentim increscebat, circumspiciebatque Provincialis quâ parte, sive inter Hispanos, sive inter Indos amplificari posset. Nec diu fuit cùm se optima utrobique obtulit occasio, Estecensibus Hispanis, & Calchaquinis Indis Societatis sedes admittentibus. Estecum, modica Hispanorum urbs, è Peruvia ad flumen Argenteum & Paraquariam per Tucumaniam pergentibus, magnas adfert utilitates, crevissetque supra cæteras Tucumaniæ civitates, nî insalubritas aëris in humido & calido solo parùm eventilato ejus incrementis obstitisset. In hujus urbis ditione Indi æquè ac Hispani exiguum aut nullum animarum subsidium habebant. Eò igitur missi Franciscus Gomesius & Joannes Darius, civibus per Apostolica exercitia devinctis, eò consilium Provincialis promoverunt, ut Magistratus, rescisso quod de non admittendo alio Religiosorum Ordine fecerat decreto, oblatis pecuniarum & agrorum levamentis, Societatem ultrò flagitaret. Didacus Torres jussu Provincialis impositis quinque Sociis hanc sedem legitimè admisit, & postea magna ope juvit. In Chileni regni metropoli multa ad augendam pietatem domi factitata, foris verò valles Sancti Martini Quillotensis, Puenquensis, Picoënsis, & Mellipillana, solito more per emissarios nostros lustratæ sunt; & cùm adeò præclarè agerent, nunquam tamen quadruplatores obstrepere desinebant, in unum præcipuè Ludovicum Valdiviam, Australibus sedibus moderantem, irritati: quasi verò summum scelus esset Indos indefensos, authoritate, eloquentiâ, sanctitate vitæ protegere. Chiloënsia & Araucana horum temporum monumenta aut periere, aut paria cum præcedentibus annis fuere.

Estecum urbs.

Societatem recipit.

Chilena Vallis excurritur.

Ludovicus Valdivia vexatur.

CAPUT XXI.

Didaci Gõsales Holguini mors.

Patria. Munia.

MENDOCINAM sedem, sesquimense postquàm eò cum Rectoris potestate venerat Didacus Gonsales Holguinus, Didaci Torres Provinciæ fundatoris primus socius, morte suâ funestavit. Oppidum Caçeres in Hispania cum mundo dedit. Sacrarum litterarum studia, peritia linguarum Indicarum, virtutes eximiæ, aliquot Collegiorum cum laude regimen, & concionandi munus, clarum in Peruvia

fecit.

fecit. Ubi postquàm Indorum salutem variis in regionibus utiliter procurasset, sub devexam ætatem in Paraquariam delatus, multa ardua, suis locis denarrata, fortiter tulit. In Assumptionis urbe Sanctæ Inquisitionis Commissarii vices agens, multorum odia severitate in se concivit; adeò ut Sacerdos externus de eo mactando agitarit; & illato jam in ægrotantis cubiculum clam gladio patrasset scelus, nî Cœlum mentem subitò avertisset. Alii fœdissimis calumniis innocentissimi hominis famam aspersere. Hinc fortè ortum, ut Alegambe scripserit, eum nullâ mortali labe per totos sex & quadraginta Religionis annos conscientiam maculasse, grande officii benè administrati testimonium, & ad explodendas calumnias opportunum. Ternas contemplationi horas quotidie impendebat. Multa commentatus est prælo digna, Grammaticam lexiconque linguæ Quichoæ, toti Peruviæ communis, typis mandavit. Virginitatem ad usque vitæ extremum servavit, donec acutissimis doloribus extinctus, ad tantarum virtutum palmam evolaret. Cadaver diu mansit tractabile, vultus decorus & adhuc spiranti similis, indices præteritæ integritatis. Ex Mendocina sede ad vicina remotaque Barbarorum loca, collectâ ubique ingenti animarum messe, excursum est: numerum à Societate baptizatorum maximum fuisse inde colligi potest, quòd nullus in Cuioënsi Provincia Sacerdos, præter nostros Socios, linguam regionis calleret. Nec minorem Calchaquini præbuere laborum segetem.

Severitas.

Integritas.

Lingua peritia.

Mendocinorum Sociorum excursiones.

CAPUT XXII.

Calchaquina vallis ab Societate duabus sedibus occupatur.

CALCHAQUINA vallis ab Austro ad Aquilonem triginta leucis exiguâ latitudine in longum extensâ, utrimque ferè altissimâ montium Chileni regni & Peruviæ finibus obversorum serie clauditur: utroque sui angulo hinc Saltam, inde Londinum, modicas Tucumaniæ urbes, respicit. Calchaquinos Ingis Peruviæ Regibus olim paruisse docent multa victæ gentis monumenta: perseverante adhuc in indigenarum animis erga Ingarum nomen veneratione. Divitum metallorum fodinas tam certum in ea valle latêre, quàm incertus earum locus est: Barbaris, fossionis metu, aurum & argentum irritamenta malorum hucusque occultantibus. Noctu aliquando animal videri aiunt immensum splendorem è capite evibrans, estque multorum opinio eum splendorem Carbunculum esse: sed hactenus hujusmodi animal nec capi, nec occidi ullâ arte potuit, quòd hominum manus ac oculos offuscatâ repentè in mediis tenebris irradiatione eludat. Hujus vallis indigenæ ab ipso Hispanorum in Tucumaniam ingressu, semper fermè rebelles, tantâ pertinaciâ se suosque tutavere, ut aliquando ipsæ fœminæ titionibus ardentibus admotis cessantes aut fugientes maritos ad repugnandum incitasse, & cùm vires rabiesque deficerent, ex summis montium cacuminibus, ne in manus hostium venirent, præcipites se dedisse, aut per confertos gladios mortem provocasse visæ sint. Hanc gentem Alfonsus Barsena olim pacificaverat, quam pacem, ruptis sæpè fœderibus, pro libitu interruperant, aut palam rebelles, aut sub dolosâ pace damnosi. Inter quæ qualiscumque pacis intervalla, primi Socii, & novissimè Joannes Darius & Horatius Morellus, difficilibus potiùs quàm utilibus excursionibus rem Christianam promovere contenderant. Verùm quoniam per temporarias has excursiones nihil admodùm proficeretur, & crederetur continuatione doctrinæ pervicaces animos aliquando pervictum iri, aut saltem genti rebellare assuetæ frænum fore: hoc anno, postquàm Didacus Torres pro sustentandis Sociis sexcentos aureos annuos à Peruviæ Prorege impetrasset, in hac valle duas sedes stabiles Societas ponere constituit. Ad quas ponendas Christophorus Torres & Antonius Maçerus Hispani, & totidem Itali, Horatius nempe Morellius & Joannes-Baptista Sampson, acceptâ ab Tucumaniæ Episcopo & Prætore Regio novellam Rempublicam ordinandi, templa condendi, & oppida construendi, amplissimâ potestate, missi sunt. Nec Calchaquini Societatem admittere renuebant, non tam Religionis causâ, quàm quòd præteritis bellis diminuti, non admodùm se jam viribus Hispanis superiores existimarent, & prætendi sibi pulchrum retrahendi se à bello pallium gauderent. Quare adventantibus Sociis gentis primores ex condicto occurrêre, operam & industriam ad fabricandas ædes, partitis officiis, hilariter offerentes; statimque postquàm Socios per finitimos pagos circumduxere, commodo in loco sacram Ædem,

Calchaquina vallis qualitates.

Calchaquinorum pertinacia.

Calchaquinorum in Europæos odium.

Regis Catholici liberalitas de Sociis in Vallem missis.

Calchaquini Socios recipiunt.

adjectis ex palea & luto cubiculis, multiplici sedulitate erexere. Sedes hæc Divo Carolo Boromæo in gratiam Frederici Cardinalis dicata est. Interjecto tempore, duobus Sociis eò loci relictis, Christophorus Torres, expeditionis præses, cum altero Socio ad vallis interiora penetrans, sedem aliam pari Barbarorum approbatione erectam Virgini MARIÆ consecravit. Ex quibus sedibus continuo motu omnia vallis loca lustratum euntes, Religionem nostram propagare omni ope conabantur; sed exiguo planè fructu, Fidei propagationi Barbarorum moribus pervicaciter obstantibus: quos mores simul & semel narrare non erit ab opere meo alienum.

Prima sedes Divo Carolo dedicatur;

Secunda Virgini Mariæ.

CAPUT XXIII. De Calchaquinorum moribus.

CALCHAQUINOS ab Judæis originem ducere, inde prima orta suspicio est, quòd sub primum Hispanorum ingressum ab non paucis Davidis & Salomonis nomina usurpari in hâc valle repertum sit; & assererent gentis antiquissimi, majores suos olim circumcidi solere. Defunctorum fratrum semen suscitare: vestis ad terram fluxa, & ad sinum cingulo collecta, aliquod Judaïci moris indicium habet. Suspicionem hanc auget quorumdam opinio apud Josephum Acostam & alios authores Americanorum originem ad Judæos referentium. Gens omnis, ut Judæi, ad insaniam superstitionibus dedita est. Arbores plumis ornatas passim adorat, adeò ut in illam jactari possit quod olim in Sinagogam, sub omni arbore frondosâ prosternebaris mulier. Solem pro primario Numine, pro secundariis Diis tonitruum & fulgur colit. Acervis lapidum, Majorum suorum monumentis (ut ex eo etiam Judæos agnoscas) suus est honor. Magos pro medicis ac sacerdotibus veterationibus insignes veneratur. Hi in semotis sacellis degunt, Dæmonem consultantes, aut abs se consultari fingentes. Hujusmodi Sacerdotum officium est, alios nefandis prorsus execrationibus initiare. Apud initiatos plerumque publicas debacchationes exercent: quarum debacchationum tanta est ferocitas & turpitudo, quantam metuas ab profligatissimis mortalibus ebrietate quotidianâ ac furore corruptis. Ubi vino incaluere, in mutuam præteritarum injuriarum vindictam in sese tumultuosè involant, capita invicem arcubus ferientes. In his bacchanalibus præliis declinare ictum, aut manu avertere, perpetuo dedecori est: vulnera verò accepisse, sanguinem largè fudisse, faciem deformari, inter primaria decora computant. Calente jam debacchatione, Sacerdos multa verba deblaterans cervæ calvam sagittis hirsutam Soli consecrat, agris fertilitatem deprecans: execrandam mox calvam alteri tradit, quâ acceptatâ, debacchationis sequentis induperator constituitur. Sic per orbem gentis primores, tesserâ acceptâ, totam vitam inter furibunda hilaria transigunt. In sacrificiis à Mago animalium sanguine expinguntur. Sed nusquam alibi insaniunt magis, quàm in funeribus. Ad moribundi domum concurrunt consanguinei omnes ac amici, diu noctuque morbi tempore compotitaturi: ægroti hominis stratum innumeris sagittis solo infixis circumdant; ne mors scilicet, sagittarum metu, accedere audeat. Recenter mortuum quantâ possunt vocum contentione lamentantur. Circa cadaver sedi impositum, omnis generis cibos & vinum deponunt, focos excitant, thuris loco nescio quas frondes concremant. Ad commovendam commiserationem viri fœminæque supellectilem defuncti multitudini ostentant; aliis inter insanas choreas ac saltitationes ori cadaveris, quasi comesturi, cibos admoventibus, & frustra admotos pro mortuo deglutientibus. Octiduo in his & aliis insaniis transacto cadaver sepeliunt, canes, arma, equos & defuncti cæteram supellectilem, variasque vestes ab amicis oblatas, in eamdem cum eo fossam conjicientes. Subinde domum mortualem, ne scilicet mors eò iterum redeat, concremant. Anno integro in luctu posito, anniversarium iisdem cerimoniis celebrant. Pro veste lugubri corpus nigrore inficiunt. Ne quid in his omnibus peccetur, magistrum cerimoniarum adhibent. Nullum morte naturali, sed omnes violenter mori autumant, ex quâ hæresi mutuis suspicionibus perpetuò livescunt aut præliantur: Dæmone, ut bella seminet, verè aut mendaciter mortium authores per Magos quandoque divulgante. Animas suorum post mortem existimant in stellas converti, eò splendidiores, quò in vitâ fuere aut gradu aut facinoribus insigniores. Festis diebus plumis versicoloribus se coronant.

Gentis sacerdotes.

Debacchationes.

Funera.

Violentarum mortium suspiciones.

Error circa alteram vitam.

Capillos

Capillos ad cingulum usque promissos vittisque discriminatos muliebriter innodant. Brachia cubito tenus argenteâ æneáve laminâ ad usum sagittandi, & ad aliquod corporis ornamentum, vestiunt. Gentis primores orbe argenteo æneóve diademati inserto frontem cingunt. Pueri usu veneris interdicuntur, donec ab veteratoribus nefando prorsus ritu emancipentur. Virgines pictis vestibus utuntur, quas prostrato pudore in simplices vertunt. Calchaquinorum factiones continuis fermè bellis sese conficiunt. Nihil potentius fœminis ad pacem inter utramque armatorum partem inducendam, Barbarissimis mortalium sexui, à quo lac ac alimoniam sumpserunt, omnia facilè concedentibus. Triginta millia Indigenarum in pagis oppidò plurimis incolentium sub id tempus esse perhibebantur; quamquam de hoc numero disconvenire reperio etiam illos, qui gentem excoluere. Sed in hoc conveniunt omnes, quod Calchaquini tam facilè Christianorum fidem approbent, quàm postea nullâ causâ execrentur. Ex his, qui olim baptismum susceperant, nullus Christianorum more vivebat. Promiscuè cum Ethnicis avitos ritus omnes sine discrimine usurpabant. Quare Socii communi consilio decrevere, nullum imposterum ex hac gente baptizandum, nisi in mortis articulo, aut multorum annonorum experimento probatum. Infantes liberiùs sacris undis immergebantur. Quia igitur profligandæ priùs erant Barbarorum inveteratæ consuetudines, quàm Christianæ leges induci possent, Patres nulli labori parcebant. Spreto mortis periculo ubique idola disturbabant. In perversos sepeliendi ritus acri sermone invehebantur, & si quid hujusmodi erga baptizata corpora Christiani agere vellent, ne id fieret fortiter prohibebant. Præterea magnam vim adhibebant in amovendâ plerorumque opinione, arbitrantium se nullâ in re peccare, & proinde nullâ Exhomologesi indigere. Cùm verò in regione perversâ fructus non respondebat operi, hac se Socii cogitatione solabantur, quòd frequentibus morientium puerorum & subinde adultorum baptismis numerum Cœlestium augerent, obstaculoque essent ne palam gens in Hispanos rebellaret, aut bella domestica exerceret. Cæterùm quàm Apostolica esset hæc expeditio, inde colligi potest, quòd bini in singulis sedibus Socii, barbaro cibo contenti, nullo per aliquot annos Europæorum consortio, solâ cœlestium rerum suavitate pascerentur. Singulis sedibus, præter annuam stipem, campanæ & ornamenta sacra, Regis Catholici beneficentiâ, transmissa sunt: tanto Rege Barbarorum miserrimos ad ultimos usque Orbis angulos liberaliter prosequente.

Vestes.

Pueri.

Fœminæ pacificatrices.

Numerositas gentis.

Adultorum vitia.

Infantes baptizantur non sine delectu.

Sociorum gesta.

Expeditionis arduitas.

CAPUT XXIV.

Rochus Gõsalvius Superiorem Paranæ partem primus explorat.

PETRUS Oniatus Provincialis, dudum utraque Paranæ littora, usque ad Guairaniæ fines, lustrari jusserat, tum ut certò sciretur, quot mortales, quot loca fundandis oppidis apta essent; tum vel maximè ut Ethnicorum animi explorarentur. Multorum dierum itinere distat Guairaniæ præcipitium ab Itapuano oppido: id verò terræ & fluminis intervallum Europæorum nulli hactenus patuerat, indigenis & numerosis Apostatis, qui eò è Paraquaria confluxerant, pertinaciter repugnantibus. Rocho Gonsalvio eò ire volenti restitere Itapuani Neophyti, ob multitudinem periculorum auxilium denegantes. *Quò tam alacer*, inquiebant, *ad carnificinam nos destinas? Quò te clausis oculis præcipitatum ire vis? Eò te ducant, qui mortem tuam amant: sed nos, qui te diligimus, obstinatè manus ad remigandum, navigia ad navigandum, viaticum commeatumq; denegabimus. Magorum perversitas, Apostatarum perfidia, universæ gentis in Hispanum nomen odium, & tui amor, nos tibi obsequiosos esse non sinit: inobedientia vitio verti non debet iis, qui ideò non obediunt, ut eum servent, cui diu obediant.* Contrà Rochus, se neutiquam metu mortis, quam pro Christo percuperet, ab incœpto destiturum affirmans, ex longinquis locis centum Neophytos, Franciscanis Patribus subditos, spe præmii ad expeditionem invitat: qui ubi advenêre, ab Itapuanis absterriti, nullo modo deinde adduci potuere, ut cum Rocho ire vellent. Id etiam aliis detrectantibus, re pænè deploratâ, Didaco Boroâ incentore Arapizanduvius, Ignatianorum Dux apud Paranenses authoritate pollens, cum duodecim asseclis ex improviso Itapuam ingreditur, clarâ voce edicens, se pro propagando Dei Evangelio cuivis discrimini

Eo ire Itapuani renuunt,

Non sine causâ.

Ignatiani & Itapuani Neophyti Gonsalvium comitantur.

caput objecturum. Ejus exemplo totidem Itapuani se Rocho Gonsalvio adjungunt, qui animorum ardore usus exiguo hoc comitatu navigiolum ascendit. Secundo die quam discesserat, comites ingenti metu perturbati sunt. De qua re Rochus Gonsalvius ad Franciscum à Valle Itapuæ relictum scribens, *Post emensas*, inquit, *decem leucas metus ita invasit comites meos, ut de reditu cogitent: nam Ethnici in utroque littore barritibus, buccinis & ignibus, de adventu meo se invicem monent: nec satis scio quò hæc terriculamenta recident. Sed si Deus pro nobis, quis contra nos? Sicut fuerit voluntas in Cœlo, sic fiat. Deus nobis aderit: tu nos precibus adjuva.* Inter hos tumultus ad Tabacambii pagum pervenere. Is vicinos populos convocarat armaratque ad Rochi Gonsalvii consilia captanda, qui ut cognovit eum ultra pergere velle, superbâ voce monet ut retrocedat. Cui Gonsalvius solitâ magnanimitate: *Non*, inquit, *hac veni ut pedem cum dedecore retraham: ibo quò me Deus per meos Majores ire jubet, meq; nulla discrimina, nulli metus, nulla rabies impedient, quominùs ego legatus Summi Dei ministerium meum impleam.* Loquentem interturbavit Tabacambii nepos, ariolandi arte famosus, prohibens ultrà tendere. Cùm igitur vis timeretur, Arapizanduvius, imperanti quàm roganti similior, authoritatem interponens, impetrat ne Sacerdotem nulli nocivum, omnibus beneficum, retrocedere cogerent. Sic dissipata nubes est, quæ progredienti luci Evangelicæ sese offundebat: & Rochus ultrà perrexit, exploravitque utrumque Paranæ littus, occurrentibus passim præsentissimis vitæ discriminibus, donec eò perveniret, quò quamplurimi Barbari clavâ & arcu instructi, pictis pro more Barbaricæ militiæ corporibus, convenerant, ducibus tribus Apostatis, quorum impiissimus Rochum de Divinis rebus loqui incœptantem arroganter interturbans: *Tace*, inquit, *ô Sacerdos, & ne obtrudas nolentibus centies olim mihi recantata deliria. Apage doctrinas tuas nænias, veterana sum vulpes, eoq; laqueis tuis minimè opportuna: technas Patrum Societatis IESV calleo, quorum munus est sylvas omnes, antra, fluvios excutere, ut obtrusione Divinorum Mysteriorum deceptis populis imponant, Hispanisq; in servitium tradant.* His dictis ad suos conversus: *Si*, inquit, *ergastula, egestatem, filiorum vestrorum servitutem, transmigrationem, & omnes calamitates amatis, hunc Sacrificulum audite: & me, si avita libertas placet, sequimini.* Plura dicturum Rochus Gonsalvius vultu ad majestatem composito, ut erat tractandorum Indorum peritus, his fermè verbis interpellat. *O turpis*, inquit, *& infamis apostata, quid deblateras? Abrenunciato olim dæmoni rursum te mancipasti, ut recoctum stygis mancipium diceris & esses. Desertâ Christi Fide huic te Ethnicorum corruptelæ immiscuisti, ut te & illos perdas. Quæ tua phrenesis est, qualiacumque satellitum tuorum arma Cruci, quam manu gesto, omnium domitrici, & te turpiculum tenebrionem mihi Summi Dei Sacerdoti & legato velle opponere? Demitte fastum, ô bestia, meq; jussu Pontificis Maximi, & Regis Catholici longè latéque per utrumque Orbem imperantis, nomine, verba salutis nunciantem patienter audi. Non ego vobis tales Deos, quales vestri obtrudunt veteratores, sed unum Deum omnium rerum Creatorem, Trinum in Personis, unum in essentia; necnon IESVM-CHRISTVM de Virgine natum, & pro salute nostra passum, prædico.* Inde cùm summâ eloquentiâ reliqua nostræ Fidei Mysteria explicuisset, ita Apostatæ æquè ac Ethnici sermonis granditate permoti sunt, ut se longè tractabiliores, quàm antea, Rocho permitterent. Sed quia Quaracipucutius Ethnicorum dux obloqui deinde cœptasset, Gonsalvius crudis hominibus & armatis non satis fidens, secundo flumine inter amicorum gratulationes (quòd putarent necem non evasurum) & occurrentia iterùm pericula, duplicatâ celeritate relegit. Quæ pericula à me sigillatim hoc loco explicata sunt: nam si bellicarum rerum scriptores militum audaciam in explorandis hostium viribus fusè explicent, cur ego pro amplificando Regis Regum dominio Heroum in adeundis discriminibus fortitudinem malignâ brevitate corrumpam?

Pericula.

Tabacambius resistit.

Et ejus nepos.

Arapizanduvius authoritatem interponit.

Apostata Rochum Gonsalvium interturbat.

Apostata ab Gonsalvio refrenatur.

Quaracipucutius obloquitur.

Gonsalvius pedem retrahit.

CAPUT XXV.

Ab Rocho Gonsalvio inferior Pa-

GONSALVIUS post mensem Itapuam redux, Franciscum à Valle Socium suum, qui ter & tricies pro felici successu sacrificaturum se spoponderat, de omnium incolumitate anxium ingenti lætitiâ affecit. Neophyti verò Ignatiani

& Itapuani, quòd pro Evangelio vitam suam obtulissent, apud omnes fortitudinis Christianæ gloriam adepti sunt, præsertim Arapizanduvius, qui hoc facinore præteriti anni inconstantiam abundè obliteravit. Hujus expeditionis fructus fuit qui sperabatur, nimirùm terræ & animorum exploratio, ex qua cognitum, pleroſque adversi Paranæ accolas, Evangelio adhuc immaturos, paulatim beneficiis devinciendos esse, antequàm ad oppida reduci possent. Vix redux Rochus Gonsalvius, ut est audax & irrequieta caritas, cum paucis comitibus secundo Paranâ ad Ethnicorum pagos sæpiùs delatus, effecit ut multi Ethnici Jaguapuam, Religionis capessendæ & incolendi ergò, se conferrent. Hispanos intempestivè arma Paranensibus ostentantes authoritate compescuit. Ferdinandum Ariam Prætorem affinitatis jure monuit, ne vellet bello irritare, quos una Crux Christo sine sanguine aliquando debellatura erat. Ararepam & Tabacambium spe fundandorum oppidorum (uti in eorum rerris factum est) aluit. Marcellum Lorençanam, Paranam pro Provinciali inspicientem, ostensâ vicinarum Provinciarum Christo subjugandarum spe, exultantem excepit. Claudium Ruierium Burgundum, alteram Paranensis Provinciæ columnam futurum, Didaco Boroæ Barbaricâ lingua informandum tradidit. Sed continuus & præcipuus labor ejus fuit in stabiliendo Itapuano & Jaguapuano oppidis, ut ex his quasi præsidiis bellum dæmoni latissimè inferret.

ranæ pars sæpè percurritur.

Rochus Gonsalvius Ethnicos reducit.

Claudii Ruierii adventus.

CAPUT XXVI. Expeditio ad Tucutienses in Guairania

IN Guairaniâ notabilis etiam fuit Josephi Cataldini ad Tucutienses Barbaros expeditio. Hi abactionis metu, patriis fontibus desertis, novos pagos in abditissimis locis construxerant, eò adiri difficilioribus, quò contra prædones omnes sylvarum aditus meticulosiùs obsepserant. Nec inanis erat eorum metus: nam Indorum abactores de iis ad servitia abigendis agitabant, quos ut præverteret Cataldinus, more suo præmissis Neophytorum fidelissimis, animos Tucutiensium exploraturis, non dubitavit eò per intactas sylvas cum pauculis Indis penetrare. Quindecim diebus cum vepretis eluctatus, in gentis excubitorem incidit, quo sibi conciliato, ad pagum ducentis Barbarorum familiis constantem pervenit: quos ob novitatem hospitum tumultuantes adeò appositâ oratione repressit, ut nisi obstaret Casiquii absentis, ex quo omnis vicinitas pendebat, authoritas, se illicò Patri traderent. Quâ re intellectâ, Cataldinus tricubitalem Crucem, pro scipione ab nostris operariis gestari solitam, misit, rogans ut accepto eo benevolentiæ pignore ad se venire ne gravaretur. Venit Casiquius, cujus authoritate allecti, frendente licet præstigiatore, nongenti Barbari Cataldino se adjunxere. Nec difficile futurum erat eò loci multitudinem tantam cogere, quanta suffecisset ad justum oppidum conflandum, si Sacerdotum copia suppetîsset. Verùm, considerato præsentium rerum statu, satis habuit si nongenta ea capita in tutum reciperet. Sed dæmon tanto vulnere exacerbatus, ejus necem veteratori suadet, qui corruptâ jam multitudine indubiè scelus patrasset, nî eventilata perfidia ad Caraldini aures perveniisset, dedisserque locum Barbarorum animos sibi reconciliandi: qui ne iterùm dæmonis artibus per præstigiatores corrumperentur, transmigrationem acceleravit. In difficillimo itinere dum versarentur, numerosa prædonum Brasilienſium turba Guairaniam infestabat, à quibus ne quid Tucutienses paterentur, Tygris insiliens prædonum ducis calvam pelle nudavit, reliquis latronibus ad fugam eo tempore coactis, quo Cataldinus novellam Tucutiensium turbam in oppidum inducebat: Deo scilicet pro Christianæ Legis candidatis ferarum rabiem in hostes animante.

Crucis efficacia.

Gentis Casiquius conciliatur.

Nongenti Barbari Cataldino adhærent.

Veterator interturbat.

Tucutienses feliciter reducuntur.

Prædonum dux castigatur.

HISTORIÆ PROVINCIÆ PARAQUARIÆ SOCIETATIS JESU

LIBER SEXTUS.

CAPUT I. Tucumaniæ in Regionibus varia per Socios patrata narrantur.

ANno milleſimo ſexcenteſimo decimo-octavo, Didacus Torres è Peruviâ, quo ſtipis contrahendæ ergò iverat, redux, octo aureorum millibus Collegium Cordubenſe, Eſtecenſem ſedem, & Socios inter Indos verſantes, majori affectu quàm ope juvit. Mox depoſito Cordubenſi Rectoratu, poſt duos dequadraginta regiminis annos, impetrato ab Præpoſito Generali otio ita frui cœpit, ut non deſineret omnibus eſſe utilis. Pro eo Joannes Viana ex expeditione Barbaricâ, in quâ multos mortales per Baptiſmum & alia Sacramenta curaverat, revocatus, Collegio Cordubenſi Præpoſitus eſt. Ubi Blaſius Gutieres, valetudinarii Præfectus, renovato Divæ Catharinæ Senenſis & Divi Xaverii exemplo, cùm ob intolerabilem fœtorem collegæ abhorrerent ab uno è noſtris apoſthemate deformato, vim ſibi faciens, applicato ore fluidam ſaniem largiſſimè ſuxit, prompto heroïci facinoris præmio: nam, Sociis factum admirantibus affirmavit, liquorem illum melle dulciorem ſibi viſum fuiſſe. Is idem, præteriti facinoris dulcore ineſcatus, ex putrido domeſtici Æthiopis carcinomate, tentatis aliis fruſtra remediis, pus labris expreſſit. Sed Sacerdotes noſtri, quaquà latè patet Cordubenſis ditio, putrida conſcientiarum ulcera exſuctum frequenter ibant: eò majori fructu, quò animorum ſalus corporum integritati præſtat. In Calchaquinâ valle nihilo lentiùs perditæ gentis morbos Socii perſanare contendebant: & quamvis Barbari phræneticorum in morem manum medicorum refugiebant, tamen non pauci ſacro Fonte immergi ſe ſinentes animarum remedium admiſere. Socii Ethnicorum pagos adeuntes novam ædem Soli dicatam, turpe phanaticarum debacchationum receptaculum, firmatis priùs animis, face injectâ concremarunt; tantâ Barbarorum indignatione, ut ægrè eorum furorem evaſerint. In Eſtecenſi urbe corrivales duo Europæi mulierem quandam deperibant; qui ſummo mane die Dominico ſibi invicem occurſantes, unus alterum ad audiendum Sacrum, alter verò ad villam ſuam, mactandæ Tygridis ergò, quam cognoverat in caſſes incidiſſe, ex adverſo protrahere conatur: neutro alteri cedente, ambo in diverſa lati, ad deſtinatum opus proceſſere; ſed qui ad mactandam Tygridem iverat, temerè ſe in caſſes ingerens, à fera adhuc viva laceratus, turpitudinis & contempti Sacri pœnas dedit: ſalvo interim ob auditam Miſſam corrivali. Muliercula, audito caſu, meretricias artes ad pedes Sacerdotis noſtri abjuratum venit. In Cucuiſenſi agro ab uno è Sociis ducenta & quinquaginta capita Baptiſmo expiata ſunt. Aliorum Collegiorum excurſores idem beneficium præſtitere, hoc & ſequenti anno ſparſis per ampliſſimas regiones Barbaris.

1618.

Joannes Viana Rectoratum init.

Blaſii Gutieres heroïca facinora.

Soli ædes crematur.

Feſtæ diei violator caſtigatur.

CAPUT II. De Chilenorum Sociorum rebus.

IN Cuioënſi Provincia Andreas Agricola Germanus, recèns ex Europa advectus, & Chriſtophorus Deodatus, egregia dabant vitæ Apoſtolicæ documenta, percurſis magnâ felicitate Ucoënſi, Cauruanâ & Gliacoranâ vallibus, multis Barbaris in his locis ad Chriſtum de novo adductis. Atque, ut tantorum laborum fructus diuturniores eſſent, effecit ſedula Senatûs Regii Chilenſis pietas, diplomate privantis dominio Indorum eos, qui è ſedibus paternis Cuioënſis Provinciæ indigenas trans montes ad regni interiora ſervitum educerent: cujus diplomatis authores cùm

Per Valles Cuioënſes excurritur.

Senatus Chilenſis in laudes pietas.

Socii circumferrentur, ideóque nimiæ in Indos indulgentiæ insimularentur, contumeliæ propriæ, quàm alienæ injuriæ patientiores, salutem Indorum & Senatûs amplissimi decreta ante rumorem habuere. Apud Araucanos non dispar erat Sociorum sedulitas in pervincendis pervicacissimis hominibus. Numerus animarum dæmoni ereptarum exinde colligi potest, quòd unus è nostris ad Ludovicum Valdiviam scribens, sibi fatigata membra iteratâ Baptismorum collatione fuisse asseruerit. In insulis hoc anno non plura centum & quinquaginta capitibus Christianorum albo addita esse reperio. In regni metropoli tolerantiâ certabatur, malevolentissimis hominibus libellos turpissimos contra Socios, & præsertim Ludovicum Valdiviam, acerrimum Diplomatum Regiorum, adeoq. libertatis Indorum, defensorem, ubique spargentibus. Quos libellos nescio quis Religiosus, animo malevolo, Regio Senatui in Hispania præsentandos extulit; sed calumniæ suâ se enormitate confecere, inque authores vertit infamia: pro Societatis innocentia Chilensi Episcopo fortiter declamante, & quadruplatores, prout merebantur, exagitante. Inter has turbas ibidem celebris fuit Alfonsi Ovallæ ad Societatem vocatio. Is avitam nobilitatem, paternasque divitias, moribus longè superans, Societaris adipiscendæ Candidatum apud Provincialem diu se professus fuerat. Cujus ambitum parentes ut interturbarent, nostris scholis amotum, coætaneorum consortio primùm implicant, adhuc reluctanti opulentissimum connubium obtrudunt: blanditias, minas, honores, lautitias, terrores, pretiosas vestes, & cætera falsi amoris tentamenta adhibent; aditu Collegii nostri, adeoque Sociorum colloquio, prohibent. Sed quis vocanti Deo satis firma obstacula ponat? Sancti Jacobi urbe, ipsum Conceptionis Immaculatæ diem ludorum ostentamentis celebrante, jussus est noster Alfonsus in equo phalerato & elegantissimâ veste compita perambulare. Simul ibat in eodem apparatu frater natu minor, tacitus & secretus ejus custos, qui cùm totam pænè civitatem pomposè circuissent, Alfonsus dissimulanter inflexit habenas ad Collegii nostri januas, ubi ex equo desiliens, fratrem in limine obluctantem, & jussa parentum obtrudentem, res suas habere jussum ad patrem amandat, aiëns nihil inconsultò abs se fieri; sed diu vocanti Deo tandem manus dare. Nec mora Societatis veste, quam per sesquiannum infimis precibus petitam à Provinciali impetravit, induitur. Pupugit id acriter utrumque parentem, spem domûs in optimæ indolis adolescentem inclinantes. Ergo furibundus pater, frustrà tentato Collegii nostri aditu, Senatum rogat, ut vellet filium, Societatis artibus deceptum, ad immaturi consilii experimentum apud Franciscanos tantisper deponi. Annuente Senatu, in veste Societatis, fide publicâ interpositâ, Franciscanis traditur. Lacrymæ maternæ prima tentamenta fuere: quibus spretis, propinqui, amici, urbis primores, atque adeò Religiosi ipsi succedere, amplissimæ domûs optima quæque, Reipublicæ partem quamcumque ætas ferret, & summas spes ostentantes: immoto ad hæc Alfonso, & præimitatione Christi omnia fastidiente. Euersis machinamentis omnibus, post sex certaminis à Senatu decretos dies, Senator Regius fortitudinem adolescentis omnium ore deprædicatam coram exploratutus, ab Collegis mittitur, quem cùm ipse nullis rationibus labefactare potuisset, pro potestate Collegio Societatis restitui jussit. Quo in certamine præclarum fuit, noluisse tyronem per sex omninò dies, ne ad quietem quidem noctu capiendam, Societatis vestem ponere, ne dolo dormienti subreptæ altera supponeretur: nec Franciscanorum triclinium adire voluisse, ne vel levi signo ostenderet ad aliud Institutum, quàm quod semel arripuerat, animum inclinasse. Et stetit Alfonso totâ vitâ constantia, integrâ semper famâ in Societate magnis muneribus perfuncto, donec anno hujus sæculi quinquagesimo-quarto, Româ redux, unde subsidiarios Socios pro vice-provincia Chilensi Procurator advectum iverat, Limæ è vita decederet. Tyronis decantatæ fortitudini addam Baltazaris Pliegi, veterani Socii, heroicum facinus, qui cùm in Sacello domestico Sacris operans Eucharistiâ Indo homini pro viatico ministrasset, & Hostiam nauseabundus æger adhuc integram cum stomachi sordibus rejecisset, occasionem egregii facinoris ultrò invadens, Deo ut erat plenus, rejectum cum vomica Corpus Christi sine nausea sorbuit: præsenti è Cœlo mercede; nam exinde factum, ut

Baptismorum numerositas.

Calumniæ in Societatem.

Episcopus Chilensis Societati favet.

Alfonsi Ovallæ vocatio.

In Societatem ingressus.

Probatio.

Constantia.

Baltazaris Pliegi heroicum facinus.

Divina libans cœlestibus deliciis exundaret, & eximii verbi Divini Præconis famâ apud Hispanos æquè ac Indos grandi fructu inclaresceret.

Divinitus cõpensatum.

CAPUT III
De rebus in Guairania gestis.

EADEM tempestate lurida lues Guairaniam infestabat. Sed quavis lue pestilentior erat hinc Mamalucorum, inde Villaricanorum furor, servituti Indorum sine fine insidiantium: ad quos eludendos Antonius Ruisius per adversi Paranapanæi littorales sylvas excurrens, quamplurimos partim Ethnicos, partim transfugas, ad caulas Christi reduxit. Dum hæc aguntur Joannes Vasæus Gallobelga, & Didacus Salazarius Bœticus, nuper advecti ex Europa Sacerdotes, Guairaniam feliciter tenuere. Vasæus Musicæ peritissimus ingenti fructu Neophytos statim canere docuit. Salazarius in libamentum missionum Apostolicarum cum Antonio Ruisio ad aliquot transfugas & Piropoënsis gentis reliquias diuturno & difficili itinere ire jussus, magnum retulit operæ pretium, trecentis capitibus è dæmonum servitute Christo assertis, & Lauretum postmodùm translatis: adeò diligenti sacrorum venatorum indagine, ut nullus Piropoënsium Ethnicorum deinde superfuerit, qui non Neophytis nostris se adjunctum venerit. In utroque Guairaniæ oppido templum ex solida materia & imbricatum conditum est: in Lauretani dedicatione, spectantibus Neophytis noctu hilaria facientibus, è veteri templo cœlesti specie prodiere puellæ tres fulgorem spargentes, quæ postquàm aliquamdiu sui admirationem Barbaris concitavere, eò unde venerant redeuntes, videri desiere; utrùm Angeli locorum genii, an defunctorum manes, dæmonúmve ludibria fuerint, hactenus incompertum. Antonius Ruisius hæc spectacula cœlitùs ostensa ad conciliandam novi templi venerationem non futilis talium rerum approbator æstimavit. Inter reductos nuper Barbaros reperti plures sunt arioli, incantata ossa sub Neophytorum stratis, cum certa plerumque corporum pernicie, sepelientes. Detectis incantationibus, in multiplicis mali authores, & tot mortium patratores animadversum est, cognitumque inter supplicia, ad Socios mactandos incantata officula sub ipsis Exhomologeteriis in templo etiam fuisse posita, nullo tamen sequuto damno: dæmone in tales viros nullam se vim habere fatente. Ex punitione orta ariolorum emendatio, & sincera ad partes Christi transitio. Sed famosum ejusmodi veteratoris delirium lubet explicatiùs proponere. Is ex Oceäni Brasilici littoribus, uno servulo & mulierculâ comitatus, divenditis quaquà transibat ineptiis, Lauretum, Cataldini sedem, ubi appulit, statim in littore plebeculam congregat, assumptoque ariolis usitato ex plumis paludamento, & agitato ex capreæ calva crepitaculo, phanaticè saltitans proclamat se verum necis, seminum, ac messis dominum esse: suæ potestati omnia subjici: sufflatu suo omnia perdere, rursumque creare posse: se trinum in personis esse, unumque Deum: nam, inquiebat, comitem meum (servulum scilicet) splendore vultûs mei aliquando genui, & ex ambobus nobis puella hæc processit, quam æquali amore prosequimur, ejus corpore alternatim abutentes. Monstrum id hominis terrori novellæ genti fuit, quam ut potentiùs concuteret, ingentia minarum portenta stentoreâ voce deblaterans, vociferabatur se omnia mortibus corrupturum: quin & in conspectu Cataldini nefandus hospes insanire non desinens, repetitâ crepitaculi agitatione, saltuque iterato, infandæ triadis probra impudentissimè propalare ausus est, aïens suo flatu, si quid in se auderent, Neophytos cum suis Sacerdotibus perditurum. Sed Cataldinus, justâ irâ percitus, adstantes jubet in hominem involare, mox lictoribus traditus exquisitissimis flagris bellus Deus excipitur; qui post aliquot plagas, quamvis vociferaretur se Deum non esse, se nihil ab homuncione tenebrionéve differre, proclamaretque omnem suam divinitatem evanuisse, & se nihil halitu suo posse: tamen non antè desitum est, quàm lacertosi Neophyti, inter puerorum cachinnos, centum plagas numeratò impegissent. Duobus sequentibus diebus iterùm publicè in eum fustigatione animadversum est, ut tertiò trinum se Deum esse ritè abjuraret. Vexatio intellectum dedit: nam mulierculâ & servulo ejus Laureti detentis, ipse ad tempus extra Provinciam relegatus est, unde completo exilii tempore redux, Christianis moribus assuevit; futurus Divinæ Clementiæ argumentum, mortalium perditissimis the-

Joannes Vasæus musicæ peritus.

Didaci Salazarii & Antonii Ruisii missio.

Ostentum.

Incantatorum maleficia.

Socii ab maleficiis innoxii.

Insignis ariolus castigatus.

sauros

saurosſuos aperire amantis. Interim peſtis notabili Sociorum curâ Guairaniæ oppida divexabat, cujus metu quamplurimi Neophyti Cathecumeniq́ue, rati in diſpalatos contagioſum malum ſævituru minùs, manipulatim ad ſuas ſylvas diffluebant, remedium animarum corporum ſaluti poſtponentes. Ethnici, ad quos non pauci transfugerant, occaſione utentes, perſuadere conabanturiis, qui apud noſtros remanſerant, ut, oppidis deſertis, ſe è gravibus malis ad antiquam libertatem tandem extricarent: quin etiam intentatis minis nihil optare ardentiùs ſe ſignificabant, quàm ſi in aliquo Sacerdotum noſtrorum cranio compotitare poſſent. Antonium Ruiſium, & veteres ferè omnes Neophytos, vis mali proſtraverat, adeò terribilis, ut jam integri deeſſent, qui cadavera ſepelirent. Sic tertii oppidi fundamenta, dilapſis pleriſque incolis, ſubverſa ſunt. Ubi Ruiſius convaluit, peſte utcumque diſſipatâ, Socii tum per ſe, tum per Neophytorum fideliſſimos, in omnem partem ſe verſavere, quorum diligentiâ ex remotiſſimis ſylvis palabundi plerique eruti, rurſum ſe oppidanis adjunctum venêre. Illud ſingulare: navigiolo, quo numeroſi transfugæ ad oppida revehebantur, ſubmerſo, infans adhuc lactens tamdiu aquis ſupernatavit, donec è periculo ab adnatantibus ereptus, melioribus aquis immergeretur. Poſtquàm omnes Neophyti ad oppida ex diſperſione revocati ſunt, ad reſarciendas peſtis ruinas, Ethnicos reducendo, Sociorum animi erecti ſunt: ſatisque conſtat campeſtrium Guairaniæ populorum hâc tempeſtate benè magnam turbam noſtris oppidis, datâ Chriſto fide, ſe adjunxiſſe. Præterea Salazarius ex magni Paranæ littoribus ſylveſtrem gentem magno numero & labore reduxit ad oppidum. Emiſſarii verò Neophyti perpetui erant in indagandis Barbaris: qui nemora inter Paranam & Huibaium ſcrutabantur, incidêre in homines ſupra communem Guairanicæ gentis conditionem feroces: plerique, inſertis tribus quinquéve prominentibus lapillis, utrumque labrum ſibi deformaverant; caſas ſeipſis humiliores habitabant; pro omni cibo dactylis & palmarum meditullio, modicáque ferarum venatione ac radicibus victitabant; ferri defectum ſupplebant acutis lapidibus aut oſſibus oblongo ligno inſertis. Nullum nomen, quo Deum ſignificarent, habebant; tonitruum pro omni Numine venerabantur. Horum hominum ſeptuaginta tria capita Apoſtolici venatores unâ excurſione ad oppidum traxere: ſed quòd cibis ſponte natis & in umbra naturam aſſuefeciſſent, intra annum omnes, ſi quatuor excipias, admiſſo priùs Baptiſmo, fatis conceſſere. Alii excurſores alios Ethnicos vario numero Cathecumenis adjunxere. Sub id tempus aliquòt Braſilicæ oræ coloni, Indorum abactores, ad nova Guairaniæ oppida venêre, narrantes ſe ad Maranionem fluvium per immenſa pericula infinito pænè terrarum tractu penetraſſe, reperiſſeque per eos populos traditam à Majoribus Sancti Thomæ memoriam adhuc vigere; multa etiam de varietate nationum, in Ameticæ Mediterraneis hactenùs incognitarum; de fluminum terrarumque conditionibus, ac curioſis rebus addebant, quas recenſere nec mearum partium eſt, nec authores tales ſunt, ut calamum, veritati dicatum, iis accommodare debeam. Hoc maximè anno ex quinque ſagittariorum millibus, quos Cataldinus & Maçeta ad Pirapi, Paranapanæi, & aliorum fluminum littorales latebras cenſuerant, nulli reſtabant fermè baptizandi; omnibus (ſi manipulos à prædonibus abactos excipias) ad duo oppida variis excurſionibus per Societatem feliciter reductis. Atque tum demum Piropoënſium & Paranapaneënſium accepta à Majoribus traditio de Sancti Thomæ Apoſtoli per Guairaniam prædicatione, & ejuſdem de Societatis laboribus prædictione, inter res credibiles habita eſt; quam rem ſimul narrandam ad id tempus rejeci.

1619. Peſtis Neophytos diſparat.

Oppidi initia diſturbat.

Puer portentoſè ſervatus ad Baptiſmum.

Sylveſtrium hominum mores.

De Sancti Thomæ memoriâ.

CAPUT IV.

De D. Thomæ Apoſtoli itineribus.

Apud Paranapanai accolas Sancti Thomæ memoria viget.

JOSEPHO Cataldino & Simoni Macetæ Paranapanæi fluminis accolas ad oppida primùm reducentibus, Maracana inter ſuos potens, & plures alii Ethnici narravere, traditum à majoribus accepiſſe ſe, Sanctum Thomam (quem Zume Braſili æquè ac Guarani propriâ dialecto vocant) per Guairaniam iter olim habuiſſe, prædixiſſeque popularibus ſuis, futurum aliquando, ut gens omnis per viros Crucem manibus præferentes ad duo oppida reduceretur: quod factum fuiſſe Laure-

Et apud Pirapoënses.

tani & Divi Ignatii incolæ opppidorum constructione contendebant. Septennio pòst, idem Cataldinus, Pirapoënsibus Evangelium annuncians, & alii postmodùm Socii, variis in Guairaniæ regionibus eamdem Divi Thomæ memoriam prædictionemque vigere repererunt: fidem adstruit traditæ à tot populis memoriæ pars epistolæ Emmanuëlis Nobregæ, Brasiliæ Visitatoris, Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo-secundo, in hunc planè modum. *Habent*, inquit, *incolæ, hoc est Brasili, Sancti Thomæ notitiam, quem Zume nuncupant, cumq. hàc iter feciſſe à Majoribus acceperunt, & Apostolica vestigia adhuc cerni propè quemdam fluvium affirmant; quod ut certiùs cognoscerem, ipse abii, & propriis oculis inspexi quatuor pedum & digitorum satis altè impressa vestigia, quæ nonnunquam aqua excrescens cooperit: ferunt autem ea relicta, dum Divus Thomas prosequutores, ipsum consigere volentes, fugeret, flumenq. divisum fuisse, per cujus medium ad ulteriorem ripam sicco pede profectus, in Indiam abiit. Pari modo narrant, sagittas, quibus ipsum petebant, in sagittarios reflexas, sylvasq., per quas gradiebatur, cedentes viam præbuisse: illum quoque pollicitum fuisse, se aliquando has regiones revisurum.* Hæc Nobrega. Nec absonat Orlandinus in historia Societatis. E Brasiliâ in Guairaniam euntibus spectabilis adhuc semita visitur, quam ab Sancto Thomâ ideo incolæ vocant, quòd per eam Apostolus iter feciſſe credatur: quæ semita quovis anni tempore eumdem statum conservat, modicè in ea crescentibus herbis, ab adjacenti campo multùm herbescenti prorsus dissimilibus, præbetque speciem viæ artificiosè ductæ: quam Socii nostri Guairaniam excolentes persæpe non sine stupore perspexisse se testantur. Præterea juxta Paraquariæ metropolim rupes utcumque cuspidata, sed in modicam planitiem desinens cernitur, in cujus summitate vestigia pedum humanorum saxo impressa adhuc manent, affirmantibus constanter indigenis, ex eo loco Apostolum Thomam multitudini undequaque ad eum audiendum confluenti solitum fuisse legem divinam tradere: & addunt Mandiocæ, ex quâ farinam suam ligneam conficiunt, plantandæ rationem ab eodem accepisse. Laurentius Gradus, Episcopus Paraquariensis, & postmodùm insulâ Cusquensi donatus, vestigia ejusdem Apostoli, & Franciscus Alfarus Senator Regius, per Misquensem Provinciam reperisse se asserunt. Peruani vestem inconsutilem incognitæ materiæ inter deflagrantis montis cineres inventam; par calceorum (teste Didaco Alvares de Paz) fragrantissimi odoris; vestigia lapidi etiam impressa cum litteris exoticis; semitam per arundinetum Titiacæ paludis adhuc spectabilem ostentant: summis viris arbitrantibus ea omnia, ob perseverantem inter Indos memoriam, ad Sanctum Thomam Apostolum (quem Tume vocant) referri debere. Torribius Archiepiscopus Limensis, sanctitatis famâ inclytus, saxum illud, cui vestigia humana impressa sunt, sacello claudi curavit: & ante Hispanorum adventum Colla, Tupa Guarcaris Ingæ pueritiæ moderator, eumdem lapidem adorari ab suis olim jusserat. In Cachensi regione visuntur adhuc rupes igne tostæ, constante famâ, quod ignis è cœlo missus has olim concremarit, in vindictam intentatæ mortis cuidam homini legem divinam annuncianti, quem hominem Collæ, Peruviæ alteri populi, eò venerationis habuerunt, ut Creatoris filium appellarent. Sed nihil ita ad rem meam facit, quàm Crux Carabucensis totâ Peruviâ celebris. Carabucum Neophytorum pagus est, ad lacum Titiacam, sub quo lacu, indicio ab Indis accepto, Sarmientus loci parochus, post diuturnam fossionem Crucem reperit, tantam celebritatem brevi tempore consequutam, quantam illi patrata miracula pepererunt; inter quæ illud mirandum maximè, quod non secus ac primaria Crux, particulatim scissa, nihil suæ magnitudinis deperdat, tantum rerum portentosè crescens, quantum ad fovendam mortalium pietatem minutarum partium abscissione decreverit. Constans opinio est, Crucem hanc Carabuci ab Divo Thomâ Apostolo olim fuisse erectam, frendentibus dæmonibus, aientibusque, nullâ se deinceps responsa daturos, donec de medio tolleretur: idcirco Indi in adjacentem lacum eam præcipitavere: quod dum sæpiùs feciſſent, & semper aquis supernatans emergeret, nulloque igne absumi posset, tandem altissimè defossam sub ipso lacu Titiacâ, immenso superjecto terræ pondere, obruerunt. Signa adhuc exstant intentatæ combustionis. Cæterùm, quia nulla, nec in Peruviâ,

Item apud Brasilos.

Semita Divi Thomæ.

Sancti Thomæ in Paraquaria memoria.

Item in Peruvia.

De Carabucensi Cruce.

nec

nec in adjacentibus Provinciis, reperitur materia similis ei, ex quâ Crux Carabucensis facta est, conjectat Antonius Ruisius è Brasiliâ, ubi ejusmodi speciei visuntur arbores (& vidisse se asserit) per Guairaniam Paraquariamque ab Apostolo fuisse transportatam. Quod si quis pondus objiciat vix tribus equis portabile, etiam fidem negabit Osorio, asserenti in Malepur, Cambaiæ oppido, ubi sepulchrum Apostoli cernitur, lignum adhuc ostendi ab Divo Thoma illuc miraculosè advectum, cujus ligni ea est vastitas, ut ne boum quidem copiosa multitudo. (aut plura elephantum juga, ut Mendoça ait) loco id movere queat. Quidquid sit, noster Didacus Torres Carabucensis Crucis particulas auro incrustatas Clementi Octavo, & aliquot Purpuratis Patribus, cùm obtulisset, non sine æstimatione rei mirabilis receptas fuisse, in authenticis schedis traditum reperio. Quod si quis addubitet quo tandem modo in Americam Apostolus navigarit, legat epistolam Asiaticam Navarchæ, demonstrantis, id sine miraculo fieri potuisse. Non me latet quàm multa de Sancti Thomæ itineribus inter apocrypha recenseantur. Nam ut longè certissimum est, in omnem terram exivisse sonum Apostolorum, sic quà singuli iverint non æquè notum. Ideo quæ jam scripsi, narrare potiùs quàm asserere malui; ne silendo, communi gravissimorum hominum æstimationi refragari, & conjecturas pro compertis rebus venditando, veritatem temerè exponere videar. Nunc tritiori viâ incedamus.

De Divi Thomæ itineribus.

CAPUT V.

De prima Neophytorum communione.

HOc anno primùm Neophytis in Guairaniâ Corpus Christi communicatum est. Nam ut semel hoc dicam, non statim Barbaris ad fidem conversis Eucharistia conceditur, tum ob fidei imbecillitatem, tum ob Indorum diminutum captum: tum denique, ut, crescente tanti cibi desiderio reverentiâque, majori cum utilitate percipiatur. Itaque per totam provinciam Provincialis Oniatus statuerat, ut octavo tantùm aut septimo ab novorum oppidorum fundatione anno delectus Neophytorum haberetur, quibus cœlestis esca tribueretur. Postquam igitur increbuit ad id seligendos esse aliquos, mirum quantis precibus syngraphum, electionis tesseram, ambirent. Cùm verò cognovissent Doctrinæ Christianæ peritos, & non alios, summum illud beneficium consequuturos; quotidie omnes per multas hebdomadas ad templum ventitabant, aut sui experimentum daturi, aut quod sibi deesset ab Sociis percepturi. Gentis primores verecundiâ provectæ ætatis, cùm ægrè se ad audiendam catechesim accommodarent, jam amore cœlestis cibi pueris immixti ferulæ se submittebant, in officinis, in domibus, in agris, in compitis diu noctuque personabant voces doctrinam Christianam addiscentium, nihilque molestiùs ferentium, quàm quando minùs capaces ab Sacerdotibus repellebantur. Honesta mulier ab Sacerdote nostro, cui cognita non erat, repulsam passa, ita ob frustratum cœlestis cibi desiderium indoluit, ut viribus repente defecta è templo priùs pedem efferre non potuerit, quàm exanimata, ac cibo cœlesti donata, pristinum spiritum sibi reddi sentiret. Sed longè illud est mirabilius. Convenerant ad templum inter Neophytos Sacræ Communionis candidatos duæ mulieres, tam corpore sibi invicem similes, quàm animo dispares: nam una sortilegiis ad insaniam olim dedita, famosum sibi nomen apud populares fecerat: altera modestissimis moribus inter coætaneas præluccbat virtutum omnium exemplo. Hæc igitur è turba assurgens modestè postulat à Patre ut examinetur: Sacerdos noster, vultûs similitudine deceptus, autumans eam esse magam, elatâ voce monet, cibum Angelorum non dari canibus ad vomitum redire pronis: escam vitæ non dari fœminis mortem manu facere assuetis, nisi diuturnâ patientiâ Fidei Christianæ se probassent. Hoc dicto, jubet ad experimentum de geniculis, præmissâ publicè professione Fidei, præteritos errores detestari. Optima mulier nihil morata in medium prodiens, imperata facit; sed mox qualis esset deprehensa, interrogatur ab Sacerdote, erroris pœnitente, quo animo indebitam castigationem suscepisset: cui illa respondit, durum quidem sibi illud accidisse, sed Divinæ escæ desiderio obloquutam se non fuisse, quòd putasset iis tentamentis opus esse ad discernendos eorum animos, qui Angelorũ Panem ambirent.

Tardè communio Neophytis conceditur.

Impensè ab iisdem desideratur.

Cõmunionis desiderio mulier deliquium patitur.

Barbara mulieris ad communionem experimentum singulare.

Communicantium voluntariæ castigationes.

quo ne privaretur, quamcumque verborum acerbitatem sibi subeundam duxisse. Ex recenter communicantibus reperti, qui biduum ante Communionem jejuni perstiterint, ne guttâ quidem aquæ degustatâ. Multi diu ante & post Communionem ab usu conjugum se abstraxere, quò puriùs Cœlestis Sponsi amplexibus fruerentur. Pridie Communionis immoderatâ se flagellatione cruentare, ponderosas per oppidum Cruces bajulare, inediâ corpus macerare, totum fermè diem in templo perseverare, minutissimas conscientiarum noxas apud Sacerdotes iteratò deponere, plerorumque exercitium fuit. Plures percepto hoc Divino Antidoto corporum salutem consequuti sunt. Fuere ex sequiori sexu non paucæ, quæ ad turpes amores se sollicitantibus responderent, execrandum esse, corpus Christi Corpore sanctificatum fœdare. Profligatissimæ vitæ adolescens nullis pœnis, nullis monitis, nullo metu hactenùs coërceri potuerat, quin quâvis datâ occasione libidini fræna laxaret: sed in remedium animæ, Corpore Christi infimis precibus impetrato, adeò se fortem contra blanda vitia sensit, ut deinceps, ne leviter quidem, præteritarum spurcitiarum vestigiis pede impresso, omnium ore pro castissimo deprædicaretur.

CAPUT VI. Egregia Neophyti virtus describitur.

Modus sistendi se Deo.

His attexam in altero genere pietatis Piraivi Neophyti mores. Is, ante admissam fidem, unicâ uxore contentus, cum eâdem, post baptismum, matrimonio ritè confirmato, vitam agebat, supra conditionem Barbarorum planè commendabilem. De Divinis rebus, & præsertim amore Christi, adeò subtiliter loquebatur, ut Sacerdotes suos in admirationem raperet: à quibus percunctatus quomodo vitam transigeret, hæc fermè respondit. *Ubi*, inquit, *mane expergiscor, mente & oculis in Cœlum versis, simplici actu Fidei, in memoriam revoco Deum ubique adesse, adeoque etiam in anima mea versari, ex cujus præsentiæ consideratione sentio mirabilibus intus illecebris cor meum liquescere; mox, peractis cum familiâ solitis precationibus, domesticos meos moneo, ne Christi pro nobis nati, atque in Cruce passi, obliviscantur. Ante Sacrum, renovatâ præsentiæ Divinæ recordatione, easdem mentis delicias experior: sequutâ præsertim ex his cogitationibus Redemptionis æstimatione, & ad specialem, uti spero, Dei amorem electione. Nec dissimiliter me ante agriculturam, aut quodvis aliud opus, gero: quo fit, ut, cùm præsentem Deum semper mihi habeam, non audeam quidquam tantæ Majestatis oculis indignum perpetrare.* Ex hoc colloquio Antonius Ruisius fassus est, edoctum se fuisse modum repræsentandi sibi Deum; quem modum relictis variis imaginationibus, quibus solebat mentem antea torquere, deinceps suavissimè usurpavit: memorabili Dei homines gubernantis exemplo, virum illustrationibus divinis assuetissimum per simplicem & idiotam Neophytum docere amantis. De quo insuper illud scriptum reperio, quòd Socios in reducendis Barbaris, & reductis in officio continendis, ita juverit, ut novella Respublica novo homini multùm se debere fateatur.

CAPUT VII. Ludovicus Valdivia multa facit memoratu digna.

Assensi Ribera mors.

Ludovicus Valdivia multos à servitute liberat.

Quatuor millia cum Sociis.

In Chileno regno Alfonsus Ribera Prætor, qui aut impar totius regni invidiæ, aut, ut erat homo militaris, non satis perpensis belli, & nimiorum servitiorum Indis impositorum damnis, ab torrente se rapi sinens, ipsum Ludovicum Valdiviam, necessaria auxilia ad avertendum multiplex malum ex Regis Catholici placito postulantem, toto ferè quinquennio deseruerat, hoc anno Sacramentis curatus, non sine sensu pietatis, fatis concessit. Eo morte sublato, interim dum successor crearetur, potestate inspectoris Regii ab Rege traditâ usus Ludovicus Valdivia, promulgato iterùm Philippi Tertii, in Indorum levamen propensissimi, Decreto, quamplurimos Chilenos in libertatem asseruit: mox spe rei Christianæ promovendæ erectus, contra difficultates eluctans, Sociis Araüci & in Bonæ-spei oppido degentibus in communicationem laborum assumptis, omnes circum Biovium flumen Indorum pagos lustrat, sollicitatque ad Fidem, tanto successu, ut trimestri spatio quatuor Araucanorum millia ipse cum Sociis Baptismo tinxerit: grande additamentum Christianarum partium, si æquè Fidem servare ac capessere voluissent. Sed gens, superstitionibus ac immodicis vitiis dedita, tam facilè baptizari se sivit,

quàm

quàm postea ægrè se moribus Christianorum accommodavit; longéque plus laboris in fruge excolenda, quàm in seminanda, ponendum fuit. Præcipuus obex bonorum morum poligamia erat, & vetus consuetudo Chilenorum, conjuges quanto maximo possunt numero ementium, renuentiumque eas deserere, quas magno pretio comparaverint. Præterea libertatis amittendæ suspicio, si feritatis ostentatione depositâ, mansuetudinem Christianam præseferant; dæmonum furor, & id genus similia, ne Fidem conservarent aut capesserent, magno obstaculo erant: continuis tamen excursionibus omni ope contendebant Socii, ne qui se Christo consecrarant, dæmonis servitio se denuò manciparent, quorum improbo labore fructus perceptus est, pro conditione locorum non usquequaque pœnitendus.

Religionis promovendæ impedimēta.

CAPUT VIII. Chiloënses Insulæ excoluntur.

ARchipelagi Chiloënsis insulas gnaviter excolebant, Melchiore Vanegâ præposito, terni Socii. Ad eas insulas semel in anno navis una militibus stipendium latura, ab Chileno Prætore mittebatur, subvehebatque etiam Sociis, liberalitate Regis Catholici extrema mundi attingentis, aliquantulam annonam: extra quæ tempora nullum cum Apostolicis his viris litterarum alteriúsve rei commercium intercedebat, nisi quod post binos ternósve annos mutatis vicibus ad Conceptionis Collegium, conscientiarum suarum rationem reddituri, renavigarent. In his insulis ad octoginta Ædiculas, totidem in vicis littoralibus abs se constructas, continuatâ fermè per totum annum navigatione se conferentes, sex octóve dies in singulis commorati, Barbarorum saluti indefessâ operâ intendebant. Et verò tam grata Insulanis præsentia Sociorum erat, ut cùm ex uno pago, insuláve, ad aliam properarent, lamentabiliter Indi se deseri quererentur, citum regressum lacrymis, gestibus, voce postulantes. Famâ de eorum adventu per quamcumque Insulam delatâ, prodibant catervatim Barbari ex antris & sylvestribus locis, infantes suos Baptismo, & se Exhomologesi, offerentes. Si qui vexationum metu prodire non audebant, aut morbis detinebantur, per abrupta montium & sylvarum invia ab Sociis indagabantur, nullis laboribus parcentibus, quò aliquo animarum lucro ditescerent: & verò ingens retulere: nam perpetuis terrâ marique excursionibus effecere, ut rari jam adultæ ætatis homines in omnibus Chiloënsibus insulis reperirentur, qui non Baptismum admisissent: constatque ex Provincialis ad Generalem Præpositum litteris, à primo Societatis in eas insulas ingressu, per Socios novem circiter capitum millia fuisse baptizata. Tantis laboribus fructibusque non contenti, ultima terrarum pervadentes, ad Chunorum Huillorumque terras penetrare ausi sunt: quam expeditionem, quia egregium Apostolicæ fortitudinis exemplar habet, retracto ad præterita tempora tantisper stylo, non illibenter simul expediam.

Octoginta sacella ædificantur.

CAPUT IX. De Chunorū & Huillorum moribus.

CUm Didacus Torres Provincialis Melchiorem Vanegam, & Joannem-Baptistam Ferrufinum ad Chiloënses Insulas primùm amandaret, utrique in mandatis dederat, ut in Chunorum & Huillorum, freto Magellanico adjacentium, mores diligenter inquirerent, & si quæ spes affulgeret eò facem Evangelicam traducendi, speciatim ad se perscriberent: quorum utrorumque votis Delco, Chunorum facilè princeps, satisfecit. Is commercii ergò è patria ad Chiloënses insulas ventitare solitus, aliquando repererat inter Hispanorum commercia gemmam Evangelicam; & Petri nomen in Baptismo consequutus, nihil optabat ardentius, quàm ut filius idem beneficium adipisceretur: ejus rei gratiâ ad Socios, Chiloënsium insularum inspectione occupatos, veniens, multiplici utrumque gaudio perfudit. Trahebat secum in quinque navigiolis, præter familiam, numerosum comitatum, & Chiloënsis linguæ peritum, quo usus interprete, post mutuæ gratulationis officia, hæc fermè de Chunorum & Huillorum moribus Delco ab Sociis interrogatus narravit. *Ab Chiloënsi*, inquit, *Archipelago distat tridui itinere Guatana, prima Chunorum insula: eò itur per mare continuâ fermè tempestate commotum, exiguo quidem insulanorum, notitiam maris ac ventorum quotidiano usu adeptorum, periculo; sed si externi adnavigent, ob syrtes & vada, certum aditur naufragii discrimen. Cæterùm gens omnis partim in continenti Americæ ora, partim in insulis propè innumeris, non procul ab littore*

habitat,

habitat, adeò parvo numerò, ut nulla insularum, si Guatanam excipias, plures tribus quatuórve familiis alat: solum omne infœcundum, petrosum, sylvestre, nullam fermè sementem recipit: arbores, si virorem spectes, Chiloënsibus arboribus longè tristiores sunt: piscibus atque maris rejectamentis indigenæ victitant, ope mulierum sese in profundum maris submergentium, & longo post tempore cum ingenti piscium præda, in canistris è collo pendentibus, emergentium: aquæ dulcis inopiâ maximè laborant: pro potu ex lupis marinis oleum exprimunt; præter quem liquorem nullius vini aut potionis delicias norunt; eo oleo largiter ebibito, & ventre immoderatâ piscium ingurgitatione distento, evomitoq;, debacchationes suas cum ebriorum gesticulationibus celebrant, ne nempe agnatis gentibus, ebrietatum solemnia inter præcipua hilaria habentibus, cedere videantur: quanquam in Guatana insula, patria mea, triticum turcicum, ex quo vinum conficitur, non malè jam provenit. Indigenarum plurimi capillo rufi, oris colore oleastri, & ingenio mites sunt. In remotioribus insulis canes alunt villosos jubatosq;, è quorum tonso crine vestes conficiunt adeò breves, ut præter humeros ac pectus nihil reliqui corporis contegant: virilitatem algâ marinâ, seu ingentibus foliis in mari natis, & Sole duratis, velant. Hæc fermè Delco. Sed Huillorum ad Magellanicum fretum vergentium conditio longè miserabilior, & indoles asperior est: sub quinquagesimo fermè latitudinis Australis gradu, in frigidissima regione, toto corpore nudi incedunt: plicatiles ex arborum corticibus casas in conum erigunt: nihil cocti comedunt: pro omni cibo pisces crudos & ostrea devorant; pelle pænè nigri, crine adeò aspero erectoque, ut setis quàm humanis capillis similiores sint. Gens numero modica est, nec aliam paucitatis suæ rationem reddunt, quàm quòd partim conditione loci, partim hostium suorum incursionibus minuantur: nam Huillos Chuni tanquam feras venantur, & pro mancipiis aut apud se habent, aut ad Chiloënses insulas transportatos vendunt, donántve pro libitu: aliquantulum in servitute quàm in patria feliciores. Stlopos pro vocibus edunt. Antequam transportati Chiloënsem linguam didicerint, nulli alii usui sunt, quàm ut aves ab seminibus, tamquam terricula, arceant, æquè terreri ac terrere idonei. Interpretis auxilio Joannes-Baptista Ferrufinus decem Dei mandata & solemnes Christianorum preces, ac formulam detestandi peccata biduano labore in linguam Chunam adeò feliciter vertit, ut Barbari vix se præ stupore caperent. Delco pro filio Baptismum summis precibus flagitabat; differri tamen debuit, quòd non satis capacem nostrorum Mysteriorum tantillo tempore se ostenderet, & maris tempestivitas ad reditum suum Chunos urgeret, qui variis munusculis donati, lamentabili vultu gestuque, & quâ poterant vocis contentione, ut secum ad insulas suas Patres ire vellent frustrà precantes, sese ab mutuo aspectu ingenti cum utrorumque dolore abstraxerunt: hoc uno aliquousque se consolantes, quòd Melchior Vanegas promitteret se in omnem occasionem procurandæ eorum salutis intenturum.

Chunorum cibus.

Potus.

Vestitus.

Huillorum regio.

Domus.

Barbaries.

CAPUT X. Melchior Vanegas & Matthæus Stephanus navigant.

SED sequenti decennio non alius ex his nationibus fructus perceptus est, quàm qui ex Chunorum Huillorumque ad Chiloënses Insulas adnavigatione, post longa temporum intervalla, offerebatur; donec hoc, de quo scribimus anno, idem Melchior Vanegas, Australium Insularum diuturnus & planè Apostolicus doctor, ejusque Socius Matthæus Stephanus, spretis ingentibus discriminibus, incognito mari se committentes, mirabili apud posteros exemplo ad Chunos adnavigare decernerent. In transfretatione, horrescente mari, cymba quâ vehebantur pænè submersa est: emersere tamen, post varia pelagi ludibria, ad Guatanam insulam, ubi Delco, cognito eorum adventu, exemplo ab Chiloënsibus sumpto, Sacellum ad usum Sacrorum ædificaverat, popularesque suos quanto maximo numero potuerat, congregarat, eo fine, ut baptizati in album filiorum Dei referrentur. Inde ad continentem & adjacentes insulas eodem periculo delati, plerosque doctrinæ Christianæ sitientissimos reperere; non pluribus tamen ducentis ac duodecim capitibus salutares aquas infudêre, quòd diutiùs abesse ab statione, cui eos imperia Majorum affixerant, non possent: ostendebant tamen quà verbis, quà gestibus, nisi obedientiæ funibus retraherentur, libenter se inter Chunos totâ vitâre-

Baptizant.

manſuros. Quamquam id affectuosè magis exoptabant, quàm quòd ſedem in eo terrarum loco poni poſſe ſperarent: ſatis namque apparebat eas terræ cœlique aſperitates cuivis externo homini fore intolerabiles. Igitur cùm in tot ſcopulos diſtracta gens eſſet, ut nec ad doctrinam audiendam coïre, nec ab doctoribus adiri poſſet, ſatis habuere Socii, ſi negotio eorum Divino Numini commendato, adventantes ſubinde ad Chiloënſem ſedem Chunos, Huillosque omni ope juvarent. In ſchedis tamen memorialibus reperio, Chiloënſes Socios aliàs etiam ad eaſdem inſulas renavigaſſe: ut ſcias Apoſtolicorum hominum deſideria, niſi aditis Mundi finibus, terminari non poſſe.

CAPUT XI. Ad Paranâ res geſtæ narrantur.

AD Paranam, ſuperiori anno, Itapuanos Jaguapuanosque Neophytos, fame diſpalatos, incredibili labore Rochus Gonſalvius & Franciſcus à Valle ad oppida reduxerant, cùm lues, ex immundarum rerum eſu & corrupto aëre orta, pleroſque cum ipſo Franciſco à Valle proſtravit: tum demum omne onus utriuſque oppidi in unum Rochum incubuit, indubiè granditati laborum ſuccubiturum, niſi ingentibus animi corporisque viribus præditus fuiſſet. Tantis laboribus acceſſit perverſitas magorum, ſpargentium in vulgus Baptiſmo corpora mactari. Reperta mulier eſt, quæ filium ex rabie iteratis aquarum infuſionibus obrueret, quò baptiſmi aquas tanquam pernicioſam labem eluendo emacularet. Altera mulier, ne infantem ſuum baptiſmo, ut aiebat, perditum iret, in Rochum ingentem fuſtem contorſit, indubiè percuſſura, nî ictus in vanum abiiſſet. Barbarus homo eâdem de causâ in eumdem ferociter involavit, proſtraviſſetque grandi vulnere inflicto, nî vetula impetum retardaſſet. Ethnici pænè omnes, tanquam phrænetici, medicum ſuum & unicum animæ remedium oderant, ab domorum ſuarum ingreſſu magno conamine arcentes, & ne vi ipſe irrumperet, ad ſylvas & obvia latibula ſe ſuosque infantes recipientes. Non deſiſtebat tamen ab opere Apoſtolico Gonſalvius, & more parentum, filios phrænetico ſe laniare volentes, non deſerentium, ſpretis vitæ periculis, quà datâ portâ ſe ingerens, dicendi vi baptiſmi utilitatem aſſerere contendebat. Circuibat ipſe ſolus oppidum, ad prædia curſitabat, fugitivorum receptacula, tum per ſe, tum per Neophytorum fideliſſimos excutiebat; mirabili celeritate ad Jaguapuanos eadem præſtiturus excurrebat; tanto ſucceſſu, ut omnes moribundi (ſi viginti adultæ ætatis homines contra baptiſmum animum obſtinantes excipias) expiati obierint. At ubi Franciſcus à Valle convaluit, ipſe Rochus, ſecundo flumine navigans, omnia littora ac inſulas Paranæ per ſexaginta leucas excutiens, pluribus mortalibus lue afflatis ſalutares aquas infudit. Eadem vis mali, adverſi fluminis Ethnicos corripiens, ſtragem corporum fecit: demeſſis præſertim Ariolorum Magorumque Religioni infeſtorum capitibus: diceres amotis obſtaculis ferociſſimos quoſque Barbarorum à peſte demeſſos fuiſſe, ut via planior (ſicuti videbimus) Evangelio ſterneretur. Ad eos juvandos excurri non potuit ob Sociorum penuriam: unicus tantùm ex tanto numero repertus fuit, qui æternæ mortis metu, deficiente navigio, ubi ſe peſte tactum ſenſit, ligno inequitans ſecundo flumine ſe labi ſivit, donec in ea parte ſiſteretur, unde ab Itapuanis cerni poſſet, à quibus ad ripam extractus, & ad oppidum deductus, Baptiſmo à Gonſalvio impetrato, non diu pòſt, ut ſpes eſt, ad gloriam evolavit. Adulto jam anno Thomas Urvenia, Petrus Boſqueirus, & Petrus Romerus, Sacerdotes, in ſubſidium Paranenſium venêre. Petrus verò Oniatus Provincialis adverſo Paranâ navigans, nova oppida pro munere primùm inſpexit; & è Paranenſium Sociorum conſilio decrevit, ſedem Societatis ponendam eſſe in Jaguapuano oppido, & Urvaicenſem Provinciam, hactenus intactam, quovis ſpreto periculo, adeundam eſſe. Secundùm hæc, Socios in hunc modum diſperſit: Itapuano oppido Didacum Boroam Sociis Paranenſibus & Urvaïcenſibus moderaturum, & Petrum Boſquierum Flandro-belgam; Ignatiano Claudium Ruierium Burgundum & Franciſcum à Valle Bœticum; Jaguapuano Petrum Romerum Hiſpalenſem, & Thomam Urveniam Cantabrum; Urvaicenſi verò expeditioni Rochum Gonſalvium, unicum multis parem, præfecit. Regreſſo Provinciali, Petri Romeri primus labor fuit, cum

Mulier baptizatum filium aquis obruit.

Rochi Gonſalvii pericula.

Laboret.

Ariolorum mortes.

Socii per Paranam diſparantur.

Interior Paranæ pars excurritur.

Rocho Gonsalvio, ad Urvaicensem Provinciam destinato, littorales Paranæ pagos invisere, tum ut commendatione veteris magistri apud eos inclarescceret; tum vel maximè ut notitiam populorum Christo aggregandorum coram caperet. Quibus feliciter peractis, fausta omnia sibi invicem precati, post emissam uterque trium votorum publicam professionem, Rochus in Urvaïcensem Provinciam, Romerus Jaguapuam versus iter arripiunt.

CAPUT XII. Jaguapua sede Societatis occupatur.

JAGUAPUA, oppidi designatio potiùs, quàm oppidum, quadringenta non amplius capita, reliquis peste sublatis, numerabat. Cæterùm spes erat futurum, ut increscceret reductis ex vicinis remotisque locis quamplurimis mortalibus, Paranæ insulas ac littora sparsim incolentibus. Postquàm ergo Jaguapuanis, qui fermè omnes Ethnici erant, Socii persuasere, ut, pellicibus & falsis religionibus relictis, ad Fidem Christianam se inclinarent, eorum plerosque salutaribus undis abluerunt: atque ut commodiùs Sacris nostris adessent, Ædem multitudinis capacem erexere. Compositisque utcumque ad urbanitatem Barbarorum animis, Petrus Romerus, Thomâ Urveniâ ad sarcinas relicto, ad vicinos remotosque populos Christo lucrandos animum advertit. Non procul ab novello oppido Maracanais, Barbarorum pagus non infrequens, aberat: quorum nonnulli aliorum, Sociorum suasu, Jaguapuanis se aggregaverant: reliqui in impietate persistebant. Horum non pauci ab nescio quo transfuga dementati, majoris libertatis spe, secundo flumine longissimè transfugerant: quos, spretis periculis, statim sequutus Romerus, authoritate è fuga retractos, confectis centum circiter leucis, Jaguapuanis & Christi partibus feliciter adjunxit. Ab ea expeditione redux, Maracanaim repetens, adeò acriter in rem suam intendit, ut plerisque antea in impietate pertinacibus se sequi suaserit. Repugnabant ducenta circiter Ethnicorum capita, qui ut se impervios facerent, paludosis locis abruptisque saxis abdiderant, quos per paludes umbilico tenus aquis immersus, & per abrupta rependo, sacer venator indagans, tandem omnes benefaciendi arte pellexit, ut Religionis ergò Jaguapuam se conferrent. Destructo penitùs pago, non eo procul ad Paranæ contiguam paludem se convertit. Narrabant indigenæ sub primum Hispanorum adventum hujus paludis littora scaturiisse innumeris Indis, sed plerisque partim insalubritate crassi aëris absumptis, ad paucitatem redacti erant: eò delatus Romerus spopondit superstitibus, si se sequi vellent, magnas animarum corporumque utilitates percepturos, & manifestis Dei ubique præsentis beneficiis in hac mortali vita potituros. Cui Aperera, hujus paludis Casiquius, jocanti quàm serioso similior: *Si*, inquit, *Deus ubique præsens est, hic æquè ac alibi nobis aderit, ut hactenus adfuit vitæ commoda liberaliter largiendo.* Cúmque subintulisset Romerus multa de necessitate doctrinæ, & de bonorum malorumque finibus, eâdem à Barbaro verborum futilitate illusus, irrito incœpto regreditur; hoc uno lætus, quòd semen verbi Divini jecisset, fructum in tempore suo daturum. Nec spes rei fefellit eventus, aliâ occasione omnibus hujus paludis accolis per Paranenses Socios ad partes Christi feliciter transiatis. In medio Paranæ insula jacet, circuitu octodecim leucas complectens: ea in alta promontoria, rupibus præcelsis cincta, assurgit, undique inaccessa, nisi quà per frequentes periculososque aquarum vortices paulatim sese demittit: olim Paranensium contra vim Hispanorum receptaculum munimenque fuisse perhibebatur, unde ejus accolæ, præter innatam indolis ferociam, bellicos animos adhuc conservabant. Eò etiam Romerus, contempto discrimine, cimbulâ vectus iter arripuit. In decursu aquarum vortice interceptus, vix latum unguem ab naufragio, ope Principum Apostolorum ab eo invocatorum evitato, abfuit. Ad insulam appulsus, Arariæ Casiquio & centum capitibus persuasit, ut se, Religionis Christianæ capessendæ ergò, Jaguapuanis adjungerent. Denique eventilatis Paranæ littoralibus latebris, aucto jam oppido, ipse & socius ad urbanitatē novis hominibus imponēdam animum adjecere. Quod ut præstarēt, ab nullo opificio quantumvis vili abhorrebant; textoriam, fabrilem, rusticam artem instituentes. Sed animarum cura lōgè major erat, quâ factū, ut reducti omnes Ethnici egregiè instructi, variis tēporibus ad sacrum fontē accesserint: nec defuit patientiæ materia. Nescio quis Neophytus,

Maracanaienses reducuntur.

Paluſtres homines ad fidem ſollicitantur.

Reſiſtit Aperera.

Paranenſes Inſulani convertuntur.

Socii mechanica tractāt.

supinâ

supinâ prorsus negligentiâ, non sine publica nota Festis diebus Sacrificio adesse renuebat, quem benevolè admonitum quâdam die Romerus è domo eductum ante se abigens, in templum compellebat intrare: quâ re proritatus illius Casiquius, ad Romerum pergit, maléque verbis habitum alapâ publicè percutit. Enimverò ille Christianæ patientiæ & doctrinæ memor, in genua provolutus percutienti alteram maxillam præbuit, asserens se felicissimum fore, si pro Dei causa multa talia pateretur. Valuit apud percussorem ostentatio Christianæ virtutis, qui vicissim humi prostratus, veniam repentini sacrilegique furoris petens, à benigno Patre facilè impetravit. Sed jam Rochum Gonsalvium ad Urvaïcensem Provinciam Apostolicis messoribus ingentem segetem aliquando præbituram (in qua ego ab viginti annis in novis Barbarorum Reductionibus, quamvis tanto munere indignissimus, versor) insequi lubet.

Petrus Romerus alapâ percutitur.

CAPUT XIII. Urvaicensis Provinciæ descriptio & inventio.

URVAICA primæ magnitudinis fluvius, exiguo fonte è Brasiliæ montibus ortus, diu sine fama modicas aquas evolvit; donec, haustis utrimque torrentibus, & inclytis amnibus aucto alveo, Paraquario par, aut etiam major, paulò suprà Boni-aëris portum intrat in flumen Argenteum, à quo, tanquam in æmulationis pœnam, nomine & alveo spoliatus, violenter in Oceanum abripitur. Nam ubi Brasiliam, directo in Mediterranea tantisper cursu, deserit, flexo deinceps itinere, Paranæ seu flumini Argenteo perpetuò parallelus, haud multùm impar majestate, graditur: quominùs magnarum navium ubique capax sit, saxis ac scopulis per intervalla præpeditur; sed ubi hyemalem eluvionem à peregrinis aquis ac imbribus accepit, syrtes & ingentia saxa geminamque ripam prætergressus, nisi quà eminentissimis littoribus coërcetur, adinstar maris aquas suas inflatas habet. Per ducentas ab origine leucas, concatenatis rupibus ac sylvis arctatus, magno fragore prolabitur, donec scabrosis obstaculis, crebrâ eluctatione sese expediens, per campos placidiùs provolvatur. Sylvæ simiarum, tygrium, psittacorum, atque aliarum volucrum altrices, nihil fermè à Paranensibus differunt. In campis olim struthiones, leones, ac variæ caprarum cervorumque species tantùm visebantur: sed jam quaquà latè patet ingens utrimque tellus herbescit in pascua, per quæ boum equorumque greges incredibili numero vagantur: diceres quadrupedes successisse bipedibus olim numerosissimè hos campos habitantibus, sed nunc pro immensitate terrarum admodùm infrequentibus. Ab Urvaica fluvio Urvaicensis Provincia nuncupata, tam latè in longum, quàm ipse fluvius protenditur. Ab origine, partim Brasiliam, partim Oceanum Athlanticum, ab Occidente Paranam, ab Austro Guaitaniam, ab Meridie Boniaëris ostium respiciens, varias regiones ac Barbarorum linguas complectitur: inter quas Guaranorum natio, ut numero, sic aptitudine ad politicos Christianosque mores recipiendos, longè aliis antecellit. Hanc Provinciam, sicut ego comperi, primus omnium Europæorum Ramon, Sebastiani Gavoti Americæ Australis pro Carolo Cæsare exploratoris missu, anno præteriti sæculi vigesimo-sexto tentavit, qui liburnicam navim per Urvaicæ ostium inducens, facto prælio, à Charuis ferocissimis populis cum plerisque comitibus inhospitaliter trucidatus est. Postmodùm, anno præteriti sæculi quinquagesimo-septimo, ab Martino Irala Prætore centum & viginti Hispani eo fine missi sunt, ut urbem non procul ab Urvaicæ ostio fundarent. Sed primo fundationis anno Barbari tot eos incursionibus fatigavere, ut sedem deserere coacti fuerint. In Paraquariam renavigantibus res accidit funestissima: nam dum è navi sub meridiem pransuri multi exscendissent, derepentè prærupta ripa, ubi mensas straverant, dehiscens subsidensque, prandentes secum in flumen traxit, tanto aquarum tumultu, ut una è navibus susque deque eversa non priùs quieverit, quàm summitate mali profundum fluminis pertingeret; nullo è prandentibus emerso. Emergens verò navis fœminam per centum aquarum ulnas in profundum latam relatamque longo pòst tempore incolumem stitit. Anno deinde currentis sæculi circiter decimo Ferdinandus Arias Prætor cum aliquot Hispanorum cohortibus ad Urvaicam quidem penetravit, sed Barbarorum multitudinis famâ deterritus, re infectâ, sine gloria pedem retraxit: undequaque enim terrore latè diffuso se sepierant

Urvaica fluvius.

De primis Urvaicæ repertoribus.

Hispani urbem condunt.

Submerguntur.

Barbari, adeò ut Hiſpani tam deſperarent armis Urvaicenſes aliquando ſubjugari poſſe, quàm cuperent latiſſimas regiones glebæ fertilitate, paſcuorum bonitate, fluminum commoditate famoſas occupare. Nimirùm tantæ Provinciæ ſuperandæ decus inclytæ Cruci debebatur, quâ unâ armatus Rochus Gonſalvius, cui gentile nomen à Sancta Cruce, ſolus auſus fuit ſternere viam ad indomitas hactenus gentes Chriſto Domino & Regi Catholico ſubjugandas. Initia ſic ſeſe habuere.

CAPUT XIV. Rochus Gõſalvius Urvaicenſem Provinciam primus adit.

DUM Rochus Gonſalvius & Didacus Boroa ad Paranam Chriſti imperium propagarent, Urvaicenſes aliquot, novæ religionis famâ allecti, commercii ſpecie aliquoties ad Itapuanum, novum Neophytorum oppidum, ventitarant, quos Socii omni officiorum genere ſibi conciliarant: ideoque in ſpem venerant fidem Chriſtianam in eorum terras traduci poſſe. Sed diu obſtiterat paucitas Sociorum, donec Petrus Oniatus, auctis per Paranam operis, Rochum Gonſalvium tanto muneri deſtinaret. Is implorato ritè Numine, & delectu paucorum Neophytorum habito, è Paranâ diſcedens, per invia tamdiu loca proceſſit, quouſque ad Aracutaim rivum in Urvaicam influentem perveniret: ibi eum præſtolabantur ab exploratoribus prænoniti frequentes Barbari, pro more gentis nudatis corporibus, clavâ & arcubus armati, imperiosè jubentes, ne ultra pergeret, nî ſe in certam perniciem præcipitare vellet. Sed Gonſalvius, ſuæ vitæ prodigus, intrepidâ voce ſignificat ſe porrò perrecturum: non decere legis Divinæ præconem metu retrocedere. Deinde magnificè explicatis Religionis noſtræ myſteriis, eò rem deduxit, ut Barbari refrænato furore ad ſuos pagos ſe recipientes, ultra minas, nihil attentarint. Dilapſis Urvaicenſibus ingens metus invaſit Neophytos, Rochi comites, per ſacra omnia conteſtantes, ut pedem, dum integrum eſſet, referret, antequam conſpiratio Barbarorum coaleſceret. Sed vir Apoſtolicus, dimiſſis omnibus, qui ſecum è Paranâ venerant, præter duos pueros ſacrificantis adminiſtros, cuivis periculo ſe devoventes, in nemuſculo pernoctare auſus eſt. Sequenti die altare portatile erexit, Deum ſummis votis deprecans, ut pretium ſui ſanguinis Urvaicenſibus, pro quibus vitam offerebat, vellet eſſe propitium. Valuit deprecatio: nam ex vicinâ Quaracipucutius, nobilis Caſiquius, operam ſuam non diu poſt oblatum veniens, ſpopondit contra populares ſuos tutelam & auxilium. Mox, eo adnitente, variis ex locis ad colloquium concurrentes Caſiquii decrevere, audiendum eſſe Gonſalvium, qui ad frequentem multitudinem adventûs ſui cauſas explicans, eò negotium permovit, ut Nieza, Urvaicenſium Caſiquiorum potentiſſimus, eum ad ſuum pagum invitaret. Ab eo pago duabus leucis Urvaica diſtabat, quò in Niezæ comitatu ſe conferens, collectâ Barbarorum multitudine, exingenti ligno Crucem in littore erexit, quam ipſe ritè adorans primus docuit Urvaicenſes populos ſuperba colla ſuavi Chriſti jugo demittere: nam ubi Chriſti myſterio explicato, poſito reverenter pileolo, de geniculis oſculum ſacro ligno fixit, adſtantes Ethnici toto etiam corpore provoluti ſe Crucis aſſeclas profeſſi ſunt.

De vita periclitatur.

Recipitur.

Crucem ad Urvaicæ littus erigit.

CAPUT XV. Rochus Gõſalvius Conceptionis oppidum condit.

ADITA tanti fluminis pro Regum Rege Chriſto & Rege Catholico poſſeſſione, Gonſalvius ad fundationem primi oppidi animum advertit. Ibitiraqua locus eſt ab Urvaicâ unâ leucâ diſtans; ad quem locum cùm concurriſſent frequentes Caſiquii, extemporali templo exſtructo, ipſo Conceptionis Immaculatæ die, ad aram fecit, deſtinavitque primam hanc ſedem Conceptæ ſine maculâ Virgini: ſicuti antè primum Paranæ oppidum ab Angelo ſalutatæ conſecrarat, profeſſus utriuſque fluminis victoriam uni huic deberi debellatrici populorum, in honorem filii ſui ubique intentiſſimæ. Tantæ Virginis auſpiciis, & Gonſalvii ad vicinos Ethnicorum pagos identidem excurrentis induſtriâ, confluxere frequentes undique Barbari, novi oppidi incolas ſe profitentes. Quibus in excolendis Rocho elaboranti nuncium adfertur, Crucem in Urvaicæ littore erectam ab Barbaris trans fluvium incolentibus fuiſſe concrematam; eoſdem, ob receptum Gonſalvium Niezæ Caſiquio infeſtos, ad invadendum novum oppidum in procinctu eſſe. Ex aliâ parte nunciatum etiam eſt, adverſi fluminis accolas eâdem de cauſâ arma moliri:

Barbaros reducit.

Undequaque impetitur.

liri: intrepido ad hæc Niezâ Casiquio, & pro tuendo Gonsalvio assectas ac amicos ad arma animante. Sed Rochus Gonsalvius, gnarus Niezæ vires impares esse tumultuantibus, pro incolumitate gregis sui caput suum vile habens, Urvaicam ausus transmittere, eò se contulit, ubi princeps Ariolus Crucis incendiarius, & tumultuum incentor, habitabat; quo donis & eloquentiâ utcumque conciliato, id saltem obtinuit, ne vellet rebellare. Mox ad adversi fluminis accolas bellum jam moventes sine comitatu properans, reperit metu panico attonitos ad sua se latibula recepisse. Quare domum rediens, totum se impostetum contulit ad augendum ornandumque novum oppidum, futurum (uti videbimus) Urvaicensis provinciæ caput. In quâ subigendâ Societas nostra tantam laudem consequuta est, quantam ipsi peperere tot barbarorum millia ad fidem adducta, tot oppida ab Societate fundata, tot Martyrum adoreæ, tot regiones aditæ, tot tumultuantium dæmonum & eorum assectarum insectationes toleratæ, tot virorum Apostolicorum heroïca facta ampliſſimam materiam mihi & scribenti, & inter tot eximios viros immeritissimè adhuc versanti, præbitura. Quamquam per septem fermè annos circa fines non admodum prosperis eventibus luctatum est, quòd Paranenses Ethnici secretis nunciis suspiciones per Urvaicenses populos latè sparsissent, asserentes Rochum Gonsalvium, & ejus assectas, Hispanorum esse emissarios, Religionis specie Indorum servitiis insidiantes.

Discriminibus se opponit.

Urvaicensis Provincia.

EODEM Anno, Paraquarienſis & fluminis Argentei Provinciæ, quæ hactenus uni Prætori & Episcopo paruerant, in duas præfecturas & Episcopatus scissæ sunt, Paranâ fluvio utrorumque jurisdictiones ex æquo fermè dirimente. Paraquaria pro Episcopo Thomam Torres è scholâ Lovanienſi, pro Prætore Emmanuelem Frias: flumen Argenteum pro Prætore Didacum Gongoram, pro Episcopo Carançam accepêre. In portu Boni-aëris graviter statim discordatum est, Rectore Collegii Gabriele Perlino, dum distractas mutuis offensionibus partes reunire satagit, iisdem se, ut fit, implicante. Totam rem breviter expediam. Didacus Gongora Navarrus, Sancti Jacobi Eques, in fluminis Argentei Prætorem designatus, dum Ulissipone navigationem adornat, Lusitanorum suasu, merces, quas fucato nomine alii mercatores pro se venderent, in navim suam inferri fiverat: quæ res quamvis Regiis legibus prohibita sit, tamen ob Magistratuum dissimulationem, cùm à plerisque ad levandos longæ navigationis sumptus usurpari soleat, nemini admodum hactenus fraudi fuerat. Sed indicio ejus rei ab Senatu Regio Madriti accepto, Præses quemdam Melonium in novum Prætorem inquisiturum, cum Judicis potestate, ad portum Boni-aëris amandat: qui ut ad portum appulit, reperit urbem novo Prætori faventissimam, & undequaque investigantem, num qua porta aperiri posset ad Melonium de portu ejiciendum. In his rebus dum sunt, novus Judex Collegii nostri Socios palam offendit, quâ occasione ab Prætoris fautoribus arreptâ, omni modo Gabrieli Perlino persuadere conantur, ut judice conservatore creato causam suam & Societatis decus tueri velit, privato scilicet Societatis defensionis pallio publicum odium contegentes. Rector homo candidus, non satis examinato politicorum hominum consilio, nec expectato sui Provincialis (quod facere debuerat) consensu, præcipitanter nimis Judicem Conservatorem in ipsum Melonium creat. Qui judex, ab iisdem Prætoris fautoribus instigatus, latâ sententiâ Melonium multum reluctantem, ob injuriam Societati factam, in Europam renavigare coëgit. Quâ re cognitâ Senatus Regius, authoritatis suæ vindex, omnem invidiam in Rectorem Collegii derivans, acerbis litteris ab Præposito Generali Societatis postulat, ut in Gabriëlem Perlinum, prout merebatur, animadverteretur. Non abnuit Vitellescus, talium rerum in suis osor, & Perlinum domi religiosis pœnis castigatum, quatuor votorum professionis gradûs, ipsi aliàs ob eminentes dotes debiti, & cujusvis dignitatis obtinendæ spe in perpetuum privat. Quâ animadversione Senatus Regius Societati placatus, ad castigandos eos, qui se dolosè huic negotio immiscuerant, curam advertens, Senatorem Regium è Peruviâ cum potestate ad Portum Boni-aëris destinat, multiplici severitate in læsæ Se-

CAPUT XVI.
De Gabriële Perlino.

Episcopatûs & Prætura divisio.

Didaci Gongoræ factum.

1620.

Melonius Judex.

Perlini imprudens factum.

Perlinus castigatur.

natus authoritatis reos animadvertens. Fama est mulctas ad octoginta millia aureorum ascendisse. Adeò sæpè totam summam perdimus, dum partem nimiâ sagacitate tueri satagimus. Cæterùm Gabriël Perlinus, probatissimæ virtutis vir, religiosè admissâ pœnâ, Peruanam Provinciam, unde venerat, repetens, Limano in Collegio omni virtutum exercitio usque ad extremam senectam floruit, Æthiopibus docendis, ægris invisendis, Catechesibus obeundis, corpori macerando, Deum per preces vocando, se totum impendens. Fratres habuit Franciscum Perlinum in Societate nostra alios regendi & concionandi arte diu conspicuum; necnon Joannem Perlinum in præcipuis utriusque Orbis Academiis notissimum: & tamen noster Gabriël nihil tantis viris alio genere virtutum inferior fuit: nam quod ei dempsit unius facti inconsideratio, abundè compensavit hominis constantia, verecundiam non ante salutem ponentis; sed magno animo errati pœnam, quasi novum ad virtutem incitamentum, admittentis. Atque, ut fit, optimi viri commiseratio domi forisque ejus virtutis æstimationem intendit: ut scias errores nostros ad bonam famam posse conducere, si iis, proculcatis quasi gradibus, ad virtutis apicem erigamur.

Perlini egregia virtus.

CAPUT XVII. Variorum Collegiorũ res summatim narrantur.

IN eodem portu & Sanctæ Fidei urbe pernicioſæ discordiæ serpebant, eò pernicioſiori malo, quò à capite derivabantur: sed tandem cives plerique, Societate arbitrâ, invicem dedêre manus, indices compositæ litis. In Assumptionis urbe non nihil etiam inter Episcopum & Collegii nostri Rectorem discordatum est. Societatem iniverat nonnemo Ecclesiastico Beneficio insignitus, quod Beneficium statim Episcopus in alium transtulerat, reclamante licet pro tyrone suo Marcello Lorençanâ, Collegii Rectore, & Summorum Pontificum decreta super eâ re coram exponente. Excanduit ad inopinatam reclamationem Episcopus, & pugno in subjectum pluteum cum indignatione impacto, fractis impetu vitris ocularibus, Lorençanam domo suâ expellit, qui Episcopo reverenter salutato nihil aliud addidit, nisi se facilè aliam portam reperturum, quâ in ejus domum & gratiam regrederetur: & mox Collegium repetens crystallina conspicilla, elegantia planè, & in his terrarum ultimis æstimatissima, per unum è nostris ad Præsulem destinat, rogans ut his pro fractis uti dignaretur. Valuit factum ad redintegrandam amicitiam: Præsule, abstersâ tantisper caligine, charitatis crystallo ad perspiciendam negotii veritatem utente. Quamquàm non diu pòst, uti videbimus, periculosè caligans rediit ad ingenium. Melioribus oculorum juvamentis usus ille est, qui in Assumptionis Collegii templo, unico Sacro-sanctæ Eucharistiæ, ad venerationem expositæ, aspectu, ita inveteratos malo usu turpitudinis mores correxit, ut deinceps esset virtutum omnium prototypon. In Comitiis Provincialibus Cordubæ celebratis, plurimorum votis Franciscus Vasquius Truxillius, Procurator Provinciæ, ad subsidiarios Socios ab Europa advehendos designatus est: nam nuper advectos Collegiorum & oppidorum fundationes exhauserant, & spes præteritis rebus major augeri numerum operarum necessariò exigebat. Esteci magno concursu, Tucumaniæ Episcopo solemni ritu operante, templi nostri Encænia celebrata sunt. Nostri excursores multos omnis ætatis mortales Sacro Fonte tinxere. Estecensi in ditione res accidit memorabilis. Hispanus homo, Veneris puppus, nullâ arte, nullâ nostrorum industriâ, nullis cœlitùs immissis terroribus ab publico pellicatu extricabilis, cùm in agro nescio quid ageret, ab tygride è sylvâ prosiliente, ex circulo Indorum, quibus circumseptus erat, unguibus per pedem extractus, vix adstantium ope, laniato jam corpore, cum vita evasit. Quâ in re notandum mihi venit, eam esse tygridis naturam, ut in viliora specie animalia, relictis nobilioribus, semper involet: quare si eques cane comitatus in eam offenderit, canis primùm, tum equus, eques denique, ni fugiat, discerpetur. Hominum etiam præstantiæ selectum habet: quocirca, si Indus, Æthiops, & Europæus unà tygridi occurrant; Indus primùm, tum Æthiops, Europæus denique invadetur. Quin & in Hispanis quosdam gradus insitâ naturæ vi distinguit; quamobrem inter mixti sanguinis Ibridas, & merè Hispanos, eos ordine sibi deligit, qui plus Indici sanguinis habuerit: notabili sanè naturæ morta-

Discordiæ ortus.

Sopitur.

Aspectu Hostiæ cõsecratæ perditi conversio.

Estecensis Templi dedicatio.

De tygridum naturâ.

lium

lium nobilitatem puritatemque æstimantis, exemplo. Quam naturæ conditionem hâc vice oblita tygris, è medio Indorum Hispanum illum, corrupto per lasciviam sanguine, relictis aliis Indis, sibi laniandum arripuit: volente Cœlo, insolito eventu nos docere, eos quâvis generosi sanguinis prærogativâ privari, qui infrà equum & mulum, quibus non est intellectus, spurcâ libidine se demittunt. Inquirenti verò mihi de hujusmodi tygridis in viliora specie animalia involantis naturæ causa, arrisit eorum opinio, qui asserunt tygrides assuetas crasso animalium cruore, olfactu distinguere & eligere in diversis prædarum generibus sanguinem crassiorem, & ab ordinaria esca minùs abhorrentem.

CAPUT XVIII. De Calchaquinis Sociis.

Christophori Torres periculum.

Joannis Sampsonis generosum factum.

Sociorum virtus.

IN Calchaquina valle clarum fuit Christophori Torres facinus, qui in pacificationem duarum factionum intendens, pænè mortem reperit intentatam à Casiquio, qui belli causam præbuerat; nec aliter se vindicavit, quàm positis genibus ferire volenti pectus nudare: quæ fortitudinis ostentatio valuit ad reprimendam furibundi hominis rabiem, & tollendam dissidiorum occasionem. Nec hîc tacenda Joannis Sampsonis, ejus socii, generositas, qui quamvis timidæ esset naturæ, sequutus impetum animi à Deo agitati, equum, quo vehebatur, hinc inde tantâ fortitudinis ostentatione impulit in Indos, hostiliter amicorum Barbarorum pagum invadentes; ut nimbum sagittarum circum se volantium riserit, & hostes oppido imminentes metu perterrefactos ad fugam novus Sampson adegerit. In primo occursu cecidit Chuchagastanorum Casiquius: reliqua res inter spem & metum stetit, patentibus numerosissimis hostibus, se unius hominis virtute detentos, ne omnes novi pagi incolas occidione occiderent. Inter has turbas quatuor Socii in duabus sedibus, quamvis quotidiana essent pericula, & tumultuantium hominum pænè continui furores, tantâ animi tranquillitate vivebant, quantam contemptus mortis, perpetua cum Deo familiaritas, & laborum Apostolicorum sitis, ipsis pariebant. Ob soli duritiem exigua planè animarum seges metebatur: aliquot tamen infantium & adultorum manipuli, dæmoni erepti, Christo consecrati sunt.

CAPUT XIX. Guaicurẽorum dux baptizatur.

Barbara parentatio.

GUAICURÆORUM curam habebant Antonius Moranta & Josephus Oregius, qui quantum apud crudelissimam gẽtem promovere Religionem nitebantur, tantum renitebatur repullulans in Barbaris feritas, libido, & belluinæ libertatis amor: itaque pauci admodùm ad castra Christi confugêre. Josepho tamen Oregio adnitente Guaicuræorum dux, etiam in paganismo Societatis amore clarus, Baptismo ante mortem suscepto, fatis concessit; cui ejus populares avito ritu hoc fermè modo parentavere. Dum Josephus Oregius cadaver ex Christianorum instituto inferret sepulchro, aliorsum Barbari inconditis ululatibus omnia complentes, ducis sui insignia, vestes, arcum, redimicula, cæteram denique supellectilem minutim discerptam spargebant in aëra. Uni ex suris copiosum sanguinem sibi eliciebant, alii phanaticâ corporum jactatione ferocem luctum testabantur: equos, canes venaticos, psittacos, quos in usu ac deliciis dux habuerat, superstitioso ritu ad unum omnes mactantes: & indubiè fœminam ejusque filium in aliâ vitâ, uti opinantur, duci suo servituros, crudeliter trucidatos intulissent sepulchro, nî nefandas victimas Oregius authoritate mactari prohibuisset. Defuncto Martino Duce, res ad ejus filium Didacum Franciscum, nostris Sacris initiatum, devoluta fuit, sub quo affulsit aliquantula spes Religionis propagandæ: sed spem frustravit ferocitas Guaicuræorum, avitis moribus egregios Sociorum labores pertinaciter eludentium; quare subsequentibus annis pauci admodùm adulti expiari se permisere.

CAPUT XX. Gesta Sociorũ apud Guairanos.

Sylvestres homines baptizati.

AT Guairaniæ res, ob Guairanorum meliorem indolem, procedebat ex voto: magno semper baptizatorũ numero, & virtutum incremẽto. Sexaginta Ethnici, unâ Neophytorum excursione, è sylvis eruti, eodem anno, quo ad oppidum reducti sunt, ad unum omnes peste afflati, post susceptа sacra obiere. Prædonum armata phalanx, è Brasiliæ finibus effusa, Neophytos nostros vexare cœptans, ab Sociis ostentatione virtutis coërcita est. In Divi Ignatii oppidum per vim ingredi

volentibus

Prædones coërciti.

volentibus occurrit Antonius Ruisius, bombardas in se directas ridens, atque asserens se mori posse, sed oves suas lupis rapacibus prodere non posse. Quo dicto prædones perterruit. Inter hæc turbamenta, Josephus Cataldinus, more suo, sylvas immensas prætergressus, è campis octingentos & sexaginta duos Ethnicos ingenti labore reducens, partim ad Sancti Ignatii oppidum, partim Lauretum, post catechesim baptizandos, elusâ prædonum indagine feliciter intulit: præter quos mille trecenta & sexdecim capita, partim adultorum, partim infantium, in iisdem coloniis sacro latice infusa sunt. Ad Paranam, sub curâ sex Sociorum, tria Neophytorum nostrorum oppida magnis accessionibus increscebant. Itapuæ inductus mos, ut recenter baptizati coronatis flore capitibus ad aram Virginis Sospitatricis suæ gratias acturi cum pompâ procederent. Paranenses Ethnici, adversi fluminis accolæ, animos Urvaicensium secretis nunciis depravantes, magno obstaculo Religioni Christianæ erant. Rochus tamen Gonsalvius inter adversa eò usque rem ipse solus permovit, ut semestri spatio ducentas familias in Catechumenorum Neophytorum album intulerit. Sed ubi Alfonsum Aragonam Neapolitanum, virum summis parem, Socium nactus est, undequaque se effundens, tantam brevi multitudinem coëgit, ut de ampliori templo condendo ipsi cogitandum fuerit. Confectum templum, ipso Conceptionis Immaculatæ revertente die, Paranensium Neophytorum & Sociorum concursu, quanta potuit celebritate dedicatum est: miserat Provincialis è Tucumania Divæ Tutelaris imaginem, Ludovici Bergeri è Belgio ante triennium advecti penicillo elaboratam; cujus fama latè pervagata allexit Urvaicenses Ethnicos, ut celebritatem coram spectare vellent: unde factum, ut multi sua nomina Catechumenorum albo traderent.

Octingenti & sexaginta duo Ethnici reducti.

Mille & trecenti baptizati.

Item alii magno numero.

Ducenta familiæ reductæ.

Conceptioni Immaculatæ templum dedicatum.

CAPUT XXI.

Ludovicus Valdivia in Europam renavigat.

PER Chilenum regnum quadruplatores in Ludovicum Valdiviam, eo solo nomine, quòd innocentes Indos acriter defenderet, tot famosos libellos spargere, & famam ejus adeò turpiter inquinare pergebant, ut Ordinis nostri Primores virum de Christiana Rep. optimè meritum invidiæ subtrahendum, & in Europam revocandum censuerint. Madritum appulso Rex Catholicus pro re benè gesta gratias egit, legesque ab eo conditas in Indorum emolumentum æternas esse sancivit. Insuper tentari voluit, num quâ viâ posset in Senatorum Regiorum numerum homo intelligentissimus adsciscì: sed Valdivia, recusato antè Episcopatu, longè efficaciùs senatoriæ dignitati, à statu suo maximè alienæ, se subtrahens, relictâ aulâ Vallisoletum concessit. De quo uno cive Granata urbs, magnorum virorum parens, gloriari posset, si Franciscum Suarium, Gasparem Sanchez, & alios præstantes homines, inter sua decora non computaret. Jure ambigas, quo in genere noster Ludovicus excelluerit: nam Theologiam Limæ summa cum laude docuit. Sociis Chilensibus præpositus, fundatione & regimine Collegiorum, aliarumque sedium, prudentiæ artibus inter paucos eminuit. Eloquentiâ adeò singulari fuisse perhibetur, ut Senatoribus Regiis & Regi Catholico admirationi fuerit, atque Historiam suæ Provinciæ & virorum illustrium elegantissimè conscripserit. Si enodandarum conscientiarum artem spectares, facilè inter Asceticos Magistros non ultimum locum illi concederes: quæ omnia ornamenta postposuit uni animarum zelo, quo incensus, tribus Indorum linguis, quas callebat, Lexica, Grammaticam, Catechismos, & methodos peccata confitendi, typis mandavit; & insuper tanta quanta sparsim narravimus pro Chilensium Barbarorum patrocinio per tot annos patravit. Nec nocuit summo viro sycophantarum invidia, quæ, ut fit, non minùs quàm tot animi corporisque decora celebritatem ejus nominis intendit. In Hispania sexennio Vallisoleti Theologica studia moderatus est, & exinde in domo professa conscientiis regendis scribendisque libris se tradidit, donec sexagesimo-tertio post initam Societatem anno, & hujus sæculi quadragesimo-quarto, integrâ famâ fatis concederet. In Onietensi Collegio in ultima senectute votum vovit Domino de repetenda India, si per Superiores & vires liceret.

Ab Rege laudatur.

Senatoriæ dignitatem remisit.

Ejus patria.

Dotes.

Linguarum Indicarum peritia.

Mors.

CAPUT XXII. Chilenorũ Socioruṁ vexationes & labores.

SEMOTO Ludovico Valdiviâ, non ideò ceſſavere vexationes, quibus Socii, Provincialis hortamento, non cedentes, eo tempore, quo repullulantibus ob defenſionem Indorum in Societatem odiis, & compita calumniis in noſtrum nomen perſonabant, noſtri operarii in templis, in carceribus, ruri domiq́ue, contra vitia vocem ſuam exercebant, nunquam ſine operæ pretio: quin & æmulorum acerrimi, nullius, niſi Societatis, operâ in componendis conſcientiis utebantur, fatentes aut ſibimetipſis auri ſervitiorumq́ue cupidine faſcinum feciſſe, aut ab torrente rapi ſe ſiviſſe, Societate inter probra & odia integrum decus conſervante: ut ſcias nec gemmam in luto, nec virtutem in contumeliarum inquinamentis, pretium ſplendoremq́ue deperdere. Collegium Conceptionis ornavit morte ſuâ Stephanus à Madrito, coadjutor temporalis, in agro Burgenſi olim natus, omnium ordinum venerationem ob Sanctitatis opinionem promeritus, inde ortam, quòd externos homines nunquam niſi de Divinis rebus alloqueretur, Barbaros lubenter Catecheſi informaret, & vacua ab officiis domeſticis temporis ſpatia Venerabili Sacramento de genibus adorando aſſiduus tereret. Statim ac nolâ domeſticâ funus ejus indicatum eſt, omnia urbis templa lugubriter etiam inſonuere. Dominicani, Mercenarii, Franciſcani, & princeps Eccleſia, ſeparato officio, deinde ſimul omnes cum plebe funus ejus cohoneſtarunt. Chilenſis regni Prætor, belli Duces, & cætera nobilitas, cadaveri efferendo ſuccollavere, tantâ officii præſtiti æſtimatione, ut cùm cæteri ſibi invicem honoris ergò ſuccederent, ipſe Prætor feretrum non antè alteri tradiderit, quàm ad mediam templi aream deponeret. Fabrilem is artem exercuerat: adeò nihil humilitas officii eum deprimit, quem egregia virtus è grege allevat. Sub id tempus, tab ejuſdem Collegii Sociis, graſſante peſte, & aliis occaſionibus, octingenta & amplius capita Sacramento baptiſmali expiata ſunt. In Araucana ſede quingentos adultos, & numerum infantium ampliorem, Socii Sacris undis immerſere. Quot Bonæ Spei ſedis operarii ad ovile Chriſti hoc anno adduxerint, non diſtinctè reperio: quamquàm ex vicinarum ſedium ejuſdem conditionis meſſe facilis conjectura eſt.

Sociorum integritas.

Stephani à Madrito mors.

Virtutes.

Funus.

Octingenti baptizati,

Item quingenti,

Et forſan totidem alii.

CAPUT XXIII. De Æthiopum baptiſmis. 1621.

INTERIM per Tucumaniam vigebat Æthiopum cura, motore Didaco Torres, in ejus gentis levamentum à multis retrò annis incitatiſſimo. Intendit eam curam orta ſub id tempus de Baptiſmorum Angolæ Æthiopibus collatorum valore controverſia: unis cenſentibus recenter advecta ex Africa mancipia ſub conditione baptizanda eſſe; aliis negantibus. Qui nihil circa Æthiopum ejuſmodi Baptiſmos innovandum cenſebant, in hunc fermè modum ratiocinabantur. Non eſſe temerè revocandum in dubium, quod Sacrorum Antiſtites in Africana ora Regi Catholico ſubjecta, circa Sacramenta operarentur. Si ſcrupuli de ea re injiciantur, ſimplices Æthiopes per totam Americam, ſpectatâ popularium ſuorum iteratâ lotione, nuſquam quieturos, uſque dum etiam relavarentur. Pro remedio rariſſimi mali tendi certos laqueos innumeræ multitudini. Non negari fieri poſſe, ut ſubinde defectus ſuboriantur circa horum hominum Baptiſmum, ſed pleroſque non verſari circa valorem. Quis neget inter hæreticos Sacrorum depravatores, multa Baptiſmata pravè adminiſtrari; & tamen rarò ſollicitari hæreticos ad Fidem converſos, ut ſe denuò initiari ſinant. Per tot retrò annos nihil de Æthiopum Baptiſmo ab quoquam dubitatum fuiſſe, proinde novitatem quovis religioſitatis pallio tectam ſuſpicionibus obnoxiam fore. Hæc diſſuaſores: adverſus quos alii aiebant, Africanæ oræ Antiſtibus nihil detractum iri, ſi defectus, quos ipſi maximopere emendare cuperent, nec poſſent, quavis in Orbis parte corrigerentur. Scrupuloſitatem non eſſe vocandam, ſalutem tot mortalium periclitantem in tuto ponere. Æthiopes ſemel examinatos facilè quieturos. Perperam autem adduci hæreticorum exemplum rarò Baptiſmorum valori incommodantium; & ubi errarent, errores adhibitâ cautione etiam corrigendos. Quod verò de novitate ab adverſariis opponebatur, non admodùm urgere, cùm certum ſit, ſagacitate quorumdam mortalium quotidie oriri dubia circa multas res, quæ variantibus circumſtantiis diverſum à priſtino ſtatum accipiunt. Hæc erant utrimque controverſiæ robora. Quando verò & quo-

Controvertuntur Baptiſmi.

Pars aſſerit validos.

Pars negat.

Origo controversia.

Alfonsi Sandovallii sententia.

Huic accedit Archiepiscopus Hispalitanus:

Et viri planè præstantes:

Et Mexicani necnon Novogranatenses:

Et Hieronymus Bogadus.

Tucumaniæ necnon portus Boniaëri Socii.

Multi Æthiopes baptizantur.

Didaci Torres in Æthiopum nationem officia.

modò in re præsenti dubitatum sit, ad originem recurrendo, non erit infructuosum evolvere. Anno hujus sæculi quinto, dum Didacus Torres Quitensem Provinciam pro Societate fundaret, perspiceretque multa quotannis Æthiopum millia ex Africa in Americam per novum Cartagenæ portum invehi, eorum curam Alfonso Sandovallio, Socio impigro (qui deinde de restauranda Æthiopum salute utilem librum à se scriptum ipsi Didaco Torres dedicavit) commendavit. Is crebrâ percunctatione ab Africanis mercatoribus, quomodò Æthiopibus Baptismus Loandæ conferretur, & insuper multorum annorum usu, cùm coram ipse perspexisset, quàm Mysteriorum nostrorum inscii plerique appellerent, id in animum induxit suum, optimè se facturum, si scripto libello, Hispalitano Archiepiscopo significaret, videri sibi plerorumque Æthiopum ex Africa in Europam atque Americam transvectorum Baptismata, defectu Catecheseos invalida esse; ac proinde non admittendos ad ulteriora Sacramenta, donec dubii adhibitâ cautione denuò baptizarentur. Placuit Illustrissimo Præsuli Castro & Quiniones libellus Sandovallii, ad quem examinandum ejus authoritate ex Societate nostra ac aliis Ordinibus viri præstantes designati in sententiam Sandovallii concessere. Ex quorum consilio Archiepiscopus Diploma fecit, per Diœcesim suam mandans advectos Æthiopes, nemine dempto, prudentûm virorum examini subjici, & dubios, conditione interpositâ, Sacro Fonte immergi. Tanti Præsulis exemplum mox sequuti Mexicani & Novogranatensis regni Antistites, Æthiopum examinatores in portubus maritimis constituêre. Quarum rerum fama cùm sub id tempus in Tucumaniam volasset, quò ingenti conatu Didacus Torres id examen ubique inducere contendebat, factum, ut ipse in offensionem contrariorum incurreret, judicium præteritis disputationibus oppigneratum ægrè, ut fit, deponere volentium. In his rebus dum sunt, litteræ Hieronymi Bogadi, Collegii Angolani Societatis Rectoris, quem Didacus Torres super ea re consultaverat, ex Africa adferuntur, quas ex Hispano Latinè versas lubet hîc appendere. *Pater Didace Torres, Reverentia vestra benè agit, dum de Baptismo Æthiopum ex Africa in alias terras transportatorum addubitat: nam mea opinio est, non esse baptizatos, & saltem conditione interjectâ rebaptizandos esse, quòd nullâ fermè præmissâ Catechesi Baptismum suscipiant. Pridie enim quàm è portu solvant, turmatim sistuntur Vicario, à quo interrogati simul omnes, num Christiani velint fieri, additis pauculis verbis, priusquam qualem Fidem recipiant intelligere possint, acceptis Christianis nominibus (si Superis placet) baptizantur. De hac supina incuriâ sæpè ego, in conspectu Episcopi, Vicarios Generales monui, exiguo planè fructu; nam quamvis recenter moniti suo diligenter fungantur officio, mox tamen in pristinam negligentiam revoluti, indebito modo miserrimos homines procurant. Episcopus verò abundè se conscientiæ suæ satisfecisse existimat, si Vicarios, incuriæ accusatos, aliquâ pœnâ multaverit.* Hæc Bogadus. Lectis his litteris controverti negotium desitum est: & Sociorum omnium animi in eandem sententiam pedibus manibusq; concedentes, in omnem partem se versavere, quò afflictissimæ genti consulerent. Didacus Torres, exiguo planè tempore, mille fermè Æthiopes, non frustrà sed cautè, relavit; viginti quinque millia per se instruxit. Episcopos Boni-aëris ac Tucumaniæ ad constituendos Æthiopum examinatores animavit. Ejus hortatu aliquot Socii impigri, devoratâ Æthiopum linguâ, se totos iis curandis tradidere. In comperto est, Petri Helgueti & Lopii Castillii operâ, plurimorum millium Baptismos in securo fuisse positos. In portu Boni-aëris, concurrentibus subinde multis navibus, ex Africana ora mancipia distrahenda advehentibus, in idipsum numeroso fructu invigilabatur. Cordubæ peste grassante, ex septingentis Æthiopibus morte sublatis, media pars, adhibitâ cautione, denuò baptizari debuit: nec dubitabatur id bonum deberi Didaco Torres, à pluribus retrò annis in salutem Æthiopicæ gentis incitatissimo. Nam primus omnium ab Rege Catholico impetravit, ut in Americæ urbibus speciales Æthiopum Parœchiæ instituerentur. Cartagenæ Episcopo author fuit mancipia in quatuor Ecclesias dividendi. Synodo Chuquisacensi suasit, ut decretum faceret de examinandis Æthiopum Baptismis. In ejus epistolis præcharas clausulas invenio, quibus Socios ad id muneris incitabat, ne pigeret sementem

jacere

jacere in terram nigram, eam enim præ aliis videri fertiliorem. Joannem Guardiam rogabat, magni faceret fuscas conchas, è quibus candidissimas margaritas erueret. Porrò celebri ostento Didacum Torres ad eam curam animatũ olim fuisse, ab Joanne Salas, probatissimæ rei spectatore, didici. Olim è Panamensi tractu in Peruviam noster Didacus navigans moribundum Æthiopem, adhibitâ cautione, baptizarat; eo mortuo & in mare cum pondere, ut solet, dejecto, significavit adstantibus cupere se maximè rescire statum defuncti Æthiopis: mirum dictu! aliquot horis postquàm depressum esset cadaver, quamvis prospero vento veherentur, circa navim verso in Cœlum vultu, cum duabus avibus nive candidioribus corpori impositis, apparuit; nemine ex vectoribus dubitante, eo spectaculo desiderio Didaci Torres fuisse satisfactum; & fausti coloris aves, versosque cadaveris in Cœlum oculos, reloti non frustrà Æthiopis felicitatem designasse.

CAPUT XXIV. De Chileni Regni rebus.

Dum sic ferveret Æthiopum cura, nihilo frigidiùs Indi procurabantur. Apud Cuioënses Andreas Agricola & Christophorus Deodatus subcensitas Mendoçinæ urbi valles, & Montanas regiones, excursionibus continuatis excolentes, magnam Ethnicorum catervam baptizavere. Apud Araucanos, præter ordinarias ex locis vicinis animarum prædas, Vincentius Modolellus, & ejus socius, populos longè remotos, hostium incursionibus & itinerum asperitatibus infestos, lustrantes, octo pagorum incolas, partim Ethnicos, partim Neophytos, Sacramentis expiavere. & In Insula Sanctæ Mariæ quinquaginta Christianos fecere. Conceptionis urbis Magistratus tres Barbaros bello captos furcæ adjudicarat; duo è tribus, adnitente Rodericio Vasquio, paulò antequam vitam finirent, baptismum admisere; tertius, pertinaciter recusato animæ remedio, è scalâ etiam protrusus est: Sed, ô Dei, ad æternam gloriam mortalium indignissimum prædestinantis opus singulare! protrusus, abrupto fune benè licet crasso, in terram toto pondere procumbit; attonitusque proclamat velle se fieri Christianum; nolle se æternis deliciis privari: baptismum magno affectu postulat; quo post professionem fidei impetrato, in furcam rursum actus, cum spe salutis æternæ vitam finivit. Captivi etiam alii, admisso baptismo, in libertatem filiorum Dei asserti sunt. Sed ad Chiloënses navigo, inopinatum Pradæ Vallisoletani funus cohonestaturus, vel ob id mihi posteritati commendandi, quòd eximias corporis & animi dotes, extra mortalium omnium oculos, terrarum ultima petẽs, absconsum venerit. Duodequadraginta ætatis annos computabat, ex quibus duodecim in religione posuerat, eâ virtutis opinione, ut paulò antequam fatis concederet, perlatæ Româ sint litteræ, quibus ad summum Societatis gradum admittebatur: quem licet morte præventus non assequutus sit, speramus tamen non defraudatum præmio caritatis, quâ bonus Pastor posuit animam pro ovibus suis. Ibat ille, pro more, Insulas Chiloënses adnavigans, cùm diseriterià tentari cœpit: pergebat tamen profligatis viribus Barbaros omni ope curare, tantâ sui incuriâ, ut sub arbore sedens, perflante aurâ frigidissimâ, totum pænè diem in excipiendis Neophytorum confessionibus perdurarit, donec eum vires in eo opere penitus deficerent. Igitur celeri navigatione ad Hispanorum oppidulum revectus, tentatis nequicquam remediis, è vivis elatus est, tanto omnium mœrore, ut ob lachrymas & singultus vix justa Ecclesiastica persolvi potuerint. Hæc lamenta debebantur viro ad instituti nostri atque Apostolicæ vitæ rationes apprimè facto. Singulis diebus è ramali casâ, aut cymbâ in proximam se sylvam summo mane recipiens, acerbâ flagellatione corpusculum excipiebat, qua calorem mentis excitari sibi asserebat. Hâc quasi velitatione præmissa, aciem contra dæmones explicabat. Quæ verò spolia ipse & Socii retulerint, suis temporibus narratum est. In Sanctæ Fidei & Boni-aëris urbibus, earumque ditionibus, aliquot Ethnicos ad Christi castra transiisse repetio.

Multi apud Chilenses baptizantur.

Apud Araucanos octo pagi postolicè procurantur.

Mirabilis suspensi hominis conversio.

Præda Socii mors.

Fructus.

Virtutes.

CAPUT XXV. De rebus Paranensibus.

Petrus Romerus ad Paranam laborans, Patrum Franciscanorum invitatu, ad duo oppida ab iis in mediterraneis fundata inspicienda iteratò perrexit, ubi uberem planè fructum expiatis omnibus Neophytis, & quampluribus Ethnicis

Petrus Romerus plures baptizat.

Baptismo initiatis, percepit. In medio ad ea oppida itinere lapis visebatur, Ethnicorum superstitionibus famosus, quo ille disturbato, impietatis loco, pietatem sufficiens, spreto periculo, Crucem erexit. Itapuæ Didacus Boroa sylvestria mapalia excutiens, in moribundam mulierem incidit, quam maritus minis territabat, ne Christianis se adjungeret; sed Didacus Boroa, intrepidis verbis castigato perfido conjuge, fœminam induxit, ut volens lubensque Baptismum peteret; quo suscepto versùs cœlos animam efflavit. In tribus Paranæ oppidis Socii nullum periculum subterfugientes, multaque prudenter tolerantes, numerum cœlestium, Ethnicos Neophytosque magno numero expiando, peste grassante auxêre. Itapuæ, tactu Sichemiensis Virginis icunculæ, mulier ob transversum partum laborans liberatur. Sub finem anni Petrus Oniatus, Provincialis Paranæ, Sociis pro munere inspectis, decrevit Urvaicam flumen usque ad portum Boni-aëris per centum & quinquaginta leucas ab Rocho Gonsalvio, quamprimùm fieri tutò posset, explorandum, & secundi oppidi fundamenta ad ipsum Urvaicæ littus jacienda, & ad Paranam quarti oppidi fundationem adverso flumine omni ope ab Didaco Boroa tentandam esse.

Virginis Sichemiensis miraculum.

CAPUT XXVI. Exploratio Urvaicæ fluvii disturbatur.

1622.

IGITUR digresso Provinciali Rochus Gonsalvius, Urvaicæ littora usque ad portum Boni-aëris lustraturus, habito Neophytorum delectu, se dat in viam: quâ re cognitâ, Urvaicenses Ethnici suspicantes, Rochum Gonsalvium ad portum Boni-aëris tendere velle, ut in exploratam jam ab se terram Hispanos invitaret (duce eo qui sub Urvaicensis expeditionis initium Crucem ad Urvaicæ littus erectam deturbaverat concremaratque) armati, & cymbis impositi, magno tumultu progrediuntur: quam rem odorati Rochus Gonsalvius & ejus comites, periculorum certi, nec ignem excitare, nec in propatulo procedere satis audebant. Inter quos timores cùm intempestâ nocte sub littoralibus sylvis ad quietem se componerent, audiunt secundo flumine magno fremitu descendere furiosorum hominum cymbas, distinctis vocibus Rochum ad necem destinantium. Unicum remedium in silentio ac tenebris fuit: quarum beneficio inobservatus Gonsalvius, postquam tumultuantes ab profluvio rapti longè jam aberant, eò, unde venerat, retrocedens, quantâ celeritate potuit Conceptionis oppidum repetiit: ubi habito Sociorum consulto, iter injunctum in aliud tempus dilatum est.

CAPUT XXVII. Rochus Gõsalvius oppidum ad Urvaicam frustra fundare tentat.

EÂ re disturbatâ, ad secundum oppidum fundandum Rochus Gonsalvius animum adjecit: quod ut minimo vitæ discrimine faceret, generalem, ut vocant, venationem, ad quam campestres Urvaicæ populi undequaque invitarentur, per suos Neophytos institui procuravit. Porrò ejusmodi venationis generalis hæc fermè est ratio. Indi venatores ingentem campum magno planè numero in orbem obsident: deinde ex condicto, diminuto æqualiter orbe, ad centrum, quo se struthiones, capreæ, aliæque feræ, hominum sese circumcingentium metu, recipiunt, arctando properant, & in angustias redactas hilari sublato clamore mactant, atque in solemnes epulas decoctas comedunt. Ad solemnem hanc recreationem solent Indi se longè latéque invitare. Rochus verò Gonsalvius, egregius venator animarum, Neophytis suis se immiscens, præ se tulit desiderium ejusmodi venationem coram spectandi; sed reverà sub hac venationis specie occultabat consilium per se lustrandi loca fundandis oppidis opportuna, seseque in familiaritatem Ethnicorum insinuandi. Quod utrumque licet præstiterit, tamen quia immaturi adhuc erant & acerbi plerorumque animi, in præsentiarum novi oppidi constructio attentari non potuit. Adde, quòd è venatione redux, pestem in Conceptionis oppido reperit, quâ dispalati Neophyti Catechumenique, novam laborum materiam ipsi & socio, irrequietè sylvas & campos, ne quis inexpiatus obiret, indagantibus, præbuere. Pestem fames excepit adeò lurida, ut plerique iterùm, defectissimis licet viribus, sese ad remota loca effunderent, obvia quæque & noxia devorantes. Arioli, occasione abusi, spargebant in vulgus, ob receptam Fidem Christianam hæc mala cœlitùs immitti: & Paranenses Ethnici per secretos calumniarum cumi-

Barbarorum venandi modus.

Apostolica venatio.

Pestis.

Ariolorum perversitas.

culos

culos Sociorum authoritatem omni ope elevabant. Inconcussis ad hæc Gonsalvio & Aragonâ, præ Divini auxilii spe omnia dæmonum terriculamenta postponentibus, & sedato utroque malo reducendis denuò Indis, atque oppido reformando, egregiam operam navantibus.

CAPUT XXVIII. Corporis Christi oppidi fundatio.

Inianenses populi.

Petri Romeri labores.

Excursiones.

Quadringenta familiæ reducuntur.

FELICIÙS ad Paranam, peste etiam grassante, res agebatur: nam præterquàm quòd vetera oppida in supplementum morte sublatorum novis Catechumenorum accessionibus resarcirentur, quartum oppidum apud Inianenses ab Societate fundatum est. Porrò Inianenses ab Itapuanis quindecim leucis adverso flumine distracti, magnâ per multos annos contentione ab Rocho Gonsalvio ac Didaco Boroâ, ut se ipsis Itapuanis adjungerent, sollicitati, partim fetitate animorum, partim patriæ desiderio, morem gerere recusarant: sed hâc tempestate ita se Fidei Christianæ inclinaverant, ut ultrò peterent Sacerdotes: ad quos Didacus Boroa & Petrus Romerus profecti, omnium fermè animos in se propensos habuere. Paucis igitur renitentibus, novo oppido fundando statim insudatum est, quod ad Iniam rivum, Paranæ influentem, lætis auspiciis positum, Christique Corporis nomine insignitum, hactenùs feliciter perdurat. Didaco Boroâ ad veterum oppidorum regimen post quindecim dies regresso, Petrus Romerus in nova statione perstitit, unus magnitudine animi plurimorum munia complectens: baptizare infantes, pueros instituere, adultos informare, ariolos præstigias dedocere, ægros invisere, politicum Christianumque vivendi modum inducere, diu multum agere, noctu prolixè orare, ædificationi insistere, parùm comedere, multum sudare, liberaliter sua largiri, concatenati boni Patris labores erant. Stabilito utcumque oppido, in diversa remotaque loca expeditiones suscipiens, multos ad oppidum, atque adeò ad Christi Fidem, traduxit. Ibat per ericeta, per paludes, per spississima nemora, nullo tempestatum discrimine, venatorum more animas indagans, ut quamplurimas Christianæ veritatis telo transfigeret. Peste grassante ad Tibiapum; Pirapum, Caapibarim flumina, per inundatas terras Ethnicorum humeris delatus, pluribus per Baptismum saluti fuit. Denique ita animosè rem ursit, ut brevissimo tempore novum Corporis Christi oppidum, ubi ego olim ferè per annum opellam meam contuli, quadringentas familias, in Catechumenorum album relatas, numerarit, & hactenùs ibi Societas suprà quinquies mille capita baptizarit.

CAPUT XXIX. Josephus Cataldinus frustra Ibitirambetanos ad oppidum reducere contendit.

De Campestribus Guairanie populis.

Cataldini magnanimitas.

AT in Guairaniâ Josephus Cataldinus novum oppidum fundare tentans, non minùs, quàm si fundasset, solo conatu inclaruit. Rem breviter expediam. Ad sylvas Laureto proximas, sagittarum materiam efferendi ergò, è remotis locis venerant campestres Indi, Ibitirambetam, Brasiliæ obversam regionem incolentes, è qua regione aliquot Ethnici Lauretanis se Neophytis, religionis ergò adjunxerant, narrabantque innumerâ pænè Barbarorum multitudine campos patrios scatere. Occasione igitur arreptâ Cataldinus, ubi cognovit Ibitirambetanos advenas in arundinetis non procul abesse, missis Neophytorum honestissimis, eos invitat ad oppidum, omnique officiorum genere devinctos rogat, num se ad suas terras, Fidei Christianæ propagandæ ergò, ducere velint. Cui Nambahaïus, advenarum præcipuus, & inter suos potens, in hunc fermè sensum respondit: *Per me*, inquit, *non stabit, ô Pater, quin tuis votis fiat satis: sed scias velim id sine tui & mei capitis periculo fieri non posse: nam me reliqui Casiquii in pœnam introducti Sacerdotis, & te in odium novarum rerum mactabunt. Si vilis tui capitis jactura est, aude quod ambis.* Cataldinus, re Deo commendatâ, periculi non renuens, & necis, si accideret, pro Christo appetens, assumptis secum Didaco Salazario, Socio intrepido, & aliquot Neophytis, Nambahaïo se tradit ducendum. Integro mense adverso Tibaxivâ flumine ob crebra præcipitia in itinere posito, ubi proxima Ibitirambetæ loca attigit, Nambahaïus per nota viarum diverticula, antequàm popularibus factum suum innotesceret, periculo se subduxit. Sed Cataldinus ultrà progredi temerarium ratus, consulto priùs Deo, juvenes duos eo fine secum advectos, è suo comitatu ante se cum muneribus mittit, rogaturos ab Ibitirambetanis Casiquiis, ut ad

se audiendum venire non renuerent. Delegati juvenes Ibitirambetanis noti erant, spesque affulserat, eorum operâ, gentis primores allici posse ad colloquium. Sed ubi ad primum pagum pervenere, Candiræus vir ferox, pagi Casiquius, audito nuncio, multa in religionem Christianam deblaterans, negat se ad Sacerdotes perrecturum; nec his contentus utrumque juvenem verborum lenociniis primùm, tum intentatâ morte, pellicere tentavit, ut apud se remanerent: si id facerent, utrique ambas filias, quas speciosas ac nubiles habebat, adpromittens; & si renuerent, certam mortem non evitaturos interminans. Major natu ex adolescentibus, quamvis matrimonio jam conjunctus, mortis metu & fœdo amore dementatus, statim persuaderi se sinens, in amplexum designatæ puellæ ruit, professus se, desertis Sacerdotibus Christianis, apud Ethnicos remansurum. Sed Philippus Pipirius, quem honoris causâ nomino, socii turpe transfugium execrans, affirmat se ritu Christiano conjugatum nullâ ferocitate, nullo mortis metu, nullius alterius puellæ venustate nobilitatéve adductum iri, ut fidem Christo & conjugi suæ nuper datam violet. *Ergo*, inquit Candiræus, *morieris, & despectæ filiæ meæ, imperiiq; violati, pœnas lues.* Cui Pipirius: *Mori*, inquit, *possum, sed Christianæ Religionis leges infringere non possum.* In hæc dicentem affirmantemque, si pro ea causa moreretur, se æternùm Deo fruiturum, Candiræus & ejus asseclæ insurgunt, fustibusque crudeliter trucidatum, pro more gentis in frusta secant, & magno apparatu parricidali convivio adaptatum devorant. Interim Cataldinus & Salazarius morâ fatigati, suspicati id quod erat, ex consilio Neophytorum, eò unde venerant secundo flumine celerrimè rediere. Paucis pòst diebus, ex Ibitirambetanis advenis serie parricidii cognitâ, in Dei laudem latè excursum est, quòd novum hominem veteribus Heroïbus dignatus fuisset immiscere. Cæterùm tanta Pipirii castitatis ante adeptam gloriosam necem apud omnes æstimatio erat, ut Villaricani, audito quemdam Neophytum pro castitate conservanda occisum fuisse, nec scirent quis esset, affirmarint non alium potuisse esse, quàm Pipirium, quòd ipse oculis demissis aspectum mulierum constantissimè devitare soleret.

Duorum Neophytorũ disparitas.

Philippi Pipirii continentia.

Fortitudo.

Mors.

CAPUT XXX. De Francisci Vasquii Truxillii procuratione.

INTER hæc Franciscus Vasquius Truxillius, procurator ex Europâ redux, duos & viginti subsidiarios Socios in portum Boni-aëris feliciter invexit. Petrus Oniatus Provincialis obviis ulnis è navibus eductos omnibus hilaritatis Religiosæ ostentamẽtis in Collegium induxit: ubi eos plurifariam exhilaravere sexdecim Neophyti adolescentes, ab Joanne Vasæo Gallobelgâ musicam edocti, & ab Antonio Ruisio quadringentarum leucarum itinere ad portum è Guairaniâ adducti; qui vocum ac instrumentorum dexteritate ita se probavere, ut omnium admirationem meruerint. Ludovicus Gongora Prætor, & Carança Episcopus, advenas honorificè hilariterque etiam excepere. Peractis gratulationis officiis, Regis Catholici recentes litteræ expromptæ sunt, de novo jubentis è suo ærario in nostrorum Neophytorum oppidis Socios omnes ali, & recenter suis sumptibus advectos, ad loca, quo eos Provincialis destinasset, Regiâ pecuniâ transportari. Toti Provinciæ magnum ornamentum addidere ejusdem Regis Catholici litteræ, & Diploma Gregorii Decimi Quinti, quibus scholarum nostrarum auditoribus litterarios Magistrorum ac Doctorum gradus adipiscendi jus concedebatur. Cui juri cùm reluctarentur in Tucumania quidam Religiosi, nescio quas litteras antiquatas expromentes, Senatus Chuquisacensis authoritatem legitimis tabulis pro Societate interposuit. Igitur Collegium Cordubense apud Tucumanos, & Sancti Jacobi apud Chilenos, in Academias erecta sunt. Sed & aliud à Pontifice Romano huic Provinciæ decus additum est; nam dum Franciscus Vasquius Pontificiam benedictionem de genibus efflagitaret à Paulo Quinto Pontifice Maximo, Paraquariæ Societatis operarios designante, hanc vocem audire meruit: *Vos estis decus Societatis universæ.* Quam vocem tam parvitati nostræ indebitam, quàm Pontificis benevolentiæ declaratricem, Vasquius quâ potuit vultûs & verborum demissione excepit. Ex recenter advectis Sociis Petrus Spinosa, & Gaspar Osorius, fuso inter Indos sanguine claruere; Franciscus Diastanius flexo per Tucumaniam itinere, religiosè recusato

Benevolè excipiuntur.

Regis Catholici liberalitas.

Academiarum erectiones.

Pauli V. de Paraquaria Socio dictum honorificum.

Philosophiam

Philosophiam docendi munere, in Guairaniæ subsidium properavit, quò antequàm perveniret, integri fermè pagi incolas à Paiaguis trucidatos, in libamentum Apostolicorum laborum, sepelivit. Reliqui, prout sese in decursu offerent, à me nominabuntur.

CAPUT XXXI. Provinciæ status.

SUB finem anni, litteris Mutii Vitelleschi Generalis cognitum est, Nicolaum Durandum Mastrillum, Petro Oniato in Peruviam revocato, suffectum esse. In cujus octennali præfecturâ quinque domicilia in Indorum terris de novo posita sunt, & totidem sedes in Hispanorum urbibus olim erectæ, jura Collegiorum accepere, & nuperrimè Estecense Collegium conditum est. Adeò ut jam Provincia universim undecim Collegia, convictoria duo, tyrocinium unum, & tredecim apud Neophytos sedes, censeret. Oniatus, cùm solummodo unum supra centum Socios ab decessore suo gubernandos suscepisset, centum & nonaginta quatuor, duplicato fermè numero, reliquit. Pleraque Collegia tripartitas quadripartitásve Sodalitates computabat, in quibus selecti Hispani, Æthiopes, Indi, ac scholarum nostrarum auditores, discretis temporibus ad Virginis amorem & virtutum exercitationem informabantur. Cordubensis Academia florebat selectu Magistrorum & discipulorum solertiâ; nec deerant inter studia intercalares ad Indos missiones, & Æthiopum Catecheses, quibus juvenes nostri Apostolicis expeditionibus initiabantur. In cæteris Tucumaniæ Collegiis fervebat domi forisque opus Apostolicum, magno semper animarum proventu. In Calchaquina valle duæ sedes nuper positæ nutabant, ob Calchaquinorum pertinax in Europæos odium, & quorumdam in Indigenas nimiam dominationem, quibus accedebat gentis pervicacia, inolitos ritus obstinatè retinentis. In Chileni regni metropoli perseverabat Rectorem agere Joannes Romærus, adeò integrâ famâ, ut inter innumeras calumnias, domesticis ac externis venerabilem se præbens, ingentem per se suosque colligeret messem animarum. Cuioënse Collegium, per regionem ducentis leucis variâ latitudine in longum protensam, Christophoro Deodato & Andreâ Agricolâ Germano excursoribus, opima de dæmone spolia, multis Ethnicis baptizatis, identidem reportabat. In Araucana valle eadem erat, quæ à me sæpiùs descripta Sociorum solertia, & indigenarum perversitas: colligebatur tamen ex spinoso petrosoque agro aliquantula seges, eò gratior, quò copiosioribus parta sudoribus. Socii Chiloënses, Melchiore Vanegâ duce, pergebant inclarescere, continuâ navigatione octoginta Sacella in totidem vicis per insulas sparsis inspicientes. Sub finem Oniati Præfecturæ, Joannes Pastor Marcello Lorençanæ, Assumptionis Collegio & subcensitis Neophytorum oppidis hactenùs præposito, ad regimen Collegii Cordubensis evocato, successit; cujus hortamentis non segniter respondebant Socii latissimè disparati. Vacillabat tamen, ob mobilitatem & ferocitatem gentis, sedes apud Guaicuræos posita, quamvis eam fulcirent Apostolicis machinamentis Antonius Moranta & Josephus Oregius. In Guairania reliquis Sociis regendis Josepho Cataldino suffectus est Antonius Ruisius, qui aucto Sociorum numero, ex Oniati præscripto, in occasionem novorum oppidorum fundandorum intendebat. Octo inibi Socii erant, Antonius Ruisius Peruanus, Josephus Cataldinus in agro Romano natus, Simon Maçeta Neapolitanus, Joannes Vasæus Tornacensis Gallo-belga, Didacus Salazarius & Franciscus Ortega Bœtici, Franciscus Diastanius in Insulis Fortunatis, & Christophorus Mendoça in Peruviæ montibus orti, tam animis uniti, quàm nationibus dispares. Ad Paranam & Urvaicam pari ferè numero & disparitate nationum rem Christianam promovebant Didacus Boroa Castellanus, Rochus Gonsalvius Paraquarienſis, Claudius Ruiër Burgundus, Thomas Urvenia Castellanus, Alfonsus Aragona Neapolitanus, Franciscus à Valle Lusitanus, Petrus Romerus Hispali natus, quibus accessit Ludovicus Bergerus è Gallo-belgica advectus, pingendi & ad modulos canendi arte peritus, qui unanimes per egregia facta, reducendis ad oppida Barbaris, Christianum Hispanicumque dilatabant imperium. Atque ut hoc semel dicam, conducibile videtur Evangelio prædicando adhiberi, sine discretione nationum, quos Deus ipse elegerit, cùm ipse disertè pronunciet: *Non vos me elegistis,*

Sedes.

Sodalitates.

Musica.

Socii.

Variarum nationum Sociorum concordia.

Utilitas.

sed

ſed ego elegi vos, ut eatis, & fructum adferatis: nec noſtrum ſit alligare ſpiritum Domini. Super hæc uſu compertum eſt, eam nationum mixturam, ut in exercitibus, ſic in expeditionibus Apoſtolicis ad æmulationem multùm prodeſſe. Paranenſes Socii, Didaco Boroâ præcipuo motore, Acaraïenſes & Iguacuanos Ethnicos proximam converſionis ſpem oſtentantes, ad fundationem novorum oppidorum ſollicitabant. Rochus Gonſalvius & Alfonſus Aragona minori ſpe, pari tamen conatu, Urvaicenſibus pertinaciter reluctantibus inſiſtebant: ſed ſpem diſparem æqualibus pænè ſucceſſibus coæquatam brevi videbimus. Cæterùm Provincialis Petrus Oniatus Collegiorum mores, & ſtudiorum leges, ad Inſtituti noſtri normam reduxit, & pro Neophytorum oppidis utiles ordinationes condidit; adeò ut fama fuerit, multorum approbationibus celebrata, Didacum Torres Provinciam fundaſſe, & Petrum Oniatum ordinaſſe.

Petri Oniati cõmendatio.

HISTORIÆ PROVINCIÆ PARAQUARIÆ SOCIETATIS JESU

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT I. Initiũ Provincialatûs Nicolai Durandi varietate rerum consignatur. 1623.

NIcolaus Durandus Mastrillus Italus, gestis magistratibus, si quis alius, per Americam illustris, Collegii Limensis tum Rector, è Peruviâ solvens sub initium anni, Chilenum regnum Provinciæ suæ partem felici navigatione attigit: cujus præfecturæ initia faustæ infaustæque res consignarunt. Ordiar ab Petri Marini, irato Numini debitas inconstantiæ pœnas luentis, infelicissimo exitu. Is ideo Societati olim in Bœticâ nomen dederat, quòd in flumen ex equo lapsus vovisset, si aquis, quibus absorbebatur, liberaretur, se religionem professurum. Post aliquot religionis annos in Hispaniâ exactos, in Paraquariam navigans, ita se gessit, ut ex Societatis albo expungi meruerit. In Peruviam delatus, laxatis genio habenis, labefactatâ jam famâ, dum negotiorum ergò iter habet, equi vitio in rivulum præceps, quamvis trium palmorum aquas vix evolveret, suffocatus interiit. Nemine non advertente, ideo aquis periisse, quòd religionem, quam ob evitatam Divino auxilio submersionem voti reus inierat, beneficii immemor turpiter deseruisset. Gabriël Perlinus, antequam Peruviam repeteret, per Cordubensem ditionem excurrens, quadringenta adultæ gentis, partim Indorum, partim Æthiopum capita salubri lavacro abluit. Præterea multi senes ab his olim baptizati, qui linguæ Indicæ expertes, nihil aliud ab initiandis exigebant, quàm ut profiterentur se velle fieri Christianos, adhibitâ catechesi & cautione, denuò sacris undis variis in locis per nostros excursores immersi sunt. Salta, Hispanorum urbs modica, Societatis Collegium accepit. Hanc urbem Ferdinandus Lermæus Tucumaniæ Prætor anno præteriti sæculi octogesimo-secundo, non longè à Peruviæ finibus, in ipso fermè Calchaquinæ vallis ostio, ad reprimendam Barbarorum pervicaciam, feliciter construxit. Causa fundandæ sedis fuit, quòd inde Calchaquinis subveniri posse crederetur, & multæ nationes Barbaræ, circum urbem incolentes, Apostolicorum hominum operam exigerent. Urbis Magistratus ad templum & domum condendum necessaria subministravit. Nicolaus Durandus Provincialis in Calchaquinam vallem penetrans, perspectâ Barbarorum & locorum conditione, duas sedes, ante sexennium positas, ideò deserendas esse censuit, quòd quatuor Socii planè egregii assererent, neminem è ferocissima gente ex animo Fidem suscepisse: & quererentur Hispani, Societatis reverentiâ se cohiberi, ne perfidam & indomitam gentem, prout merebatur, sub jugum mitterent: cui rationi quamvis Provincialis non satis acquiesceret, prævidens si vi cum bellicosissima natione ageretur, futurum ut ingens damnum toti Tucumaniæ crearetur: tamen Sociis inde retractis, satis miserrimæ genti inpræsentiarum consultum putavit, si ea è Saltensi vicina sede Sociorum excursionibus excoleretur.

Petri Marini inconstantia castigata.

Quadringenti baptizati.

Saltensis Collegii initia.

Calchaquinæ sedes deseruntur.

CAPUT II. De vita & morte Joannis Vianæ.

MEnse Februario felici fato Cordubæ è vivis sublatus est Joannes Viana, Provinciæ nostræ non infima gloria. Viana Navarræ oppidum ipsi patria fuit; vel ideò mihi designanda, quòd Xaverii popularis sui exemplo (uti suprà narratum est) cam Româ redux religiosissimè despiciens, adire noluerit. E Castellana Provincia, ubi Societatem iniverat, ad Bœticam, è Bœtica in Peruviam, è Peruvia jam Sacerdos ante triginta annos ad Tucumaniæ missiones translatus, Quichoam,

Ejus patria.

Variarum linguarum peritia.

Lullanam, Kakanam & Tonocotanam Indorum linguas addidicit, quarum beneficio aliquot millia Barbarorum per Baptismum variis in locis Christianis addidit. Ut verò efficax esset Divini Numinis ad convertendas animas instrumentum, erga Majores obedientiam, corporis & animi puritatem, internam externamque modestiam, carnis afflictandæ studium, mansuetudinem, precandi assiduitatem, & cæteras virtutes Apostolicis viris conducibiles magno nisu consectabatur. Mutius Vitelleschus, perspecto coram viri candore, columbulam suam vocitavit. Non semel siccissimo tempore, & Sole omnia adurente, pluviam precibus à Deo impetrasse creditus est. Animarum justus æstimator dicere solitabat, labores omnes à se tot Barbarorum in regionibus per tot annos toleratos, cum unius animæ lucro comparatos, nullos pænè sibi videri. In Sancti Michaëlis Tucumaniæ urbe, puerorum Congregatione institutâ, adeò Marianum amorem teneræ ætati instillavit, ut exemplo permoti urbis primores, & ipse provinciæ Prætor, in album Sodalium cum pueris referri voluerint. Rectoratum Cordubensem paulò ante mortem tanto affectu successori tradidit, quanto ad cœlestem patriam anhelabat. Hydropisi lethali lecto affixus, ubi audiit nuncium de relato inter Sanctos Divo Ignatio, detineri non potuit, quin cum reliquis collegis gratias acturus ad templum se conferret, exclamans: *Claudi ambulant, surdi audiunt.* Monitus ut ab novo indigete, cujus olim auxilio à periculoso casu liberatus fuerat, sospitatem flagitaret, cum hac voce abnuit: *Non tentabo Dominum meum.* Si qui hîc ea, quæ in procuratione Romana egit, & quæ alibi à me de eo narrata sunt, attexere velint, abundè sufficient, ut inter Provinciæ nostræ viros illustres referatur. Funus ejus prosequuti sunt Religiosi omnes & cives, tanto concursu, quantum innocens ejus vita, Hispanis æquè ac Indis per totam Provinciam utilissima, merebatur.

Virtutes.

Morbus.

Funebris pompa.

CAPUT III.

Ignatius & Xaverius recenter inter Sanctos relati celebrâtur, & aliæ res narrantur.

Urvaicenſii Barbarorum ludi.

ADULTO jam anno, ubi authentico Romani Pontificis Diplomate cognitum est, Ignatium Loïolam, & Franciscum Xaverium, superiori anno inter Sanctos fuisse relatos, Australes hæ regiones, quòd multa sibi Ignatii ope cœlitùs concessa profiterentur, & Xaverii exemplo Socios ad animarum lucrum incitatissimos experirentur, ludos instituêre apparatissimos. In Hispanorum urbibus & Indorum pagis domi forisque nullis sumptibus parcitum, & omnes ingeniorum vires pietatisque industriæ expromptæ sunt, quò se novis Indigetibus gratos præberent. Super omnes tamen rei novitate in Assumptionis urbe placuere Urvaicenses aliquot pueri, nuper Christum professi: illuc ab Rocho Gonsalvio ducti, qui inter festivissimos urbis apparatus in duas turmas divisi, partim Barbarorum, partim Christianorum amictu, pugnam ad præscriptum fidium levissimâ saltatione repræsentavere. Barbari varietate plumarum insignes, clavâ & arcu, Christiani oblongâ Cruce pugnabant. Dispar utrorumque saltandi modus eodem musicorum instrumentorum concentu regebatur. Nunc videre erant agmina secernentes, nunc implicantes, nunc impetu utrimque facto sese quasi punctim imperentes: sæpè aream geminâ serie secabant, deinde ac si cæsim ferire vellent, in distinctos quinque antagonistas choream reflectebant. Postquàm diu sic bellatum est, & victoria stetit pro Christianis, hi Barbaros mutato modulorum tenore captivos præ se agentes Episcopatûs Gubernatori primùm, tum Paraquariæ Prætori, tanquam Ecclesiæ & Regi Catholico, devictos stitere. Victi verò stratis humi corporibus hilariter, ut voluntarios captivos decebat, non intermissâ saltatoriâ gesticulatione obsequium utrique professi, ex abrupto ad Aram novorum Indigetum se proripientes, Deo Optimo Maximo gratias egere, quòd per Ignatii Socios & Xaverii imitatores Ecclesiæ Christianæ & Regi Catholico subjici se contigisset. Secundùm id, Quaracipucutius Casiquius, & viginti-tres alii Catechumeni Urvaicenses, ab Rocho Gonsalvio ad celebritatem etiam adducti, Emmanuële Frias Prætore spondente, ab Collegii Rectore solemnissimo apparatu, inter civium hilaria, Sacro Fonte lustrati sunt. Aloïsius Gonsaga latiùs ab Gregorio XV. aris additus, magnâ etiam populorum aggratulatione ubique celebratus est. At dum sic diu ferbuissent omnia Divorum & Societatis laudibus, quasi in temperamentum nimiæ prosperitatis, Paraquariensis Episcopus,

Urvaicenſium Baptiſmi.

Societas vexatur.

juris

juris Indiarum non satis cassens, ex Patronatûs Regii in Indiis Occidentalibus jure contortè explicato, litis occasione arreptâ, pacem perturbavit. Ex qua lite ortis inter eum & Prætorem Regium Societatemque controversiis, partito zelo illum anathemate ferit, & nos scholis in Assumptionis urbe spoliatos scripto dictoque, & missis ad Regem Catholicum inanibus querelis, adeò graviter offendit, ut Collegii Rector veritus, ne tantæ dignitatis authoritas officeret animarum saluti, ex Instituti nostri rationibus procurandæ, coactus sit litem ad Senatum Regium deferre: quo post varios successus tandem factum, ut legitimo judice machinæ in Societatem ab Episcopo contortæ in authorem suum verterent: qui deinde palinodiam canens, alteris litteris querelas in nos ad Regem missas expunxit, & magnâ Nicolai Mastrilli Provincialis curâ, redintegratâ amicitiâ, procuravit absens scholas in Assumptionis urbe nobis restitui.

CAPUT IV. De variis rebus per Chilenum regnum gestis.

IN Chileno regno Rex Catholicus pergebat alere Socios, apud Chiloënses & Araucanos in vinea Domini egregiè laborantes. Ex qua Regis liberalitate occasione sumptâ, nonnulli Religiosi conati sunt res nostras invertere, spondentes se, Barbaris Araucanis & Hispanis militibus per Sacramenta curandis, Sacerdotes ex suo Ordine sine pecunia Regia alituros, si Societas inde abiret. Prætor censuram apud Regem veritus, nî ærarii publici rationibus intenderet, approbato eorum consilio, non diu distulit, quin pecunias ab Rege imperatas Societati solvi prohiberet. Quæ res ubi per Regium exercitum & Præsidia militum Indorumque pagos divulgata est, nemine dissentiente negarunt omnes, alio lacte, quàm quod hactenus suxerant, nutriri velle: assuevisse se Societatis moribus, proinde si ad eam alendam pecuniæ Regiæ subtraherentur, cum eâ se potiùs stipendia sua partituros, quàm utilissimis magistris privari se sinerent. Denique eò res devoluta est, ut Prætor, damnatâ præcipiti deliberatione, negatam stipem iterùm ex ærario dari juberet, ne exercitûs Regii & Indorum offensionem incurreret. Deinde Prætor, privato in Societatem affectu, Collegio Conceptionis, cui subsunt Araucani, Bonæ-spei & Chiloënses Socii, amplissimos campos, cum boum equarumque armentis, attribuit, ut viri Apostolici, positâ rerum ad sustentandam vitam curâ, totos se animarum lucris impenderent. Et reverà id præstabant, Joanne Romero Rectore, tum in Conceptionis urbe, tum terrâ marique excurrentes Socii, ex Indorum pagis & insulis, necnon Hispanorum militum limitaneis præsidiis, Baptismi & aliorum Sacramentorum collatione, ingenti fructu relato. Sub id tempus è maritima Chiloënsium Insularum expeditione, ubi quatuordecim annos perdurarat, Melchior Vanegas revocatus est. De quo (quia ob futuram rerum novationem non aliàs mihi dicendus occurret) hæc pauca accipe.

Barbari & milites Societatem æstimant.

CAPUT V. De vita & moribus Melchioris Vanegæ.

MELCHIOREM Vanegam, unum è Provinciæ nostræ fundatoribus, & archipelagi Chiloënsis clarum diuturnumque sidus, Chilensis regni metropolis ipso Virginis sine maculâ conceptæ die, anno præteriti sæculi septuagesimo-secundo, novo orbi auspicato edidit. Is utrumque parentem è Toletorum Granatensis urbis stirpe quarto consanguinitatis gradu le attingentes habuit. Mater ejus insigni pietate matrona fuit. Pater verò militari præfecturâ insignitus, ita virtutem coluit inter arma, ut apud omnes sanctitatis famâ collectâ, in Societatem nostram paulò ante mortem adsciscì meruerit. Nec Melchior noster acceptam à progenitoribus nobilitatem & domestica virtutum exempla per socordiam obscurari passus est: quippe eâ virtute primam pueritiam, mox deinceps adolescentiam exercuisse traditur, ut antiquis Anachoretis eâ ætatulâ vulgo compararetur. In horto paterno casam sibi fabricari impetrârat, ubi fræna pietati, Eremitarum ad instar, laxaret. Humi cubare, crebrâ flagellatione corpusculum castigare, inediâ vires macerare, multum orare, puellarem sexum tantùm non odisse, dicacitatis & cupediarum hostem ex professo se præbere, prima fuere virtutum ejus incunabula. Solebant perfrictæ frontis adolescentes in aprico loco extra urbem lascivire: in quos, deficientibus aliis remediis, Melchior Vanegas, initâ ad pium bellum cum

Ejus patria.

Parentes.

Educatio.

Pietatis opera.

probis adoleſcentibus Societate, ferociſſimos moloſſos undique conquiſitos eduxit, tantâ felicitate, ut laſciviens cohors, metu canum jamjam involantium, fugam capeſſiverit. Urbis Epiſcopus Modelinus, ſummopere Melchioris familiaritate delectatus, aſſerebat eum aſceticæ vitæ peritiam tantulâ in ætate aſſequutum fuiſſe. Annum agens duodevigeſimum in Peruviam navigans, Limæ Societati mancipatus, virtutum & litterarum exercitio inter paucos eminuit. Jam Sacerdos, anno hujus ſæculi ſeptimo in patriam renavigans, nullam non virtutem Apoſtolicis viris neceſſariam excoluit. Obedientiæ, quam ſcitè Climacus ſepulturam voluntatis & quamdam mortem nuncupat, ita ſe tradidit, ut quâvis in re ab Majorum nutibus, tanquam ab Chriſti imperiis, penderet. Ne minimam quidem Religionis noſtræ legem à quoquam infringere viſus eſt. Caſtitatem hominis ſatis laudavero, ſi poſt Euſebium Nierembergium, ejus encomiſtam, aſſeruero, eum cum gratiâ baptiſmali, quantum conjectari potuit, obiiſſe: & tamen peccata ſua ita deflebat, ac ſi nocentiſſimam vitam egiſſet. Caſtrenſi in urbe auſa eſt Inda puella, fruges è noſtro horto furandi ergò, ſcalas parieti admovere, quam ut conſpexit noſter Melchior, è domo ſe proripiens tamdiu editis clamoribus fugit, donec cives re vulgatâ ad laudandum caſtiſſimum Nicetam concurrerent. Dum circa hoſtium fines ingruente nocte iter cum ſocio haberet, & moneretur ut ad munitam neptis honeſtiſſimæ matronæ domum, non longè ſemotam, vitandi periculi ergò, pernoctatum iret, nullo modo ad id adduci potuit, minùs ſibi ab hoſtibus timens, quàm à carne & ſanguine. Periculosâ tempeſtate navigans, cùm pænè de ſalute omnium conclamatum eſſet, & ipſe navis gubernator gubernaculi curam deponere vellet, poſt fuſas ad Deum preces, imperiosâ voce juſſit vela laxari, ſpondens ventorum proſperitatem, qui non diu poſt præter omnium ſpem placidiſſimè aſpiravere: nemine non fatente omnium incolumitatem Melchiori debeti. Multa prædixiſſe fertur, certo eventu confirmata. Poma ab eo cupita, extra tempeſtivitatem cœlitùs accepiſſe, & accepta Deo intacta reſecraſſe, non levis author narrat. Multas inſtituit ad varios Barbaros in continenti terra expeditiones, ingenti fructu, donec Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo-primo nonâ Junii efferretur. Funeri efferendo ſuccollavere viri primarii: Epiſcopus verò, cum Clero, & utroque Magiſtratu, religionumque Ordinibus, flebiliter parentavit. Periti pictores effigiem mortui, quamvis maximè vellent, pingere nequivere: quod ab nonnullis ad miraculum relatum eſt. Quid verò tantus vir Chunorum Apoſtolus & Chiloënſium diuturnus doctor in continenti poſtea fecerit, alii pro inſtituto narrabunt.

Religionis tyrocinium.

Obedientia.

Virginitas.

Spurcitiæ horror.

A parentibus fuga.

CAPUT VI.

Per Chiloënſes inſulas geſta narrantur.

PRo Melchiore Vanegâ ad Archipelagum Chiloënſem miſſus eſt Auguſtinus Villaza, in Bœticâ ad ruſticos, & in Chilenſi regno ad Araucanos (à quibus in captivitatem abactus fuit) Apoſtolicis expeditionibus clarus: cujus viri tanta fuit animæ puritas, ut ſæpiùs Chriſtus & Maria ſacrum facienti, gratias pro beneficiis agenti, in cubiculo preces fundenti, ſe ſpectandos præbuerint. Ubi is longâ navigatione defunctus ad inſulas Chiloënſes appulit, compoſitis Hiſpanorum conſcientiis, cum Gaſpare Fernandio compactam è tribus aſſeribus cymbam aſcendens, octoginta pagorum inſpectionem occœpit. E quinque menſibus, quibus hæc inſpectio peracta eſt, trimeſtre integrum, nunquam intermittente hyemali brumâ, in madida veſte ambo tranſegerunt. Toto eo tempore lodicibus nive aut pruinâ madefactis ſeſe involvebant. Madori accedebat frigus adeò acre, ut ipſa animalia rigore exanimarentur, & mare ipſum, æſtu inquietiſſimum, gelu conſtringerêtur. Remis per congelatas aquas viam ſibi aperiebant. Singulis noctibus in littore ſub tentoriolo, nive & brumâ indurato, lectulum ſibi ex arborum ramis ſuper madidam humum ſternebant, ſubterfluentibus ſubinde adventitiarum aquarum torrentibus, & intolerabili frigore corpora conſtringentibus. Præter pulmentum ex radicibus confectum, nihil pro cibo niſi ſubcinericias ex farina placentulas, & pro potu multis in locis putrem aquam, adhibebant. Hæ erant Auguſtini Villazæ acerrimo ſtomachi dolore vexati, cupediæ, adeò ut ob defectum humanorũ ſubſidiorum putarit vi mali è vita ſibi abeundum; & aliàs, quòd frigore obriguiſſet, pro deplorato habitus

Auguſtini Villazæ virtutes.

Auguſtini Villazæ & Gaſparis Fernandii labores.

Abſtinentia.

eſt.

est. Inter tot labores vegetum animum, & Barbaris Christo lucrandis semper intentum, uterque conservabant: ter tempestate pænè perierunt: è tribus navigiolis, eo quo vehebantur tantùm incolumi, duo cum vectoribus in eorum oculis submersa sunt. Actum agerem, si labores in investigandis per has insulas Barbaris exanthlatos, si rupium arduitatem, si paludosa loca, si sylvarum asperitatem, quibus incedendum erat, rursum hîc scriberem. Sed solatio Sociis erant numerosæ animæ legitimis expiationibus per tot molestias Christo assertæ. Indus nunquam aliàs de peccatis confessus pro mortuo habitus, tactu Iconis Immaculatæ Virginis, Gaspare subministrante, sibi tantisper redditus est, dum antequam verè moreretur peccata expiaret. Augustinum Villazam animarum causâ ad Chunos etiam navigasse, in Nicolai Durandi Provincialis ad Præpositum Generalem litteris invenio: nec dubium quin magno Apostolicorum laborum proventu.

Pericula.

Ad Chunos navigatio.

CAPUT VII. Jarosii explorantur.

SUPERIORI Anno, Argentei fluminis Prætor à Petro Oniato Provinciali impetrarat, ut Petrus Romerus, tractandorum Indorum peritus, è Paranensi missione ducentarum leucarum itinere ad portum Boni-aëris evocaretur, adverso Urvaicâ navigaturus, exploraturusque Urvaicensium animos, & si quidem Jarosii jugum admittere vellent, oppidum novum in ipso fluminis ostio conditurus. Porrò hujus expeditionis arduitatem inde conjectabis, quòd quamvis Urvaicæ ostium ab portu Boni-aëris non longè absit, nullus eò penetrare ausus fuisset. Obstabant variarum linguarum & morum Indi utrumque littus insidentes, & ferocitate negatoque commercio contra externos homines se tutantes. Inter eos eminebant Jarosii & Charuæ, avitarum consuetudinum tenacissimi, perpetuò palabundi, sementis regiminisque impatientes, quorum tanta barbaries est, ut in singulorum parentum morte digiti nodum sibi abscindant, unde plerosque videre est volâ tenus mancos. Ante Hispanorum adventum struthionum, lagopodum, cervorumque venatione, & piscatione victitabant. Nunc multiplicatis boum equorumque gregibus, per latissimos campos equitando vagantur, bovinâ semicrudâ vescuntur, fundâ plerumque utuntur, adeò certâ lethalique jaculatione, ut avem volantem persæpè excipiant, vastaque quorumcumque animalium corpora prosternant. Ubi Petrus Romerus adulto jam anno ad portum Boni-aëris appulit summâ Prætoris & civium aggratulatione, unico Hispano & pauculis Indis remigibus comitantibus, se dat in viam. Quaquà ibant occurrebant feroces homines, corporibus unctis, cæsarie ultra humeros promissâ, membris crebrâ punctione deformatis, & vocum truculentiâ formidabiles: qui cùm sollicitarentur ad humanitatem veramque Religionem capessendam, obstinatè omnes negabant, præter avitos mores, alia sacra se percepturos. Non destitit tamen vir planè Apostolicus ab incœpto, donec Guaranorum primos vicos, centum ab Urvaicæ ostio leucis semotos, attingeret, cupiebatque quàm maximè ad eam partem Urvaicensis Provinciæ penetrare, ubi Rochus Gonsalvius ante quadriennium Conceptionis oppidum fundaverat; sed obstitere Barbari, Romeri remigibus, nî retrocederent, necem intentantes: quare quia nullum ex tot populis Evangelio maturum inveniret, ad portum Boni-aëris, Provinciali suo & Prætori Regio abs se perspecta explanaturus, rediit.

Jarosiorum mores.

Petri Romeri generositas.

Jarosiorum obstinatio.

CAPUT VIII. Guaicuræi excoluntur.

IN eo portu Petrus Romerus, Nicolaum Durandum novum Provincialem offendit, cujus missu ad Guaicuræos, ducentarum leucarum itinere, adverso Argenteo Paraquarioque flumine, postliminiò rediit. Guaicuræis redditus, pristinas in eâ gente domandâ artes cum Alfonso Rodericio, & aliquamdiu cum Josepho Oregio, strenuè renovavit: quamquam fructus non respondit immensis laboribus, ferocitate gentis egregios Sociorum conatus pertinaciter eludente. Tribus mensibus postquam eò venerat, Guaicuræorum Dux, & ejus mater, magno Barbarorum comitatu, Provincialem Assumptionis Collegium inspicientem convenêre, rogantes ne suum popularibus suis conspectum denegaret. Invitandi verò modus is fuit. Præibat fœmina cantu modulato desideria gentis explicans, multisque verbis significans, quàm gratum & utileforet, si tantus Pater miserrimæ genti se sisteret.

Guaicurai Provincialem invitant.

Finito prolixo cantu, simul omnes, tum gestibus, tum confusis vocibus, eamdem rem urgentes, Provincialem perpulêre, ut transmisso Paraquario eò se conferret, ubi circa Sociorum sacellum frequentes Guaicuræi storeas suas plicatiles in forma oppidi explicuerant. Provincialis, cognita gentis conditione, ita cum Duce pepigit, ut si apud se Socios Jesu perseverare vellent, in oppido pedem figerent, & ab injustis bellis abstinerent: indecentissimum enim videri, ut qui se Societati ab tot annis instituendos tradidissent, nihil de antiquâ feritate remitterent. Admissis in speciem conditionibus, dona singuli de Provincialis manu accepere, qui quamvis stabilitatem sponderent, exigua omnino affirmantibus fides habita est: quòd multorum annorum usu satis compertum esset, diu uno in loco perseverare nolle; stimulante eos belli aviditate, adeo genti innatâ, ut singulis pænè annis mutatis sedibus hostem quærant. Ex bello reduces peremptorum hostium crania ad uxores suas ovando referunt. Quæ craniâ fœminæ festis diebus ornatissima cum luculentâ popularium commendatione hostibus quasi rursum insultantes in medium proferunt. Quin cum ipsis elementis certare quandoque Guaicuræis furor est. Dum tempestas ingruit, & omnia tonitruorum, ventorumque terroribus replentur, simul omnes sub storeis suis agminatim tanquam ad prælium prodeuntes clavas in aëra vibrant; sagittas, quà fulgetrorum splendor crebrescit, frequentes emittunt: deficientibus armis lapides, supellectilem, & quidquid obvium est, contra ventos ejaculantur: arbitrantes eâ fortitudinis ostentatione dæmones, quos tempestatum authores existimant, abs se reprimi, ne damnum inferant. Suas etiam festivitates non sine præliorum imagine faciunt. Nec alia inter eos major Hilariorum crebritas est, quàm cùm Septemtriones in hoc hemisphærio apparere cœperint: tum enim nullâ habitâ conditionum ætatúmve ratione pugnis se mutuò ferientes insanis vociferationibus aëra complent, futuram anni prosperitatem sterilitatémve majori minoríve debacchationum furore metientes. Igitur Provincialis, quamvis ferè nulla convertendæ gentis spes affulgeret, tamen ultimi experimenti ergò, & quia Assumptionis urbs id exigebat, Socios apud Guaicuræos reliquit, eo tempore retrahendos, quo omnino de gentis stabilitate desperaretur. Triennio sequenti Petrus Romerus, Alfonsus Rodericius & Josephus Oregius in hoc spineto elaborantes, exiguos planè paucorum infantium, & aliquot adultorum, paulò ante mortem baptizatorum, manipulos in horreum Æterni Patris intulere. Reliqui impietatum spinis suffocari se sivere. Quare pervicacissimæ huic genti, nisi cùm excusso pedum pulvere deseretur, vix calamum imposterum meum acommodabo.

Ab Provinciali conditiones postulant,

Et donantur.

Guaicuraorum mores.

Insania.

Superstitio.

Pervicacitas.

Sociorum labores.

CAPUT IX.

De Paranensium Sociorum rebus

Jaguapanii oppidum destruitur.

Sociorum excursiones.

Didaci Boroæ labores.

Materius amor.

AD Paranam pestis integro fermè oppido se pavit. Jaguapuanum id fuit, ubi Socii benè magnam Barbarorum multitudinem Christo per octennium genuerant: gentis reliquiæ partim Itapuam, partim aliò transmigravere. Nec minùs in alias Neophytorum nostrorum colonias fera lues sæviit. Quâ sopitâ Socii, frequentibus ad Ethnicorum terras excursionibus, mortuorum numerum novis accessionibus supplere satagerunt; eminente in hac hominum venatione Didaco Boroâ, adeò in animarum prædam intento, ut sui incurius, dissimulatâ febri, stupefactis frigore artubus, gelidissimos torrentes umbilico tenus transvadaret. Contractis rigore nervis cum palustri luto luctabatur, & nudis pedibus arenosa sylvestriaque loca peragrans, ad rupium apices enitebatur: quorum laborum fructus ordinarii erant, decem aut viginti Ethnicorum familias ex uno nemore, totidem ex alio, aut ex littoralibus spelæis rupiumque receptaculis erutas, ad oppida plerumque cum vitæ periculo reducere. Sub id tempus illustre fortitudinis specimen dedit Itapuana virago. Ex utriusque parentis oculis, & tantùm non sinu, effera tygris decennem puellum eripuerat, dorsoq; impositum in proximam sylvam efferebat ad vorandum: puelli genitor subito casu attonitus aufugit; sed mater stimulante teneriori amore, periculi immemor, in feram involat, ereptamque ex unguibus prolem ad maritum reportat: tygride nihil omninò contra tantam fortitudinem hiscere ausa, & marito minùs in se virilitatis, quàm in uxore, inesse totâ vitâ fatente. Quod quamvis mirabile sit, tamen memorabiliora Sociorum Paranensium Urvaicensiumque facinora

existimo,

existimo, quotidie ex infernalis bestiæ unguibus numerosas animas, spreto quovis mortis discrimine, eripientium. At jam Guairaniæ Socios non inferiora sectantes inspectum eamus.

CAPUT X. De Lauretanâ Virgine.

ANTONII Ruisii, Guairaniæ Sociis pro Josepho Cataldino moderantis, præfecturæ principium insignivit novæ gentis in Cœlorum Reginam amor singularis. Advexerat is è portu Boni-aëris Statuam Virginis Lauretânæ, Hispani sculptoris opus eximium, induxeratq; Lauretanum in oppidum, tantâ Neophytorum aggratulatione, ut abundè compensatam stragem, quam pestis in itinere fecerat, pergebatque in oppido facere, hâc unâ hospite assererent. Fama ad Divi Ignatii coloniam de speciositate Statuæ Marianæ perlata, quamvis pestis grassaretur, plures Neophytos accivit, ut oculos tantæ Reginæ aspectu pascerent, aïentes, quodvis mortis periculum spernendum esse, præ illecebris occultâ quâdam virtute ab clementissima Principe in spectantium animos instillatis. Sed ne contagiosa lues Ignatianum oppidum eâ occasione corriperet, visum est Patribus eò tantisper transferendam esse. Quod ut decentiùs fieret, Ignatiani Neophyti viam duarum leucarum per intactas sylvas, quà pompa ducenda erat, aperuere, & omnes, nemine dempto, antequam ad spectandam Imaginem prodirent, se stitere Sacerdotibus, Confessione conscientias suas expiari postulantes: aiebant enim indecorum esse, animo inquinato puritatis Matrem aspicere. Id idem cùm plerique Lauretanorum, antequam in suum oppidum Statuam inveherent, fecissent, non dubitatum eam mentem cœlitùs utrisque injectam esse, ut existimarent MARIÆ favores ab iis sperari posse, qui se priùs cum ejus Filio reconciliassent. Certè id commodi octiduano Virginis hospitio Ignatiani Impetravere, ut ab lue liberarentur.

Neophytorũ erga Virginem amor.

Expiati ad visendam Virginem procedunt.

CAPUT XI. De vita & morte Joannis Vasæi.

RESTITUTA loco suo Virginis statuâ, quinque è nostris Sacerdotibus Lauretum ad juvandos peste afflatos convenêre. In quos sic officia distributa sunt, ut duo conscientias ægrorum Sacramentis diu noctuque procurarent: totidem sectione venarum & aliis remediis corporibus mederentur. Joanni verò Vasæo templi cura & sepeliendorum cadaverum concessa est. Sexaginta corpora uno die aliquando sepulta sunt: cùm vis mali mitissimè ageret, viginti triginta ve terræ mandabantur. In eo opere Joannem Vasæum pestilens aura afflavit, sustulitque. Tornacum Gallo-belgicæ urbs, vetus Nerviorum sedes, ei patria fuit: præter aliarum artium studia, Musicam ita coluit, ut in Alberti Austriaci & Isabellæ Claræ Eugeniæ odæum adscitus, eorum favorem meruerit. Canonicatu & alio Beneficio donatus, cùm ampliora ab tantis Principibus sperare posset, jam Sacerdos, Societati JESU nomen dare maluit. Sed quòd pater ejus, tenuis fortunæ homo, negaret se sine filii subsidio vitam sustentare posse, è tyrocinio dimissus, annuo censu parenti impetrato, Religioni nostræ se iterùm consecravit. In Belgio per pagos concionabundus frequenter excurrens, Indicis missionibus præluit. Unam è transmarinis provinciis ambienti, quamvis speciosior offerretur, Paraquaria ob laborum Apostolicorum famam placuit. E portu Boni-aëris in Guairaniam missus, Laureti sexennium perstitit, ubi Ethnicis baptizandis & Neophytis poliendis egregiam planè operam navavit. Sed præcipua ejus gloria fuit, artem Musicam Neophytos docuisse; & in comperto est, ab ejus schola, in nova Neophytorum oppida, Societatis operâ per varias Paraquariæ Provincias constructa, usum Musicæ artis, & instrumentorum symphoniacorum, cum ingenti Divini cultûs augmento fuisse derivatum. Quoad ejus virtutes, hæc ex Antonii Ruisii, qui sexennio ei præfuit, authographo accipe. *Quidquid*, inquit, *Angelicæ puritati, quam profitebatur, officere poterat, Ioannes Vasæus cane pejus & angue oderat: quo odio id assequutus est, ut per sex annos integros in media & panè nuda barbarie ne levem quidem contra Castitatem incuriam Exhomologesi expiandam exhibuerit, nec unquam in somnis illudi se senserit. Quotidie ante somnum juxta lectulum Angelo suo Custodi sedem collocabat, quâ honoris exhibitione, & vario cœlestium Geniorum cultu, agnatam Angelis puritatem impetrasse creditus est. In summis torridæ Zonæ caloribus, quamvis febricitaret, nunquam, nisi monito Superiore,*

Pestis.

Joannis Vasæi patria.

Artis musicæ peritia.

Parentum tenuitas.

Labores Apostolici.

Mores integri.

Erga Angelum Custodem devotio.

aquam

Religiositas.

aquam ori admovit: dicere solitus quodvis potiùs tormentum toleraturum se, quàm minimum religiosarum legum apicem volens infringeret. Dicta factis aquavit: nam nullam Instituti nostri regulam ab quoquam in Guairania omissiſſe visus est. Veniam generalem, dandi reculas & recipiendi, sibi fieri constanter recusavit; compendia illa veniarum generalium inter meritorum dispendia reponens. Dicere auditus est, si juberetur, se suâ Cruce & precum breviario tantùm armatum, per sylvas & loca sola sine viatico aliisve instrumentis ad fundanda nova oppida profecturum; quòd in animum induxisset suum, obedienti & ex Divina Providentia pendenti nihil deesse posse. Nunquam Exhomologeterium adivit, quin lucem cœlestem à Patre luminum pro pœnitentibus peteret. Quotidiè antequam in lectulo ad quiescendum se componeret, apertâ cubiculi januâ, ad quatuor oppidi angulos quater Cruce ductâ Deum impensè rogabat, ne permitteret ab quoquam quidquam contra Divinam legem committi. Cupediarum tam abstinens semper fuit, cùm aderant, quàm non cupiens, cùm aberant. Frequenter sibi à Majoribus suis veniam fieri postulabat, ut remotâ culcitrâ super nudos asseres quiescere liceret; si repulsam patiebatur, hilariter respondebat, malle in linteaminibus Majorum voluntate, quàm suâ super nudam humum noctem transigere; ne ipsi illud exprobraretur, Vinum tuum mixtum est aquâ. Adeò æstimabat Indicam missionem, ut dicere soleret, sortem suam cum quantavis dignitate non commutaturum. Tantus vir toto sexennio, quo in Guairania sub Christi vexillo meruit, ne unâ quidem vice sensit animum cœlestium earum consolationum pabulo refici, quibus frequenter solent Apostolici viri inter medios labores ubertim recreari: sed inter orandum immenso semper pœnè tædio & tristitiâ obruebatur, adeò ut assereret multoties, sibi videri ad remos trahi, cùm pulsus campanæ ad orationem dabatur: nullo tamen die omisit ad Meditationem se præparare, nullam toto eo tempore Exercitiorum Divi Ignatii, ut vocant, additionem neglexit. Et cùm audiret Sociorum animos frequenter cœlitùs immissis deliciis pasci, suo se humilitatis palliolo involvens, submisso capite usurpabat illud: Gaudeant benè nati. Sed quamvis careret palpabilibus illis illecebris, tamen cœlestes immissiones tristitiæ velo & tædiorum nebulâ involutas sæpè recipiebat, quibus ad constanter agendum & bibendum calicem Domini erudiebatur. Pendebant Socii ab ore dicentis, dum de rebus Divinis disseret. Christi actionibus omnes suas actiones sigillatim, ut hæ ab illis pretium sumerent, uniebat: quod exercitium in nullo opere per totum sexennium prætermisit. Sed longè illud mirabilius est. Integri anni errata Sacramentali Confessione expians, cùm nihil certæ noxæ exhiberet, ne in irritum Sacramentalis absolutio caderet, jussus est ab Sacerdote de mendaciis præteritæ vitæ confiteri. Cui ille ingenuo candore respondit, totâ vitâ ne semel quidem fuisse mentitum. Certè si omnis homo mendax, ut reverà est, quidni hunc hominem, in aula educatum, Angelum dicimus? Paulo ante mortem ab Provinciali impetrarat ad Taiaobæ regionem, omnium quotquot tum temporis erant periculosissimam, mitti; ad quam dum se accingit, in Cœlos, uti speramus, quadragesimo secundo ætatis anno evocatus est. Octavo pòst anno, pileus quadratus, Religionis insigne, cum quo sepultus fuerat, dum ossa ejus alìo transferenda effoderentur, integer omninò in sepulchro repertus est: creditumq; illud præter morem evenisse, quòd ipse iteratò Societatem ingrediens ostendisset, quàm sincerè eam amaret.

Pœnitentia.

Mentis aviditas fortiter tolerata.

Mendacii horror.

CAPUT XI.

Apud Ibitirambetanos Guiraniæ populos Socii Divi Xaverii sedem construunt.

PAULÒ antequam Vasæus moreretur, Antonius Ruisius, Josephus Cataldinus & Didacus Salazarius ad Ibitirambetanam regionem Christo subjugandam se accinxere. Guairania enim omnis in campestrem & sylvestrem divisa est. Sylvestrem ab multis annis Societas excoluerat. Ad campestrem verò hactenus penetrare non potuerat, ob feritatem gentis, hospites crudeliter devorantis, & fines suos contra externam vim pertinaciter bello tutantis. Ibitirambeta mons est sylvosus in confinio utriusque Guairaniæ, ab incolis sic dictus, quòd ex longinquo spectantibus capitis humani, è mento lapidem pro barbulâ exerentis, speciem referat. Circa eum montem multi Ethnicorum pagi visebantur, è quibus simul junctis palam erat numerosissimum oppidum conflari, & ad campestres populos gradum fieri posse. Superiori anno hujus montis accolæ Pipirium, ab Josepho Cataldino legatum, crudeliter mactaverant, & sylvestrium Indorum quamplurimos, variis occa-

Ibitirambeta mons.

Ibitirambetanorum crudelitas.

sionibus

sionibus interceptos assatosque, solemnibus conviviis devoraverant. Præcipuum enim gentis oblectamentum antropophagia est. Ubi ergo superatis summâ difficultate Tibaxivæ fluminis præcipitiis & scopulis, circa eorum fines Socii exscensionem fecere, Neophytos Sociorum comites ingens timor corripuit, præsertim quòd Taitetuus, inter Ibitirambetanos crudelitate famosus, paulò antè occurrens. Ruisio affirmasset, si ad populares suos progredi auderet, ab multis hostiliter exceptum iri. Non defuere tamen, qui, Pipirii exemplo, de Sociorum adventu ad Antropophagos nuncium perferre vellent. Sed Ruisius & Cataldinus glorioſi periculi palmam nemini concedere volentes, relicto ad curam cymbarum Didaco Salazario, jussoque si mactarentur, secundo flumine fugere, cum pauculis Neophytis amore Christi vitam spernentibus terrestre iter arripiunt. Diu omnes, locorum imperiti, in incertum per sylvas littorales erravere, donec inciderent in hominem picto dæmoni quàm Indo similiorem, qui Angeli vices subiens, in se recepit Socios in pagum suum inducere, dummodò sineretur priùs ad populares suos ire, ut eorum animos ad hospites benevolè recipiendos inclinaret: denuncians magnum vitæ discrimen adituros, ni se prænuncio uterentur. Sed Socii, periculum improvisi adventûs tentare, quàm consultandi Barbaris locum dare, tutiùs arbitrati, Barbarum præire jussum ponè subsequuntur; & eodem die primum Ibitirambetanorum pagum audacter subeunt: cujus pagi incolæ, quamvis ab crudelitate abstinuerint, tamen diffidentiam ostentantes negarunt, Socios apud se retinere velle, ne, iis receptis, Indorum abactores subsequerentur. In eo rerum statu, alterius pagi Casiquius, auxilium Ruisio adpromittens, spem fecit rei benè gerendæ: quocirca, evocato è portu Salazario, Socii futuri oppidi aream designant, templum fabricant, & concurrentibus è vicinis locis multis mortalibus, rempublicam instituunt. Qua in re versantibus trepidum nuncium adfertur de variarum factionum conspiratione, & præsertim eorum, qui superiori anno Pipirium trucidaverant: unam omnium vocem esse, advenas de medio tollendos, ne grande malum toti Provinciæ adveherent: probaturos se tandem, num carnis Sacerdotalis sapor ab aliorum hominum pulpa differret. Et jam non toto milliari Barbarorum copiæ aberant, cùm Ruisius ad Cataldinum, templi fabricæ occupatum, accurrens, Divi Ignatii Martyris verbis eum appellans: *Hodie*, inquit, *dentibus leonum molar, vitæ hic dies, ô pater, nobis ultimus erit.* Cui Cataldinus, ab opere incœpto non desistens, tanquam si periculum nihil ad se pertineret, summâ animi pace respondit: *Sicut fuerit voluntas in Cælo, sic fiat*: quam æquanimitatem Casiquius advena miratus, propero gradu ad hostes se confert, conventisque eorum ducibus Cataldini intrepidum dictum refert. Quo audito, hostes panico metu attoniti sese in fugam proripuere. Interrogati verò cur exercitus integer ab pauculis advenis & inermibus fugeret, unanimiter respondêre, grande sibi malum timuisse ob Cataldini dictum mortem spernentis, & aliorum Sociorum fugere renuentium virtutem. Hâc nebulâ eventilatâ, serenitas tanta subsequuta est, ut oppidum pacificè ædificari, & Divo Xaverio solemniter consecrari potuerit. Ad quod habitandum non tantùm vicinorum populorum incolæ, sed etiam ipsimet, qui arma sumpserant, remotique populi tantâ numerositate concurrerunt, ut sesquimille reductorum familiæ aliquando censitæ sint. In hoc oppido Josephus Cataldinus ab Ruisio relictus ostendit quantus esset, dum in perversissima & ab omni consortio remotissima regione, per annum integrum solus perseverare ausus, nec solitudinem, nec instantia quotidie pericula, nec omnium rerum inopiam, vel verbulo questus sit. Sed Ruisius & Salazarius difficiliorem hâc ad Taïaobæ terras expeditionem suscipientes, grande decus nostræ Religioni peperêre.

Antonius Ruisius & Josephus Cataldinus mortem contemnunt.

Ab Ibitirambetanis recipiuntur.

Oppidum condunt.

Ad mortem quærentur.

Fortitudinis ostentatione liberantur.

Mille & quingenta familia reducuntur.

CAPUT XII.

In Taïaobæ terrarum aditu Antonii Ruisii comites septem mactantur. *Taïaoba patria.*

DE Taïaobæ terris hæc fermè reperi. Huibaius, Guaraniæ fluvius sub Capricorno, Paranæ se immiscens, triginta ab ostio leucis Villaricam, Hispanorum urbeculam, & non longè procul octo Indorum oppida ei subcensita, alluit. Suprà hæc oppida flumen ex alto delabens ultrà navigare volentes objecto præcipitio prohibet. Quod præcipitium Taïaoba confœderatique Casiquii pro muni-

Taiaobanorum antropophagia.

mento & finibus habebant. Gens omnis tantâ rabie carnes humanas appetit, ut cùm desunt externi hostes, populares suos ferociter trucidatos devoret. Nec desunt qui infantes carnibus humanis ablactent, & ex interfectorum hominum ossibus sagittarum cuspides conficiant, ferocitatis monumenta in novæ crudelitatis instrumenta convertentes. Unde miror Ranzonierium scripsisse, huic Guairaniæ parti feras & tygrides deesse, cùm tot sint fermè feræ quot incolæ; nec aliis meliùs quadret tritum illum, *Homo homini lupus*, quàm huic perversæ prosapiæ. Porrò hæc terræ portio idcircò à Taiaoba Casiquio vocabatur, quòd is vicinorum potentissimus magni nomen inter populares suos sortitus fuisset. De quo Taiaobâ hæc pauca accipe. Ab aliquot retrò annis Europæi sanguinis miles, Indorum odio notabilis, è Paraquariæ metropoli Villaricam cum potestate concedens, simulatâ amicitiâ Taiaobam per internuntium rogatum miserat, ut ad se veniret, promittens fore ut multis muneribus cumulatus ad suos rediret. Fide datâ & acceptâ, Taiaobâ, & alii tres potentes Casiquii, spe pleni Villaricam venêre, ubi pro promissis donis nihil aliud præter minas, vincula & verbera reperere: Centurione illo neces ac malas cruces interminante, nî ingentem Indorum vim Villaricam ad servitia evocarent. Tres è quatuor Casiquiis, potiùs quàm populares suos proderent, voluntariè accitâ fame, mortem in carcere sibi consciverunt. Unus Taiaoba cum ipsis compedibus elapsus in patriam aufugiens, ita deinceps ad se suosque aditum occlusit, ut non Hispanos tantùm ab colloquio arceret, sed Indos ipsos ad pacem stabiliendam variis temporibus missos dentibus dilaniatos voraret. Sæpè Hispani eò arma intulerant, sed nunquàm è prælio nisi acceptâ clade pedem retulerant; adeò ut de iis subigendis nihil ampliùs cogitaretur. Hic erat Taiaobæ status, cùm Ruisius de iis ad Christum convertendis animum adjecit. Cognito ejus consilio, nemo fuit, qui non manifestum vitæ discrimen adiri affirmaret: ipse tamen, difficillimo octo dierum itinere, cum Didaco Salazario, homine intrepido, ad Taiaobæ fines delatus, paulò pòst relicto in Villaricæ pagis socio suo, superato præcipitio ad primum Taiaobanæ factionis pagum evasit: & quia statim periculi granditas confluentibus undique antropophagis & ariolis apparuerat, quindecim Neophytis comitibus suis ritè expiatis, & contrà imminentem mortem confirmatis, flexis genibus prolixè se Numini commendavit. Ea in re versantem circumstant Antropophagorum & Magorum primores, quibus ipse causas & emolumenta sui adventûs explicans, in hæc fermè verba prorupit. *Ad vos*, inquit, *ô populi, spreto mortis periculo, inermis veni, ut vos avorum vestrorum ineptias dedoctos unicam ad Cælos perveniendi viam edoceam: hoc enim scitote, Christum Æterni Patris Filium è Virgine natum, & pro nobis in Cruce passum, unicam viam esse, quam qui non init, indubiè ad æterna ignium supplicia devolvetur.* Vix hæc dixerat, cùm mentitum eum, & dignum quâvis morte sermonem protulisse Barbari vociferantur: *Moriatur*, inquiunt, *impostor ille æternis suppliciis nos devovens.* Nec mora, armatam suorum multitudinem ex insidiis evocantes apertâ vim parant. Quod dum faciunt, Joannes Guiraius, Neophytorum fidelissimus, Ruisium in genua provolutum hortatur adigitque ut secum fugiat. Vix fugam incœptârant, cùm undique sagittæ volant. Primo hostium impetu septem Ruisii comites cecidere; cæteri fugêre. Qua in fuga Joannes Guiraius facinus edidit memorabile: nam dum tela in Sacerdotem non satis fugere aptum dirigi ex longinquo videt, ipse arreptâ Ruisii togâ & pileo id assequutus est, ut frequentiora hostium tela, dum Antonius noster expeditior & minùs cognitus elaberetur, in se converteret. Hoc caritatis stratagemate Ruisius cum octo residuis comitibus evasit ad sylvam, quò etiam Guiraius quamvis innumeris telis petitus incolumis penetravit: volente Cœlo eum conservare, qui heroïcâ fortitudine pro servando alio vitam suam vilem habuerat. Ubi Ruisius certo cognovit de nece septem comitum suorum, mœstus quòd Martyrii palmâ ex propinquo ostentatâ frustratus esset, gratias egit Omnipotenti Deo selectum hominum non habenti, sed glorioſas palmas in Barbaros æquè ac olim in generosarum nationum athletas dividenti. Pridiè quàm mactarentur, professi fuerant se pro propaganda Fide sanguinem prodigere velle. Inde Ruisius cum superstitibus comitibus, ex ingenti mœrore deficientibus viribus, per spissas arbores &

De Taiaobæ rebus.

Taiaoba dolo capitur.

Fugit.

Furit.

Antonius Ruisius Taiaobæ terras pervadit.

Periclitatur.

Antropophagos alloquitur.

Ad necem destinatur.

Septem ejus comites mactantur.

Joannis Guiraii heroicum facinus.

Ruisius fugit.

spineta

ſpineta repens, tamdiu facie luto & ſanguine fœdatâ proceſſit, donec ad proxima fluvii loca pervaderet: ibi dum ex longinquo remos agitari audit, credidit ex adverſo ſe ab parricidis peti: igitur, renovatâ Martyrii ſpe, eò ſe contulit, unde ſtrepitus remigantium audiebatur; ad quos cùm perveniſſet, reperit eſſe ſeniculos duos ex amico pago ea de cauſâ illuc progreſſos, quòd Ruiſium periclitari cognoviſſent, & ſuâ ope indigere. Nec dubitatum cœleſti impulſu id factum fuiſſe: nam duarum horarum ſpatio duo hi ſeniculi, adverſo flumine, tantum iter confecerant, quantum lacertoſi remiges integro die vix percurriſſent. Eorum cymbâ vectus ſecundo flumine ad Villaricæ pagos & Salazarium pervênit. Interim parricidæ, rebus quas Ruiſius ſecum attulerat, & Sacrificii portatilis inſtrumento, inter ſe diviſis, nefandas epulas, aſſatis devoratisque Neophytorum cadaveribus, inſtituêre, unâ re mœſti, quòd nec Sacerdotis carnes vorare, nec ex coronato cranio triumphalis convivii vinum libare licuiſſet. Defunctus periculo Ruiſius Didacum Salazarium in Villaricæ Neophytorum oppidis, Sacerdote deſtitutis, eo præſertim fine perſeverare juſſit, ut captatis occaſionibus Taiaobæ populorum animos beneficiorum continuatione Societati conciliare conaretur. Quamquàm per ſeſquiannum omnis diligentia fruſtra fuit, Antropophagis pervicaciter amicitiam reſpuentibus, & in Salazarii necem non ſemel intentis.

Periculo eripitur.

Corpora occiſorum devorantur.

Didaci Salazarii conſtantia.

CAPUT XIII. De cæteris rebus per Guairaniâ geſtis.

RUISIUS per eadem diſcrimina reflectens iter, Divi Xaverii novum oppidum grandi Catechumenorum numero Joſephi Cataldini induſtriâ auctum reperit. Mox continuato labore veteres Neophytorum colonias reviſens, cognovit multa præter ordinem contigiſſe: nam Indorum turbam extra oppidum iter habentem tonitruorum tempeſtas cùm excepiſſet, & in eam Barbari duo recenter reducti laſciva verba petulanter fuiſſent projaculati, fulmine cinerati documento fuere, quàm non impunè inſtrumenta minantis Dei rideantur. Caſiquius potens, Religionis Chriſtianæ tædio, numeroſam Neophytorum catervam ex oppido eductam, dum ad Ethnicorum terras ſecum traducit, transfugii pœnas invenit: nam Ethnici imbelli turbâ in ſervitutem redactâ, transfugas omnes virilis ætatis hoſtiliter trucidarunt. Alter Indus, libertatis antiquæ deſiderio, ex oppido etiam fugiens, & in fugâ aſſerens poſtquam è Patrum conſortio ſe eripuiſſet, videri ſibi ex inferno abiiſſe, fulmine tactus meritas procacitatis pœnas luit. Laureti crux templo ſuperpoſita eo die fulmine deflagravit, quo cognitum eſt, fœtum ex vago concubitu conceptum, ab mulierculâ fuiſſe ſuffocatum. Quibus rebus nunciatis, transfugii horror, & Religionis caſtitatisque amor, omnium animos utiliter occupavit.

Tonitrui irriſores cinerantur.

Transfuga mactantur.

CAPUT XIV. Riocenſis Collegii initia & geſta per Tucumaniam narrantur.

1624.

RIOCA, Hiſpanorum urbs, circa id tempus Societatis ſedem accepit. Hanc urbem ante triginta circiter annos Joannes Ramires Velaſcus, Tucumaniæ Prætor, ideo fundaverat, ut aliquot Indorum millia in amicitiam recepta in officio contineret, optaratque ad novæ coloniæ ſtabilitatem, aſſignato fundo & agro, Societatis domum in eâ erigere. Sed tamdiu, ob defectum Sociorum, negotium dilatum eſt, donec auctis rebus Joannes Quiniones, Tucumaniæ item Prætor, agrum octodecim aureorum millibus æſtimatum cum duodecim mancipiis teſtamento legaret: & urbs alia pecuniarum levamenta offerret: quibus ſubſidiis incœpta ſedes brevi jus Collegii, non ſine magno civium & latè ſparſorum Indorum emolumento, indepta eſt. Societate arbitrâ, Tucumaniæ Prætor & Epiſcopus, notabili Reipublicæ gaudio, mutuas dedere manus, indices redintegratæ pacis ab utroque violatæ. Cordubæ Societatis tyro, honeſtiſſimis in Hiſpaniâ ortus parentibus, dum janitorem agit, faſciculum litterarum ſibi ex Europâ tranſmiſſum inconſulto Rectore clam, præterquam noſtræ leges imperant, reſeravit, cognovitque ex ſororis epiſtolâ ad amplam hæreditatem ſe vocari: Quâ re diu occultatâ, tandem dæmoni ſuadenti acquieſcens, deſertâ Societate, promiſſo conſtantibus religioſis æterno præmio caduca bona antehabuit. Hæc domi: foris verò Divina clementia præter ordinem, neſcio quem Europæi ſanguinis hominem in fide vacillantem juvit. Dubitabat is, num verè Corpus Chriſti in hoſtiâ conſecrata eſſet.

Religioſa legis infractor Societatem deſerit.

In fide dubitans confirmatur.

Cum hoc dubio sacrificanti assistens, eo ipso tempore, quo consecrata hostia populo adoranda elevari solet, quamvis cætera, quæ circa altare & in templo erant, apertis oculis clarè videret, Sacerdotem tamen & hostiam nusquam perspicere potuit. Sequenti die ad templum rursum rediens, id idem cùm sibi contigisset, cœlitùs cognovit indignum se eorum mysteriorum esse, de quibus addubitans debitam Deo fidem impiè negabat. Abjurato ritè dubio, & expunctis vitæ noxis, hostiam imposterum, ut alii, cernere meruit. In Esterensi regione Inda mulier, quamvis innumeræ peccandi occasiones sese obtulissent, ab gravi noxâ per sexdecim omninò annos abstinuisse se Sacerdoti nostro affirmavit, quòd ante id tempus turpis amasius luxuriæ secum vacans repentino fato in suis brachiis exspirasset.

Luxuria morte repentina punitur.

CAPUT XV.

De expeditione ad Cuioënses & morte Dominici Gonsales.

SOCII Mendoçæ degentes, frequentibus expeditionibus Cuioënsem, latissimam Provinciam, majori labore quàm Baptismorum numero excolebant. Ratio horum paucitatis erat, quòd gens servitiorum metu efferata latebras in ipsis lacuum arundinetis, & vastissimorum camporum hiatibus, aut montium spelæis quærerent, adeò ut sacri venatores benè secum actum putarent, si septem octóve mensium spatio, varia loca non interrupto labore scrutantes, centum Barbaros è latebris hinc inde erutos Christo per Baptismum aggregarent. Dominicus Gonsales, Mendoçini Collegii Rector, non contentus subditos suos emisisse, ipse etiam centum & quinquaginta leucarum excursione multos Barbarorum pagos omni ope juvit: de quorum moribus hæc fermè ad Provincialem rescripsit. *Indi*, inquit, *ad quos excurri, se invicem variis ex pagis invitantes, solemnes persæpè debacchationes exercent. Vidi ego loca furialium compotitationum, quæ pagi & convivii Dominus, pro numerositate convivarum, in propatulo sphærali formâ, paleis per justa intervalla in aditus sectis, circumdat. Eò loci viri omnes, tres quatuórve dies continuos, saltitando bibendoq;, insomnes transigunt. Mulieres ab his claustris arcentur, nisi cùm vinum adverso vultu & clausis oculis maritis subministrant: si per incuriam viros in area debacchantes aspexerint, morte puniuntur: Adeò inexorabili lege, ut nec maritus uxori, nec pater filiæ vitam condonet. Nec aliam superstitiosæ crudelitatis causam reddunt, quàm quòd experimento comperisse se asserant, aliquot ex debacchantibus solere statim mori, & subinde ab dæmone palam occidi, si in aream à mulieribus conspiciantur. His tripudiis invocatus dæmon assistit. Porrò advocandæ infernalis bestiæ hic est modus. Seniculus choreis circumdatus tamdiu tympanum pulsat, donec spectabili hominis, canis, aut vulpis figurâ, edito ingenti clamore se sistat. Præsens dæmon compotitare non abnuit. Mox bellus orator, mulca ad circumstantem concionem deblaterans, oblatos à parentibus filios asperis unguibus, elicito sanguine, sibi initiat. Extra id tempus proles suas, dæmoni dedicare volentes, designatis senibus sistunt, qui initiandorum cutem impactis unguibus tamdiu laniant, & capita osse acuto terebrant, donec largè cruententur: fluentem sanguinem manibus exceptum in aëra spargunt; hâc cerimoniâ consecrari autumantes. Sic excarnificatos ab aliorum consortio semotos jejunio macerant: quâ inediâ fortes fieri mentiuntur. Solem, Lunam, Phosporum, gens omnis ideò colit, quòd incolumitatem & indemnitatem ab ipsis speret.* Hæc & longè plura Dominicus Gonsales. Qui ex repetitis ad eas gentes multorum mensium excursionibus, cùm magnam Apostolici viri famam colligeret, immaturo fato ætatis anno trigesimo-nono sublatus est. Tenarife, una ex insulis fortunatis, ei patria fuit. Anno hujus sæculi quarto Gadibus à Didaco Torres in Societatem admissus, cum eodem in Peruviam, & decennio pòst cum Petro Oniato Provinciali, è Limano Collegio ad Chilenum regnum navigavit. Quichoam, Chilensem & Guarpanam linguas infatigabili labore devoravit. Perspectâ Cuioënsium Barbarorum miseriâ, voto se adstrinxit (si per Majores fineretur) totam vitam iis ad Fidem reducendis docendísve impensurum. Prandio contentus, quotidie ferè ab cœna abstinuit. Singulis diebus bis térve corpusculum suum tantùm non crudeliter flagris excipiebat. Asperum cilicium, ne quis insidianti voluptati pateret aditus, magnæ corporis parti adpressum nunquam deponebat. Cives Mendoçini frequentissimo concursu ejus funus prosequuti, tanquam Sancti hominis

Difficultas expeditionis.

Cuioënsium mores.

Dæmon potator & declamator.

Dominici Gonsales mors.

Peritia linguarum.

exuvias

exuvias, reculas ab eo tritas sibi distribui postulavere. Per cæteras Chileni regni ditiones, præter ordinarias Collegiorum industrias, & excursorum nostrorum labores, eodem planè fructu, quo præcedentibus annis, nihil admodùm memorabile contigit.

CAPUT XVI. Acaraiense oppidum ab Societate ædificatur.

PARANENSIBUS Sociis populi superioris fluvii littora incolentes augendæ rei Christianæ amplam materiam præbuere. Ad eos populos ante septennium mirabili audaciâ primus omnium Rochus Gonsalvius penetrarat. Interjecto verò tempore, Didacus Boroa eò aliquoties cursim ire ausus, vix apertam frequentium ariolorum vim evaserat: pedetentim tamen, quorumdam Casiquiorum animis multiplicitate beneficiorum demulsis, res ad eum statum reducta est, ut crederetur novum oppidum fundari posse. Igitur Didacus Boroa, & Claudius Ruiër, cum selecto Neophytorum manipulo, Mense Martio se dant in viam. Triginta leucis Acarai, in Paranam se exonerantis, ostium distat ab Corporis Christi oppido, unde discesserant. Circa eum fluvium incolebant frequentes Casiquii, quorum unus lubens volensque in suo agro locum fundando oppido designavit, cujus rei fama longè latéque perlata plerosque regionis Casiquios ad colloquium pertraxit, ex quo sic discessum, ut multi Legi Christianæ conciliati crederentur. Quare Socii Ædem Sacram extemporali opere exstruunt, & nascens oppidum Virginis MARIÆ Natali solemniter consecrant, omnem deinceps curam adhibentes, ut circumjacentes populos ad id incolendum allicerent. Post bimestre spatium Didaco Boroa ad cæterorum Sociorum regimen pro munere reverso, novi oppidi onus in unum Claudium Ruiërium incubuit; miraculoque non caruit, hominem febri debilitatum, earum rerum, quas novarum coloniarum fundationes requirunt, stabilimento operam dare potuisse. Omnibus Indis morbo simul prostratis, præter unum Neophytum Sacrificii administrum, nullum adjutorem habebat: quo etiam febri correpto, quamvis ipse febriret, per se aquatum lignatumque ibat, & omnibus ægris æger ipse aderat. Sed ubi cum reliqua gente convaluit, assumptis secum aliquot Casiquiis, adverso Paranâ navigans, Ethnicos ad Fidem Christo dandam sollicitatum perrexit. Primis diebus duorum pagorum incolæ, oblatis Baptismo infantibus, ei se tradidere. Sed Quaracipucutius apostata, inter suos potens, præcipuè petebatur, qui cognito Ruiërium adventare, frequentes Casiquios ad pagum suum convocavit, eo fine, ut eum trucidaret: quâ re non deterritus Ruiërius, apostatam armatorum manibus circumseptum minantemque fortiter adiens, composito ad majestatem vultu (nam sic cum hujusmodi superbiæ monstris agendum est) & sermonis granditate assumptâ, fastum hominis pro Sacerdote se venditantis multùm deridens, ita perstrinxit, ut prominis, & destinata nece, viatico Ruiërium prosequeretur, & interjecto tempore Neophytis accederet. Ad quem hâc vice reprimendum multùm valuit Ararepæ adhuc Catechumeni, & aliorum comitum pro tuendo Ruiërio mori se velle testantium, intrepida fortitudo, quibuscum, conciliatis priùs plerisque adversi Paranæ Casiquiis, ad oppidum rediit, ingenti Catechumenorum gaudio, quòd eum occisum fama vulgasset. Non diu pòst, relicto ad sarcinas Thomâ Urveniâ, qui ad eum juvandum venerat, eodem fermè comitatu fructuque, secundi fluminis accolas invitatum ivit. Reductis jam plurimis, cùm gens ex innatâ desidiâ domos suas in oppido fabricare renueret, tygris singulis noctibus per oppidum perambulans, id attulit commodi, ut Indi mirabili celeritate oppidum perfecerint, quo se tectis & parietibus contra feræ rabiem defenderent. Perfecto oppido, infesta tygris quasi officio suo perfuncta, Divi Georgii ferarum domitoris ab Ruiërio invocati die, in casses incidit. Indorum turba, ad patrios fontes ex oppido transfugiens, ab occurrente tygride, unum ex omni numero discerpente, territa, postliminiò ad Christi ovile rediit. Tygris alia Indum cum sua familia, Religionis Christianæ capessendæ ergò, ad oppidum euntem, in fugam compulit; sed non ejus uxorem, ausam in feram securim intentare, & prehensâ caudâ velle sistere, ex quo conamine fortis mulieris ei nomen adhæsit. Præter tygridum continuam pænè infestationem, illud ad Sociorum patientiam exercendam addebatur, quòd cyniphes pænè innumeri, in humili & calido

Acaraiæ fluvius.

Oppidum Nativitati Virginis sacratur.

Claudii Ruiërii morbus & labores.

Periculum.

Generositas.

Ethnicorum reductio.

Tygridum infestatio.

Et cyniphii.

Et Arioloruṁ.

ſolo aculeolis ſuis diu noctuque fodicantes, nullâ quiete datâ pertinaciſſimè eos infeſtarent. Præterea arioli quibuſvis feris & cyniphibus moleſtiores iis erant, adeò ut Ruiërius ſcriberet, inter hos populos durare, ſine ſpecialiſſimo Dei favore, prorſus fore intolerabile: ſed Deus Optimus Maximus inexplicabilibus deliciis eorum animos imbuebat, qui ſe volentes lubentesque in media Barbarie glorioſis ærumnis conſecrant. Indicibili Sociorum diligentiâ pedetentim à pleriſque Caſiquiis, infrà & ſuprà oppidum incolentibus, obtentum, ut ſe perducerent: quamquam nunquam deerant, qui dæmonis clientes ſe profeſſi Evangelio reſiſterent.

CAPUT XVII. Obſtaculũ Evangelicæ prædicationis ab Urvaicâ amovetur.

Conceptionis oppidum nutat.

DUM hæc aguntur, Nicolaus Durandus Maſtrillus Provincialis alia Paranæ oppida inſpiciebat, qui quamvis ad novum Acaraienſe oppidum non aſcenderit: auſus tamen terreſtri itinere ad Urvaicenſes penetrare, reperit Conceptionis oppidum, ob Paranenſium Ethnicorum ſecretas machinationes, & peſtem ſingulis annis graſſantem, ſuſpicionesque Barbarorum, nutare: voluitque coram, advocatis in conſilium frequentibus Sociis, diſceptari, num oppidum ab quinquennio incœptum, & paucitate laborans, continuandum deſerendumve eſſet. Re ultrò citroque agitatâ, prævaluit Rochi Gonſalvii, & Alfonſi Aragonæ, qui ibi curabant, ſententia, ſentientium, conſtantiâ, & remotione obſtaculorum, contra dæmonem, immenſæ Provinciæ ſpem evertere conantem, obnitendum eſſe. Aiebant enim, circa Paranæ initia per ſexennium integrum contra Barbarorum perfidiam, peſtis graſſationem, dæmonum furorem, Socios obluctatos fuiſſe: longè diutiùs Cataldinum & Maçetam in duobus Guairaniæ oppidis ſe continuiſſe: ſperandum etiam eſſe, ſi non retrocederetur, fore ut aliquando grande conſtantiæ præmium, devictis Urvaicenſibus, reportaretur. Cui ſententiæ ſubſcribens Provincialis, Rocho Gonſalvio in mandatis dat, ut omni adhibito conatu obſtacula amoveat. Et profectò ſtatim ingens amotum eſt, capto Jaguapinio Paranenſi Caſiquio, jamdiu ſecretis machinationibus Sociorum labores ſummo niſu evertere conato. Perſuaſerat is Urvaicenſibus Ethnicis, ut non longè procul ab eo loco, ubi Rochus Gonſalvius Conceptionis oppidum fundaverat, aliud majus conſtruerent, è quo conjunctis viribus bellum Neophytis inferrent, prohiberentque religionem Chriſtianam ultra propagari: ſed acceptis tanti mali indiciis, Paranenſes Neophyti factâ manu Jaguapinii pagum invadunt: quo capto, & in exilium tranſportato, duplici emolumento novellæ Urvaicæ & Paranæ oppida cumulata ſunt. Nam Jaguapinius ad partes Chriſti cum omnibus aſſeclis tranſiit, & deinceps per Urvaicenſem Provinciam victricia triumphantis Fidei Chriſtianæ arma, fundatis multis oppidis (uti ſuis locis narrabimus) Gonſalvio duce Socii circumtulerunt. Inter has turbas centum & quinquaginta quatuor in eo oppido Chriſtianis additi ſunt.

1625.

Jaguapinius capitur.

CAPUT XVIII. De Joannis Quaracii Arioli moribus & morte.

Joannes Quaracius morti eripitur.

Itatinenſes decipit.

AD Paranam quamvis novæ veteresque Neophytorum coloniæ frequentibus Ethnicorum acceſſionibus Sociorum induſtriâ increſcerent, ſpesque eſſet totum fluvium ſub Chriſti jugum brevi miſſum iri; tamen nec hîc dæmon quieſcebat, qui ad eludendos Sociorum conatus, Joannem Quaracium, magum perverſis facinoribus famoſiſſimum, in Paranam induxit, totum ſine dubio corrupturum, nî in antagoniſtas eludendis ſtygiis artibus exercitatiſſimos incidiſſet. Is magus in Guairania olim natus Baptiſmo ſe tingi eo fine permiſerat, ut diſſimulatiùs noceret. E patria in varias ſemotasque terras peregrinatus, ſparſo ubique ſuperſtitionum veneno, quoſcumque poterat ab Chriſti cultu avertere conabatur. In Aſſumptionis urbe, ob nota ſcelera, Judicis ſententia furcæ adjudicatus, imprudenti neſcio cujus hominis favore morti ereptus, ad Sanctæ Fidei urbem in exilium tranſportatus eſt. Unde adverſo Paranâ fugiens, Itatinenſi Neophytorum oppido, Franciſcanis Patribus ſubjecto, clam ſe intulit. Et ut erat vafer, ab Itatinenſibus impetravit, ut ſe quàm occultiſſimè haberent. In his latebris, maleficis ſermonibus plerorumque animis ſibi devinctis, ab credula gente facilè obtinuit, ut frequentiſſimi ad ſe audiendum noctu concurrerent. Porrò nocturni doctoris hæc erant dogmata. Caverent ab Chriſtianis & Religioſis Sacerdotibus, quos ſcirent ad Indorum perniciem eſſe

conſecratos.

consecratos. Eos ad Exhomologesim cogere initiatos, ut scientiâ peccatorum abuterentur. Exorcisatum salem, in Baptismis adhiberi solitum, certum venenum esse, quo citiùs ocyùs infantium & adultorum corpora mactarentur. Oleum & Chrisma fœditatibus tantummodò creandis inservire. Malitiosè pluralitatem uxorum ab Christianis Sacrificulis prohiberi, ne scilicet Indi, multiplicatâ prole prævalentes, Hispanis negotium facesserent. Proinde se, pro potestate, quâ valebat, omnibus præcipere, ne imposterum unâ contenti uxore viverent; sed quascumque adipisci possent, domi alerent. *Vivite*, aiebat, *& bibite antiquo ritu, inter choreas & ebrietatum hilaria, Majorum nostrorum memoriam celebrantes. Divorum imagines ne colite, sed me unum pro vestro Numine habetote. Si secus facitis, in bufones & ranas transformatos Paranæ devorandos vos tradam.* Minacibus & sacrilegis dictis lasciva facta addebat: nam septem pellicibus in ordinariam libidinem assumptis, quascumque alias optabat, pro libitu diminuebat. Igitur exemplo & verbo nocens, brevissimo tempore ita Itatinenses pervertit, ut alius populus, quàm antea erat, crederetur. Nam pro obsequio Sacerdotibus debito, nihil nisi protervitates audiebantur. Sacramentorum frequentationi successerant avita vitia, adeò jam publica, ut palàm totius oppidi rebellio timeretur. Joannes Gamarra Franciscanus, vir linguæ Barbaricæ & tractandorum Indorum peritissimus, Itatinensibus tum præerat, qui in causas subitæ mutationis inquirens, cùm nihil diù extorquere potuisset, tandem hoc fermè modo indicium à puero accepit: nam dum puellulum in paucis gratiosum ad se ventitantem, ut fit, interrogasset, num se amaret, respondit puer, *Te quidem, ô Pater, amo, sed in oppido occultè versatur Ioannes Quaracius, quem suprà te diligo.* Notum erat Quaracii nomen: quare, hoc indicio accepto, non dubitavit inde malum procedere. Sed dum ferventiùs, quàm decebat, in eo negotio se gerit, Quaracius clam fugiens, adverso Paranâ in Maracanaim, perfidorum hominum olim receptaculum, cum pellicibus se intulit: exinde aliquoties prorumpens, sparso ubique veneno, nostros Neophytos inficiebat; navigabatque usque ad superiora Paranæ loca, Ethnicorum pagos, ne se ad Fidem reducerent, solitis artibus avertens. Rochus Gonsalvius animadversâ etiam Neophytorum nostrorum mutatione, & serpentis mali causæ penitùs ignarus, ubi Gamarræ litteras de Quaracii fuga recepit, assumptâ fidelissimorum Neophytorum catervâ, summâ celeritate ad Maracanaim se confert, quò antequam perveniret, notis se veterator arundinetorum latebris absconderat, nullâ arte eruendus, nisi eum una è pellicibus, adnitente Gonsalvio, prodidisset. Repertum Neophyti vinculis onerant, & per Itatinense oppidum circumductum ad Assumptionis urbem, secundo Paranâ, adversoque Paraquario, deducunt, ubi sententiâ Magistratûs laqueo vitam finiens, ingenti periculo totum Paranam Urvaicamque liberavit.

Fugit.

capitur.

Laqueo vitam finit.

ASSUMPTIONIS urbs funus nobis offert Thomæ Fildii, ideo non omittendi, quòd unus è tribus primis Sociis fuerit, qui Societatem in Paraquariam invexere. Limoricum Hyberniæ urbem pro patriâ, pro patre medicum Catholicum habuit. Adolescens vitandæ hæreseos, & studiorum ergò, in Belgium, inde Romam concessit, ubi ab Everardo Mercuriano in Societatem admissus ita se gessit, ut adhuc tyro primo ambitu Brasiliam Provinciam indeptus sit. Româ pedes stipem flagitando Ulissiponem perrexit. In Brasiliâ, Josephi Anchietæ itinerum comes & miraculorum admirator fuit: ab quo in Tucumaniam navigare jussus, in Argentei fluminis ostio ab hæreticis Anglis captus pares cum sociis infestationes, suo tempore à me relatas, perpessus est. Hîc addam, piratas illos Anglos, & aliquot Hybernos, eo nomine in Fildium nostrum procaciores fuisse, quòd dicerent eum ob professionem Jesuiticam, & propagandæ Catholicæ Romanæque Fidei studium, popularium suorum dedecus esse, parumque abfuit quin ob id mactaretur. Divinâ ope servatus, in Tucumaniam primùm, tum in Paraquariam se conferens, baptizatis multis Barbarorum millibus, ea patravit, quæ distinctè suis temporibus denarravi. Virtutes ejus fuere Virginitas adeò integra, ut animæ suæ moderatoribus ingenuo candore in ultima senectute dicere soleret, tam se purum esse, quàm fuisset cùm è ventre

CAPUT XIX. De Thomæ Fildii vita & morte.

Thomas Fildius Josephi Anchietam comitatur.

Ab hæreticis capitur.

Vexatur.

Virginitatem servat.

matris

matris effunderetur; zelusque animarum, religiosæ disciplinæ amor, & precandi studium. Animi verò demissionem per hoc maximè ostendit, quòd Provinciales de eo in media Barbarie versante ad altiorem gradum promovendo obliti, ne verbulo quidem questus sit, donec post quadraginta Societatis annos tria solemnia vota profiteri juberetur. Poma, uvas & reliqua hortorum refrigeria, cæterasque gulæ illecebras, usque ad octogesimum ætatis annum, quem lethalem habuit, gustare constanter renuit: quod quàm in torrido hoc climate laboriosum sit, ut olim Fildius noster experimento, sic jam ex præmio abundè in Cœlis cognoscit. Ibidem multæ mulieres, imploratâ Divi Ignatii ope, ab periculoso partu liberatæ, & agri à noxiis rebus indemnes permansere: quibus portentis crevit apud omnes ordines erga Divum Ignatium veneratio, adeò jam publica, ut Episcopatûs gubernator, nequicquàm reclamante Ecclesiæ Cathedralis provisore, anathemate intentato jusserit ultimum Julii diem in ejus honorem festum esse.

Animi demissionem colit,

Et abstinentiam.

Divus Ignatius multis salutaris.

CAPUT XX.

Apud Tucutienses in Guairaniâ Sancti Josephi oppidũ conditur.

Divi Raphaëlis beneficium singulare.

NICOLAO Durando Provinciali, in eâdem urbe Collegium inspicienti, Antonius Ruisius Provinciæ suæ rationem redditurus occurrit, & Petro Spinosâ Socio, ab Barbaris postea trucidato, auctus, Guairaniam repetiit: quò, antequam, confectis in itu & reditu trecentis leucis, appelleret, lubuit per intacta nemora sylvestres Indos indagatum ire. Sed, Socio adhuc his laboribus inassueto, post unius diei cum senticetis eluctationem, crus adeo acerbè doluit, ut ultra progredi, & iter ad relicta navigia relegere posse desperaret. Verùm Ruisius, invocato Divo Raphaële viatorum duce, cœlitùs compendiosæ viæ indicium accipere meritus, cum socio crure laborante unâ horâ iter unius diei confecit. In Guairaniam redux, Tucutienses populos cum Simone Maçeta subjugare aggressus, omnia in proclivi habuit. Tucutienses populi erant inter vetera Guairaniæ oppida, & novam Divi Xaverii coloniam, medii. Ex qua gente nongenta circiter capita Cataldinus Lauretum traducta ante septennium Christianis addiderat. Cùm ergo magnum emolumentum speraretur, si vetera oppida cum Divi Xaverii colonia, novâ inter Tucutienses coloniâ constructâ, connecti posset, omnem conatum, ut id fieret, Antonius Ruisius adhibuit: nam præterquamquod intolerabile & tortum per Tibaxivam, vadis & scopulis impeditissimum flumen, quò ante ibatur, iter esset, non tutum erat indomitos populos à tergo relinquere. Præparatis itaque rebus omnibus ad fundationem novi oppidi necessariis, Antonius Ruisius & Simon Maçeta se dant in viam. Ibant per intactas hactenùs sylvas sine itineris indicio; donec Tucutiensium Casiquii filius obviam ultrò occurreret, quo duce reliquum viæ sine via permensi, id etiam incommodi perceperunt, ut Neophyti, Sociorum comites, metu insidiarum concepto, suspicarentur ab Casiquio missum filium, ut ad se perductos Patres trucidaret. Sed postero die suspiciones evanuere, Casiquio obviam etiam progresso, pagumque suum ad construendum destinatum oppidum ultrò offerente. Gratior fuit Casiquii voluntas quàm locus, qui quòd in profunda valle esset, aër etiam respirationi deficiebat. Bonâ igitur ejus veniâ commodiori in loco oppidi fundamenta posita sunt. Nec diu fuit, cùm ducentæ circiter familiæ ex circumjacentibus sylvis fundationi nomen dedêre. Oppidum templumque Divo Josepho, omni circum Barbarie plaudente, & frendente dæmone, consecratum est. Cui postmodùm accessere sex vicorum incolæ; & quindecim alii pagi spem fecere eò se aggregatum iri. Simon Maçeta, solus eo in oppido relictus, ea patravit toleravitque, quæ in novis coloniarum fundationibus patrari tolerarique solent. Nec admiratione caruit, hominem unum in media barbarie tot hominibus cicurandis, erudiendis, Sacramento initiandis, fabricandis domibus, templo erigendo, atque hujusmodi sexcentis rebus, fabis & radicibus pro omni cibo contentum, corpus variè vexantem, sine valetudinis detrimento insistere potuisse.

Ducentæ familiæ reducuntur.

Quindecim Ethnicorum pagi conciliantur.

Simon Maçeta commendatur.

CAPUT XXI.

De Itinere ab Antonio Ruisio aperto, & D. Xaverii coloniæ augmẽto

EX novo Divi Josephi oppido Ruisius ad Divi Xaverii coloniam viam aperire per se conatus, ob montium arduitatem, sylvarum densitatem, & sylvestrium Barbarorũ ferociam, inextricabilibus pænè se difficultatibus implicuit. Post aliquot

dies

dies ob aquæ defectum ab Sacrificii confectione, & ab omni potu, per triduum ei abstinendum fuit: donec lignum quoddam ad modum funium flexibile reperiret, quod fissum suppeditavit aquam ad sitim restinguendam, sed non ut ad Sacrificium adhiberi posset. Pro omni cibo tenera arborum folia fuere. Post diuturnam cum senticetis eluctationem, cruentatis cruribus, ad fluvium pervenere, aquam pro Sacrificio ministraturum. Sed deficiente ibi omninò viæ indice, Ruisius, more suo, magnâ confidentiâ se in brachia Providentiæ Divinæ conjecit: narrabatque postea, tantam sensisse mentis lætitiam cùm solius Dei auxilio suffultum se cogitaret, ut præ gaudio subsilierit. In eo rerum statu Indus, Ruisii comes, fortè corneam buccinam inflavit, ad cujus sonitum altera in adverso littore resonuit, eorum scilicet, qui ex Divi Xaverii colonia in Ruisii occursum veniebant, quo occursu tantus stupor bonum Patrem corripuit, ut cohibere se non potuerit, quin ob perspectissimam Dei Optimi Maximi providentiam exclamaret: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Cumulatum est ejus gaudium, cùm inter Indos obviam venientes Casiquium vidit ad partes Christi traductum, qui omnem olim conatum posuerat, ut se in casses suos allectum devoraret. Ruisius in Divi Xaverii oppidum inductus, Christophorum Mendoçam, & Franciscum Diastanium illuc nuper adverso Tibaxivâ advectum, veritos ne Antropophagis cibus factus fuisset, ingenti gaudio affecit. Creverat id oppidum multis familiis: quare ipso Divi Ignatii die Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in novo templo solemni ritu collocavit, ut Deus Optimus Maximus ibi in solio resideret, ubi dæmon per tot retrò sæcula tyrannidem exercuerat; & carnem suam summo generis humani amore aliquando comedendam daret iis, qui summo odio ossa hominum rodere assueverant. Pro Christophoro Mendoça Franciscum Diastanium hujus oppidi præsidem constituit, quem anno sequenti magno incremento novellam Rempublicam augentem, fame laborantem, & ariolorum dæmonumque insidiis petitum revisemus: nam nunc sequi lubet Ruisium & Mendoçam novam dæmoni plagam, fundato altero oppido, inferre meditantes.

Divinæ Providentiæ effectus.

CAPUT XXII. Apud Taiatienses in Guairaniâ Incarnationis oppidũ fundatur.

NE Taiatienses, in Nivatinguiensi Guairaniæ regione campestribus obversâ, positi, Christo nomen darent, dudum obstiterat Suruba, magnæ authoritatis Casiquius, tam avitorum morum tenax, quàm Christiani nominis atque JESU Sociorum hostis. Is, sparso latè metu, populares suos, Religionis nostræ avidos, ab Ruisii familiaritate ideò arcebat, quòd oppidum in suis terris fundari pertinaciter renueret. Sed tantum promovendæ rei Christianæ obstaculum hoc maximè modo amotum est. Iverat Suruba, magnâ Casiquiorum nostro nomini infensorum & clientûm catervâ comitatus, ad magni Taiaobæ terras, herbam Paraquariensem gentis delicias collecturus. In comitatu ibat Pindovius, vir inter suos potens, qui anno superiori coactâ Antropophagorum manu Ruisio nefandis epulis destinato insidias struxerat, & postea furore in humanitatem verso ipsummet Ruisium, nequicquàm Surubâ reluctante, oppidi fundandi ergò ad suas terras vehementer allicere exoptabat. Magnus Taiaoba, dissimulato quod cum advenis gerebat odio, liberum quidem transitum per suos fines dedit, sed ab herbæ collectione redeuntes ex insidiis invadens, Surubam cæterosque ejus comites omnes occidione occisos in foveam conjecit genialiter devorandos. Unus Pindovius, clypeo & ense ferox, per confertam sagittariorum manum perrumpens, cum tribus sodalibus evasit. Surubâ sublato, Pindovius in patriam redux, considerans ad quantam humanitatem ac pacem ex tantâ atrocitate tumultuque, Societatis operâ, Ibitirambetani, fundato Sancti Xaverii oppido, devenissent, & non deesse sibi hostes, quibus obsistere non posset, nisi se Christianis adjungeret, tres factionis suæ Casiquios ad Ruisium suo nomine rogaturos fundationem oppidi amandat: sed Divi Xaverii incolæ rem subodorati, nuncios asperis verbis increpitos ab privato Ruisii colloquio prohibent, uno ore proclamantes, Pindovii eas artes esse, secretis legationibus Socios ad se attrahere volentis, ut allectos solito more dentibus comminueret. Ruisius tamen, amotis arbitris, homines à Pindovio missos ad se accitos his fermè

Taiaobæ dissimulatio.

Suruba cum suis occiditur.

Pindovius elabitur.

Socios petit.

verbis compellavit. *Audistis*, inquit, *ô Nuncii, quibus suspicionibus gens vestra laboret. Sed sic habetote, etsi me vivum Pindovius mansurus sit, me tanto amore popularium vestrorum teneri, ut magis vestra salus mihi cordi futura sit, quàm vita voluptati. Triduo me tantùm operimini, & sanctè promitto, fore ut, spreto quovis mortis periculo, vobiscum proficiscar.* His auditis Pindoviani gratias Ruisio eo maximè nomine agentes, quòd plus suis postulatis, quàm invidiosis suspicionibus tribuisset, promisere, nihilo se in excipiendis conservandisque Sociis fore indiligentiores, quàm Ibitirambetani fuerant. Triduo exacto, Antonius Ruisius & Christophorus Mendoça se dant in viam. Quarto itineris die Pindovii sedem tenuere: ab quo per arcus triumphales ex ramalibus erectos, inter tympanorum buccinarumque undequaque reboantium sonum, & numerosas concurrentis populi turbas, in sacellum ab eodem ædificatum inducti, datis Deo Optimo gratiis, adstantes opportuna oratione alloquuti sunt. Finito sermone, Pindovius exquisitis verbis spopondit operam suam ad numerosum oppidum conflandum. Ædes, quas ipse Sociis tradidit incolendas, palamentis & vallo erant circum circa munitæ, ob Casiquii cujusdam insolentiam, qui ipsius Pindovii matrem bello captam devoraverat, vicissimque Pindovius plurimos illius familiares dentibus contriverat: & paulò antè Sociorum adventum rursum hostis pueros tres Pindovianæ factionis epulis destinatos assarat, Indasque aliquot jaculis & fustibus mactaverat, quarum corpora Pindovius cùm hostibus eripuisset, domumque reportasset, factum ut inter cadavera Indam jaculis transfixam, & ob concretum sanguinem omnibus membris jam intumescentem, sed adhuc spirantem, Ruisius inveniret: cui salutis aquam, Mariæ nomine impositio, aspersit: contigitque Virginis ope, ut post triduum pristinis viribus restituta ad locum ædificando oppido destinatum per leucam integram graderetur. Campus erat ob præterfluentem amnem, & pinorum abundantiam, accommodatissimus. Quo in campo, ipso Divi Laurentii pervigilio, Cruce erectâ, & sacrificio peracto, multorum Divorum & mysteriorum nominibus in urnam jactis, cùm sortibus missis Incarnationis nomen eductum fuisset, novum oppidum eo nomine indigetari placuit. Quod oppidum domibus & templo auctum, Incarnati Verbi ope ita crevit, ut sesquimille familias in Catechumenorum Neophytorumque album relatas computarit.

Et impetrat.

Mille & quingenta familiæ reducuntur.

CAPUT XXIII.

Socii variis in Guairaniæ locis de vita periclitantur.

Christophorus Mendoça ad necem designatur.

CHRISTOPHORO Mendoçâ in Incarnationis oppido relicto, Ruisius ad cæteras Guairaniæ curam se contulit. Quo absente campestres populi contra Pindovium, ob receptos Socios, arma moliuntur, Christophorum Mendoçam morti & novum oppidum excidio designant: conflatis copiis subornatum adolescentem ad explorandas Pindovii vires mittunt: qui ab nostris captus tortusque, cùm diu popularium suorum consilia se scire negasset, tandem hoc maximè modo detecta sunt. Christophorus Mendoça vinctum juvenem apud se retinuerat, & sumpto precum Breviario ad Divinum pensum persolvendum se accinxerat, quod ut vidit adolescens (nam novi homines putant, per litteras & libros arcana quævis Europæis hominibus manifestari) existimans per librum se detectum iri, attonito similis in hæc verba prorupit. *O Pater, quæso te, ne me iterum torqueri permittas, tibi totam rem aperiam, nihil enim te latere potest, qui libros, secretorum omnium indices, habes.* Tum nefariam hostium machinationem detegens, ait, eos incredibili Sacerdotum carnes vorandi cupiditate flagrare, decrevisseque, oppressis omnibus incolis, novum oppidum vastare. Detectis insidiis, Pindovius armatos populares suos quantâ potest celeritate in hostes ducit: qui, quia explorator præfinito die non redierat, fraudem veriti, intra suos se fines receperant. Dissipato belli metu exploratorem illum Christianis additum ad hostes remittere voluit, cum muneribus: sed hic nec prece nec precio ad id adduci potuit, quòd assereret fore, ut de suis carnibus, ob revelatum belli apparatum, epulas instruerent. Ferocientes tamen hos hostes non diu erit cùm, admissâ JESU Societate, ad oppida reductos, aliquousque mansuescere videbimus. In eodem oppido aliàs alia de causa tumultuatum etiam est. Antonius Ruisius potestatem fecerat Taiatiensibus, ob superantem multitu-

Machinationem detegit.

dinem

dinem, transmigrandi ad Ibitirambetanos: multi hac facultate usi viæ se jam dederant: quo cognito, Taiatienses numero se diminui renuentes transmigratores adoriuntur, vinculisque injectis ad oppidum retrahunt: unum violentiùs reluctantem occidunt. Contrà Xaveriani, ut invidiam antagonistis parerent, spargunt in vulgus, ab Incarnationis oppidanis Christophorum Mendoçam interfectum. Ex quibus rebus utrimque recrudescebant simultates avitæ, in apertum bellum erupturæ, nî Sociorum opportunâ prudentiâ sopitæ fuissent. Sed longè pernicioſior erat in Divi Xaverii oppido in quibusdam repullulans carnes humanas vorandi cupido. Septemdecim omnino homines exiguo tempore per insidias interceptos clam comederant: & Francisci Diastanii carnibus præsertim inhiare dicebantur, quem capropter Neophytorum fidelissimi, eo licet inscio, noctu diuque dispositis circa domum excubiis custodiebant, donec carnivori illi hoc maximè modo detecti sunt. Antropophagus nescio quis, puerum clam captum securi percusserat, & pomeridianis epulis destinatum aliò divertens in villâ suâ pro mortuo reliquerat; sed puer graviter sauciatus, pedibus manibusque repens, redierat ad matrem suam; quæ filium humeris impositum ad oppidum cùm tulisset, primores permovit, ut in homicidam inquirerent; quem cognitum raptumque Xaveriani Neophyti flagris indubiè ad mortem usque laniâssent, nî Franciscus Diastanius interceſſisset. Valuit animadversio ad terrendos reliquos, & in humanitatis officio retinendos. Carnivororum lanienæ ibidem succeſſit fames adeò fœda, ut passim corpora exanimarentur, & Diastanius benè secum actum putaret, cùm unicam spicam tritici turcici & sylvestres herbas in singulorum dierum dimensum nâciscceretur. Interim Didacus Salazarius per sesquiannum mirabili patientiâ in pagis Villaricæ subcensitis perseverârat, omnem lapidem movens, quo Societati ad magni Taïaobæ terras aditum aperiret, exiguo aut nullo succeſſu, Taïaobanis in pertinaciâ persistentibus, & in Salazarii necem non semel intentis; quem etiam Casiquius ex amicis pagis de medio tollere voluit, quòd filium suum errantem corripuisset. Igitur ex eâ statione revocatus Lauretano oppido Præfectus est. Inter hæc pericula versabantur Guairaniæ Socii, eo maximè nomine Societati commendandi, quòd inter Antropophagos in novis oppidis, triginta quadragintáve leucis abs se invicem dissitis, soli residerent; adeò suorum commodorum immemores, ut Cataldinus gaudio subsiliret, quoties etiam maximè neceſſaria sibi deesse sentiret. & alii eò avidissimè irrumperent, ubi sanguinis fundendi, aut laborum tolerandorum spes major affulgeret. Scribebat tamen frequenter Ruisius ad Provincialem, ut Socios quanto numero posset ad se mitteret, ne pauculis immenso oneri succumbentibus, reliquæ Provinciæ Christo domandæ spes præscinderetur.

Taiatiensium & Ibitirambetanorum simultates.

Antropophagorum crudelitas.

Francisci Diastanii periculum.

Didaco Salazario mori intentatur.

Guairania Socii laudantur.

SUB finem hujus anni Nicolaus Durandus Mastrillus Provincialis magnam movebat machinam, partitionem scilicet Provinciæ, mole suâ jam laborantis, & unius Provincialis curam excedentis. Causæ verò, quæ ad eam dividendam impellebant, hæ præsertim erant. Quod hactenus Paraquariæ Provincialis nullus Guairaniam & Chiloënses insulas inspicere per se potuisset; & maxima detrimenta inde orirentur, quòd Chilenum regnum ab Tucumaniâ continuatâ montium serie ita divisum sit, ut per sex menses, abrupto etiam litterarum commercio, ob immensa frigora adiri non possit. Adde, quod spes proxima esset per Paranam, Urvaicam & Guairaniam condendorum novorum oppidorum, quæ nec regere, nec acceptare Provincialis posset in tot regionum, nongentis leucis protensarum, curam distractus. Has causas ad se perscriptas cùm Assistentibus suis Mutius Vitelleschus Generalis proponeret, in id pletique consensere, ut Chilenum regnum, ab Paraquariensis Provincialis imperio exemptum, in novam Vice-provinciam erigeretur: narrantque unum ex Assistentibus, utcumque partitioni reluctantem, eâ maximè ratione in cæterorum sententiam consensisse, quòd intellexisset semestri integro singulis annis Chiloënsium Sociorum commercium cum Tucumaniæ Patribus ob limitaneorum montium conditionem nullum esse posse: & ferunt dixisse visâ eorum montium delineatione, quòd Deus sic disjunxit, homo non conjungat.

CAPUT XXIV.
Chilense regnum ab Provincia avellitur.

Causæ separationis.

In Vice-provinciam erigitur.

Status novæ Vice-provinciæ Chilensis.

Porrò Chilensis Vice-provinciæ, legitimo diplomate per Mutium Vitelleſcum Generalem ab Tucumaniâ Paraquariâque abſtractæ, hic ſtatus erat. In Sancti Jacobi urbe, totius regni principe, Collegium Academiæ jure ornatum, viginti & octo Socios numerabat. In eâdem urbe convictus nobilium adoleſcentûm Societatis curæ ſuberat. Ad tyrones verò inſtituendos Carretus vir dives decimo-octavo ab urbe lapide commodum agrum cum adjectis ædibus nuperrimè Societati donederat. Præterea, Conceptionis urbs, Prætoris ſedes, Collegio fruebatur, cui ſubcenſitæ erant Chiloënſis, Araucana, & Bonæ-ſpei ſedes, ſtipe Regiâ ſuſtentatæ. Denique, eis montes Mendoçinum Collegium Cuioënſibus Chriſto domandis non ſegniter invigilabat. Præter quas ſedes, ſpes erat, ſi cum Araucanis pax fieret, futurum ut in reſtaurandis urbibus, fundatis Collegiis, Chilensis Vice-provincia jus Provinciæ aliquando indipiſci poſſet. Cæterùm nova Vice-provincia non Paraquariæ, ſed Peruanæ Provinciæ ideo ſubcenſita eſt, quòd ſubſidia Sociorum ab hâc, quàm ab illâ, ampliora ſperare poſſet, & quòd matitimo itinere inter utramque longè faciliora commercia eſſent. Quâ ſubjectione hactenus decus ſuum conſervavit, ſive ſpectes Apoſtolica facinora terrâ mariſque patrata, ſive numerum virorum litteris, virtute, & gubernandi arte inſignium; ſive denique patientiam Sociorum terræ motibus, maris eluvione, rebellium inſultibus, pervicaciâ Barbarorum, & aliis inſectationibus exercitam. Quæ omnia non deerit, qui ſpeciali volumine deſcribat: nam mihi res Paraquariæ Provinciæ, & ei ſubcenſitarum regionum, tantùm ſcribenti, ab illis fermè mihi abſtinendum erit. Porrò novæ Vice-provinciæ cura Joanni Romero commiſſa eſt: qui, quia ante fundationem Provinciæ per quatuordecim annos, & poſtmodùm multis Collegiis præfuit, & in totius Provinciæ Præpoſitum paulò ante mortem deſignatus eſt, antequam è mei calami jure ſe eximat, neceſſariò mihi debitâ laude mactandus eſt.

Ejuſdem laus.

CAPUT XXV.

Joannis Romeri vitæ initia, Religionis tyrocinium, navigatio, & primi in Peruviâ labores.

JOANNES Romerus, Marçenæ in Bœticâ honeſtiſſimis parentibus natus, dum juri Canonico Oſunæ dat operam, per cæmeterium noctu iter habens, Sacerdotis defuncti ſibi ante notiſſimi umbram, è clericali veſte flammas & ignem cum lamentabili voce evomentem, bis conſpexit. E quo ſpectaculo exanimatus diu humi jacuit, dònec utcumque ſibi redditus domum rediret. Ex ingenti verò timore ad extrema deductus, ubi convaluit, amplis ſpebus valere juſſis, de religioſo in Societate JESV ſtatu ineundo cogitare cœpit. Cunctabundum Millanus Garcia, inſignis noſtri Ordinis concionator, verba hæc Canticorum, *Vulneraſti cor meum*; explicans, impulit ut anno ætatis vigeſimo-primo, & præteriti ſæculi octogeſimo, in Societatem ingrederetur. Primo ſtatim tyrocinii die, dæmonem antagoniſtam habuit, moleſtiſſimè ſuadentem, omitteret cœpta, nunquam ad exitum perducenda; magis eam inſiſteret viam, quà incedere tot adoleſcentes ætate florentes videret: intolerabile eſſe totâ vitâ ſub alieni imperii jugo ſudare: & caſtos mores uſque ad mortem protelare. Uteretur divitiis cœlitùs datis, & generoſum animum, quibuſvis honoribus parem, ultrò adſcitis paupertatis ſordibus ne deprimeret. Romerus in lectulo jacebat, dum mentem his ſuggeſtionum telis feriri ſenſit: & non ignarus quo authore ſuggererentur, ne iterum negotium faceſſeret, violento contra tantum hoſtem uſurus remedio, è lectulo ſe proripit, ſanctè vovens, quantum in ſe eſſet, Societatem nullo caſu ſe deſerturum. Hoc telo proſtratus hoſtis, moleſtus eſſe deſiit, ne leviter quidem fortiſſimum pugilem reliquâ vitâ de religione deſerendâ tentare auſus. Tantum prodeſt ſemel heroïco facinore ſe hoſti timendum præbere. Exinde, ſingulis diebus, numeratò, quingenties Deo præſentem ſe ſiſtebat, rectâ amuſſi omnes vitæ articulos commetiens. Aſpera in amore, delicioſa in odio habebat. Poſt tyrocinium, nec ſtudiorum labor, nec concionum frequentia, nec domeſticorum exercitiorum uſus, ad admittendam quantumvis minimam laxitatem eum inflectere potuerunt. Mexicanæ Provinciæ Societatis Procurator, coram perſpectâ ejus virtute, ad id inclinare conatus eſt, ut Mexicanam Provinciam ambiret: cui ille reſpondit, ſe quidem Indiarum deſiderio teneri, ſed locum & tempus eò navigandi, à Majoribus ſe præſtolaturum.

Oſtentum.

Dæmon Romerum tentat.

Fruſtra.

Millanus

Millanus Garcia creditus est cœlitùs cognovisse Joannem Romerum, non Mexicanæ, sed Peruanæ Provinciæ à Deo destinatum esse: quod cùm ei significasset, jubens volensque missu Majorum, cum Ferdinando Mendoçâ Societatis nostræ Sacerdote, Marchionis Canietensis Peruviæ Proregis fratre, in Australem Americam navigavit. In Itinere, Proregis amorem sibi inde conciliavit, quòd vectores ferventissimis concionibus & alloquiis ad pia officia pænè assiduus animaret. Limæ adeò laudabili fama concionatus est, ut Torribius Archiepiscopus nondum Sacerdotem audire voluerit, auditâque ejus concione Societati se magis benevolum, quàm antea ob subortam litem fuerat, ostendisse fertur.

CAPUT XXVI. Ejusdè gesta in varus locis, & procuratione Romanâ.

ANNO sesquimillesimo nonagesimo-tertio in Tucumaniam Paraquariamque missus, Sociis in utràque regione degentibus, per quatuordecim annos ante fundationem Provinciæ integrâ laude præfuit. Tucumaniæ Prætorem adeò propensum in se habuit, ut juberet ejus gratiâ è suo penu quidquid Socii postularent sine computu ministrari. Episcopus Tucumanensis, dignitatis suæ oblitus, Romerum infimis & summis gratissimum tantùm non venerabatur. In fundationibus domorum per Tucumaniam Paraquariamque omnia prochivia expertus est. Varias Barbarorum nationes, devoratis eorum idiomatibus, & permensis difficillimis itineribus, aditisque sæpè inter rebelles & alios populos discriminibus, æquali fructu ac labore excoluit. Anno hujus sæculi octavo pro Paraquariâ Provinciâ nuper fundatâ procurator Romam missus, ab Rege Catholico impetravit renovari diploma, quo Socii omnes inter Indos degentes sumptibus Regiis ali jubebantur. Ulissipone cum selecto subsidiariorum manipulo navim æger conscensurus, cùm moneretur à medicis & Lusitanis Patribus, ne se ancipiti periculo committeret, sed vicibus suis alteri traditis valetudinem in Europâ curaret; respondit, minùs damnosam fore mortem suam, quàm si ansam præberet aliis Indiarum procuratoribus, quâvis arreptâ occasione, in Europâ remanendi: & se pro emolumento suæ Provinciæ lubenter cuivis periculo vitam suam expositurum. Ad portum Boni-aëris feliciter appulsus, novæ sedi inibi positæ, & sequenti anno Collegio Esterensi; interjecto verò tempore Collegio Sancti Jacobi in Chileno regno præesse jussus, ubique singularis prudentiæ specimina dedit. Ludovico Valdiviâ in Europam revocato, ad Conceptionis urbem translatus, Collegium & sedes ei subcensitas rexit. Donec novæ Vice-provinciæ gubernandæ onus subiret. Quo in munere triennio exacto, ad regendam Provinciam Paraquariensem accersitus, senium & valetudinem excusans, quiete impetratâ, ad imminentem mortem piè obeundam se comparavit.

Multas Barbarorum linguas discit.

Vocationis hujus amor

CAPUT XXVII. Reliquæ Joannis Romeri exercitationes & virtutes.

SI munia obita & virtutes spectes, non ultimum illi inter illustres Societatis heroës locum assignabis. In concionibus non speciosa sed nervosa sectabatur. Hieronymus Florentia, Madriti auditâ ejus concione, pronunciavit Joannem Romerum normam esse posse bonorum concionatorum. In Assumptionis urbe, & alibi, de Divinis rebus differens, ob profusissimas lacrymas sibi & auditoribus obortas, concionem abrumpere coactus est; adeò perseverante fructu, ut viri fœminæque è templo egressi urbem gemitibus implerent. Multa præter ordinem impetrasse, fusis ad Deum precibus, creditus est. Ignem è vicinis campis agro imminentem oratione stitit. In immensâ centum leucarum solitudine ab Sociis devians, implorato Superorum auxilio, repentè in viam reductus est. Juvenem in ultimo agone conscientiam suam expiare pertinaciter renuentem, prolatis his verbis. *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis miserere ei.* flexit ad pœnitentiam. Didacus Ulloa in Calloanâ Peruviæ arce præfectum agens, auditis Joannis Romeri facinoribus, quamvis quingentis leucis abesset, sensit desiderium conscientiam suam apud eum deponendi; non vano sensu: nam non diu pòst Præturam Chilensem eo tempore adeptus, quo Conceptionis Collegium ipse regebat, in ultimo morbo adjutorem expiatoremque habuit. Animum plerorumque Hispanorum in Sancti Jacobi urbe, ob servitii personalis negotium ab Societate aversos,

Fructuosè concionatur.

prudentissimè reconciliavit. Pleraſque Chilenſis regni lites authoritate ſuâ componebat: adeò ut Senator Regius non dubitârit aſſerere, Ordinem ampliſſimum mortuo Romero duplò occupatiorem futurum, quàm dum viveret. E Tucumaniâ in Chilenum regnum pergens, pro viatico longiſſimi itineris ab Cordubenſi probatiſſimâ matronâ pauxillum olei, ſtipis nomine, cùm accepiſſet, nec aliquid illa ſibi in fictili vaſculo reſervaſſet, poſt pauculos dies penum reviſens, reperit vas illud non tantùm optimo oleo plenum, ſed etiam profusè in circumfuſam humum redundaſſe. Nec hîc ſtetit prodigium, nam renovato Eliſæi pro Sareptâ miraculo, hoc oleum triennio integro in qualeſcumque domeſticos uſus & eleëmoſynas effundens nunquam defecit. Exacto verò triennio, cùm illa vaſculum jam exhauſtum alio oleo impleſſet, in honorem Divi Antonii Paduani conſumendo, per quinque ſequentes annos perpetuato portento ad alendam Divi lampadem ſuffecit. In Chilenſis regni urbe principe Hiſpana Matrona Joanni Romero maritum commendarat, Cuſci in Peruviâ negotiis vacantem, pro quo aliquoties ſe ad aram facturum promiſerat. Interim maritus Cuſcenſi in urbe pellice ineſcatus nihil de reviſendâ uxore & liberis cogitabat. Sed dum adulterio in obſerato cubiculo vacat, ſe illi Romerus, quamvis tot centenis leucis abeſſet, vigilanti ſentientiſque ſtitit: quo viſo, adulter ſenſit animum impelli ad patrios lares reviſendos, & pellex cognitâ re, abjuratis priotis vitæ ſordibus, poſt triduum ſacro velo ſuſcepto Monaſterio ſe incluſit. Eidem homini in patriam revertenti rurſum ſe ſpectandum præbuit, iterum reviſendæ uxoris deſiderium ingerens: ad quam cùm incolumis & melior perveniſſet, effigiem Joannis Romeri jam vitâ functi ſibi pingi curavit, quem privato cultu beneficii memor totâ vitâ coluit. In agro Cordubenſi calvaria hominis defuncti igne involuta, ſolebat in viatorum equos involare, & propè ſeſſorem aliquamdiu aſſidens immenſo terrore afficere: nec ceſſavit malum, donec Romerus legitimis exorciſmis juberet ab infeſtatione portentum abſtinere. Eodem remedio lemures ab honeſtæ matronæ penu fugavit. Joannes à Coſta, Chori in Eſterenſi Eccleſiâ Præfectus, Societatis noſtræ rerum non ſatis æquus æſtimator, authentico ſcripto affirmavit, abs ſe in templo conſpectum Joannem Romerum, vultu ſplendido, & præter morem decoro, radios vibrantem. Honeſta mulier bis acutiſſimo lateris dolore, & ſemel pectoris arctitudine, invocato in auxilium Romero liberata eſt. Paulò antequàm is moreretur, fœmina cœleſtibus favoribus inclyta terribiles canum baubatus audiens, didicit ab Angelo eas eſſe dæmonum voces, gloriæ cujuſdam Socii JESV non diu pòſt in cœlis coronandi, invidentium. Dominicâ Palmarum Romerus aſſeruit ſe ultra Paſcha non victurum, ſequuto eventu: nam ipſo Paſchatis die animam efflavit. Moriens unum è Senatoribus Regiis monuit, ne res ſuas componere differret; brevi enim è vita abiturum: præſagio habita fides eſt, Senatore illo poſt trimeſtre elato. Cum morte colluctantem Senatores Regii & frequens nobilitas inviſerunt, rogantes ut ſui in cœlis memor eſſe vellet. Mediâ poſt mortem horâ, Sacerdotali in veſte, probatiſſimæ matronæ ſe ſpectandum præbuit, dubitantiſque num Purgatoriis flammis cremaretur, aſſeruit ſe cœleſtibus deliciis inſertum: quo dicto, ſpectante illâ, glorioſus ad cœlos evolavit. Cadaver vibicibus deformatum erat, nam etiam ſenex ciliciis, flagris, & aliis pœnis in ſe ſæviebat, adeò rigidè, ut aliquando dicere auditus ſit, pro indulgentiâ corporis in alterâ vitâ nullas ſe pœnas daturum. Religioſus primi ſubſellii è Dominicano Ordine palam aſſeruit, Romero mortuo non tantùm Societatis in Chileno regno, ſed etiam omnium Religionum columnam cecidiſſe. Alter non dubitavit affirmare, eâ ſe in opinione eſſe, ut putaret nullum alium hominem utiliorem eo aliquando ad regnum Chilenſe veniſſe. Vulgatâ ejus morte, templorum omnium æra lugubriter inſonuere: Senatores omnes corpori efferendo funeſtâ in veſte ſuccollavere. Epiſcopus pro eo ſolemniter ad aram facere adorſus, obortis lachrymis & ſingultibus cantum proſequi non potuit, intercisâ & ſubmiſsâ voce reliquum Sacrificium abſolvere coactus. Ungues, veſtimenta, & cæteras ejus exuvias, pii homines privato honore proſequuti ſunt. Corpore procero, & vultu ſeveriſſimo, nec admodùm decoro fuit. In domeſtico regimine rigorē potiùs, quàm blanditiâ adhibebat,

Oleum portento è auctum.

Adulter utiliter admonitus.

Romeri mors.

Gloria.

Laus.

Pompa funebris.

CAPUT

CAPUT XXVIII. De comitiis Provincialibus & Gasparis Sobrini in Europam navigatione.

SED ut stylum retraham, Joanne Romero Chilensi Vice-provinciæ regendæ admoto, Nicolaus Durandus Mastrillus ad reliquam Provinciam, Paraquariæ, Tucumaniæ & Argentei fluminis præfecturas complectentem ordinandam, animum advertit. Et quia, Sociis ferè omnibus in Chileno regno natis ad patriam remissis, laborabatur Sociorum penuriâ, de supplemento procurando agi cœptum est. Sub initium igitur anni hujus sæculi vigesimi-sexti, Comitiis Provincialibus Gaspar Sobrinus Romam iturus Procurator eligitur; qui è portu Boni-aëris solvens, Australis Brasiliæ vada cœcasque cautes innoxiè prætervectus, indubiè in Piraticas Hollandorum naves incidisset, ni eo die, quo Pernambucum plenis velis ingrediebatur, vehementior ventus numerosas hostium naves è portûs ostio in altum vela vertere coëgisset. E Brasilia in Lusitaniam navigans, non procul Ulisippone, fœdâ tempestate pænè periit. Quæ tempestas, Emmanuëli Cabreræ, nobilissimo & florentissimo juveni, Cordubæ in Tucumania nato, saluti fuit: nam deploratâ fermè corporum salute votum concepit, si periculo eximeretur, Religionem professurum. Voto addidit constantiam, donatis Cordubensi Collegio quindecim aureorum millibus, in Aragonica Provincia in Societatem cooptatus. Dispar fuit Antonii Rodrigues conditio, in Hispaniam ideò navigare jussi, quòd indignum se cœtu Religioso præbuisset; qui ubi in Europam appulit, è Societate quidem dimissus est, sed solutus Religione in Americam ad suas ineptias postliminiò renavigavit. Quo exitu, inexploratum mihi est. Absolutis Comitiis Didacus Alfarus Sacerdos, in subsidium Paranensibus Sociis, & Paulus Bennavidius Guairaniis destinati sunt. Pro Didaco Boroa in Assumptionis Collegii Rectorem assumpto Rochus Gonsalvius Paranensibus & Urvaicensibus Sociis præesse jussus est. Sed antequam Didacus Boroa Rectoratum adiret, infimis precibus à Provinciali petiit, ut sibi facultas fieret Iguacuanos Paranæ conterminos populos, sæpè à se cum vitæ periculo aditos, ad oppidum & Fidem Christi sollicitandi: ad quod præstandum impetrato aliquot mensium spatio, instructus rebus ad novam fundationem faciendam utilibus, terrestri fluviatilique itinere è Cordubensi urbe Itapuam optato se operi accincturus magnâ celeritate contendit.

Gaspar Sobrinus Procurator.

Emmanuëlis Cabrera ad Societatem vocatio.

Antonius Rodrigues ab Societate deficit.

CAPUT XXIX. Iguazuani oppidi fundatio.

IGUAZU, quod magnum flumen sonat, pari fermè intervallo ab Itapuano oppido & Guairaniæ finibus distans, vigesimo circiter quarto altitudinis Australis gradu, in Paranam magno murmure influit. Ne navibus permeabile sit, impedit quarto ab ipsius ostio lapide prætupta rupes, totum intersecans, & ex alto tantam evolvens aquarum molem, ut murmur sese præcipitantis ab tribus leucis audiatur, & ex aquæ cadentis impetu formetur nubes ex ipso Parana perpetuò spectabilis. Hoc præcipitium Iguazuani pro munimine hactenùs habuerant, externo nomini infensos animos conservantes. Gens omnis ab cætera Guaranorum conditione nihil differt. Fœminæ ante Sociorum adventum nudæ incedebant. Hostium carnes devorare illis in deliciis erat. Nullus hactenùs ad eos Hispanus penetrarat: nec spes erat eò vi armorum perrumpi posse. Ante triennium Didacus Boroa, parvo Neophytorum comitatu ad eos Religionem inducere conatus, ab armatis Barbaris retrocedere coactus fuerat. Biennio pòst, idem præcipitium prætervectus, postquam aliquot Casiquios sibi conciliasset, ab Taupa Iguaçuanorum potentissimo repulsus, exiguâ spe gentis aliquando domandæ Paranam repetierat. Sed ut erat difficultatibus oblectantis animi, tandem hoc anno, assumpto in socium Claudio Ruierio, expeditionem majori quàm antea apparatu suscepit. Cognito utriusque consilio Iguazuani in solemni convivio, pro more gentis, in commune consultant, an essent novæ legis propagatores ad colloquium admittendi. Ut verò res majori celebritate concursuque agitaretur, adolescentem quemdam captivum horrendis cerimoniis interfectum coctumque epulis adhibent. Inter quas execrationes, quod mireris, rogatis suffragiis omnes ad unum consensere admittendum esse Didacum Boroam, quòd ab eo tempore, quo eum repulerant, Deum adversum in agrorum vastatione & corporum strage experti fuissent: plerisque, præsertim eorum qui authores expulsionis fuerant, peste sublatis. Ubi ergo cognovere ex Acarien si portu Didacum Boroam solvisse,

Præcipitium Iguazuanum.

Iguazuanorum mores.

Didaci Boroa constantia.

Societas ab Iguazuanis admittitur.

cymbas

Taupa cum aliis Caſiquiis reducitur.

cymbas ad præcipitium mittunt, quo ſuperato, in primo pago benevolentiſſimè excipiunt. Sequentibus diebus ipſe Taupa, & alii Caſiquii, magnâ propenſione animorum ſeſe traditum venêre. Volentibus verò pleriſque in ſuo pago oppidum conſtrui, Didacus Boroa & Claudius Ruierius, non habitâ ratione privatorum commodorum, locum novæ coloniæ omnibus opportunum elegere. Quo deſignato, Crux ingens erecta eſt: Antropophagis hominibus ſalutis noſtræ trophæum, frendente dæmone, demiſſo poplite adorantibus. Delineatis domorum areis, frequentes undique populi, allecti Sociorum comitate liberalitatéque, deſtructis ſuis pagis, ad incolendum venêre: quod ut averteret inſignis magus, cui dæmones variâ, modò Angelorum, modò tygrium ſpecie ſe ſiſtere ſolebant, tetris coloribus depictus, in

Inſignia Ariolus convertitur.

Sociorum conſpectum ſe dat, horrendis vocibus intimans, ne ultra ſe majorum ſuorum moribus interponerent. Sed Divinâ ope Sociorumque dexteritate ferocia hujus monſtri ita emollita eſt, ut ſuperſtitionibus damnatis ſe ipſe cum ſuis inter primos reduxerit, quamplurimis mortalibus exemplo ſuo ac hortatibus ad idem faciendum animatis. In his etiam initiis dæmon neſcio quem Barbarum induxit ad Socios de

Socii periclitantur.

medio tollendos, caſſo ſucceſſu: nam alter Indus, cognito nefario conatu, parricidam repreſſit. Barbara mulier, Matrem Dei ſe fingens, miras excitavit turbas: ſed hæ ope Reginæ Cœlorum facili negotio fuere compoſitæ. Diſſolutæ etiam aliæ dæmonis machinæ, per ſuos aſſeclas opus incœptum perturbare volentis: quos aſſeclas, ſeu ſtygia inſtrumenta, in ſuum uſum Deus convertit, ex infenſiſſimis hoſtibus fideles Sociorum adjutores efficiens. Nomen novæ coloniæ MARIÆ Majoris

Oppido nomen Mariæ Majoris inditur.

inditum eſt, ut ſub tutela tantæ Virginis, Iguazuani, non minùs quàm Paranenſes, Urvaicenſes & Guairanii, dæmoni renunciantes, JESUM colerent. Quadrimeſtri elapſo Paravera Caſiquius, adnitente Taupâ, ducentas fermè familias novo oppido adjunxit: quo ad partes traducto, neminem puduit Chriſtianam Legem profiteri.

Paravera cum ducentis familiis ad partes accedit.

Virginis Aſſumptæ die initium adultorum Baptiſmis datum, centum & quadraginta è Sacro Fonte emerſis. Paucis pòſt diebus circiter quingenti pueri, & pauculi grandioris ætatis homines, iiſdem aquis eluti ſunt, quos ſequuti, variis temporibus,

Octies mille & ſexcenti hactenùs ex Iguazuanis baptizati.

Iguazuani ferè omnes, adeò copioſo numero, ut in hoc oppido (in quo ego per biennium degi) hactenùs octies mille & ſexcenti ab Sociis baptizati ſint. Sed Deum Immortalem, quàm difficilia fuere principia! Quinque menſibus integris antequam templum & domus condererur, uterque Socius ſub ſtorea omnibus cœli injuriis duravere. Sub ſtorea Sacrum faciebant, Catecheſim cogebant, Baptiſmos conferebant, victitabantque adeò tenuiter, ut inſipidas radices inter primarias delicias computarent. Nam Iguazuana regio, cùm ſit omninò ſylveſtris, pecori alendo non ſufficit, & flumen, quòd præcipitio arctetur, piſcibus caret: limacibus & pauculis terræ frugibus gens omnis veſcitur.

CAPUT XXX

Apud Piratinienſes ad Urvaicam Sancti Nicolai oppidum ædificatur.

NEc infeliciores erant ad Urvaicam Rochi Gonſalvii progreſſiones, geminis planè laboribus Chriſti imperium propagantis. Septennio integro in Conceptionis oppido abs ſe fundato detentus, ob pertinaciam & ſuſpiciones Barbarorum ultra Urvaicam pedem figere nequiverat: ſed pleriſque obſtaculis ſuperiori anno amotis; ſecum aſſumptis aliquot Neophytis, tranſmiſſo Urvaicâ, eò perrexit, ubi Piratinius rivus ei commiſcetur. Duabus inde leucis, ad ipſius Piratinii littus loco idoneo ad fundationem repetto, circumjacentes populos ad colloquium vocat, quibus conciliatis, ipſo Inventionis Chriſti Crucis die, erecto communis ſalutis trophæo, Sacrificioque peracto, loci poſſeſſionem iniit, ac novum oppidum, Nicolai Durandi Provincialis reſpectu, Divi Nicolai nomine inſignivit. In his initiis duobus periculis perfunctus fertur. Nam per ſylvas noctu iter faciens, tempeſtate fœdiſſimâ obortâ, in ungues duarum tygridum ſeſe præcipitatum ibat, quas nullo modo evitaſſet, nî per malignam benignámve fulgetrorum lucem conſpectæ, locum fugæ dediſſent. Majus adhuc adiit diſcrimen ab Barbaro clavam in mapale ejus jamjam

Rochus Gonſalvius bino periculo perfungitur.

inferente, ſceluſque patraturo, nî Cœlum parricidæ conatum eventilaſſet. Rocho Gonſalvio reliquarum reductionum curâ diſtracto, ſucceſſit in novi oppidi regimine Alfonſus Aragona Piratinienſibus gratiſſimus, cujus induſtriâ, primo trimeſtri, Divi

Nicolai

Nicolai oppidum octoginta supra ducentas familias, & interjecto tempore, quingentas numeravit. In vicinia verò reperta multitudo sufficiens ad aliud oppidum conflandum: constatque ex authenticis libris, per Socios septies mille & circiter trecentos fuisse hactenùs in Piratinensi colonia ablutos.

CAPUT XXXI. Rochus Gõsalvius inferiorem Urvaicæ partem explorat.

DUM hæc gererentur, Ludovicus Cespedes, Argentei fluminis Prætor, ratus se magnam Regis Catholici gratiam inturum, & familiæ decus additurum, si suæ Præfecturæ tempore Urvaicensis Provincia oppidis occuparetur, omnem conatum ad aperiendum iter ex portu Boni-aëris ad ipsum Conceptionis oppidum ab ipso Rocho Gonsalvio fundatum adhibebat. Nam cùm desperaret tot gentes armis debellari posse, sibi persuaserat unicum esse modum tantæ rei perficiendæ, si nempe JESU Societas ad eam expeditionem continuandam Regiis subsidiis animaretur. Hoc animo, littoralibus Urvaicæ populis ad portum vergentibus præmio sibi conciliatis, Ferdinandum Saïam, Hispanum hominem, linguæ Guairanicæ & tractandorum Indorum utcumque peritum, partim imperio, partim spe impellit, ut audere vellet tamdiu adverso Urvaicâ navigare, donec litteras suas Rocho Gonsalvio centum & quinquaginta leucis in novo Conceptionis oppido distanti, traderet. Ferdinandus Saïas jussa capessens, per varia pericula id iter emensus, Rocho Gonsalvio Prætoris litteras dat, significantes grande eum Deo, Regique Catholico obsequium præstiturum, si Urvaicâ explorato ad portum Boni-aëris descenderet, ut consilia de optimo modo Urvaicensis Provinciæ domandæ simul communicarent. Gonsalvius, gratiis Deo actis, quòd rei cupitissimæ perficiendæ ex inopinato modus offerretur, assumptis secum Conceptionis oppidanorum audacissimis, & ipso Didaco Niezâ eorum Duce, cum Ferdinando Saïa se dat in viam. Aliquantulum jam progressus, quadringentis Ethnicis ad bellum pergentibus persuasit, ut omisso bello ad suas necessitudines rediret. In eorum comitatu infantem unum morti proximum baptizavit. Quaquà ibat ad spectandum eum sese effundebant littorales populi, varietate linguarum & morum feritate insignes: quos ipse quà gestibus, quà voce ad Christo nomen dandum invitabat. Vigesimo quinto ab discessu die portum Boni-aëris tenuit, summâ Prætoris aggratulatione, qui cognito Urvaicensium Neophytorum primores cum Gonsalvio venisse, è Reipublicæ bono fore duxit, si ad insinuandam novis hominibus Hispani nominis & Regis Catholici venerationem, eos solemni pompâ reciperet. Igitur destinato die, ipse cum frequenti nobilitate equestrique apparatu prodiit. Sequebatur ejus filius natu major, turmæ equitum ductor, & alter filius pedestri militiæ præfectus, armilustrium exercentes: majoribus interim tormentis-bellicis tremendum è castro reboantibus. Eâ pompâ novi homines, inaudito aliàs strepitu attoniti, in prætorium primùm, tum ad Episcopi palatium deducti sunt: cujus manum deosculatus ipse Prætor eumque de genibus aliquamdiu alloquens, novos homines docuit, quâ veneratione Sacrorum Antistites colendi essent. Secundùm id, Didacus Nieza solemni formulâ, popularium suorum nomine, professus est, se suosque sincerâ fide Regi Catholico ejusque Prætoribus obtemperaturos; curaturumque ne quis Regiis imperiis interponere se auderet: unum rogare, ne servire privatis hominibus cogerentur, nec ab aliis quàm ab Societatis Sacerdotibus regi sinerentur. Admissis conditionibus, Prætor pro Rege Catholico, Urvaicensis Provinciæ obsequio acceptato, Didacum Niezam popularium suorum ducem constituit; sagoque suo ac variis rebus donatum monet, ut quam fidem verbis Regi Catholico dederat, factis confirmaret, Sociisque JESV inprimis obtemperaret. Id idem cùm Episcopus amplis verbis commendasset, utriusque curæ ad ornandum Rochum Gonsalvium conversæ sunt. Episcopus Sociis in Urvaicensi vinea laborantibus laboraturisve amplissimam facultatem conferendorum Sacrorum, controversiarum dissolvendarum, eorumque tractandorum, quæ ipse posset, concessit. Prætor verò, instructo diplomate, potestatem fecit Rocho Gonsalvio & Sociis, per Urvaicensem Provinciam populos cogendi, oppida condendi, eaque omnia præstandi, quæ Sacerdotibus Apostolicis ad Ethnicos proficiscentibus Rex Catholicus, tanquam Legatus Pontificis & Patronus Ecclesiarum

Ludovicus Cespedes Prator explorationem urget.

Rochus Gonsalvius navigat.

Bellum supprimit.

Urvaicenses conciliat.

A Prætore recipitur,

Etiam Niezâ Cassiquius.

Nieza Regi Catholico se subdit.

Episcopus & Prætor Societatem Urvaicensi expeditioni præficiunt.

Occidentalis Indiæ generalis, concedere solet & potest. Atque ut hæc omnia vim ex juris ordine haberent, Joannes-Baptista Ferrufinus Collegii Rector, Provincialis potestate instructus, concessa coram testibus acceptavit. Præterea Prætor ex publico ærario campanas, instrumenta Sacrorum, & alia Sociorum levamenta magno ære coëmpta Rocho tradidit. Et quia cognôrat præter duo oppida ad Urvaicam fundata, alia statim fundari posse, si copia Sociorum suppeteret, ab Rectore Collegii impetravit Michaëlem Ampuerum, nostræ Societatis Sacerdotem, cum Gonsalviô mitti, litterasque ad Regem Catholicum cum egregia Societatis commendatione exaravit, postulans sumptibus Regiis triginta JESU Socios ad Urvaicenses Provinciæ culturam transmitti: quæ litteræ Madritum delatæ magnum pondus habuere ad subsidiarios Socios impetrandos, quos Gaspar Sobrinus Procurator biennio pòst in Paraquariam invexit. Didacus Vega, dives Lusitanus, ad sacras vestes & Altarium velamenta in novis oppidis conficienda multa gratis obtulit, spoponditque ad conciliandos Ethnicorum animos, ferramenta se ex Europa procuraturum: quod magno novarum Ecclesiarum emolumento abundè præstitit. Decem diebus tantis rebus perfectis, Rochus Gonsalvius, Socio auctus, eò unde venerat per eadem pericula renavigavit: exploratisque iterùm Urvaicæ littoribus, reperit per centum ab portu Boni-aëris leucas spem exiguam fundandorum oppidorum esse, quòd accolæ ex his populis essent, qui pro libitu totâ vitâ vagantes sementem facere, & pedem uno in loco figere, recusarent. Post id spatium, Japeivienses animavit ad oppidum condendum. Viginti ab eo loco leucis Jaguaraitienses ad id præstandum pellexit. Quod quando & quomodo factum sit, brevi narrabimus. His peractis, resumpto itinere, tandem incolumis ad Conceptionis oppidum, læta faustæ negotiationis narratione Socios exhilaraturus, pervênit.

Didaci Vegæ liberalitas.

Japeivienses & Jaguaraitienses Religioni conciliantur.

CAPUT XXXII. Nicolaus Durandus Provincialiũ primus in Guairaniam penetrat.

HOc Urvaicensis Provinciæ statu, Nicolaus Durandus, abdicatâ Chileni regni curâ, de inspicienda per se Guairania, quam nullus hactenùs Provincialis lustraverat, seriò actitavit. Duo esse poterant è Tucumania in Guairaniam itinera: unum à multis jam retrò annis usurpatum, quo nempe adverso flumine Argenteo Paraquarioque, & deinde terrestri viâ ibatur; sed illud erat valde circumflexum, & pænè quingentarum leucarum, obsidebaturque à Paiaguis, Barbarorum crudelissimis, ac multiplici viatorum trucidatione infamibus. Alterum iter esse poterat longè brevius, continuatâ scilicet navigatione per Paranam: quod iter ante fundata ab Sociis oppida, ob metum Ethnicorum, & præcipitium ingens totum Paranam circa Guairaniæ fines intersecans, nondum tentatum fuerat. Sed jam plerisque rebellibus ad oppida reductis, Provincialis per hoc iter pergere se posse speravit. Antonius itaque Ruisius, cognitâ Provicialis voluntate, novi itineris exploratores unum post alium mittit, quorum ultimus in Tucumaniam penetrans Provincialem docuit, exiguo periculo Guairaniam, non interruptâ per Paranam navigatione, adiri posse. Igitur Provincialis è Cordubensi urbe illàc se dat in viam. Superatis sexaginta leucis Sanctæ Fidei Collegium inspexit, unde solvens fluviatili itinere, centum & quinquaginta leucis feliciter confectis, Itapuanum oppidum, & quindecim aliis emensis, Corporis Christi reductionem tenuit. Trigesimo inde lapide ad recentissimam MARIÆ Majoris coloniam, bis mille capitibus constantem, pervenit. Ibi eum convenit Rochus Gonsalvius, ex quo cùm cognovisset quid cum fluminis Argentei Prætore & in exploratione Urvaicæ egisset, immenso gaudio cumulatus est. Continuatâ navigatione in Acaraiensi oppido reperit Antonium Ruisium, Guairanicæ missioni præfectum, cum centum Neophytis gratulandi & deducendi ergò obviam totidem leucis progressum: in cujus comitatu versus Guairaniæ præcipitium, quadraginta circiter leucis distans, iter arripuit: præcipitio appropinquans defluentis aquæ vim experiri cœpit, navigiolo, quo vehebatur, magna ex parte confracto, & altero, quo Martinus Marinus & Mendiola Sacerdotes nostri in Guairaniæ subsidium euntes portabantur, vectoribus incolumibus, ad ripem allisо. Igitur terrestre iter omnes arripiunt. Antonius Ruisius in præruptis præcipitii locis pontes straverat, viamque per sylvarum invia aperuerat: sæpè tamen

Paranæ oppida inspicit.

Præcipitii Guairanici descriptio.

extemporali

extemporali labore ligna incompositè de rupe in rupem ordinabantur, supra quæ gradientes summum vitæ periculum, si caduco pede in profundissimos torrentium hiatus laberentur, adibant. Narrabat Provincialis post transitum, perspecto clariùs periculo, ut qualecumque temeritatis crimen, Sacramentali Confessione audaciam suam expiasse. Præcipitium hoc multarum fabularum, quibus non immoror, argumentum fuit. Certum est multos vi aquarum delabentium in scopulos actos vitam amisisse: nec scio utrùm in eo genere in orbe terrarum mirabilius quid existat. Profectò nihil est in America, quod sui vel timorem, vel famam majorem excitet. Nam paulò suprà præcipitiũ Parana fluvius duas leucas latus, ita se paulatim stringit, ut jactu lapidis utrumque littus committi posse videatur: ubi se sic strinxit, vehementissimo impetu ex altissima crepidine duodecim leucarum descensu se præcipitat, declivi alveo horribiles rupium figuras complectens, à quibus aquæ passim reverberatæ in eximiam altitudinem resiliunt. Multis in locis ob immensorum saxorum occursum alveus interpolatur. At ubi dispensatæ aquæ rursum coëunt, stupendos vortices efficiunt. Alibi etiam desilientes undæ, in ipsas rupes impetu facto, per occultos meatus aspectui se subducunt, diuque abditæ, penetratis rupibus, infetiori parte rursum erumpentes, tanquã ex ingentibus scaturiginibus magno fragore prosiliunt. Denique tanta est aquarum illo alvei decursu se præcipitantium violentia, ut toto illo duodecim leucarum declivi spatio, continens spuma ferruginei coloris cernatur, quæ Solis radiis repercussa intuentium aciem suo fulgore perstringit. Aquarum delabentium & ad saxa collidentium murmur, quatuor facilè leucarum intervallo percipitur. Juxta præcipitii radices aqua in æquiore solo videtur velle conquiescere, & quasi æquore facto stagni potiùs quàm præcipitis fluminis speciem præbere. Sed maligna malacia est, nam singulis pænè horis, occultis causis, derepentè ex imo ingens murmur exoritur, aquis ad multorum cubitorum altitudinem resilientibus, perpetuoque docentibus non fidendum fucatæ paci, ingentes subinde motus cum multorum pernicie excitanti. Pisces illic enormis magnitudinis cernuntur: Antonius Ruisius bovi æqualem vidisse se medio corpore flumini innatantem asserit. Ab hujusmodi pisce Indum fuisse devoratum, ac postea integrum in littus ejectum, pro re comperta narrant. Sex omninò dies incredibili membrorum defatigatione in montis ascensu posuere; nam quamvis via, si rectà duceret, duodecim tantùm leucarum sit, tamen ob varios flexus pænè duplicanda est. Præterea incedendum per littus saxis asperum & præruptum, lacubus, torrentibus, nemoribus, & ardentibus arenis interpolatum. Nec alia Orbis plaga ardore Solis magis æstuaret, nisi per intervalla occurrentes sylvæ umbram præberent: quamquàm inter sylvas ipsa arborum densitas, eventilari aërem non sinens, viatorum corpora immensùm fatigant. Ubi pernoctandum erat, Indi tuguriolum exstruebant, arborum frondibus ordinatim compositis, tecti ac parietum vicem obeuntibus, quæ radicibus, funium loco, inter se nexæ, pluviæ arcendæ sufficiebant.

Maligna malacia.

CAPUT XXXIII. Nicolaus Durandus Guairaniã lustrat.

SUPERATO præcipitio, Petrus Spinosa Socius sexaginta & amplius leucis navigiola ex interiori Guairaniâ advehens, Provinciali tempori occurrit, & ascensu fatigatum cum Sociis, lautâ ex regionis fructibus exstructâ supra littorale gramen mensâ, recreavit; adeò ut hic occursus in summitate præcipitii speciem quamdam referret eorum, qui ad arduum virtutum apicem magno nisu conscendentes, dulces exanthlati laboris fructus percipiunt. Duabus à præcipitio leucis urbis Regalis primores, honoris ergò, Provinciali obviam processêre, ideo ejus adventum majori plausu celebrantes, quòd hactenus nullus Episcopus, nullus Prætor, nec Provincialis in Guairaniam aliquando venisset. Ab iis in templum, & mox in adornatam domum deductus, inter alia propensæ voluntatis indicia, postulavere, ut Societatis Collegium ibi constitueretur. Sed, quòd exiguo essent numero, negato Collegio, spopondit Provincialis designaturum se Socios, qui frequenter urbem excolerent, & curaturum se, ut Indi nostræ curæ subjecti, ex Regis Catholici præscripto, designatis temporibus accuratè ad bimestria servitia mitterentur: extra ea tempora non permissurum gentem miserrimam & indefensam injustis oneribus vexari.

Urbis Regalis Societatis domum petit.

Non impetrat.

Provincialis honorificè ab Lauretanis excipitur,

Et ab Ignatianis.

Divi Xaverii oppidum ingreditur.

Villaricanis sedem Societatis concedit.

Societas alios oppidis evocat.

Tria oppida fundari jubet.

De rupe paupere.

Inde rursum flumini se committens, post aliquot dierum navigationem Lauretum, cui Didacus Salazarius præerat, attigit. Lauretani Neophyti, honoris & gratulationis ergò, alacri dexteritate navale certamen inter se iniere, aptâ interim musicarum vocum, fidium ac tibiarum symphoniâ, toto flumine cymbis cooperto personante. In templum inductus, reperit ingeniosis inventis exornatissimum, adeò ut affirmaret, pro solo illo aspectu omnes viæ labores ac pericula rursum obire non detrectaturum. In Sancti Ignatii oppido, cui Josephus Cataldinus moderabatur, omnem conatum Neophyti adhibuere per æmulationem, quo Provincialem majori apparatu exciperent: qui in utrâque coloniâ tot Christianarum virtutum specimina perspexit in hominibus olim Antropophagorum moribus fœdatis, ut assereret, plerosque Neophytos in Societatis tyrocinio formatos sibi videri. Lustratis his oppidis, Paranâ ad lævam relicto, per Tibaxivam navigationem continuavit, qui, quia admodùm vadosus est, quindecim dierum spatio vix triginta leucis confectis Divi Xaverii sedem, in quâ mille & quingentas familias Franciscus Diastanius, tanto oneri par solus, regebat, ægrè tenuit. Ex hoc municipio Christophorum Turrianum socium suum, terrestri & difficili aliquot dierum itinere, Villaricam misit, quòd cuperet in eâ urbe sedem Societatis restitui, partim ad refrænandam quorumdam Villaricanorum nimiam in Indos dominationem, partim ad juvandos Barbaros urbi subcensitos, sine Pastore sacris omninò destitutos. Res successit è voto: nam postquam Turrianus obvios pagos Sacramentis procurasset, proclives civium animos habuit. Huic sedi Josephus Cataldinus præesse jussus cum Paulo Bennavidio, operæ pretium non contemnendum retulit. Interim volebat Provincialis ex Divi Xaverii oppido ad recentissimas Sancti Josephi, & Incarnationis reductiones se conferre: sed Socii suasêre, ne se abruptis nimiùm itineribus implicaret: satis itaque habuit, inde Christophorum Mendoçam & Simonẽ Maçetam, conscientiarũ suarum rationem pro more Societati reddituros, cum utriusque oppidi primoribus, quos ipse Provincialis baptizavit, evocare. Secundùm id, itinere per Tabaxivam relecto, non sine multarum rerum jacturâ naufragium fecit. Quaquà transibat, Indis indusiola, cultros, hamos, aciculas, æus, grana vitrea, largè distribuebat, adeò ut in Guairaniæ Indis donandis bis mille nummos insumpserit; non inutili liberalitate: nam longè latéque de magni (ut vocant) Patris muneribus fama sparsa tam alliciebat Ethnicos ad Societatis doctrinam optandam, quàm confirmabat Neophytos in amore Sociorum, se suaque in singulorum utilitates profundentium. Abiens, Antonio Ruisio in mandatis dedit, ut quamprimùm fieri posset, tria alia oppida apud Inianenses & in Taiaobæ & Coronatorum regione ex reductis Indis conderentur. In descensu præcipitii Guairanici ingentem rupem, quam per antiphrasim pauperem appellant, inspectum ivit. Rupes hæc vario colore & fulgore ita micante est, ut Solis radii in eam incidentes non secus ac è speculo reflectantur: quo fit, ut metallum aliquod prædives, imò tota aurea ab vulgo æstimetur; sed falsò: nam merum saxum esse constat, arenis versicoloribus à vento agitatis adeò lævigatum, tersumque, ut vitrum ex longinquo spectantibus appareat. Triginta Hispanorum cymbas in eâ rupe indagandâ olim periisse fama est.

CAPUT XXXIV.

Nicolaus Durandus Paranam inspicit..

Acarienses Ariolos arguit.

Guaicuraos deferendos pronuntiat.

Infra præcipitium, Ruisio valedicens Provincialis, Paranensium ratibus ad iter remetiendum exceptus est. Acarienſe oppidum prætervectus, per interpretem verbis acribus incolas perstrinxit, quòd inter eos tot adhuc incantatores atque malefici reperirentur, interminatusque est, nî saperent, Socios aliò transferendos. Valuit acrimonia ad perfringendam plerorumque duritiem, veteratoribus quamplurimis magicas artes detestantibus, & Christianis moribus assuescentibus. Ex itinere Didacum Boroam ab Iguazuano oppido ad regimen Assumptionis Collegii tandem mittendum revocavit. In Itapuano municipio Petrum Romerum & Alfonsum Rodericium è Guaicuræorum missione recenter appulsos offendit. Nam in Sociorum paucitate, & messis multiplicitate, Guaicuræos nullam spem conversionis ostentantes deferendos, & Sacerdotum par planè egregium florentioribus rebus admovendum esse, dudum censebant ii, qui majori Dei gloriæ veli-

ficantes

ficantes, ægerrimè ferebant Apostolicos homines pervicacissimæ genti domandæ pænè inutiliter occupari. Sic Guaicurærorum sedes, decimo sexto postquam surrexerat anno, ab Societate deserta est. Itapuæ Alfonsum Rodericium Provincialis reliquit. Petrum verò Romerum Urvaicensi missioni destinavit, utrumque egregio Martyrio præluturum. Itapuani vehementer apud Provincialem institere, ut in templo suo Venerabile Sacramentum tandem collocaret, & ab selectis recipi sineret: utrâque re impetratâ, evocatis ex aliis oppidis cantoribus, supplicatio solemnis instituta est, tanto plausu ornatuque, ut cultissimis Europæis in his locis spectantibus admirationis materia neutiquam deesset.

Venerabile Sacramentum Itapuæ collocat.

INTER has Guairaniæ & Paranæ qualescumque prosperitates, Urvaicensis Provincia, præproperâ Argentei fluminis Prætoris aviditate, perturbabatur. Miserat is nuperrimè è portu Boni-aëris Ferdinandum Saïam, Petrum Bavum, & Paivam, Hispanos homines, in novis oppidis ab Societate fundaris, fundandisve, Præfecturam, sivè ut aiunt correcturam, nomine Regis exercituros. Rochus Gonsalvius quamvis vereretur immaturi consilii damna, tamen non ausus refragari Prætoris mandato, Ferdinandum Saïam Præfecti Regii officio in Conceptionis oppido fungi sivit. Paivam ad Jaguaraitienses, & Petrum Bravum ad Japeivienses, Urvaicæ populos, qui ab Societate reduci ad oppida petierant, eadem de causa amandat. Sed non diu fuit, cùm præcox consilium in apertum erupit malum: nam quamvis Sociorum respectu & hortamentis Neophyti externos Præfectos aliquamdiu toleraverint, tamen statim apparuit diuturnum esse non posse, quod invitissimè fiebat. Re enim cognitâ, Itapuani, Paranæ populi, misso certo homine, Ibitiraquanis bellum interminantur, ni externi Præfecti jugum abs se excutiant. Ethnici verò adversa Urvaicæ littora incolentes, adunatis viribus, Ibitiraquanorum turbam invadunt, spoliatosque, indicto bello, cum verborum probris ad suos remittunt. Accessit his rebus immoderata Ferdinandi Saïæ dominatio, novellam gentem inassuetis imperiis minisque exacerbantis, & ausi adolescentem affinitatibus potentem, quòd sua jussa lentiùs exequeretur, publicè alapâ percutere. Igitur Ibitiraquani probrorum impatientes, jam verò recenti Saïæ facto, & insuper suspicione ejus libidinis irritati, arma tumultuosè capiunt, domum nostram obsident, hominem ad necem postulant; patrassentque scelus, ni Didacus Alfarus, objectu corporis & authoritate, tumultuantes utcumque compescuisset. Exinde Ferdinandus Saïas, domo nostrâ egredi non ausus, imperio suapte abstinuit. Paulò antequam id fieret, Rochus Gonsalvius ad Jaguaraitienses profectus, tantam Barbarorum multitudinem in eum locum reduxerat, quanta sufficeret ad justum oppidum constandum: quod oppidum ædificari cœptum, Prætoris postulatu Divo Xaverio dedicaverat, promiseratque propediem Sacerdotem se procuraturum. Eo loci, Gonsalvio absente, Païva novellam gentem importunis etiam minis territans, eò rem adduxerat, ut Potirava potens Casiquius de eo mactando agitarit, feciseratque scelus, ni Tabaca novi oppidi dux ferocientem repressisset. Potirava tamen, eventilato consilio, vindictæ metu tractis secum circiter mille capitibus, deserto oppido, ad antiqua latibula transfugit; Païvâ interim ob conceptum metum nemoribus se abdente. Quibus rebus nunciatis, Provincialis Mastrillus cum Rocho Gonsalvio, Didaco Boroa, Petro Romero, ac aliis Sociis, ad Urvaicam iter accelerat. Conceptionis oppidum ingredientem incolarum primores tumultuosè magis quàm suppliciter uno ore postulant, interponeret authoritatem, ni nascentem Ecclesiam destrui mallet, quàm conservari; eam esse Urvaicensium mentem, Fidem propagari non posse, si alii quàm Societatis homines adhiberentur. Si ab Societate regantur, quævis Prætorum Regiorum mandata non ægrè capessituros. His cùm addidissent alias querelarum causas, Provincialis, consilii capiendi & Divini implorandi ergò, in sequentem diem responsum rejicit. Cujus summa fuit, non in sua potestate esse Hispanos Præfectos ab Prætore Regio missos expellere, sed missurum se ea de causa unum è Sociis cum litteris suis ad Prætorem, à quo non dubitaret tumultuantis Provinciæ causas sublatum iri. Placuit Ibitiraquanis responsum Provincialis, qui statim

CAPUT XXXV.

Inter excitatas turbas duo ad Urvaicam oppida ab Societate extruuntur.

Ludovici Cespedes Prætoris immaturum consilium.

Hispani novis oppidis præficiuntur.

Paranenses & Urvaicenses Barbari resistit.

Ferdinandus Saïas de vita periclitatur,

Et Païva.

Provinciale tumultuantes sedat.

Prætor Hispanos revocat.

Sancti Xaverii oppidū apud Faguaraitienſes fundatur.

Et Regum apud Japeivienſes.

Varia nationes ad Fidem ſollicitantur:

Præſertim ab Franciſco Ricardo.

Michaëlem Ampuerum ſecundo Urvaicâ ad portum Boni-aëris amandans, non tantùm amotionem præfectorum, ſed etiam nova pecuniarum ſubſidia, ad alendos per Urvaicam Socios, à Prætore impetravit. His rebus perfectis, Provincialis per Piratinienſe Divi Nicolai oppidum iter circumflectens, ad Jaguaraitienſes profectus, novo Divi Xaverii oppido regendo Michaëlem Ampuerum, dum è portu rediret, præfecit. Deinde ad Japeivienſes deſcendens, perſpectâ Barbarorum & locorum conditione, oppidum jam cœptum perfici curavit, & Tribus Sanctis Regibus dicatum, Petro Romero regendum tradidit; magno planè campeſtrium Indorum emolumento: nam præterquàm quòd hactenùs, Societatis operâ, in hac reductione ſuprà quatuor capitum Guairanicæ gentis millia baptizata ſunt, Jaroſii, Mbaquæ, Charuæ, Guenoæ, & alii feritate inſignes populi, hactenùs indomiti, non ſine aliquo animorum lucro, ad Fidem Chriſto dandam ſollicitati ſunt. Et dum hæc ſcribo nuſquam aliàs major ſpes affulſit earum gentium convertendarū, Franciſco Ricardo Gallo-belgâ in Evangelicum illud opus intentiſſimo, & ad congregandam gentem novi oppidi fundamenta ſub nomine Divi Andreæ jaciente. His rebus confectis, Provincialis per Urvaicæ & Paranæ oppida ad Aſſumptionis urbem, & inde per immenſa ſpatia in Tucumaniam, iter reflexit, conſtatque in unica provinciæ inſpectione, ante ſeparationem Chileni regni, bis mille leucas ab ipſo fuiſſe confectas.

CAPUT XXXVI. De rebus apud Japeivienſes factis.

Barbara parentatio.

POST diſceſſum Provincialis Petrus Romerus ex novo Regum oppido excurrens, multos infantes, peſte graſſante, in Ethnicorum terris Sacro Fonte expiavit. Charuam unum fortuito caſu animam agentem baptizavit, in cujus inferiis, ſpectante Romero & nequicquàm reluctante, conſanguinei omnes ſibi digiti nodum unum crudeli prorſus parentatione præſciderunt. Defuncti pater, dolore in rabiem actus, neſcio quem veneficum, quaſi in filium veneno graſſatus eſſet, pugione bis transfodit: vulneratum & auxilium petentem Romerus contra furibundum hominem, telum jam collineantem, intrepidâ authoritate non tantùm tutatus eſt, ſed etiam præſtigiis ritè ejuratis baptiſmali, Sacramento Chriſtianæ militiæ adſtrinxit, alligatisque vulneribus, æquè corpori ac animæ medelam fecit. Tantis damnis irritatus dæmon, ringens frendensque vicinos Japeivienſibus populos inſtigat in novorum Chriſtianorum perniciem: & jam collatis capitibus de mactando Romero conſilia conferebant, cùm unus è convocatis, qui ejus liberalitatem non ita pridem in novo oppido deguſtarat, malè ſe facturos pronunciavit, ſi in Sacerdotem advenam, profuſiſſimæ largitatis virum, aut ejus diſcipulos innocentiam profeſſos, arma ſumerent: quâ ratione dæmonis furor fruſtratus eſt. Deinde memoratur factum Taiaoi adoleſcentis, qui poſtquam in Regum oppido à Provinciali veſtem acu pictam planè elegantem dono accepiſſet, accidit ut Ethnici è longinquis locis Japeivienſes inviſerent, quos ut ille ad Chriſti partes pelliceret, detractam ſibi veſtem advenarum præcipuo donat, cum commendatione Societatis ſua liberaliter largientis, nec aliena præter animas appetentis, monens ut veſtem, Provincialis donum, in hujus rei fidem ad populares ſuos reportaret, ſollicitaretque ad Chriſtianam legem recipiendam. Equidem, meo judicio, nemo alius pro Chriſto planiùs ſe exuit: eò memorabiliori exemplo, quò in Barbaro & ferè nudo.

Barbari in Petrum Romerum conſpirant.

Taiaoi Religionis progandæ zelus.

HISTORIÆ PROVINCIÆ PARAQUARIÆ SOCIETATIS JESU

LIBER OCTAVUS.

CAPUT I. Didaci Torres vitæ postrema. 1627.

ORDUBÆ tantisper commorantem Nicolaum Durandum Provincialem excepit cura viaticum procurandi Didaco Torres, in Peruviam, unde à viginti annis ad fundandam Paraquariensem Provinciam venerat, postliminiò revertenti. Causa hujus consilii fuit vegetus boni senis & fere octogenarii animus, arctari se Cordubensi infrequenti tractu ægrè ferentis, optantisque in numerosioribus urbibus idem circa Æthiopum baptismorum examina præstare, quod per Tucumaniam æquali laude ac fructu perfecerat. Pauci admodùm discessum ejus approbabant, quòd ea in ætate rebus agendis inidoneus videretur: & Provincia tota reclamaret, sui patris & fundatoris senium omnibus officiis prosequi, atque ossa defuncti ad incitamentum posterorum in suo meditullio conservare desiderans. Perstitit tamen ille in opinione, dandumque fuit illud bono seni, si minus opere, tamen authoritate in Peruvia multùm præstituro. Qui, quia non ampliùs in provinciam redituras est, non absre erit, si ea, quæ ad ejus reliquam vitam pertinent, litteris consignavero: ne quid posteritas de tanto homine, de hac provinciâ meritissimo, in meo opere jure merito requirat. Cordubâ discedens, in Peruano itinere ducentos Æthiopes per varia loca conquisitos, conditione adhibitâ, sacro Fonte denuò lavit: Sociis per Tucumaniam spartis ad idem præstandum animatis. Eftecenses cives discordantes authoritate reuniit. Emenso ducentarum leucarum spatio, Potosium attigit, urbem argenti fodinis per totum Orbem celeberrimam: cui argento eruendo quinquaginta circiter Indorum millia partitis vicibus insudant; Europæi sanguinis hominum circiter sex millia, totidem Æthiopum capita computantur. Hos curandos præsertim sibi suscipiens Didacus noster, singulorum Baptismos per se aut per alios examinavit: nec aliarum rerum negligens sufficientes pecunias ad fundandam in natali Divi Xaverii solo Societatis domum assignari procuravit: & ut idem institores Cantabri in Divi Loiolæ patria præstarent, omnibus modis contendit. Inter quæ & alia negotia, ob asperitatem Porosini aëris, æger factus, Chuquisacam, duodecimo inde lapide, amœnam salubremque urbem, ex voluntate Majorum concessit: quæ urbs cùm sit Senatu Regio & Archiepiscopali sede insignis, & eò concurrant litium ergò è Tucumaniæ, Paraquariæ & fluminis Argentei præfecturis frequentes advenæ, & è portu Boni-aëris numerosi Æthiopum manipuli, per Peruviam distrahendi, conformem suo genio materiem abundè reperit. Ab Archiepiscopo & ab Synodo Provinciali obtinuit decretum fieri de examinandis Æthiopum baptismis, & de pueris etiam cum baptismi testimonio expositis, ob errores suboriri solitos, ad normam consilii Mediolanensis, adhibitâ cautione, denuò baptizandis. Eâ vir ætate per totam Peruviam excurrisset, si per vires licuisset, ad juvandos Æthiopes, quorum mille & quingenta capita ejus ope in Chuquisacensi ditione uno anno, appositâ conditione, sacro Fonte relota sunt. Æthiopicæ linguæ artes, præcepta & rudimenta Fidei Christianæ, eo adhærente, typis mandata sunt: & Socios aliquot Æthiopico idiomati addiscendo à Præposito Generali destinari impetravit. Authoritate suâ Paraquariæ Indos ab Mamalucis vexatos, obtentis ab Senatu auxiliaribus aliquot diplomatibus, sæpiùs juvit. Chiriguanarum nationi Christo subjugandæ Sociorum & pecuniarum subsidia collegit,

Æthiopum sub conditione baptismus.

Potosium.

Urbs Chuquisaca.

Æthiopum cura.

Mille & quingenti sub cautione baptizantur.

creditum-

Chiriguanarum curæ.

creditumque est, eo apud Superos intercessore, prædivitem hominem divinitùs motum fuisse, ut vellet missionem hanc præsenti argento, & postmodùm quingentorum aureorum censu juvare. Turcam hominem, nullis antea machinis domabilem, primo congressu ita devicit, ut se ei baptizandum statim traderet. Hispanam mulierem jam maritatam, & homines duos vitam regularem in speciem professos, Baptismi expertes, secretò baptizavit. Vir honestus ob fugam uxoris mœstissimus divinitùs monitus fuit, ut ad Didacum Torres acceptum præter ordinem indicium referret; optimo successu: nam Didacus, usurpatore ad se vocato, authoritate interpositâ, fœminam restitui curavit. Alius Confessionem Sacramentalem præcepto tempore omittere volens, audiit derepentè vocem monentem, ut ad Didacum Torres de ea excipienda clam prænonitum pergeret. Franciscum Diastanium pro Paraquaria Romam Procuratorem iturum, prædixisse, ex litteris ejus collectum est. Quaternas diebus singulis horas, & quandoque noctes integras, Divinorum meditationi tribuebat. Venerabile Sacramentum exquisitissimis modis colebat. Sacerdotale munus omnibus dignitatibus anteponebat. Virgini Matri addictissimus erat, in cujus honorem Sacellum domesticum Chuquisacæ ad privatam pietatem alendam constituxit, in quo quamdiu potuit optimus senex quotidie Sacrum faciebat. Nervosa in Concionibus, non curiosa sectabatur. Ne nostri juvenes assuescerent limatulis Concionum compositoribus, omnes è bibliotheca erutos vendidit: Sanctorum Patrum operibus ad usum expositis. Inter eos labores palmaris semper ei erat Æthiopum juvandorum cura. Vulgatâ per Peruviam & Europam octogenarii senis erga miserrimam gentem sollicitudine, multi præstantes viri, inter quos Federicus Cardinalis Boromæus, Archiepiscopus Limensis, & alii Peruviæ Episcopi, necnon Societatis Generalis, Apostolicum ministerium post tot gestos Magistratus, & fundationem duarum Provinciarum, amplissimis verbis ei gratulati sunt. Tribus postremis vitæ annis paralysi lectulo affixus, ne gravis esset aliis, accelerari sibi mortem ab pio Numine instanter postulavit. Voti compos, octogesimo-octavo ætatis anno, ab inita Societate sexagesimo-octavo, ab emissa professione quatuor Votorum quinquagesimo, vir, si regendi peritiam, si ardua quæque negotia ad exitum perducendi industriam, si multiplicitatem operum, & varietatem virtutum spectes, cum paucis Societatis nostræ Heroïbus comparandus, placidissimè fatis concessit. Favorem Clementis Octavi, quorumdam Cardinalium, Regis Catholici, Hispaniæ Magnatum, Societatis Generalium, & plerorumq; Peruviæ Præsulum promeritus, eo tantùm usus est ad Majorem Dei Gloriam promovendam, & miserorum sublevandam calamitatem. Cadaver funebriter elatum cohonestavere Senatus Regius, Magistratus Civilis & Ecclesiasticus, Ordines omnes, & urbs tota, debitis lacrymis omnium patrem prosequentes. Eo mortuo Collegium Chuquisacense, Societatis firmissimam columnam cecidisse, pro monumento scripsit: & ego perfunctus officio stylum ad Urvaicam retraho, ubi Rochum Gonsalvium, Ibicuitensem regionem magno animo ad Christi partes sollicitantem, videbimus.

Didaci Torres mors.

Funebris pompa.

CAPUT II.

Rochus Gonsalvius ad Ibicuitum oppidi fundamenta jacit.

IBICUITUS fluvius centum ab portu Boni-aëris leucis, in opposito Japeivienſibus littore, Urvaicæ influit. Intererat autem propagationis Evangelicæ hujus fluminis accolas ad fidem Christo dandum pellicere, ut his domitis ascensus fieret ad eos populos excurandos, qui inter Urvaicam & mare Athlanticum variis in regionibus latissimè habitant. Eo fine Rochus Gonsalvius, manifesto vitæ discrimini caput objiciens, per Ibicuitum scaphâ vectus, exiguo remigum numero tamdiu navigavit, donec superatis quadraginta leucis ad Tabacæ potentis Casiquii terras appelleret: à quo benevolè exceptus longè faciliora rei gerendæ initia, quàm existimaverat, invênit. Nam Tabaca, audito Christi Evangelio, in se recepit tantam Ethnicorum multitudinem cogere, quanta sufficeret ad justum oppidum condendum. Ad quod bonis auspiciis inchoandum, deturbatâ ingenti arbore, Crux fabricata est: cui erigendæ non sufficientibus viris, magnâ alacritate Barbaræ mulieres infantesque manus admovêre. Secundùm id, Sacello extemporaliter constructo, designatisque domorum arcis, & baptizatis infantibus, Rochus Gonsalvius surgens oppidum Purifi-

Crucis erectio.

catæ

catæ Virgini solemni ritu dedicavit: & Sacerdotem de Societate propediem se missurum promittens, ad Urvaicam, quò eum officii sui negotia evocabant, celerrimè renavigavit.

CAPUT III. Barbari oppidi surgentis opus disturbant.

DIGRESSO Gonsalvio, interioris terræ incolæ, coniuratione factâ, arma sumunt, & arbitrati eum in Tabacæ pago adhuc esse, ad necem ei inferendam, demoliendáque novi oppidi initia, magno numero accurrunt: primo impetu Crucem dejiciunt, sacram Ædem comburunt, perniciem novæ legis fautoribus interminantur, hostiliter omnia evertunt. Secundus impetus fuit in Japeivienses conjurare. Quarum rerum famâ ad Petrum Romerum & deinde ad Rochum Gonsalvium delatâ, universam brevi pervasit turbavitque Urvaicam. Gonsalvius non cunctandum ratus, ad Regum oppidum revertitur, assumptoque Petro Romero, dissuadentibus licet Japeivienſibus, certam mortem aditi uno ore clamantibus, adverso Ibicuito navigat. Viginti leucis progresso ab exploratoribus nuncium adfertur, indubiè periturum si ultra tenderet. Nihilominus ne summa rei periclitaretur, consulto priùs Deo, & Petro Romero ad Regum oppidum remisso, unam se victimam pro omnibus offerens, ad locum diruti oppidi cum pauculis remigibus progreditur. Ibi ab Tabaca & vicinis Casiquiis cognovit, absentibus ipsis rem fuisse peractam; &, quamvis adfuissent, nequaquam se tantæ hostium multitudini resistere potuisse. Hîc non stetit generosi hominis pia temeritas, sed vocatis ad se interioris terræ aliquot Casiquiis, quà authoritate, quà præmiis, ab iis multùm licet reluctantibus tandem impetrat, ut ad Tapensem regionem, Societatis laboribus postea clarissimam, rei restituendæ ergò, se ducerent. Eò delatus, dum explorat omnia, & animos Barbarorum ad condendum oppidum sollicitat, nunciant ulteriores populos ad eum mactandum magnis viribus advolare: quorum primum insultum Casiquii amici utcumque quidem repressérunt, sed cùm majoribus copiis urgerentur, & jam res in deplorato esset, Gonsalvius in subito periculo vires ingenii exerens grandem librum, & serram, quam ad usum fabricandarum Crucium secum ferebat, promit: quarum rerum aspectu pavidi hostium exploratores, ad suos revertentes nunciavere, Rochum Gonsalvium ferreum instrumentum dentatum serratumque secum adferre, quo aiebat innumeros homines nullo negotio detruncari posse: & cum compactis foliis colloqui, indubiè sufficientem vim habentibus ad integros exercitus delendos. Hoc audito Barbari ob suspicionem, quam de libris habent, & serræ incognitam vim, timore perculsi in fugam sese effundunt. Rochus verò Gonsalvius exploratâ terrâ, nondum maturam gentem deserens, dilatâ in aliud tempus expeditione, citatis itineribus Urvaicam repetit.

Barbarorum furor.

Gonsalvii audax facinus.

Ejusdem pia temeritas.

Ingeniosum factum.

CAPUT IV. Caasapaminiensis colonia ædificatur sub nomine Candelariæ.

NON plures menses abiere, cùm se resarciendæ expeditionis occasio obtulit: nam Rochus Gonsalvius, paulò pòst Piratinienſium Duce indicante, cognovit supra Piratinium fluvium locum Caasapaminium dictum aptissimum esse ad condendum oppidum, & circumjacentes populos non ægrè fidem capessituros, si sollicitarentur. In quam spem Gonsalvius Petrum Romerum ad se vocat, quocum Caasapaminienſium fines ingressus, obvios quidem habuit ducentos circiter Barbaros, armatâ manu ni retrocederet minitantes; sed hi ipsi Sociorum industriâ ad partes tracti consilia destinata promoventes, authores popularibus suis fuere Fidei Christianæ capessendæ. Quare sub ejusdem Purificatæ Virginis auspiciis novum oppidum Gonsalvius fundavit, traditumque Petri Romeri curæ in tantam brevi crevit frequentiam, ut ter mille capita primo anno censita sint, & hactenùs ibidem Societatis operâ supra septem millia Barbarorum sacro Fonte lota fuisse ex authenticis codicibus constet.

Ter mille capita reducuntur.

CAPUT V. Gesta apud Iguasuanos.

IN Iguasuana regione novella gens miserum in modum fame afflictabatur, Sociis in Sanctæ Mariæ Majoris oppido ad extrema redactis, & incolarum plerisque ad antiqua latibula perpulsis: è quibus Claudius Ruiërius magno labore quadringentos ad oppidum posthuminiò reduxit. Ex his, qui se reduci statim non passi sunt,

tygris puellam unam laniavit: vulgatâ lanienâ Ruierius, Divo Carolo in auxilium vocato, laqueum feræ ſtruxit, adeò proſperè, ut illa magno Indorum plauſu ſeſe eâdem nocte irretierit: quâ recognitâ, reliqui fugitivi ad oppidum rediere, Socios ut tygrium interfectores impoſterum celebrantes. Iguaſuani Catechumeni, repullulante feritate, excurſione factâ in antiquos hoſtes ſuos, aliquorum prædam egerant, quorum partem in vindictam præteritorum bellorum trucidaverant, reliquis ad carnificinam deſtinatis: feciſſentque Antropophagiam, nî Ruierius magno animo; coronâ populi inſpectante, multiplicis parricidii patratores vinctos ante ſe trahi juſſiſſet, caſtigatoſque ad ſolvendos captivos compuliſſet. Tamen inter recrudeſcentis ferociæ reliquias multi Chriſtianam manſuetudinem amplexi ſunt: nam centum & quinque ſupra mille Iguaſuani hoc anno ſalutares aquas, infundentibus Sociis, admisêre. In reliquis Paranæ oppidis aliquot centena capita primo Sacramento expiata ſunt, & Neophyti ſolidioris virtutis exempla frequentabant. In Divi Ignatii colonia ſextâ feriâ plerique pueri in Chriſti tormentorum memoriam etiam ad ſanguinem uſque corpuſcula ſua ſcuticâ verberabant. Die Paſſioni Dominicæ ſacro puer ab Sacerdote noſtro interrogatus, cur præter morem vultu pallore ſuffuſo & lacrymantibus oculis incederet, reſpondit, ob pœnas Domini ſui in memoriam revocatas, eum vultum ſe induiſſe.

Centum & quinque ſupra mille baptizantur.

CAPUT VI.

Michaël Sotomajor moritur.

IN Aſſumptionis urbe mortalibus vinculis ſolutus eſt Michaël Sotomajor, nobilibus in Bœtica natalibus ortus, quem in tyrocinio verſantem ejus Magiſter Alfonſus Rodrigues, Aſceticis libris clarus, Sanctum fore prædixerat. De quo cùm, ob intercutis morbum, ab Societate dimittendo ageretur, ſeniores pronunciavere, optimum juvenem non ſanitatis, quam profligatam habebat, ſed Sanctitatis nomine retinendum. In Paraquariam delatus, ſive Rector, ſive ſubditus foret, ea edidit modeſtiæ, integritatis, ſinceræ caritatis, paupertatis religioſæ, & omnimodæ pietatis argumenta, ut paſſim ab externis hominibus homo Sanctus vocaretur. Vitâ defunctum Religioſæ familiæ, & Principis Eccleſiæ Sacerdotes, ſuâ ſponte publico apparatu cohoneſtatum venêre, Ordinum primoribus cadaveri efferendo humeros ſubjicientibus: plebe verò non ſine lacrymis reculas, quas in uſu habuerat, ardenter efflagitante. Tenerrimè dum vixit afficiebatur erga Chriſti infantiam, creditumque eſt ob eum ſenſum pietatis in Natalibus Infantis Jesu diem ſuum obiiſſe.

Ejus ſanctitas.

Fanus.

CAPUT VII.

Exempla virtutum in Aſſumptionis urbe exhibita.

IBIDEM adhibitâ Divi Ignatii imagine, Matronis partus maturati, & uberum dolores depulſi, atque adeò viſus mulieri eſt reſtitutus: eodemque amuleto (ſi modò hoc anno ea contigerint) convaluit repentè mulier, quam currûs rota protriverat. Matrona, certior facta de turpitudine ab germano fratre domi ſuæ perpetrata, tantam indignationem concepit, ut lectum peccati infame ſtratum juſſerit flammis tradi. Puella laſcivo adoleſcenti adeò fortiter reſtitit, ut victrix è certamine exceſſerit, icunculâ Virginis Mariæ, quam appenſam habebat, in conflictu tantùm confractâ; cujus truſta cùm ad aliquod pietatis ſolatium pixide concluſiſſet, poſtridie imaginem integritati ſuæ per miraculum penitùs reſtitutam reperit. Vir ſuſpenſam habens è collo Chriſti effigiem in fœminam involarat, admiſſoque flagitio Crucifixum ſuum (funiculo è quo pendebat omninò illæſo, atque ut antea erat, adſtricto) ſibi deeſſe advertit, quem Crucifixum dum facti pœnitens & portento attonitus requirit, in cubiculi angulo, quò præ turpitudinis odio Bonus Jesus ſe receperat, invenit. Europæi ſanguinis homo blandis verborum lenociniis Indam demulcebat, per Deum obteſtans, ut ſuæ libidini morem gereret: quo Dei nomine audito Barbara mulier continuò exardeſcens, ſacrilegum contentâ voce ita compellavit. *Nè tu*, inquit, *Chriſtianus non es, qui Deum impudicitiæ perpetrandæ mediatorem conſtituis:* totque laſcivum hominem verborum probris, audientibus aliis, onerare perrexit, ut ille confuſionem, hæc victoriam, adſtantes admirationem reportarint.

Turpitudinis horror.

Icuncula fracta integritati reſtituta.

Chriſti imago ab adultero ſe abſcondit.

Barbara mulieris continentia.

CAPUT VIII. Sancti Pauli oppidum in Guairanià conditur.

IN Guairania, ex præscripto Provincialis, Socii augere numerum oppidorum satagebant. Simon Maçeta, Divi Josephi coloniæ curâ alteri traditâ, in Inianenses primus movit. Inianenses populi sunt inter Incarnationis oppidum & magni Taiaobæ terras, quatuor dierum intervallo, medii. Ex ea gente aliquot Casiquii ad Christophorum Mendoçam, apud Nivatinguienses curantem, venerant, legis Christianæ candidatos se profitentes. In quorum comitatu Simon Maçeta, jubente Antonio Ruisio, instructus rebus ad fundandum novum oppidum idoneis, per scopulos & rupes adeò altas abruptasque iter habuit, ut necesse fuerit eum flexilibus ramis loco funium è sublimissimis locis in profundissimos hiatus demittere. Superatis viæ difficultatibus, locum futuræ coloniæ elegit; ad quam incolendam ex variis pagis, hortatu Casiquiorum, multi populi statim confluxere, longéque plures concurrissent, nî Guiravera, Casiquius potens, Antropophagorum atque incantatorum pessimus, injecto metu vicinos ditioni suæ populos retardasset; omnem præsertim conatum adhibens, quo Maçetam in casses suos pertractum partim ipse comederet, partim ejus suras, quas Antropophagi maximè in deliciis habent, pellicibus suis devorandas traderet: spargebatque in vulgus, ad suspicionem ingenerandam, Simonem Maçetam prodromum esse servitutis, quam hi aliquando servirent, qui se novis religionibus initiari permitterent. Sed de hoc hominis monstro plura inferiùs. Simonis tamen Maçetæ constantiâ octingentæ omninò familiæ Cathecumenorum albo inscriptæ sunt, ad quos reducendos non parum juvere sub terra auditi horrendi clamores, & ferarum species nunquam visæ, quarum rerum aspectu auditúque Indi (si iis credendum est) narrabant se compulsos ad oppidum; quod ab Simone Maçeta Divo Paulo ritè consecratum, id augmentum accepit, ut quater mille capita in eo censita sint. Sub initia fundationis, fame grassante, palmarum meditulliis, fragis, & ejusmodi sylvarum reculis, Maçeta se sustentabat, cui longè gravior quâvis fame erat solitudo, inter Barbaros invicem se comedere assuetos, furere nondum dedoctos, & suspicionibus depravatos. Evicit tamen, ne quis reductorum Baptismum renueret: quare aliquot centena capita statim sacro Fonte immersa sunt. Sed longè major Religioni Christianæ accessio facta est, magno Taiaobâ ad partes Christi traducto: res sic sese habuit.

Itinera difficultim.

Guiravera ferocitas.

Octingenta familiæ reducuntur.

CAPUT IX. In Taiaobæ terris novi oppidi fundamenta jaciuntur.

MAGNUS Taiaoba (in cujus terris Antonium Ruisium Antropophagorum dentes fugâ vix evasisse, amissis septem comitibus, suprà demonstravimus) Societatis famâ utcumque emollitus, binos è filiis in ementita veste cum Maëndio Casiquio, ad Sancti Xaverii oppidum sub id tempus misit, exploraturos, num vera essent, quæ de Sociorum moribus circumferebantur. Hi compluscules dies in oppido clam commorati, tandem Francisco Diastanio ad Ibitirambetanos curanti, eorum servulo indicium dante, innotuere: qui eâ occasione in magnam spem veniens Taiaobam devinciri posse, utrumque adolescentem & Maëndium honorificis titulis appellatos palam interrogat, quo animo venissent? candidè respondentes se ad explorandum Neophytorum nostrorum & Sacerdotum Christianorum mores ventitasse. Rursum percunctatur: quî sibi nova Religio placuisset? uno ore asserentes summopere placuisse, authoresque se Magno Taiaobæ futuros Christianam Religionem in patriam recipiendi, eleganti veste donatos ad suos remittit. De qua re Antonius Ruisius per litteras ab Francisco Diastanio monitus, occasionem Fidei propagandæ arrepturus, magnis itineribus ad Divi Xaverii municipium properat. Promulgatâ expeditione, Neophyti magno numero comites sese obtulere. Sed delectu paucorum habito, magno animo se dat in viam. Magnus Taiaoba, explorato ejus adventu, quantâ potuit pompâ extra territorii sui fines obviam progressus, multa ubique erexit lætitiæ ostentamenta: qui simul ac in conspectum venit, in amplexum ruens. *En*, inquit, *ô Pater, en me in filium recipias, & quid me agere oporteat, doceas.* Ejus verò uxor, pari benevolentiæ significatione, tres filios pænè infantes obtulit, quos Ruisius magno animi affectu amplexatus, mirum quantum utrumque parentem sibi devinxerit. Nam Barbari nihil magis æstimant, quàm si conspexerint ab externis hominibus proles suas diligi. Inter mutua gratu-

Taiaoba filii Societatis mores explorant.

Taiaoba Antonium Ruisium recipit.

lationis officia per arcus triumphales, perſtrepentibus feſto ſono undique buccinatoribus, in Taiaobæ ditionem inductus, nihil potiùs habuit, quàm locum fundando oppido deligere, quo non procul Huibaio flumine reperto, Crucem trecentorum Indorum operâ erigit, templi fundamenta jacit, oppidi areas diſtribuit, virgas dignitatum inſignia Regis Catholici nomine dividit, Taiaobam in Ducem conſtituit, ejus filium natu maximum Militiæ præficit, alios Caſiquios variis titulis honorat, viginti & octo Taiaobæ filios infantilis ætatis ex variis uxoribus ſuſceptos ſacro Fonte abluit, adultæ ætatis homines ſpe paſcit futurum, ut cùm rudimenta legis Chriſtianæ percepiſſent, filiorum Dei albo inſcriberentur.

Octo & viginti Taiaobæ filii baptizantur.

CAPUT X. Taiaobani oppidi fundamenta bello concutiuntur.

SED interim dæmon furens frendensque, vindictam machinatur, decernitéque in Incantatorum concilio Antonium Ruiſium quoquo modo de medio eſſe tollendum, ejuſque receptores pro hoſtibus habendos. Tali authore, capto belli conſilio, Incantatores quamplurimi vicinos remotosque populos ad arma convocant, factâque conjuratione in Taiaobam magno ſtrepitu movent, omnibus denunciantes, ne quis infeſtas Ruiſio manus admoveret: dæmon enim prædixerat vivum in manus venturum, ſolemni epulo poſtea mactandum. Magnus Taiaoba, quamvis Piraquatia, Maëndius, & alii potentes Caſiquii ſeſe adjunctum ei venerant, tamen hoſtibus longè numero inferior erat. Igitur ipſe & filius, necnon Maëndius alterque Caſiquius, magnitudine periculi æſtimatâ, intempeſtâ nocte Ruiſium adeunt, Baptiſmum ante imminens prælium ſibi conferri poſtulantes, promittentesque ſe pro Chriſti lege morituros, ſi votis potirentur. Approbato conſilio, eos Ruiſius, pro temporis anguſtiis noſtris Myſteriis inſtructos, ſacro Fonte lavat. Ante Solis ortum hoſtes quadripartito agmine Taïaobæ copias adoriuntur. Primo conflictu ex hoſtibus plures, ex noſtris duo cecidere: multi utrimque (inter quos Taiaobæ filius) vulnera accepere. In ipſa pugna Neophytus Ruiſii comes & Sacrificantis miniſter, dum Beatæ Virginis effigiem, ab veteratore vi raptam dentibusque & unguibus diſcerptam, è ſacrilegorum manibus liberare ſtudet, ab hoſtibus raptus glorioſam captivitatem, & paulò pòſt mortem, in cauſa Virginis indeptus eſt. Interim ingruente hoſtium numero Ruiſius per denſiſſima nemora, non modò veſtimentorum, ſed cutis miſerrimâ ſtrage, cum paucis in tutum ſe receptum ibat: amnes frequenter eundo redeundoque eâ ſolâ ratione tranſmittebat, ne uno & certo relicto veſtigio eum hoſtes aſſequerentur. Arborum foliis igne toſtis, fungis, herbarumque radicibus veſcebatur, adeò nullâ aliorum ciborum deſideratione, ut ei ea folia citra omnem imaginationis fallaciam haleculæ igne toſtæ viderentur. Per hæc incommoda in amicum pagum devênit, ubi magno Taïaobæ fugæ comiti multùm de ſucceſſu lacrymanti in mandatis dat, ut cum Piraquatia Caſiquio in deſignato coloniæ loco perſeverarent, donec reſtituendæ rei ſpes affulgeret. Villaricani, re cognitâ, in vindictam, armatis quingentis Neophytis, Ruiſio & Salazario ne damnum ſub ſpecie belli inferrent comitantibus, in perduelles vadunt. Poſt primum hoſtium incurſum quatuor ex noſtris occiſis, Villaricani contra vim ingruentis multitudinis palis ſe cingere coacti ſunt. Quo in loco prælio inſtaurato indubiè ad unum omnes periiſſent, ni Ruiſium audiiſſent monentem, ſinerent hoſtes ſagittas ſuas omnes evibrare, his exhauſtis indubiè fugituros. Id autem ſuadebat, quòd morem Barbaricæ militiæ eſſe ſciret mutuò emiſſis ſagittis uti. Igitur noſtri contra tela ſatis tuti poſtquàm omnes hoſtium ſagittas in manibus habuere, facilè inermes contempſere. Hoſtibus hoc ſtratagemate ad fugam compulſis, Villaricani etiam ad ſua ſe recepere, è quorum ſervitute Ruiſius unius pagi incolas authoritate exemptos Baptiſmo luſtravit.

Taiaoba & Piraquatia baptizantur.

Taiaoba vincitur.

Antonii Ruiſii fuga.

Hoſtes fugantur.

CAPUT XI. Antropophagorum cerimoniæ in mactatione captivorum.

EA in expeditione res accidit memorabilis: nam cùm noſtri milites fugatis hoſtibus ollam carnium ad caſtra retuliſſent, Ruiſius arbitratus carnem eſſe venaticam, urgente fame, ex ea guſtavit. Sed in ollæ fundo capite & manibus humanis repertis immane quantum exhorruit, præſertim quando conſtitit carnem ſui æditui eſſe, nuper captivi & ad celebrandum præteritæ victoriæ convivium ſo-

lemnibus

lemnibus cerimoniis destinati: de quarum cerimoniarum ritu, quia sæpè in hâc historiâ barbaricâ occurrunt, hæc pauca accipe. Guairaniæ Antropophagi captivum bello captum in suum pagum deducebant, omni deliciarum cupediarumque genere eum prosequentes; eo fine, ut saginatus alios etiam suâ carne saginaret. Saginæ tempore nefas erat quidquam quod appeteret ei denegare. In pervigilio mactationis pagi municipes, convocatis circumquaque populis, pompam instituebant. Præcedebant magno numero armati viri bino ordine fœminæque, puella una plumis & velamentis ornatissima in media pompa eleganti in paropside clavam, crudelitatis instrumentum, & altera eodem ornatu coronam destinatæ victimæ imponendam præferebant. Lacertosæ mulieres captivum medio corpore vinctum, solutis brachiis lapides & ligna in circumstantes pro libitu ejaculantem, laxis funibus ducebant. Si contingeret ab captivo aliquem feriri, immensis clamoribus & plausibus ejus fortitudinem dexteritatemque plebs omnis celebrabat. Finitâ pervigilii pompâ reliquam noctem inter insanos strepitus, choreas & ebrietatum furores transigebant: captivo præsertim cibis & vino sese ingurgitante. Facto mane, eodem quo pridie ordine ad necis locum ducebatur, ubi repetitis præteritæ diei ineptiis à potente aliquo Casiquio captivus coronâ redimitus elegantissimèque ornatus clavâ feriebatur. Prostratum adstantes omnes percutiebant, nova nomina, abolitis veteribus, sibi assumentes; quin & ipsi infantes ope matrum acceptis etiam nominibus adhuc palpitantem manibus verberare cogebantur. Postquam constabat exspirasse, omnis multitudo in cachinnos intemperanter soluta, institutis choreis, parricidali convivio præludebant; cadaver discerptum & in ollis coctum devorabant; aliquot frusta ad vicinos pagos mittebant, ut iis gustatis nova etiam nomina sibi sumerent. Ejusmodi crudelitas inter glorioſas mortes ab Barbaris reputabatur, unde rari admodùm captivi, quamvis facilè possent, è vinculis fugiebant. Eo ergò ritu Barbari mactaverant Antonii Ruisii ædituum, qui immenso dolore correptus, è Taiaobæ terris pedem rursum referens, interim dum alia gentis domandæ consilia supputerent ad inspicienda reliqua Guairaniæ oppida, ducto secum Didaco Salazario, se contulit.

Ruisii æditui mors.

INSPECTIS pro munere oppidis, Antonius Ruisius tantis obicibus nihil fractus, sed glorioſorum discriminum spe animosior, eò promptiùs ad Taiaobæ terras occupandas conatum intendit, quò obstinatiùs à dæmonibus aditum obserari cernebat. Cognito igitur Taiaobam & Piraquatiam, adunatis sibi aliis Casiquiis, ad restauranda destructi oppidi fundamenta, vimque hostium propulsandam, animum seriò adjecisse, ad pagum eorum finibus conterminum se confert: quibus ad se venientibus significavit, in animo sibi esse eorum terris oppidi fundationem iteratò tentare. Sed contra erant omnes amici Indi, obtestantes ne caput suum certissimo diserimini objiceret; si eò rediret, procul dubio Antropophagis escam futurum: id enim dæmonis oraculo fuisse decretum. Quin & ipsi Socii per Guairaniam sparsi, prout rem constitutam intellexerant, vehementer ab progrediendi consilio eum per litteras avocare nitebantur. Nec defuere aliquot Villaricani id idem junctis precibus non sine lachrymis efflagitantes, asserentesque, se certò ab Indis comperisse, fore ut citra dubitationem ab Barbaris devoraretur. Quibus omnibus respondit, Deo re commendatâ, facturum se quod ad majorem illius gloriam promovendam fore intelligeret. Interim remisso in patriam Nicolao Taiaobâ, jussoque numerosiorem gentem ad propulsandos hostes cogere, ipse ad Divina auxilia procuranda omnes animi vires adhibuit: quod ut ritè faceret, per septem hebdomadas ad honorem septem Angelorum principum, in secessu exercitiis spiritualibus, septem quotidie horis in oratione mentali positis, vacavit, vovens, si res prosperè succederet, primum quod in Taiaobæ terris oppidum fundaret, iisdem Archangelis se dedicaturum. Exercitiorum tempore longum foret dicere, quot & quantis intus pugnis, foris timoribus, quot anguſti animi, modò diffidentis, modò variantis, perturbationibus conflictatus fuerit: dæmone eorum tumultuum incentore, ad augendos terrores se ipsum etiam visendum præbente. Sed Ruisius in proposito

CAPUT XII. Archangelorum oppidum in Taiaobæ terris fundatur.

Obsistunt amici.

Ruisius rem Deo commendat.

Ab dæmone infestatur.

perſiſtens ſenſit ſe contra adverſa omnia confimari, & inſuper cœleſti oſtento penitùs ad audendum impelli: nam inter caliginoſæ hæſitationis & ærumnoſi cujuſdam tædii tenebras, claro Divinæ lucis radio derepentè oborto, viſus per ſomnium ſibi eſt, cum duobus aliis è Societate in immenſa planitie verſari, ac cernere ingens alcium atque jumentorum armentum miro fulgore micantium inclinatis capitibus ad ſe ventitare, Sociisque ex hoc aſpectu lætitiâ exultantibus imperaſſe, uti armentum cingerent, & ad templum quoddam ſplendidiſſimum agerent: quod dum feciſſent, omnia jumenta, nullo fugâ elapſo, templo incluſa fuiſſe. Sub id tempus centum circiter Indi hoſtilis factionis facilè omnium ferociſſimi, qui ſeptem Neophytos Ruiſii comites comederant, ultrò ſe ei traditum venêre: nunciatumque eſt Caſiquios ſeptem, Evangelicæ propagationis hoſtes infeſtiſſimos, in ſylvis fuſtibus contuſos occubuiſſe, & ex vulgo non paucos ejuſdem farinæ homines ibidem trucidatos; nullo tamen tot necium authore reperto. Amotis ope Divinâ tantis obſtaculis, Ruiſius evoluto Exercitiorum ſpiritualium ſpatio ſtatuens vel glorioſæ mortis præmium, vel de dæmone victoriam hac vice reportare, quamvis Socii iterùm ſcriberent, ut pedem, dum integrum eſſet, referret, vili inſtructus viatico & Arâ portatili, viæ ſe commiſit. Aliquot dies progreſſus Taiaobam & Piraquatiam obvios habuit, quibus ſeptem Archangelorum effigiem, Ludovici Bergeri pictoris opus, palam geſtandam tradidit: ipſe amiculo lineo & ſtolâ ornatus pompam ſequutus, ab Angelorũ Regina auxilium efficax ſibi certò promittens, ad deſignatum oppido locum pervenit. Quo in loco pauciſſimos Indos reperit, propterea quòd Taiaobanæ & Piraquatianæ factionis homines, cognitâ multorum populorum iteratâ conſpiratione, deterrerentur. Novus igitur timor Ruiſii animum ſubiit, ad quem propulſandum inexpugnabili precum clypeo ſe muniens, per novem dies continuatâ pietate in illius Myſterii memoriam, quo Beatiſſima Virgo Incarnatum Verbum totidem menſibus in utero geſtavit, Divinam opem imploravit. Quo tempore unâ eâdemque nocte iteratis vicibus dæmon, venatici canis ſpeciem præferens, quaſi invadere vellet, minas intentavit. Sed ab Ruiſio abactus, ſub ſcamnum, in quo ſedebat, ſe conjecit, magno quidem Dei ſervo horrore concuſſo, ſed eâ conſideratione erecto, quòd miniſtrorum dæmonis vis fracta videretur, quandoquidem per ſe pugnaret. Duabus ſequentibus diebus rurſum dæmon minas intentavit, fractioribus tamen ſemper viribus. Sed Guiravera, dæmonis pertinaciſſimus aſſecla, audito Ruiſii adventu horrendùm infremens, vociferabatur eum hâc vice dentes ſuos non evaſurum, convocatisque ad arma factionis ſuæ Caſiquiis ſic de nece patranda diſſeruit, ut ei ad unum omnes aſſenſerint. Verùm hujus monſtri conſilia hâc maximè ratione diſſipata ſunt. Advenerat inter convocatos Ararundio, qui alia in aggreſſione copiis Ruiſio mactando deſtinatis præfuerat, quem Guiravera ob obortam ſuſpicionem ſuâ manu interfectum reliquis Caſiquiis comedendum appoſuit: interempti comitibus ad inſtruendas ſuis carnibus epulas etiam deſignatis. Cheacabic verò Caſiquius, qui olim Ruiſii ſuras pellicibus ſuis promiſerat, ſagittâ transfixus etiam interiit. Quibus caſibus, ortis diſſidiis, hoſtium vires diſtractæ ſunt; & Taiaobæ factio tanto numero aucta eſt, ut ex octoginta hujus regionis Caſiquii ſexaginta Religioni Chriſtianæ cum Taiaoba faverent. Itaque Numinis ubique faventis auxiliis, Ruiſius locũ exſtruendi templi deſignat, conditum oppidum ſeptem Archangelis conſecrat, novellamque rempublicam ordinat. Idem eâ tempeſtate inſigne Caſtitatis exemplum exhibuit. Nam cùm corpus quieti tradens, contractis à frigore cruris nervis, vehementer laborare cœpiſſet, nec acri morbo mederi aliter poſſet, niſi fricari ſe alienâ manu permitteret, & voto pridem adſtrinxiſſet neminem tangendi, neque permittendi ut à quoquam ipſe tangeretur, periculum doloremque contempſit. Animus tamen in varias partes diſtractus ancipitem eum reddebat, hinc neceſſitate, illinc voto identidem mentem exagitante. Totam ferè noctem in hoc cogitationum æſtu inſomnem traduxit. Tandem inviolato voti propoſito, vitæ etiam diſcrimen potiùs adeundum duxit, quàm votum infringeret: quo renovato ad ſomnum ſe utcumque compoſuit. Sub primam quietem dæmon atro vultu, ac ſi luctari vellet, cum à ſomno excitat, maledictum appellans, quòd tam ferreus eſſet, ut ſe molliri tantiſper

Oſtentum.

Obſtacula amoventur.

Orationis vis.

Dæmon vincitur.

Guiravera infremit.

Conſpiratorum conſilia diſturbãtur.

Taiaoba factio augetur.

Ruiſiana Caſtitatis exemplum.

non

non permisisset. Sed Ruisius victor, contumeliis oneratum abs se abegit. Fame sæviente, novello in oppido solis herbis & palmarum meditullio victitabat, quæ ejus palato adeò sapiebant, ut extra hyperbolem res de se insipidæ aquâ rosaceâ aspersæ ipsi visæ sint; Deo scilicet in his desertis delicioſum manna rursum ministrante. Quingentos ipse suâ manu ex hac gente sacro Fonte lavit, antequàm oppidum numerosissimum Petro Spinosæ, Socio impigerrimo, regendum tradens, ad campestrem expeditionem se accingeret.

Quingenti baptizantur

CAPUT XIII. Expeditio ad Campestres populos frustratur.

CAMPESTRES Indi novam materiam gloriosis Apostolicorum virorum laboribus sub id tempus ostentavere; qui ideò sic vocantur, quòd campos suprà Incarnationis oppidum latissimè protensos habitent. Quamquàm & Coronatos, & Capillatos idcircò etiam vocari reperio, quòd viri fœminæque promissam ad humeros comam Monachorum adinstar orbiculatim in vertice radant. Ab eo tempore, quo Christianæ Religionis odio Incarnationis oppidum, Christophoro Mendoça ad necem destinato, tentarant, humano judicio planè obseptus ad eos aditus videbatur, qui sic tandem cœpit patescere. Tupici, Brasiliæ populi, de quorum ferocia in Societatis historia Orlandinus meminit, in Sancti Xaverii agrum magno numero erumpentes, aliquot Neophytos in servitutem abegerant, qui Sociorum industriâ è vinculis exempti fuerant. Alia Tupicorum turma aliquot Incarnationis oppidanos captivos etiam fecerat, quos Christophorus Mendoça cum Pindovio & Neophytorum manu insequutus liberaverat. Et insuper certior factus ab iisdem latronibus Coronatorum pagum, multis in servitutem abactis, direptum fuisse, latrones ex improviso adortus, prædâ & captivis spoliatos, acerriméque increpitos, in Brasiliam redire coëgerat. Coronatos verò hoc beneficio donisque conciliatos, eâ conditione in patriam remiserat, ut ad se populares suos religionis ergò (quod & fecere) rediret. Haud ita multò pòst, decem Coronatorum Casiquii, Taiaobæ exemplo permoti, nuncio ad Socios misso, vehementer flagitavere Christianæ doctrinæ magistros. Quibus rebus cognitis, Antonius Ruisius è Taiaobæ terris ad Incarnationis oppidum properans, assumpto in Socium Francisco Diastanio, ad Coronatos iter capessivit. Ibant ambo per paludosa loca abruptaque cum exiguo triginta Neophytorum comitatu: & jam octiduum processerant, cùm obvios habuere aliquot Coronatos, nunciantes Guabairum, potentem Casiquium, audito Sociorum adventu, in partes traxisse quamplurimos pagos, factáque conspiratione insidias in propinquo nemore struxisse; si ultra pergerent, indubiè cum comitatu perituros: se ex convocatis quidem fuisse, sed memores beneficiorum ab Sociis acceptorum, secretâ semitâ ad id nunciandum venisse. Ruisius & Diastanius, gratiis habitis, cum Pindovio consultavere, num tutum esset ultrà ire: quo respondente, tantillo comitum numero nullo modo id tentari posse, torto itinere; unde venerant redeuntes, expeditionem in aliud tempus distulere, quam sequenti anno feliciori aliquantulum successu, eâdem viâ Deo dante prosequar. Nunc ad vetera Guairaniæ oppida tantisper divertor.

Coronati populi.

Tupicorum ferocitas.

Guabairus Sociis resistit.

Socii se retrahunt.

CAPUT XIV. De reliquis Guairaniæ rebus.

LAURETI præcoci fato Marcus Marinus, Religionis initæ anno decimo, ætatis vigesimo-sexto, sublatus est: de quo multa paucis complectar, si ex Nicolai Durandi ad Generalem litteris Joanni Berchmanno, notissimæ virtutis juveni, in omnibus fuisse valdè similem asseruero. Nemo fuit, qui vel tenuissimam labeculam in ejus moribus, aut in legum nostrarum observantiâ oscitantiam adnotârit. Externi hominis compositio internam animi constitutionem ac puritatem manifestabat, quâ assequutus est, ut omnium in se oculos atque animos converteret. Sylvicolæ duo ad Socios per Lauretanos Neophytos adducti, & ad suos remissi, centum & viginti popularium familias paulò pòst secum reduxere, qui omnes, nemine dempto, suscepto Baptismo Christum professi sunt. Inda mulier participandis Divinis mysteriis assueta, ad flagitium ab Indo sollicitata, ubi ei in mentem venit, schedulam communicaturis dari solitam, penes se esse, fortiter resistens, velamento corporis in impudici manibus relicto, nuda ab eo profugit. E contra procax

Marcus Marinus moritur.

Et laudatur.

Centum & viginti familiæ reducuntur.

Mulieris castitas.

fœmina

fœmina Indum verborum lenociniis multo tempore de casto proposito deturbare conata, ab provocato, justâ irâ incenso, flagris cæsa, ad maritum remissa est. Divus Ignatius mulieres partubus in lucem edendis extra ordinem invocatus sæpè juvit. Aliis imago Virginis MARIÆ applicata ad recuperandas corporis vires deperditas profuit.

Neophyti continentia.

CAPUT XV. De Chaquēsi expeditione.

1628.

ANNUS hujus sæculi octavus supra vigesimum clarus fuit expeditione Apostolicâ ex Tucumania ad Chaquenses Indos instituta. Chaquensis verò Provinciæ nomine venit quidquid terrarum Paraquariæ, Tucumaniæ, Fluminis Argentei, Sanctæ Crucis in Montanis Episcopatus, necnon Chaquensis Archiepiscopatus, immenso pænè circuitu ambiunt. Eam secant è Peruviæ montibus orta flumina, longo pòst tractu aut in ingentes lacus, aut in Paraquarium fluviumque Argenteum influentia. Sub primum Hispanorum adventum multi è Tucumania Peruviaque mortales, novi imperii metu, eò se retraxere, cujus rei fidem faciunt populi Aimarram linguam, Peruvianis vernaculam, adhuc usurpantes. Notiores nationes sunt Taimviæ, centum octoginta & octo pagos olim incolentes, Teutæ, Mataguaiæ, Agoiæ, Tobæ, Mosobiæ, Japitilagæ, Churumatæ, Tonocotæ, Abipones, & variæ Indorum factiones, diversitate linguarum quàm moribus dissimiliores. Nulla inter hos populos suprema potestas est, Casiquiis Barbarorum more domicatim vicatimque subsunt. Ex ea gente singuli pro patrono & vitæ protectore unum piscem sibi superstitiosè eligunt, quem ita totâ vitâ colunt, ut potiùs fame mori, quàm ejus speciei piscem gustare malint. Perpetua inter se & cum finitimis populis exercent prælia, externis non tam fortitudine quàm crudelitate terribiles. Per eos populos aliquot Paraquariæ Prætores in Peruviam iter aperire conati sunt: sed quòd Barbari multos Hispanos variis vicibus crudeliter trucidassent, per eam partem è Paraquaria in Peruviam ire desitum est: donec hoc, de quo scribimus, anno Martinus Ledesma, Tucumaniæ Prætor, in spem venit per Cucuisensem, ultimam Provinciæ suæ urbem, Peruviæ conterminam, domitâ Chaquensi regione, frustratos conatus restaurari posse. Quare, conductâ militum cohorte, ad Nicolaum Durandum Provincialem litteras dat, enixè postulans, ut Evangelii prædicandi ergò aliquot Sacerdotum sibi copiam faceret. Verùm quia Provincialis non ignorabat in aditu novarum terrarum milites insolenter agere, ne Societatem Barbaris odiosam faceret, respondit tum se Socios missurum, cùm aliqua spes pedem in Chaquensi regione figendi affulgeret. At postquàm cognovit Prætorem cum Hispanis cohortibus in Chaquensem Provinciam penetrasse, ibique constructo castello fundamenta urbis jecisse, ubi Lupus fluvius pinguissimas Indisque frequentissimas terras alluit, illicò Gasparem Osorium, Socium maximè idoneum, eò mittit cum mandatis, ut Indorum & Hispanorum saluti daret operam. Is ubi tertio pòst mense ad designatum urbi locum pervênit, ut erat aspectu & moribus amabilis, omnium amicitias sibi conciliavit. Complures igitur illicò Casiquii variarum factionum ad eum commearunt, quibuscum transegit, ut tribus in regionibus ligna ad totidem nova oppida fundanda, Paranensium adinstar, cæderentur. Numerum quinquaginta millium superare dicebantur hi, quorum linguam reddebat sibi familiarem. Mataguai idiomatis triginta millia ferebantur. Tobarum, Mocoviarum atque Zapitalaguarum, numerosissimarum nationum, idiomata non negligebat; tum quòd multi ex his populis magnâ aviditate in Christianorum numerum adscribi postularent, tum quòd per eorum terras pervadi posse ad ulteriores provincias numero quamplurimas speraretur. Churumatarum linguam, sic fortè dictam, quòd Chu Chu sæpiùs recurrat, etiam tertiare conabatur. Martino Ledesma Prætore ad fundandam aliam urbem in Solotani fluminis littore ultrà progresso, noster Osorius, novi oppidi ad reducendos Barbaros aream designaturus, apud Tobas remansit; unde ad Provincialem scribens, aiebat, tria Indorum oppida in Tobarum, Mocoviorum & Zapitilingarum terris fundari posse, si Sociorum copia suppeteret. Addebat, Indos in interioribus regionibus adeò proceros esse, ut vix eorum capita elatâ manu attingeret. Primo statim anno Hispani sementem facientes invenere glebam

Situs.

Incolæ.

Superstitiosa piscis venatio.

Gaspar Osorius Chaquēsem provinciam adit.

Incolas allicit.

Idiomata discit.

Oppida fundanda designat.

Europæa-

Europæarum frugum omnium capacem, &, quod maximè avebant, argenti atque auri fodinas Barbari occultare dicebantur. Quamquàm non defuere, qui facilia hæc initia, ob solitam novorum colonorum habendi cupidinem, infelici exitu terminatum iri vererentur.

CAPUT XVI. De procuratione Gaſparis Sobrini.

DUM hæc agerentur, Gaſpar Sobrinus per Europam procurabat auxiliares Socios, quos non difficilè fuit ab Philippo Quarto Rege Catholico, ad Chriſti imperium dilatandum intentiſſimo, impetrare. Præſertim cùm ejus Majeſtati nuperrimè per litteras fluminis Argentei Prætor eo nomine Societatem JESU commendaſſet, quòd latiſſimas undique provincias Chriſto & Hiſpano nomini domuiſſet: & ſupereſſent aliæ ad Urvaicam regiones, quibus ſubjiciendis excolendisque Societatis homines aptiſſimi viderentur. Deſignato ab Mutio Vitelleſco Generali exiguarum copiarum ſupplemento, Gaſpar Sobrinus, Urbano Octavo benè apprecante, magnis itineribus Ulliſſiponem contendit. Quò cùm etiam conveniſſent ex variis Europæ provinciis quadraginta-duo Socii, decimo-quinto calendas Martias, Patribus Ulliſſiponenſibus, honoris ergò, non ſine piæ æmulationis indicio ad navem uſque comitantibus, ſolvêre. Ibant bini, nullo nationum diſcrimine (nam Italos, Belgas, Burgundos, Luſitanos, Hiſpanos caritas unos effecerat) ibant, inquam, bini, antequam ſolverent, per urbem Regiam, frequenti ſanè populo ex plateis & editioribus domuum partibus generoſos Athletas deſpiciente, admiranteque quantâ alacritate Oceani procellis, & ſi res ferret, Barbarorum telis ſe dicatum irent. In navi, diſtributis ritè temporibus, omnia peragebantur, ſeu ſpectes privata Religioſorum penſa, ſeù cæteras in nautarum utilitatem impenſas operas; adeò ut aſſiduitate evictum ſit, ne quis nautarum vectorúmve vel leve juramentum, vel nudum ſalaxque verbulum, totâ navigatione excidere ſibi pateretur. Tantum valet continuatum ad virtutem incitamentum, præſertim ubi multorum exemplis fuerit corroboratum. Ita feliciſſimo curſu ad Januarienſem Braſiliæ portum appulere; urbis Præfecto cum cætera nobilitate, & Collegii noſtri Sociis, benevolè & magnificè Religioſos hoſpites excipientibus. Ibi refectis octiduo corporibus, ſe rurſum mari committentes, Divino Spiritu optimis votis aſpirante, Boni-aëris portum pridie Calendas Maïas inſolitâ celeritate tenuere. In portu præſtolabatur venturos Provincialis Durandus, cujus juſſu ducentis & ampliùs leucis ſecundo flumine deſcenderant aliquot Neophyti, Muſicæ periti, ſubſidiarios advenas, pro quorum incolumitate octies millies Paraquarienſes Socii Sacrificia immolaverant, cantu, ſaltationibus & aliis gratulationis officiis hilariter excepturi.

Philippi IV. pia munificentia.

Urbanus VIII Socios bene apprecatur.

Sociorum navigatio.

In Braſiliam appulſus,

Et ad portū Boni-aëris.

CAPUT XVII. De ſubſidiariorum Sociorum periculo.

JAM quindecim dies mutuæ Patrum aggratulationes tenuerant, cùm ex improviſo armata navis lembo comitata in urbis conſpectum ſe dat; quæ, quòd nihil aliud ageret, quàm altitudinem latitudinemque fluminis bolide tentare, hoſtilis ea credita eſt. Quapropter Prætor Regius arma cives capeſſere, & in omnem nutum præſto adeſſe jubet, veritus ne quemadmodùm Hollandi præcipuam Braſiliæ urbem, præmiſsâ itidem exploratoriâ navi, cæterisque pòſt ſubſequentibus, nuper interceperant, ita non abſimili ſtratagemate Boni-aëris portum invadere vellent. Triduo tamen, poſtquam in conſpectum venit, nullo tum præter metum illato damno, in altum vela vertit. Dies pauculi effluxerant, cùm undecim circiter à portu leucis ſub area lignea multa ſchedia, ab ipſis piratis importata, in ipſo littore inventa ſunt, quæ prodebant pravæ gentis virulentum animum. Octo erant libelli hiſpanicè conſcripti, typis Hollandicis excuſi, cum hâc inſcriptione: *Juſtitiæ Peruanæ vita ſalus, &c.* Librorum ſynopſis hæc erat: *Obedientiam Romano Pontifici abjurato: Regi Catholico legitimum in Indias Occidentales jus denegato: qui rebellaverit, omnia ſumma ſperato: Indi & Æthiopes, mancipia, ſi Regis jugum excuſſerint, libertate & aliis præmiis donantur.* Quæ omnia adeò illecebrosè doloſeque explanabantur, ut verendum fuerit, ſi in plebeculæ manus deveniſſent, eorum animos, qui Religionem corporis utilitatibus poſtponunt, labefactatum iri. Ita homines Regi perduelles, ſeipſos corrupiſſe non contenti, leonina feritate & vulpinis dolis

Piratarum naves.

Dolus detectus.

Optimorum Regum dominiis inhiant, ut quamplurimos secum perditum eant, æquè animorum ac corporum piratæ. Cùm verò disceptaretur de remedio pernicioforum libellorum, & censerent nonnulli eorum exemplaria per Americam spargenda esse, ad hostium insidias detegendas, sententia Societatis prævaluit asserentis ignibus aut tenebris libellos hos esse adjudicandos, ne incautis pestem aliquam afflarent, aut rebellionis causa essent. *Socii servati.* Pro servata Sociorum navi actæ Deo gratiæ sunt: argumentis enim verosimilibus postea deprehensum, piratas ex ipsa Europa eo fine venisse, ut Jesuitis in ostio fluminis Argentei insidiarentur. Sed Deo Optimo protegente factum, ut dum nautæ inter se disceptarent, an navis ad stationem, quâ se piratæ occultaverant, appellerent, venti ita faverint, ut necessariò ultrà progrediendum fuerit. Sic evitatis insidiis subsidiarii Socii partim ad Hispanorum urbes, partim ad Barbaras nationes amandati sunt.

CAPUT XVIII. De Gaspare Sobrino.

AT Gaspar Sobrinus, procuratione functus, Chileni regni Vice-provincialis designatus, cum sex Sociis Europæis secum advectis in provinciam suam contendit, quo factum, ut Paraquaria utilissimo viro, & à me non sine laude dimittendo, imposterùm careret: nam post Chilenæ Vice-provinciæ gubernationem ad Limani Collegii, & subinde Quitensis provinciæ regimen, evocatus, deinceps Limæ consenuit. *Parentes.* Ejus Majores olim inter Regem Aragoniæ & nonnullos Primates Regni candidatos arbitri fuere. Pater verò, anno præteriti sæculi nonagesimo-quinto, nobilitatis deputationem, præcipuum Aragoniæ Magistratum obtinuit, & subinde totius Regni rebus rectè componendis præpositus est. *Educatio.* A quo noster Gaspar pro pædagogo domestico Petrum Paulaçam, Archiepiscopum postea Cæsaraugustanum, accepit. Post initam Societatem, septemdecim leucarum millia navigando, & terrestri itinere decem millia eum emensum fuisse, author est Bartholomæus Tafur, Collegii Limani Rector. *Itinera.* Quitensem provinciam regens, Beati Borgiæ urbis parochiam indeptus, ad expeditionem Maranionis magno cum Religionis Christianæ emolumento viam stravit. *Modestia.* Dimissionem ab gubernandi onere postulanti respondit Vitelleschus Generalis, Societatis regimen esse unicam ad patientiam viam. *Pietas.* Quotidie tribus horis rerum Divinarum contemplationi insistebat. Quoties carnis motus sese prodebant, toties per mediam horam cruentè se flagellabat. Per sexdecim omninò annos vestem diurnam ad somnum captandum nunquam posuit. Diebus Sabbathinis amorem erga Deum trecentis vicibus renovabat. Ad pœnitentis & modesti animi conservationem imaginariam sibi casam infrà damnatos omnes construxerat. *Tolerantia.* In Quitensi regno ortas in visitatione provinciæ difficultates religiosissimè toleravit. *Laus.* Mutius Vitelleschus Generalis ad eum consolatoriam Epistolam in hæc fermè verba scripsit. *Gaspar Sobrine macte animo, nam rectitudinem mentis & prudentem negotiorum administrationem in te uno semper observavi, observârunt̃q; quotquot tuam industriam Romæ in procuratione Paraquariensi, & in aula Regis Catholici, in rebus Chilensis regni coram perspexerunt. Vtrobique te gessisti sicut decet sincerum Societatis matris nostræ filium, pro quo, præter approbationem meam, spero amplissimam in Cœlis mercedem tibi non defuturam.* Sed hæc multò pòst evenere.

CAPUT XIX. Caaroënses & Iivisenses Religioni utcumque conciliantur.

INTEREA Rochus Gonsalvius, alias Urvaicæ terras adiens, materiam novis Sociis, quorum adventus fama percrebuerat, adornare satagebat. Primus labor fuit penetrasse ad Caaroënses sylvas, quòd cognovisset earum incolas ad Fidem capessendam, vicinorum exemplo, & Petri Romeri hortatu, utcumque esse inclinatos. *Caaroënses sylvæ.* Has sylvas incolebant sexaginta Casiquii, quorum plerisque persuasit, ut in spem oppidi construendi non procul uni ab aliis sementem facerent, promittensque Christianæ legis doctorem de Societate propediem concessurum, ad Iivisenses per Piratiniensem agrum iter circumflexit. *Iivius fluvius.* Iivius, torrenti similior quàm fluvio, ubi modicis anfractibus ab origine discessit, recto deindè fermè alveo in Urvaicam paulò suprà Ibitiraquanos sese exonerat. In utraque ejus ripa & adjacentibus campis sylvæ visuntur, quas quingentæ circiter familiæ cum suis Casiquiis incolebant. *Niezuvii mores.* Eminebat inter omnes Niezuvius, qui veneficii arte & loquacitate

effecerat,

effecerat, ut vicini populi se tanquam ducem sequerentur; vir ferox & subdolus, solertissimè hospitibus blandiebatur, ut quamplurimos sibi obnoxios haberet. Ad id hominis monstrum ex Divi Xaverii oppido & aliis locis, licentiâ vivendi allecti, transfugerant quamplurimi Indi, Neophytorum nostrorum rebus infensi, quòs omnes Niezuvius circum se habebat alebatque, ab omnibus exigens cultum sibi, tanquam Deo, exhiberi. Fictum denique factumque illi erat ingenium ad omnem fraudem insolentiamque. Is hujusmodi homo magnum impedimentum Neophytorum rebus allaturus erat, si in maleficio persisteret: quapropter Gonsalvius conceptum olim illius adeundi consilium maturans, nihil monstri ferocitatem, nec transfugarum latronumque insidias veritus, iter periculosum suscipit. Niezuvioque ex improviso se sistens tantum potuit dicendi vi, ut tantus hostis primo statim conatu debellatus putaretur. Quem ut sibi devinciret magis, ad Divi Nicolai proximum oppidum secum duxit, procuravitque ut magno apparatu in templum induceretur. Quâ honoris exhibitione ita Societati & Religioni Christianæ conciliatum se ostendit, ut ad suos rediens templum domumque venturis Sacerdotibus erexerit, fecerítque ut multi circum Casiquii in suam sententiam venirent.

Niezuvius devincitur.

CAPUT XX.

Apud Iviscenses Rochus Gonsalvius Assumptionis oppidum condit.

DIFFICILIS erat hæc Provincia, exigebatque hominem magnanimum æquè ac prudentem: verebantur enim Socii, ne Niezuvius, nullo ferme negotio ad res Christianas inclinatus, dæmonis artibus postliminiò ad suas ineptias rediret, corrumperetque optima principia: quippe compertum erat, nullum illo in totâ Urvaicensi ditione veneficiis & dæmonis consortio fuisse magis deditum; nullum illo licentiùs divinitatem affectasse; nullum numerosiorem concubinarum gregem, etiam quando templum domumque Sociis condebat, domi alere. Quamobrem cùm Rochus Gonsalvius magnæ virtutis specimen ex Joannis Castillii dictis factisque cepisset, eum secum ad Niezuvii terras ducit, ipsoque Virginis Assumptæ die Ivisense oppidum & templum Virgini itidem in cœlum Assumptæ dedicat, Magistratum creat, primores muneribus conciliat, Joannem denique Castillium oppido præfuturum antequam discederet his ferme verbis animat. *Capesse*, inquit, *Provinciam tuo nomini parem, ô Castilli, & in ea administranda heroïco facinore te commenda. Magno antagonistæ te Deus juvenem & corpore infirmum committit, ut ante oculos habeas, non tuis viribus, sed Divinis pugnandum. Iam periculorum magnitudine, jam vocationis tuæ sorte, jam dæmonum insidiis dignos animos cape, & IESVM ducem patiendo sequere.* Ad hæc Castillius cùm ostenderet JESV comite se nullum periculum formidare, ab amplexu Gonsalvii divellitur, relinquiturque solus velut ovis inter lupos. Nec defuit optimo patri statim initio tolerandi materia, de qua re sic fermè ad Didacum Boroam scripsit. *Dici vix potest*, inquit, *quanta virtus in excolendis Barbaris requiratur. Quadringentæ jam ferorum hominum familiæ convenêre, quorum aliqui tentare constantiam meam cœpêre, sed Deo juvante nullo ferocitatis ostentamento adducar, ut à recto tramite deflectam. Utinam quod abundè est virtutis in Rocho Gonsalvio, mihi itidem sufficeret, tum iis regendis impar non forem.* Hæc Castillius. Sed Rochus Gonsalvius ad Tabatium fluvium Urvaicæ itidem influentem vocatus, reperit ad ejus ripas aliud oppidum (uti deinde factum est) construi posse: quocirca Tabativiensibus promisit instructorem de Societate missurum, cùm Socii suppeterent.

Joannes Castillius oppido præficitur.

Quadringentæ familiæ reducuntur.

CAPUT XXI.

Apud Caaroënses Sanctorum omnium colonia fundatur.

TANTAS res agenti nuncium adfertur, decem de Societate Sacerdotes recèns ex Europa advectos adverso Paranâ navigare, nec procul abesse. Hoc opportuno auxilio lætus, Itapuam celerrimè properat, quò, eodem fermè temporis momento, ipse & novi hospites convenere: quos omnes incredibili jucunditate amplexus, variis ludorum spectaculis ab Neophytis aliquamdiu, gratulationis remissionisque ergò, recreari voluit: deinde monitos quemadmodùm cum Indis se gererent, unos in Paraquariæ metropolim, alteros in Guairaniam, quò amandabantur, dimisit. Franciscum Clavicum & Antonium Palermum abs se sata culturos Urvaicam ire jussit. Adrianus Knudius loco Alfonsi Rodericii in Caaroënsium Sacerdotem destinati Itapuæ relictus est: quo post varia & difficilia itinera in sociũ assumpto,

Subsidiarii socii.

Caaroënsis regionis descriptio.

Gonsalvius per Iivisenses Caasapaminiensesque iter circumflectens, tandem pridie Calendas Novembris Caaroënsium regionem attigit. Hæc regio ab Urvaica ad Mediterranea tendentibus, emensis decem circiter leucis, occurrit, nuper aliis excultis terris nulla in re dissimilis, nisi quòd aliquanto populosior videretur; nec admodùm præter vicinos populos celebraretur, nisi turpi facinore, & deinde facinoris expiatione, se fecisset memorabilem. Insignis causa erat, cur ea citiùs, quàm aliæ regiones, Christo subjicienda putaretur: nam Caaroënses Caasapaminiensibus, hi Iivisensibus, Iivisenses verò Piratiniensibus contermini sunt: & Ibitiraquani solo Urvaicâ à Piratiniensium agro sejunguntur, sperabaturque fore, ut hi populi, apud quos Socii oppida fundaverant, velut serie concatenati suâ, se vicinitate contra hostes defenderent, & facilem ascensum præberent ad eas terras adeundas, quæ inter Urvaicam & mare Athlanticum interjacent. Ergo postridie quàm ad Caaroënses sylvas Gonsalvius & Rodericius appulissent, & frequentes Casiquii ex condicto cum Guarabaio ad designatum oppido locum convenissent, erectâ solemni ritu Cruce, Caaroënse oppidum templique aream debitis cerimoniis Sanctis omnibus, ipsis Calendis Novembribus, consecrant, Magistratum constituunt, infantes primo Sacramento expiant, adultos nostris Mysteriis imbuunt, domum templumque construere incipiunt, denique rem insigni dæmonis invidiâ dignam magno conatu urgent.

Infantes baptizantur.

CAPUT XXII.

Barbari in necem Sociorum cõspirant.

SED dæmon tot sibi illatis damnis frendens furensque, & ab regione tot retro sæculis abs se infesta exulare renuens, omnes machinas movet ad se tutandum, hostesque suos deturbandos: quod ut assequeretur, commodis favoribus usus est. Ex Sancti Xaverii Neophytorum nostrorum oppido transfugerat Potirava, vir ad quidvis audendum temerarius, in avita superstitione pertinax, Niezuvio in multis similis, nisi quòd tum Sociorum odio flagraret magis, Alfonso Aragonæ præcipuè infensus, in cujus necis occasionem jam ab anno intentus erat. Is clam Niezuvium adit, captatâque barbaro exordio benevolentiâ, sic hominem, suoptè ingenio ad quamvis atrocitatem satis inclinatum, in Socios omnes exasperat. *Vides*, inquit, *ô Niezuvi, quæ conditio vitæ tuæ futura sit, ni tempestivè in libertatem te vindices: nam postquam populares tui in unius Sacerdotis jus concesserint, ita vilesces, ut vix latum unguem à vulgi conditione abesse videaris: renuente Sacerdote advenâ nemo imposterùm jussa tua capesset, ab illius tu nutu pendebis ceu turpis clientulus. Iam verò quis satis ferat concubinarum tuarum gregem ab tuo sinu, Sacerdotis jussu, avelli, ut eas vilibus homunculis, unâ tantum tibi relictâ vetulâ, in opprobrium potentiæ tuæ, pro arbitratu suo dividat, téque rerum machinatorem vili plebeculæ exæquet. Exere ergo pristinâ conditione novos animos, & dum res adhuc integra est, opprimamus pauculos, ne pauci multos nos opprimant. Paucorum conjuratione res maximæ peragi potest; Patribus enim de medio sublatis, iterum adstruetur tuæ potentiæ authoritas, & concubinarum grege, quem Christianæ leges relinquere imperant, tutum tibi & palam frui licebit.* Placuit superbo & spurco homini Potiravæ oratio. Igitur conjuratione conceptâ, Niezuvius significat velle se Sacerdotum sanguine suam in iis admittendis levitatem expiare: quod consilium fortuito casu maturatum est. Nam cùm adolescens Indus apud Joannem Castillium domi nostræ educatus vicina oppido loca temerè perambulans in Niezuvii scortorum latibulum incidisset, hominem eventilatis spurcitiis diutiùs se abuti non posse existimantem exacerbavit magis; qui statim assumpto capitis redimiculo, & Ariolorum usitato è plumis paludamento, popularium suorum concionem vocat, ad quam ex abrupto quasi phanaticus sic vociferatus fertur. *Ergo*, inquit, *mihi rerum mirandarum patratori famosissimo, servitus deinceps serviendâ est? Ergo ego ab nutu pauperculi advenæ imposterùm pendebo? & avitum jus in mulierum pulcherrimas mihi adimetur? non ita, si me mea clava adjuvet. In animo est tanto malo obviam ire, ne continuatione sine remedii spe invalescat. Caput mali amputandum est, ut cætera membra decidant. Rochus ille Gonsalvius, qui dicendi vi gentilium nostrorum animos quoquò lubet trahit, de medio primùm tollendus est, deinde reliqui opprimendi. Hæc menti meæ ineluctabilis stat sententia, cui nisi assentitis, terrâ relictâ ad cœlos evolabo,*

Potiravæ conditio.

Oratio.

Niezuvii conspiratio.

elementa

elementa omnia inter se committam, procellas commovebo, corporum & segetum pestes accersam, tygres & feras in vestram ruinam armabo, mala denique omnia creabo. Cùm sic partim à lubentibus, partim à timentibus, elicuisset consensum, Cuniaraquam Casiquium ex omni multitudine sevocat, & conjurationis promovendæ ergò ad Caaroënses amandat, cum mandatis, ut simulatione maximâ Caarupe & Caabure Casiquios, patrandis sceleribus aptos adeat, referatque conspirationis causas, & suo nomine imperet, ut Rocho Gonsalvio & Alfonso Rodericio de medio sublatis, pergant ad Petrum Romerum trucidandum: se interim intenturum in mortem Joannis Castillii & Sociorum Piratinienssium. Addat ab Ibitiraquanis & Paranensibus ex condicto Socios omnes esse mactandos. Cuniaraqua ad Caaroënses pergens cum his mandatis, ita totam rem præstitit, ut Caarupe & Caabure conjurationem statim approbarint, opem Niezuvio spondentes: adeò non difficiliter scelerati in bonorum ruinam conspirant.

Caaroënses sollicitantur.

CAPUT XXIII. Rochus Gonsalvius & Alfonsus Rodericius mactantur.

INTERIM Rochus Gonsalvius conspirationis ignarus, decimâ-quintâ Novembris summo mane ad Petrum Romerum rescripserat, Caaroënsium res feliciter promoveri; & si suppeterent ferramenta ad alliciendos muneribus populos, quingentas familias in album referri posse. Hoc scripto Sacrum peregerat, ritéque gratiis actis omnes Indos adesse jusserat, ut ex ingentis ligni summitate campanam, doctrinæ Christianæ & sacrorum Ministeriorum tempora designaturam, appenderent, appensamque erigerent. Sed Caarupe in opportunitatem parricidii intentus Barbaros ab se subornatos, tanquam ad Gonsalvii jussa capessenda pergerent, secum clam armatos ire jubet, & dissimulanter omnia agere, donec Marangoæ tortori abs se designato nutu parricidium imperaret. Jam omnes convenerant, & Rochus Gonsalvius Carne & Sanguine Christi saginatus optima hostia futurus, operi accinctus, ad obligandam fune campanæ lingulam se inclinaverat, cùm Caarupe, invitatus opportunitate inferendi vulneris, oculorum nictu Marangoæ scelus mandat, qui clavam saxo capitatam in caput Patris optimi toto nisu vibrat, & uno ictu cerebrum è cranio extundit, exanimatque: diffractum caput alter repetitâ clavæ impulsione penitùs conterit. Mox omnes inconditis clamoribus aëra, lymphaticorum in morem, complent: diceres fateri velle immensis ululatibus dignum facinus se edidisse. Exciverant hi clamores Alfonsum Rodericium, in non remota cella quotidianæ precis pensum persolventem, & jam parabat ipse pedem è cubiculo efferre, de novitate percunctaturus, cùm ostium parricidæ obsident. Primus insilit Areguatus, insignis veneficus, idemque Divinitatis phantasticæ usurpator, Caarupæ germani fratris jussu, qui subito brachiorum amplexu Rodericium ligans, mandat, ut feriatur. Nec mora sicarii clavas rotant, vibrantque. Sed Rodericius, quamquàm inter turbam & ictus piè anhelans, volebat ibi victima cadere, ubi Sacrificium offerre consueverat: verùm erumpentem, nitentemque ad templum pergere, sicarii ultrà progredi non passi, alteris clavæ rotationibus prosternunt, donec constaret etiam exspirasse.

Rochi Gonsalvii mors.

Et Alfonsi Rodericii.

CAPUT XXIV. Gesta post utriusque necem.

UTROQUE extincto longus clamor dissonusque editus est, unis de facinore exultantibus, alteris (nam non omnes conspirârant) tristissimum ejulatum in commiserationis confessionem tollentibus. Parricidæ, nondum satiato furore, cadaveribus insultant, Rodericii corpus lumbis tenus truncant, crus evellunt, vestibus detractis, iteratis vulneribus utriusque membra deformant, denique circum templum ignominiosâ circuitione protracta, igne in ipsum templum injecto, flammis tradunt, Sacra omnia profanant, aram in frusta minuunt, calicem perfringunt, cerimoniarum codicem minutim concîdunt, intemeratæ Virginis effigiem, quam Rochus Gonsalvius expugnatricem populorum vocitare & ad nova oppida fundanda secum portare solebat, dilacerant, Christi Cruci affixi icones duas refixas in ignem mittunt. Felices in eo generosi Athletæ, quòd eorum manibus morerentur, qui JESV & MARIÆ æque ac sibi essent infensi. Misso post hæc de utriusque nece ad Niezuvium nuncio, Barbari omnes ad parricidale convivium dilabuntur.

Parricida cadavera deformant.

Sacra profanant.

Ubi cùm se quisque de scelere jactaret, & tandem avitarum superstitionum compotationumque & luxuriarum importunum castigatorem periisse exsultanter vociferaretur; ausus est senex, Guarobaii Sociorum amantissimi tum absentis socer, quamvis nondum Baptismo initiatus, insolentes arguere, & exprobrare parricidis atrocitatem, qui hospites omnibus utiles, nullis nocivos & inermes, non habitâ hospitalitatis & beneficiorum ratione, crudeliter trucidassent. *Quæ insania*, inquit, *hæc est de summo scelere triumphare, & ac si rem bellissimam feciss etis, immaniter exultare.* Simul hoc dixit, simul parricidæ, factum suum sceleris nomine sugillari non ferentes, in optimum senem irruunt, & tanquam in sacrilegi parricidii appendicem mactant dilaniantque. Quid obstat, quin Anonimum hunc senem, adauctum nuncupemus? quem verosimile est quodam entheo spiritu, aut haustâ divinitùs flammâ impulsum, ut castigaret verbis sceleratos, & mortem admitteret, quæ eum Baptismi cruenti stolâ decorum Patribus suis in Cœlum assumptis adjungeret. Stimulante adhuc odio, parricidæ adolescentes duos, Rochi Gonsalvii in Sacris ministros, rapiunt, deliberantque an in utrumque violenter agerent. Ex quo consilio sic discessum, ut eorum prævaluerit opinio, qui assererent popularibus suis esse reddendos, ne in se Paranenses exacerbarent. Unus ex his adolescentibus ausus est in vinculis parricidas recenti adhuc furore calentes acriter objurgare, minarique servitutem. Alter sacri Olei vasculum è manibus sacrilegorum eripuit: adeò nihil timet legitimo & pio dolore instigatus animus. Ambo ad suos remissi magno adjumento fuere parricidii seriem sedulò indagantibus.

Catechumenum mactât.

Adolescentûm fortitudo.

CAPUT XXV. Rochi Gonsalvii cor portentosè loquitur.

BARBARI sequenti die, edormitâ crapulâ nihilo temperantiores, ad parricidii locum turmatim se conferunt, ubi diligenter omnia scrutantes, ignem truncis cadaveribus mitiorem fuisse reperiunt quàm volebant. Interim accidit res mira dictu: quippe Rochi Gonsalvii cor ex ipso cadavere gravi & articulatâ oratione in hunc modum carnifices perstrinxit. *Occidistis*, inquit, *me vestri amantem: occidistis corpus meum, & ossa mea confregistis, non spiritum, qui jam inter Beatos regnat. Ob id magnæ vos manent calamitates, nam filii mei* (Neophytos intelligebat) *injuriam Dei Matris Imagini illatam ulturi convolabunt.* Unanimes hoc asseruere auriti & oculati testes captivi, quorum aliqui addidere alias voces ex eodem corde fuisse auditas, quæ dicerent, se illis denuò adfuturum opemque laturum: adeò nihil vindictæ spirant Martyres in suos occisores, etiam post mortem benevoli. Prodigii raritas non mansuefecit, sed exasperavit obstinatos. Quare Caarupe Marangoæ tortori rursum mandat, ut Rocho pectus aperiat, scruteturque unde unde voces emittat. Is dissecto pectore cor cùm eripuisset: *Illo illo*, inquit, *præstigiator loquitur*, continuatoque furore sagittam, ferro cuspidatam, in illud collimat, transadigitque: reliqui ignem sopitum resuscitant, in quem lacerata corpora iteratò projiciunt immaniter exultantes.

Sagittâ transfigitur.

CAPUT XXVI. Sociorum occisorum cadavera recuperantur.

DUM hæc aguntur unus ex adolescentibus Paranensibus, quos ad suos parricidæ remiserant, ex itinere ad Caasapaminienses delatus, Petrum Romerum de carorum Sociorum nece docet: quo audito nuncio Caasapaminienses, pro more gentis, horribili primùm silentio, deinde intercalaribus ejulatibus intemperanter in luctum effusi sunt; donec incalescente dolore & in iram jam vergente, ab Romero vindictam sibi permitti postularent. Romerus vindictam quidem dissuasit, sed rem sibi gratam Christianoque nomini decoram facturos significavit, si ad recuperanda occisorum Sociorum corpora pergere auderent. Nec mora Mbacaba, vir inter suos nobilis ducentos circiter homines ex omni multitudine selectos armari jubet: ad quos, *Eamus*, inquit, *& cum vitæ nostræ periculo eorum cadavera dedecori subducamus, qui mortem non timuere, ut animos nostros excolerent: eorum exuvias ab parricidis vindicemus, qui nos à dæmonum servitute vindicatum venêre.* Monenti verò Romero, ne cadaverum fœtore ab pio munere deterreri se permitterent, unanimes respondere, genuinos filios non abhorrere ab carissimorum parentum fœtidis cadaveribus: quo dicto militum more iter arripientes, eodem quo discesserant die, ad

Barbarorum erga instructores amor.

necis

necis locum, parricidis ad rura dilapsis, vacuum deveniunt, raptimque, antequàm ab rusticatione redirent, ex sopito jam incendio semiustulata Sociorum corpora educunt, atque eo quo venerant ordine, frendentibus nequicquàm parricidis, diuque insequentibus, opima spolia reportant. Romerus, evaporato utcumque dolore, laudavit reduces, qui fidem in vindicandis sacris exuviis heroïco facinore rei Christianæ se probaverant. Cùm verò allata cadavera sigillatim exploraret, reperit inter semiustulata truncataque membra cor Rochi Gonsalvii sagittâ transfixum nihil igne læsum; ut sentires nihil nostrum ignem in cor cœlestibus ardoribus ignitum potuisse. Mox rudi pro tempore utrumque cadaver lipsanothecæ illatum est, donec cultiùs componerentur.

Cor Gonsalvii ab igne illæsum servatur.

NON diu pòst Caarupe parricida, trecentorum hominum instructus acie, repentinus Caasapaminiensibus adest; Petrum Romerum, quem ob cœlibem vitam per ludibrium vetulam vocitabat, de medio sublaturus. Municipes pro more rusticatum iverant, solique aderant juvenes decem, qui seniculo quodam duce arcubus & sagittis instructi contra confertam hostium aciem progredi ausi, adeò fortiter se gesserunt, ut illorum impetum detinuerint, arcuerintque, donec, concurrentibus jam ex rusticatione Caasapaminiensibus, in fugam omnes, non sine suorum clade, nullo ex nostris desiderato, verterentur. Cui rei magnum momentum attulit ipse Romerus, qui pro tuendo grege determinatâ morte in equo cum duobus aliis Neophytis equitibus prodiens, ita terruit parricidas, ut fortitudinis miraculo attoniti frendentes furentesque, quod à vetula (ut aiebant) & paùculis adolescentibus reprimerentur, tentare secundum impetum non ausi sint. Sed frendeant ringanturque amaro opprobrio parricidæ, nusquam tamen efficient, quin juvenes illi Caasapaminienses per omnium ora volitent, qui vix ex barbarie in Catechumenorum Neophytorumque album relati, pro incolumitate advenæ magistri contra populares & amicos suos, contra confertam multitudinem pauculi certo se mortis periculo exponentes armaverunt pugnaveruntque, & ostenderunt Deum per pueros posse quod olim per locustas.

CAPUT XXVII. Petrus Romerus ad necé quæritur.

Caasapaminiensium Adolescentium fortitudo.

Barbari terrentur.

PAULÒ antequàm hæc gererentur, hoc est, postridiè quàm Rochus Gonsalvius & Alfonsus Rodericius occisi sunt, Niezuvius, de eorum nece nuncio accepto, ferociter exultans, plumarum amiculo & reliquo horrendorum rituum ornamento se vestiens, eodemque cultu unam è concubinis ornari & se sequi jubens, popularium concionem vocat. Nox erat cùm frequentissimi convenere. Quare tenebrarum & multitudinis opportunitate usus, omni circum igne extincto, postquàm horrendum nescio quid in gutture turbinasset, identidemque inani ex cucurbita crepitaculum agitasset, & diu lymphaticas vociferationes intercalari silentio distinxisset: tandem horrore omnibus concussis, his fermè verbis Joannem Castillium de medio tollendum pronunciat. *Adeste tygrides, adeste, & in authorem opprobrii mei ungues dentesq; acuite; cur pigritatis? Etiam vos fascinavit advena? etiam vos rebellatis? Vestram fidem appello quotquot adestis, ô viri, quam si obstinatè denegatis, statutum mihi est ad astra revolare, & omnia elementa in vos armare, perdereq; pertinaces. Ite & opprimite Sacrificulum advenam, pueros incantationibus allectos abluentem, jusq; meum in fœminarum præstantissimas impudenter denegantem.* Approbato furore, Potirava, & Quaraibius Niezuvii socer, delectu parricidarum habito, sceleris patrandi tempus & locum indicunt, dissimulanterque, ne præda elabatur, omnia agi imperant. Eo tempore commodùm parricidis accidit, ut nonnulli Ethnici religioni Christianæ nomen daturi ad oppidum venirent, quibus secum assumptis, ubi illuxit, Joannem Castillium domi Deum orantem adeunt, dolosè postulantes, ut religionis candidatos in album relatos velit pro more munusculo aliquo donare. Castillius advenas benevolè admissos in catalogum refert, largéque donat; quibus rebus intentum, suique incautum, parricidæ à tergo invadunt, lacertos fortiter ligant, colaphis & fuste cædunt, contumeliis onerant, fatuum appellant, è pede raptatum prosternunt. Tum ille, *Si*, inquit, *ob ea munuscula, quæ impertior,*

XXVIII. Joannes Castillius trucidatur.

Niezuvii debacchatio.

Parricidarum simulatio.

Joannis Castillii supplicia.

in

in me ſævitis, omnia mea habetote, & me in mancipium veſtrum ſervate. Ad hæc Barbari: *Non te*, inquiunt, *nec tua, ſed exitium tuum, Sociorumq; per Paranæ & Vrvaicæ littora ſparſorum quærimus: peribunt, peribunt omnes novæ ſuperſtitionis antiſtites: jam Gonſalvius & Rodericius pœnas inſigniter dedêre, te ſublato, pergemus ad trucidandum Aragonam.* Caſtillius audito Alfonſi Aragonæ nomine, poſtulat ad eum conferri, ut coram & in ejus conſortio mactaretur. Cùm non impetraret, & jamjam moriendum eſſe tumultuosè inclamaretur: *Non moriar*, inquit ille, *ſed animus meus poſt tormenta æternùm vivet.* Sic loquentem oblongo fune vinciunt, & pœnè nudatum extra oppidum per ſpineta & torrentium ſaxeta, per aſperos terræ hiatus, inter amaros jocos inſanosque clamores protrahunt. In itinere ſæpè faciem enſe feriunt, corpus ſagittâ tranſadigunt, oculos & alias corporis partes telorum euſpidibus pungunt, per intervalla Tucandâ Niezuvii ſervulo ventrem fortiſſimi athletæ clavâ immaniter pulſante. Tandem multâ ſanie & obvio luto deformati caput lapidibus obruunt, donec conſtaret etiam obiiſſe. Sacrum cadaver inter nova verbera & debacchationes, ut tygribus noctu eſca fieret, in ſylvas parricidæ rapiunt; domumque, quaſi re bellè geſtâ, Niezuvio perpetrati facinoris ſeriem narraturi redeunt.

Mors.

CAPUT XXIX. Geſta poſt Joannis Caſtillii necẽ ab Niezuvio.

Niezuvius Infantes rebaptizat.

Templum combuvit.

NIEZUVIUS iteratâ carnificinâ lætus, occiſi Caſtillii Sacerdotalibus veſtibus, tanquam ſpecioſæ victoriæ ſpoliis, ſe induens, ſimulque aſſumpto veteratoriæ ſuperſtitionis amiculo, multitudine adeſſe juſsâ, vociferatur: non eſſe jam cur agrorum vaſtationem vererentur: jam tutò poſſe majorum more quotquot vellent uxores ducere: occiſo Sacrificulo, Divinitatis authoritatem ſibi rurſum aſſertam eſſe. His dictis, ad contemptionem Baptiſmi baptizatos pueros jubet ad ſe adferri, & tanquam exauthoratos de ſacro gradu deponere poſſet, calidâ aquâ eorum capita lavat, ſanctum Chriſma eluit, ne exorciſati ſalis myſterium remaneat, linguas ſabulo fricans, conchâ aſperâ abradit; neſcius primi Sacramenti caracterem deleri non poſſe. Mox velut exauthoratos aliis ritibus initiat: expunctis Chriſtianis nominibus vetera reſtituit: fingit neſcio quem humorem clandeſtino artificio è corpore ſuo dimanare, quo ad denuò (ſi Superis placet) baptizandos reſecrandosque utitur: infantium matribus mimo præſtigiatori, non ſine tripudio, applaudentibus. Secundùm id, templo priùs combuſto, cæteraque ſupellectile direptâ, Niezuvius popularibus ſuis ad reliquorum necem animatis, in proximè ſequentem diem ad Alfonſum Aragonam & Franciſcum Clavicum, apud Piratinienſes curantes, occidendos profectionem indicit.

CAPUT XXX. Parricidæ ad occidendos Piratinienſes Socios convolant.

Parricida furunt.

Socii fugere cogũtur.

Teſtum è palea ab igne portento è ſervatum.

SED jam eò pervaſerat fama conjurationis, & Socii Piratinienſes ad ritè admittendam pro Chriſti cauſa mortem incruento Sacrificio piisque animi affectibus ſe diſpoſuerant. Indi verò quamvis numero pauci (nam multitudo ad ruſticationem defluxerat) pro propulſando ab inſtructoribus ſuis mortis periculo conſilia conferebant. Quibus in rebus dum ſunt, ab vigilibus nunciatur non procul abeſſe Niezuvianæ factionis perduelles, inconditis clamoribus & pictis ad conciliandam formidinem corporibus extrema omnia minitantes. Patribus lubebat in ipſo templi veſtibulo mortem, multis votis expetitam, piè præſtolari, nî obſtitiſſent Neophyti Piratinienſes, glorioſam Patrum ſuorum necem ſibi doctrinâ impoſterùm caituris damno fore conteſtantes. *Non vos*, inquiebant, *ad Martyrii palmam differendam ſollicitaremus, niſi certò ſciremus cum noſtra pernicie fore conjunctam.* Simul his dictis ad proximæ ſylvæ latebras abripiuntur magis, quàm abeunt. Interim perduelles circiter trecenti, pauculis Neophytis Piratinienſibus nequicquàm reluctantibus, Divi Nicolai oppido potiuntur; Aragonam & Clavicum ad mortem quærunt; in eorum templum & domum turmatim invehuntur; omnia indagant; in parietes & tecta ſæviunt; ardente maximè Sole ſub meridiem, menſe Novembri, hoc eſt æſtivo hîc tempore, in templi culmen aridâ paleâ contectum ignem injiciunt: cùm non arderent paleæ, Joannis Caſtillii librorum folia, quibus criſtarum in vicem ornabantur, ex capitibus ſuis detrahunt, inflammataque applicant paleis; ſed nihilo

ſeciùs

secius paleæ, non concepto igne præter naturam, Deo vim flammæ interdicente, illæsæ perseverant. Insolentia miraculi non placavit perfidos, qui perversis interpretamentis rem miram elevantes, etiam quàm antea ferociùs institêre: actumque de re erat, nî è villis evocati Piratinienses quamplurimi pugnam redintegrassent; in qua sexdecim ex hostibus cecidere, plures vulnera acceperè, reliqui fugêre, nullo à nostris, præter pauca & levia vulnera, accepto damno.

Parricidæ fugantur.

CAPUT XXXI. Iivisenses castigantur.

INTEREA Alfonsus Aragonæ & Franciscus Clavicus, magnâ rerum inopiâ, ad Conceptionis Ibitiraquanorum oppidum, coacti fugiebant, quò jam volaverat fama Niezuvianæ crudelitatis, & Didacus Alfarus convocaverat ad consultandum oppidi primores: quorum Dux Nicolaus Nienguirus: *Nullum proderit*, inquit, *ô pater, præter citata arma consilium, citò prævertendæ sunt hostium machinationes, ne nos in consiliis captandis cunctabundos opprimant. Equidem de me meisq; affectis sic existimari velim, uxores cæterasq; necessitudines non priùs revisuros, quàm hostibus repressis, carorum magistrorum necem copioso parricidarum sanguine expiaverimus.* Nec plura effatus, ducentos è popularibus suis armari & se sequi jubet, beneque animatos ad tutandos Provinciæ fines, in Piratinienſem agrum deducit, satis se factorum putans, si nominis sui authoritate hostem remoraretur, donec longinquiora auxilia convenirent. Interim, audito ab cæteris Sociis per reliqua oppida de Rochi Gonsalvii & Rodericii nece nuncio, inter mœstissimos Indorum ejulatus ubique trepidatum est. Augebat metum sparsus ab hoste rumor de reliquorum oppidorum in omnium Sociorum necem conspiratione. Singuli de absentium Sociorum periculo magis, quàm de proprio, angebantur, verentes ne gravius aliquot malum inopinatis exurgeret. At ubi cognitum est Joanni Castillio illatam etiam esse necem, & ab Niezuvio ad belli Societatem sollicitari Ethnicos mari Athlantico obversos, ut reliquas res Neophytorum labefactaret, aucta in immensum per cuncta oppida trepidatio est. Quare novi nuncii in Hispanorum urbes atque Indorum pagos longè latéque dimissi sunt, qui nostrorum militum paucitatem, & hostium numerositatem, periculique magnitudinem prædicarent: & quanta esset celerandi necessitas, atque quantum Sociis omnibus immineret discrimen, si se interiores populi Niezuvio conjungerent, demonstrarent. Interim militum manipulus ad Caasapaminienses transmittitur, qui Petrum Romerum, hosti maximè vicinum, periculo subducerent. Sed Caasapaminiensium primores ejus discessum prohibuere, affirmantes se coarcere non posse, nisi vellent Neophytos omnes, Catechumenosque, ad latebras suas, pastore destitutos, postliminiò redire. Si remaneret, denuò facturos objectu corporum, ne aliquid grave ei accideret. Cedendum petentibus fuit, ne quid in benè meritos peccaretur. Inter has res, exploratores tres in manus venêre: factoque examine repertum, eos parricidii participes fuisse, & animo hostili venisse, ut nempe Quaracipucutium, inter Ibitiraquanos primæ authoritatis Casiquium, ad Niezuvii partes consanguinitatis titulo pertraherent. Aderat tum inter milites Quaracipucutius, qui interrogatus ab Didaco Alfaro, quid cum talibus cognatis suis agendum vellet, respondit in eorum acta ritè inquirendum, &, si nocentes essent, nullam suæ cognationis habendam esse rationem; nullum enim se veræ Religionis hostem inter affines suos imposterùm computaturum. Quare Didacus Alfarus ab exploratorum præcipuo arma deponi in experimentum jubet: sed ille ferociter resistens, pede retracto, sagittam arcui aptavit, in Alfarum collimaturus, nisi ab circumstantibus repressus, vinculis oneratus fuisset. Octingenti jam milites convenerant, quibus copiis Niezuvium adhuc imparatum, & Iivisenses in campum progressos, lacessere placuit. Iivisensi in oppido duos tantùm ex hostibus reperere; ab quibus Antonius Bernal, Societatis nostræ adjutor, eò se duci voluit, ubi Joannes Castillius occubuerat. Quò cùm perveniſſet, Neophytus ex ejus comitibus unus repentinâ irâ incensus, exprobrato captivis illis parricidio, clavam elevans, en ait, per acerbam ironiam, en clavam & alium de Societate Religiosum, feri si audes: sed ante, hoc habe. Simul hoc dixit, in pectus & caput captivi clavam iteratò impingit: & actum erat de homine, nî Antonius noster ex equo de-

Exploratores capti.

Didaci Alfari periculum.

Neophyti in parricidas indignatio.

Cadaver recuperatur.

Tiviſenſes vincuntur.

siliens, represso ferociente, tertium ictum divertisset. Mox piè veneratus Castillii exuvias, quòd sindon deesset, talari se veste exuens, sacrum pignus semiustulatum eâ involvit, & ad Piratinienſe oppidum reportat. Sequenti mane nostræ cohortes in conspectum hostium venêre, à quibus cùm Niezuvium & reos sibi tradi per internuncios postulassent, si pacem mallent quàm bellum, nullum præter tela responsum accepere. Quarè tanto impetu invecti sunt, ut momento fermè temporis, fusis fugatisque hostibus, victoriam cum multorum clade obtinuerint. Ex nostris tres tantùm desiderati, triginta citra periculum vulnerati. Niezuvius primus ante pugnam fugiens, rate ex arborum ramis confectâ, cum paucis comitibus, Urvaicâ transmisso, eousque per varia loca profugus latuit, donec post aliquot annos in latronum manus incidens, furoris sui pœnas lueret: etiam in miseria sua diu formidabilis, quòd ejus conditio ignoraretur. Imbellis multitudo omnis sine spe restaurandi oppidi victoribus cessit. Niezuvii villas, quas cum concubinis numero pares habebat, flamma absumpsit.

CAPUT XXXII. De Caaroën sibus vindicta sumitur.

Emmanuël Capralis auxilia adproperat.

De cæteris auxiliis.

POSTQUAM justæ iræ utcumque litatum est, Nienguirus in Piratinienſem agrum victores reducens, reperit nova convenisse auxilia: nam Emmanuël Capralis Alpoinus, nobilis Lusitanus, Hispanorum manipulum suis sumptibus publicâ authoritate ex Sancti Joannis urbe octoginta leucis distante conduxerat, & ex Indorum oppidis Divi Franciſci familiæ subjectis Frater Gregorius Osuna, vir apprimè pius, ducentos Neophytos & totidem Joannes Gamarra, vir immortalitate dignus, in Sociorum tutelam miserat. Ex remotioribus verò Neophytorum nostrorum coloniis Arapisanduvius, & alii Casiquii, non contemnendam manum adduxerant. Ad quas res conficiendas non parvum momentum attulerat Didaci Boroæ Assumptionis Rectoris authoritas, qui frustra tentatis Paraquarienſium Hispanorum animis, ipse per se recensita auxilia contraxerat, & magnis itineribus, consilii conferendi ergò (nam vices Provincialis absentis gerebat) Piratinienſibus se adjunctum venerat. Vigesimo Decembris Emmanuël Capralis, reliquorum Dux, copias omnes ad Caasapaminienſes, ubi Petrus Romerus periclitabatur, celerrimè deducit. Nec sine providentia Numinis celeritas fuit: nam altero quàm venerat die, Caaroënses parricidæ numero quingenti, nihil nostrarum copiarum conscii, in Caasapaminienſem agrum descenderant, & jam insolenter imminebant oppido, cùm nostræ cohortes ex improviso eductæ, tanto perduellibus, ad conspectum præsertim Hispanorum equitum, terrori fuere, ut post primum incursum, secundum insultum non tulerint, ad proxima nemora tumultuosè se recipientes: quibus hinc Capralis Alpoinus, hinc Nienguirus magnam cladem intulere. Multis fugâ dilapsis, quinquaginta captivi in potestatem venêre, inter quos Caabure & Caarupe, necnon alii insignes parricidæ. Altero mane militari ordine progressi, Caaroënsi oppido potiti sunt. Ibi statim de supplicio reorum actum. Multitudo censebat in omnes animadvertendum: pars senior pronunciabat rebellionis capita solummodò esse amputanda. Societatis sententia mitissima erat, nolentis suas injurias sanguine aut nimium justè ulcisci. Sed Capralis Alpoinus ita rem totam moderatus est, ut omnibus aliquid concessisse videretur: nam latâ in parricidas omnes capitis sententiâ, duodecim tantùm ex omni numero delegit, qui, quid alii mererentur, ultimo supplicio ostenderent. Caabure & Caarupe, conjuratorum primi, laqueo vitam finiere. Marangoa, Rochi Gonsalvii interfector, eo quo scelus patraverat loco, è furca suspensus est. Potirava, conjurationis author, postquàm aliquandiu cum Araguira Joannis Castillii interfectore fugisset, ab ipsismet Ethnicis ambo traditi sunt: de quibus etiam postea sumptum supplicium. Unus Caabure inter blasphemas ineptias, non admissâ Fide Christianâ, expiravit: reliqui primo Sacramento expiati piè mortem admisere. Atque hi ad unum omnes cum reliquis captivis asseruere, causas illatæ patribus necis nullas fuisse, quàm quòd Christianam religionem odissent, & suas antiquitates amarent. Marangoa moriens affirmavit, Rochum Gonsalvium verè post mortem loquutum fuisse, utpotè cujus os, cùm cor loqueretur, contritum convulsumque à corpore

Caaroënſes superantur.

Societatis moderatio.

Parricidæ castigati.

esset.

esset. Sic non frustra cecidit loquacis cordis vaticinium, asserentis, Caaroënses ob patratum facinus acerbas res manere, & pollicentis osoribus suis iteratum auxilium. Humanis judiciis Divina subnectam: neque enim casu factum esse arbitror, ut omnibus & solis Sociorum interfectoribus, antea sanis, postquam capti sunt, fœdæ & maleolentes pustulæ in manibus nascerentur. Sanè Marangoæ manus ita imputruerunt, ut sibi ipse horrori esset. Cujus rei juratos testes ex tabulis publicis proferre possem. Atque hæc omnia documento esse possunt, quàm non lento gradu nobilia scelera prosequatur Divina Nemesis. Nemo ex Neophytis repertus est, qui pro cognatis suis perduellibus judicem oraret; aut mallet condonari magis, quam puniri.

CAPUT XXXIII. Exuviæ occisorum Sociorum in tutum recipiuntur, & honorantur.

CASTIGATIS Caaroënsibus, Didacus Boroa sacras Sociorum exuvias, securitatis & honoris ergò, ad Conceptionis oppidum transportari curavit: quarum oneri, per aliquot dierum iter, milites ex bello reduces, & nobiles Casiquii, sibi invicem succedentes, succollavere: donec Ibitiraquanorum oppido proximis sese obviam effunderet multitudo, & utrimque pompa, ovationi quàm funeri propior, ordinaretur. Præcedebant cum signis victores, post se captivos revinctos trahentes. Subsequebantur Ibitiraquanorum distincti ordines: primus erat puerorum vario plausu & fremitu acclamantium; his succedebant mulieres jussæ continere lachrymas ne mœstitiæ signis memoriam tantæ felicitatis fœdarent. Inde gradiebatur virorum agmen, quos excipiebant gentis primores, & quotquot variam musicam excolebant. Feretrorum latera claudebant nostri Sacerdotes, qui ex multis oppidis confluxerant. Plebs arcubus triumphalibus vias ornaverat, & per justa intervalla festos ignes incenderat, aliaque lætitiæ ostentamenta exhibuerat. Inter hanc pompam sacra cadavera in Conceptionis templum inducta honorifico pegmati imposita sunt. Postquàm pompæ tumultus subsedit Didacus Boroa pro suggestu luculentâ oratione eos laudavit, quibus sepulturæ honos habebatur. Victores appellavit, & in morte felices, qui inter ipsam virtutem defuncti sanguine suo gloriam æternitati consecrarant. Eos dixit Deo caros, & Superis pares, futurosque olim in terris venerabiles, necnon apud supremum Numen Americanorum patronos. Conversus deinde ad Hispanos milites, navatæ operæ gratias egit, monens Deum quidem & bonam famam viris gloriosis optimum præmium esse; sed Societati præterea curæ fore, ut beneficium in non ingratos homines collatum fuisse cognoscerent. Denique in immensum extulit Neophytorum Catechumenorumque virtutem, pro religione contra gentiles suos & necessitudines adeò fortiter pugnantium. Mox ritè compositis sub arâ cadaveribus, & auxiliaribus copiis dimissis, pompa soluta est. Nec uno in loco honor Heroïbus habitus est. Nam in Assumptionis urbe cives & uterque Magistratus, mixtis mœroris & lætitiæ signis, splendidè parentarunt, Rochi Gonsalvii germano fratre Canonico, Ambrosii & Augustini hymnum in gratiarum actionem festivè admodùm insonante. Idem præstitêre nostri & Franciscanæ familiæ alumni, summopere aventes, ut sibi reliquiarum aliquid mitteretur, quas ubique summi viri venerati sunt. Ante eas Paraquariensis Episcopus in genua provolutus sanctè asseruit, se quidem eâ authoritate carere, quâ opus est ad Heroës Divorum albo inscribendos, sed neminem sibi obstiturum, quin privatim eos coleret. Mutius Vitellescus Generalis cor Rochi sagittâ transfixum, ex ipsa Paraquaria dono missum, in cubiculum suum inter sacram supellectilem, non sine commendatione, intulit. Academia Cordubensis Gymnasticis encomiis: Nierembergius panegyri Hispanicâ Latinâque; Ioninus carmine; Ferrufinus Provincialis synopsi Regi Catholico inscriptâ; Alegambe inter illustres mortes elegantiæ elogio; denique Didacus Boroa, ejusdem Provinciæ Præpositus, longâ & accuratâ justi voluminis historiâ nostros Heroës celebrarunt. Mearum verò partium hîc est breviter, quo quisque loco natus sit, & quibus moribus vixerit, posteritati commendare.

Honor funebris.

Panegyri.

Hispani laudati;

Neophyti, Catechumenique.

Socii ubique honorati.

CAPUT XXXIV. Rochi Gonsalvii vitæ tenor & virtutes.

ROCHUS Gonsalvius, ut ex authenticis tabulis constat, in Assumptionis urbe nobilibus parentibus ortus, pueritiam pietatis officiis exercuit: adeò in tenera ætate gravis, ut solo aspectu ab levitate coætaneos coërceret. Adolescentiam disciplinis jabundè excultam innoxiè transegit. Primùm ad aras facienti palmam plebs obtulit in conservatæ virginitatis symbolum, quam Neomysta ex animi modestia gestare renuit. Jam Sacerdoti duorum oppidorum extra patriam cura demandata est. Patriæ subinde restitutus, popularium suorum Ecclesiæ regendæ admotus, summæ integritatis famam adeptus est: quâ permotus Paraquariæ Episcopus, ei suas vices absens demandavit. Verùm dum se ultrò peti ab honoribus videt, quadragenario major Societatem JESU, ubi sciret integris repagulis aditum dignitatibus esse interdictum, ambivit & obtinuit. Adhuc tyroni Guaicuræorum Provincia obtigit, quam cùm majori labore quàm successu administrasset, domandis Paranensibus Præfectus est: apud quos conditis Jaguapuano & Itapuano oppidis, ad Urvaicam translatus, barbaram gentem patientiâ ac fortitudine ita domuit, ut apud Ibitiraquanos, Piratinienses, Jaguaraitienses, Japeivienses, Caasapaminienses, Iliviensis & Caaroënses oppidis fundatis multa millia Ethnicorum ad Christi partes traduxerit. Tandem ob Christi imperium dilatatum, Heroum purpuram adeptus, anno ætatis sexagesimo in cœlesti capitolio triumphum meruit. Vir planè in omni parte vitæ suæ mirabilis, indole placidâ & gravi, ita ut ejus facilitas nihil demeret authoritati, nec innata gravitas ab alloquio mortales absterreret. In suscipiendis pro Christo laboribus piè temerarius; in ferendis planè ferreus. Non tantùm cupediarum, sed etiam necessarii cibi & somni, plusquam decebat perpetuò laborantem abstinens. Orandi studium ardentissimum cum opere externo ita conjunxit, ut alteri dumtaxat, non utrique studuisse videretur. Urvaicensi & Paranensi missioni iteratò & diu præesse jussus, ex emplo potiùs quàm voce moderabatur. Obedientiæ tenax erat, etiam cum dispendio propriæ æstimationis. Altitudinem animi per hæc maximè ostendit, quòd quamvis magnas res pro Dei gloria amplecteretur, nihil tamen arrogatis, nihil superbum præseferret. Lacteâ planè fuit Guaranicæ linguæ eloquentiâ: pro suggestu, quando res ferebat, acrimoniam adhibebat. His virtutibus posteritati & Cœlo se commendavit Rochus Gonsalvius trium votorum solemniter in Societate professus, cujus infinita amplificandæ Dei gloriæ cupîdo, & laborum insatiabilis fames, necnon demissio animi magnitudini par, ita se in omnium opinionem insinuavit, ut passim ab domesticis externisque Sanctus appellaretur.

Parentes.

Virginitas.

Officia.

Gonsalvius septem oppida fundat.

Gonsalvii virtutes.

CAPUT XXXV. Alfonsi Rodericii vita.

AT Alfonsus Rodericius, Zamoræ in Castella honestis progenitoribus natus educatusque, Societati nomen Villagarciæ dedit. Non diu pòst maximè volenti Paraquaria Provincia obvênit. Confecto studiorum curriculo Guaicuræis primùm domandis, deinde Paraquariensibus, Urvaicensibusque ad Fidem & humanitatem convertendis, sedulam operam navavit, donec trigesimo-tertio ætatis anno occumberet. Præter alias animi virtutes sic integritatem coluit, ut, teste Joanne Ferrufino Provinciali, semel acceptam in primo Sacramento innocentiæ stolam nullius gravis peccati labe infecerit. Christo verò pro nobis passo sic afficiebatur, ut cùm ab eodem Ferrufinus percunctaretur, quid esset cur adeò juvenis propè cœcutiret? candidè responderit, eam se pari oculorum defectionem ob quotidianas lacrymas, quas sibi Christi patientis meditatio eliceret.

Innocentia.

Erga Christum patientem amor.

CAPUT XXXVI. De Joannis Castillii moribus.

JOANNES Castillius vultu & moribus amabilis, Belmontanâ in urbe Toletani regni, ditibus parentibus, bene ominato Crucis amatoribus die, decima-quarta Septembris, anno millesimo quingentesimo nonagesimo-sexto, natus, Latinas litteras sub Didaco Boroa, postea Paraquariæ Provinciali, in patria didicit. Adolescens insidiantem pudori mulieri oculam arrepto fuste fugavit. Alios blandiusculis verbis se appellantes, tanquam pudori noxios, verborum & oris asperitate sæpè arcuit. Compluti philosophiæ dans operam, anno 1614, vigesima-tertia Martii, in Societatem cooptatus est. Ma[illegible]driti Religionis tyrocinium notus Eusebio Nierem-

Castitas.

bergio (quem postea Hispanico Latinoque sermone laudatorem habuit) feliciter posuit. Gelidissimis noctibus procul ab lectulo vestes seponebat, ut postridiè per algorem quæritare cogeretur. Nihil de se magnificè loqui auditus est. Omnium amores castissimâ oris venustate & urbanitate ad se alliciebat. Spretis parentum lachrymis, in Paraquariam navigans, triennio integro in Chilensis regni metropoli (In quo regno ejus patruus exercitus Regii instructor erat) latinitatem docuit. Inde in Tucumaniam revertens, Æthiopissam sibi blandientem fortiter abegit. Percurso quadriennali Theologiæ curriculo, & cæteris religionis nostræ experimentis feliciter peractis, ad Urvaicenses missus in plenitudine ætatis, Christi die Veneris, & hora tertia, triumphum meruit. Nierembergius narrat, dum abs se Madrito discederet, in Indiam navigaturus, præsensisse nescio quos animi motus suggerentis venerationem erga Castillium: & exinde nunquam dubitasse, quin magnæ rei amantissimus juvenis cœlitùs destinaretur.

Parentum contemptus.

CAPUT XXXVII. Gualachi excoluntur, & apud eos Conceptionis oppidū fundatur.

SED jam totis remis velisque vertor in Guairaniam, ubi Antonius Ruisius & Franciscus Diastanius, ab superioris anni expeditione reduces, Gualachorum regionem aggressi, inopinatam dæmoni cladem intulere. Regio Gualachorum, quos & Guanianas vocant, inter Taiaobæ terras & Urvaicenses Iguasuanosque populos media, ad usque mare versùs Brasiliam latissimè excurrit. Gens omnis, ut linguâ, sic moribus ab Guaranis differt, cum quibus pænè continua prælia gerit. Numerosior longè foret, nî domesticis se belligerationibus attererent. Ubi enim hydromelle in circularibus compotationibus incaluerint, oblectamento in furorem verso, obviis quibusque instrumentis in sese insurgunt, adeò ferociter, ut multi aut fœda vulnera accipiant, aut animam cum crapula & sanguine evomant. Quæ festivitates cùm sæpiùs occurrant, necesse est gentem omnem numero minui. Mortes augent frequentes magi, venena spargere & incantationibus mactare assueti. Crebrum ipsis est cum dæmone commercium. Venatione potiùs quàm agriculturâ se sustentant. Exiguos pagos non longè abs se invicem semotos incolunt. Nullus ad eos hactenùs Religionis Christianæ ergò itit averat: ventitabant tamen finitimi ad ferrifodinas, quas pauculi Hispani non longè ab Piquirio Paranæ influente exercebant. Igitur cùm Gualachi famâ percepissent magnum Taiaobam, cum quo bellum gesserant, abjuratâ feritate, Religioni Christianæ nomen dedisse, ad Ruisium iteratò nuncium misêre, significantes aliquot pagorum municipes vitæ Societatem, fundato magno oppido, amplecti velle. Ruisius in Incarnationis colonia cum Francisco Diastanio versabatur, cùm id nuncii accepit; quo in socium assumpto, Villaricam difficillimo itinere petrexit. Inde ad Gualachos duo itinera erant: unum, quò per ferrifodinas quinque dierum intervallo ibatur. Alterum, quo adverso Huibaïo per Taiaobæ & campestrium Indorum perpetuò belligerantium terras circumflectebatur: illo Ruisius, hoc Diastanius ingenti cum periculo processit; nam per eas terras ariolis infestissimas nullus hactenùs penetrarat; primusque, favente Numine, feliciter eò perrupit Diastanius. Cui cãpestrium Gualachorum fines ingresso, sexto itineris per solitudinem die, majora pericula se ostentavere: duabus Antropophagorum cohortibus, & non pòst multò majoribus copiis occursantibus, à quorum furore atque aliis discriminibus speciali semper Numinis favore se extricans, ad Gualachorum regionis partem peste infectam pervênit. Ubi ingentem infantium numerum, &, interprete usus, quamplurimos adultos nostris Mysteriis priùs imbutos sacris Undis abluit. Antonius verò Ruisius recto, ut dixi, itinere tendens, quinto postquàm Villaricam discessit die, Gualachorum fines ingressus, grassante peste multis in locis, pluribus etiam capitibus salutares Aquas infudit. His rebus occupato, Chiquitorum trans flumen Piquirium incolentium nuncii occurrunt, unum de Societate JESU Fidei Christianæ magistrum & oppidi metatorem sibi concedi postulantes: quos spe alitos domum remisit, spondens se eò Sacerdotem missurum, dum sufficientes Indi ad conflandum justum oppidum concurrissent. Octo mensibus in peste infectis baptizandis positis, Ruisius & Diastanius tandem ad locum concurrerunt fundando oppido opportunum: quem locum insidebat Cohe

De Gualachorum moribus.

Gualachi Socios expetunt.

Peste grassante baptizantur.

Chiquiti Christiana legis doctores expetunt.

Casiquius, quinque filiorum pater, quorum singuli singulis pagis moderabantur. Præterea multi alii circum viculi novæ fundationi accedere optabant. Igitur magno Barbarorum concursu, erectâ solemni ritu Cruce, oppidi fundamẽta jacta sunt, quod Conceptæ sine labe Virgini solemniter consecrare placuit. Sub hæc initia Curitus, Gualachorum potentissimus, magni nomen apud populares & Hispanos adeptus, Ruisii invitatu cum centum asseclis Socios convenit, spondens se aut in suis terris oppidum fundaturum, aut si juberetur, ad Conceptionis oppidanos adjuncturum. Primum placuit: itaque in patriam cum spe dimissus est: stupentibus Hispanis, simplex Sociorum verbum potentius fuisse, quàm arma sua, quibus desperaverant magnum Curitum aliquando subjugari posse. Post ejus discessum, quòd ad Taiaobæ regionem circumflexum esset iter per Indorum belligerorum terras, Antonius Ruisius indicibili labore per intactas sylvas novam viam aperuit, quatriduo deinceps permeabilem. At Franciscus Diastanius novo Conceptionis oppido præpositus, Gualachorum linguam ad præcepta artis primus reducens, & liminaria doctrinæ Christianæ documenta scripto explicans, futuris temporibus eam Domini vineam exculturis magnam utilitatem attulit. Præterea artes mechanicas, & præsertim fabrilem, quarum notitiam ingenii dexteritate per se indeptus fuerat, exercens, gentem novam ferramentorum æquè egentem ac cupidam sibi maximè conciliavit. Exstructo templo, quantâ potuit pompâ in sepulchrum intulit infantis corpusculum, paulò antè mortem abs se singulari Dei providentiâ in una excursione baptizatum; valuitque pompæ ostentatio ad permulcendos Barbaros, ut vellent deinceps infantes suos sacro Fonti lubenter exhibere. Fatendum tamen est, ex hac gente, ob ebrietatum & furibundorum rituum inveterationem, non admodùm numerosos animorum fructus fuisse perceptos.

Conceptionis oppidum fundatur.

Iter apertum.

Francisci Diastanii labores.

CAPUT XXXVIII.

Guiravera ad Christi Fidem sollicitatur.

VBI Antonius Ruisius ad Taiaobæ terras aperto abs se itinere pervasit, ad Guiraveram novis fundationibus obnitentem, & nova oppida destruere conantem, Christi partibus conciliandum, animum adjecit. In quo superando ea fuit vis adhibenda, ut in ornamentum virtutis permissus videretur, volente JESU Socios suos valido iterum hosti opponere, ut quasi concatenata una alteri triumphorum materia succederet. Nam Guiravera, Antropophagorum ac Ariolorum in Guairania facilè princeps, ob carnis humanæ aviditatem, ab longinquis vicinisque populis tanquam hominum exterminator habitus, Christiani sanguinis præsertim sitiens, omnem posuerat operam, ut Simon Maçeta, ad quem quamplurimos suæ factionis Ethnicos Religionis Christianæ ergò transfugisse intellexerat, in casses ollasque suas incideret. Insuper Casiquiis omnibus, potestatis metu aut ariolandi maleficio sibi adhærentibus, denunciarat, neminem sibi suaviùs blanditurum eo, qui Ruisium laqueis suis irretîsset, assumque suo palato obtrusisset. Huic sævitiæ individua erat superbia, quâ se turpis helluo tum Sacerdotem magnum, tum Guairaniæ totius Ducem appellitabat; cóque vesaniæ devenerat, ut ferociæ suæ vires non aliò, quàm ad avertendos ab Religione Christiana populorum animos, assertâ sibi phantasticâ Divinitate, usurpandas putaret. Ægerrimè ferebant Socii id hominis monstrum rebus veteribus conservandis & novis stabiliendis obstaculo esse. Idcircò eò omnes curas dudum circumtulerant ad investigandum, num quà via infestissimo hosti adeundo mitigandoque patêret. Sed ex variis experimentis ita didicerant, ut nullâ humanâ ope homo dæmonis familiaritate (ut ferebatur) infamis Christianis rebus conciliari posse crederetur: præter spem tamen dæmon suis artibus captus est. Nam cùm ex Ariolorum cadaveribus oracula sua tanquam ex tripode promeret, renovatâ Pytagoræ μετεμψυχώσι, dixisse fertur, Quaracitii, olim ante mortem pro Deo habiti, animam in Antonii Ruisii corpus demigrasse, omnemque Divinitatem suam in eum transtulisse: quâ re pervulgatâ, Ruisius Deus esse & Quaracitii rediviva imago Ethnicorum omnium ore ferebatur. Quæ res præter dæmonis consilium haud minùs emolumenti dempsit Ethnicorum rebus, quàm adjecit rei Christianæ, plurimorum animis eâ occasione ab superstitione aversis; dæmonis dolo in favorem novæ legis cedente. Quippe Guiravera studio incensus

Dæmon dolo suo capitur.

videndi

videndi Ruisii, seu, ut ipse aiebat, redivivi Quaracitii, post nuncios ultrò citróque missos, cum ducentis Indis militariter instructis, magno apparatu se dat in viam. Ubi Divi Pauli apud Inianenses oppido proximus fuit, certum hominem destinat ad Ruisium & Maçetam colloquii conditiones explicaturum. Non expectato tamen responso, ex improviso oppidum ingressus, stentoreâ plusquàm voce suiipsius mendax præco vociferatur, se suæ conditionis oblitum præter morem inpræsentiarum terram calcare voluisse, ut externorum Sacerdotum aspectu frueretur. Hæc & similia deblaterans Ruisium & Maçetam in foro offendit, ab quibus honestè sedentibus jussus est in humili scamno sedere. Sed ille intolerabili fastu, qualem nec mimi in scenis assumere solent, assectis suis imperat, detrahant sibi vestes, scamnumque & subpedale sternant: mox ipse considens, & de feritate supercilioque aliquantùm remittens, solito gentis more Socios salutat; qui vicissim salutem precati, cùm plura de his bonis, quæ Christus nobis acquisivit, addere vellent, ob Barbari inquietudinem, colloquio in opportuniorem tempestivitatem dilato, ab invicem discesserunt. Sed Socii, nullâ arte magis conciliari Barbarorum animos, quàm epulis, experti, duos boves mactant, captatâque lauto convivio, ceu diserto exordio, benevolentiâ, sic deinde Ruisius Guiraveram proditionis metu omnia tuta timentem alloquens, reliquum Orationis pertexuit. *Fustrà*, inquit, *ô Guiravera, insidias eorum times, qui nihil magis, quàm pro augenda Dei gloria mortem oppetere appetunt: vides quantâ simplicitate nos tueamur, inermes inter armatos tuos satellites minimè suspicaces, de lautè excipiendis iis agimus, qui nihil satius habuisse dicuntur, quàm nos suis laqueis irretire, devorareq;. Vni animarum lucro intenti nullorum corporibus hactenùs noxii fuimus, nihil satius habentes, quàm si unius Dei cultus omnium cordibus insinuetur. Hâc spe freti pericula ridemus. Cæterum non te decipiat, ô Guiravera, vani nominis umbra: nam ego & tu mortales sumus, nihil mihi de mendacis oraculi technis usurpo, nec tibi, quàm vanè jactas, Divinitatem attribuo. Ego & tu pulvis erimus è pulvere olim facti: hæc nostra origo est, idemq; finis. Ergo, ô pulvis, detumesce, & tandem disce, quantùm vilis terræ portio ab omnium Conditore differat. Quid te jactas de creato Orbe, qui hactenùs ita te gesseris, ac si ad Orbis pestem natus esse videreris? non hominum creator es, sed destructor; non dignitatum arbiter, sed turpe vitiorum mancipium; non humani generis lætitia, sed vorago, semesa adhuc eructans hominum corpora & aliis inhians: non rerum conditor es, sed ventosum dæmonis sternutamentum. Cæterùm sic habeto, eam esse Dei clementiam, quæ semper parata sit suarum legum violatoribus, si supplices fiant, scelera condonare. Hunc Deum reverere, ni æternùm vindicem sentire mavelis: modò in patriam revertere, ponè te sequemur.* Ad hæc Barbarus, multùm de superbia remittens, ita de se credi volebat, ac si dicta animo imbibisset: sed satis apparebat simulatè omnia agere, temporique servire. Plures ex Casiquiis, qui cum eo venerant, fastum hominis carpentes, nihil se magis velle, quàm Religionem Christianam capessere, ostendebant, clam asserentes, si Socii in patriam suam venirent, plerosque Guiraveræ assecias, deserto eo, nomen Christo daturos. Ruisius porrò haud dubius populi studia Ariolorum & præcipuorum Casiquiorum authoritate regi, proinde illâ inclinatâ omnia in proclivi fore, Guiraveram aliquo officio sibi devinciendum existimans, illi virgam, qualem Magistratus ferre solent, Regis Catholici nomine tribuit, & ab quadringentis Neophytis armatis, honoris ergò, per oppidum deduci curavit: quibus officiis conciliatum se rebus Christianis utcumque ostendit. Post Guiraveræ discessum, de deducenda ad ejus terras colonia, spreto quovis periculo, à Patribus agitatum est. Qua in re versanti Ruisio litteræ redduntur, quibus monebatur Incarnationis oppidum ab Mamalucis latronibus infestari: quare Guiraveræ negotio dilato, summâ celeritate ad propulsandam injuriam ipsi abeundum fuit.

Guiravera cum Socius colloquium.

Antonii Ruisii oratio.

Guiravera utcumque conciliatur.

CAPUT XXXIX. Mamalucorum adventus.

ALIQUOT Mamalucorum cohortes (de quibus suo tempore distinctiùs dicam) Tibaxivam fluvium, quà Sancti Xaverii oppidum proximè alluit, transmiserant, nec longè ab Neophytorum nostrorum coloniis castra metati, Guairaniam totam non inani metu repleverant. Nam præterquam quòd immensam Barbaro-

rum,

rum, qui nondum noſtris Sacris nomen dederant, ſed ad ea capeſſenda præcincti erant, populationem fecerant, aliquot Neophytos Incarnationis oppidanos in captivitatem abegerant; qua de re Chriſtophorus Mendoça religioſè conqueſtus, nihil aliud quàm dicteria retulérat. At ubi advênit Ruiſius, urbanitatem apud latrones fruſtra eſſe arbitratus, Neophytis ſuadet, ut ſe ſuasque neceſſitudines tueantur. Nec morâ mille Neophyti ad Mamalucos cum armis pergunt, quò antequàm pervenirent Joſephus Domenecus & Chriſtophorus Mendoça, Ruiſii juſſu, caſtra latronum exiguo comitatu adeunt. Sed jam proximis latrones confertim inſurgunt, ſclopeta explodunt, Indum unum è Sociorum comitibus occidunt, Chriſtophorum Mendoçam binâ in corporis parte ſagittâ feriunt; qui glorioſo periculo factus audacior, comite Joſepho Domeneco, per reluctantes Mamalucos caſtra ingreditur, ducem latronum objurgat, captivos repoſcit; negantibus denunciat totius Guairaniæ Neophytos armorum jure uſuros. Nec plura effatus, captivos ſolvit, eductosque ad Ruiſium magna cum laude reducit. Interim latrones, acie in Neophytos noſtros versâ, prælio decertare velle videbantur, Ruiſio contempto, qui Dei & Catholici Regis nominibus interpoſitis ſummoperè flagitabat, ne bellum quàm pacem mallent. Tandem tamen motis caſtris ab Neophytorum noſtrorum oppidis tantiſper receſſere; Ethnicorum captivitate ſe contentos fore, & ab Neophytis noſtris vexandis abſtenturos in ſpeciem oſtendentes. Quamquam Socii ſub hac herba anguem latere, magnum mox vulnus Guairaniæ inflicturum non obſcuris indiciis (& quod dolendum eſt) non inani eventu, verebantur.

Neophytorũ captivitas.

Chriſtophorus Mendoça duo vulnera accipit.

CAPUT XXXX.

Sanctorum Michaëlis & Antonii oppida conduntur.

INTER has turbas Juſtus Vanſurkius, Joannes Auguſtinus Contreras, Silverius Paſtor & Ignatius Martines, nuper ex Europa advecti Sacerdotes, in Guairaniam Novembri menſe appulêre, quibus ſtatim & agendi, & patiendi luculenta materia non defuit. Nam Coronati Campeſtres Indi, ad quos ante ſeſquiannum Antonius Ruiſius & Franciſcus Diaſtanius fruſtra penetrare contenderant, primoribus gentis ad Chriſtophorum Mendoçam in Incarnationis oppido degentem miſſis, Sacerdotes ſibi dari & oppida fundari poſtulavere. Quod longè ardentiùs optavêre, cùm rumor increbuit, eos tantùm in captivitatem ab Mamalucis abigendos, qui ſe Sociis JESV erudiendos non tradidiſſent. Quare Antonius Ruiſius, aſſumpto in ſocium Chriſtophoro Mendoça, ad eos progreſſus, omnia in **proclivi** habuit. Ibitiruna mons eſt aſperrimus, triduo diſtans ab Incarnationis oppido, cujus montis incolæ juſſi vicos ſuos hinc inde ſparſos diruere, & oppidum deſignato in loco conſtruere, imperata promptis animis fecêre. Interim Chriſtophorus Mendoça ad Ibianguienſes, mari obverſos populos, ſpe apud eos fundandi oppidi miſſus, cùm infrequentes, & Mamalucorum metu hinc inde diſpalatos reperiſſet, centum Ethnicorum familias ſecum adductas novis Sancti Michaëlis oppidanis aggregavit, adeò ut in nova colonia duo jam mille capita cenſerentur; quibus Juſtus Vanſurkius Manſilla, linguæ Indicæ nondum peritus, ex ſcriptis tabulis noſtræ Fidei rudimenta indefeſſus explicabat: quâ aſſiduitate factum, ut brevi balbutire & tertiare verba deſinens, Chriſtianæ doctrinæ præcepta pro dignitate tradere cœperit. Is ex ſeptem germanis fratribus, pleriſque ad magna natis, unus fuit, qui ſingulari exemplo Societati nomen in Flandro-belgica Provincia dedêre. Jactis Sancti Michaëlis oppidi fundamentis, Antonius Ruiſius, Pataguiruſuvio, inſigni Caſiquio, adnitente, unius diei itinere ultrà progreſſus, aliud oppidum ex reductione Barbarorum inchoavit, Divoque Antonio, Monachorum Principi, conſecratum, Petro Molæ, Apoſtolico planè viro, regendum tradidit: quò tot Barbari confluxere, ut primo bimeſtri duobus capitum millibus & quingentis novella reſpublica ſteterit.

Duo capitũ millia reducta.

Juſti Vanſurkii Manſillæ primi labores.

Sancti Antonii oppidum ædificatum.

Bis mille & quingenti reducti.

CAPUT XXXXI.

Sancti Thomæ oppidi fundatio.

NEC infeliciùs res geſta eſt ad Taiaobæ terras: nam cùm Franciſcus Diaſtanius, Ruiſii juſſu, ex Conceptionis Gualachorum oppido ad Archangelorum coloniam tantiſper adminiſtrandam veniſſet, aliquot Caſiquii Guiraveranæ factionis cum convenêre, oppidum ſibi conſtrui tanto conatu poſtulantes, ut eis mos geri debuerit. Inter Archangelorum & Sancti Pauli oppida æquali fermè intervallo

locus

locus erat eminens, quod Divi Thomæ cœmeterium Barbari ex Majorum traditione ideò appellant, quòd olim Divus ille Indorum Apostolus, per eas terras transiens, magnam multitudinem post Baptismum ibi sepelisse diceretur. Qui locus, quia magnas opportunitates habebat, & circumvallatus esset multis Ethnicorum pagis, ad fundandum oppidum ab Diastanio, erectâ Cruce, designatus est: & ut mireris Dei opera, ultrò tradidêre sua nomina ii, qui Ruisium sæpiùs ad necem quæsierant; & inter Antropophagos crudelissimi habebantur. Præter quadringentas familias spontaneè se statim novæ fundationi devoventes, totidem alias per sylvas & arduas rupes excursione factâ, idem Diastanius reduxit, constructumque oppidum Divo Thomæ jure bono consecravit. Inter has progressionum felicitates pestis pleraque Guairaniæ nova oppida vastans, Sociis laborandi materiam propè infinitam præbuit. Sed longè major eorum animos afflictabat sollicitudo reputantium, quò tandem vergerent tot latronum cohortes, verentiumque, ne, excusso omni metu, spretaque Sacerdotum reverentiâ, & jam libato Sacro Sanguine, palam Neophytis nostris bellum indicere auderent. Augebat suspiciones novus Paraquariæ Prætor, ex Europa per Brasiliam eo, quo latrones ventitare itinere solebant, recèns in Guairaniam invectus, qui quia Societatis rebus infensus erat, lugubrem historiæ materiam præbiturus timebatur.

Sancti Thomæ cœmeterium.

Franciscus Diastanius oppidum fundat.

Octingentæ familiæ reducuntur.

Pestis.

Belli metus.

CAPUT XXXII.

IN portu Boni-aëris naufragata concordia, & ejus loco emergens discordia, Reipublicæ capita periculosè inter se commisit. Prætor fluminis Argentei honestissimum virum Commissioni Sanctæ Inquisitionis & Bullæ Cruciatæ præpositum in vincula magno cum dedecore trahi jusserat; Episcopus verò, prætenso jure Ecclesiastico ob personæ munia, ad se causam pertinere aiebat: cùm non impetraret, imperatâ Clericis suis invasione, vi perfracto carcere, è vinculis hominem educit. Prætor armari cives, tormenta onerari, tympana pulsari, & omnia ad vim parari jubet. Episcopus contrà lugubri campanarum sono urbem Sacris interdicit, Prætorem fulmine Ecclesiastico ferit: urbs factionibus discinditur: & nihil propiùs erat, quàm ut periret, nisi Societas Episcopum & Prætorem utrumque conciliasset: qui tumultu utrimque sedato, & armorum pœnarumque Ecclesiasticarum minis amotis, lite ad Senatum Regium delatâ, jus suum deinceps legitimè & inter fori claustra procurârunt. Sub finem anni, Mutii Vitelleschi Generalis litteræ apertæ sunt, quibus primo loco Joannes Romerus, pro Nicolao Durando Mastrillo in Peruviam revocato, Paraquariæ Provincialis designabatur. Sed quia depontanam ætatem excusabat, secundæ litteræ referatæ sunt, Francisco Vasquio Truxilio Provincialatum in casu mortis demandantes. Cujus res antequam scribere aggrediar, pro instituto meo, Nicolaum Durandum Mastrillum, Provinciæ nostræ utilissimum virum, debito obsequio prosequi lubet.

In portu Boni-aëris naufragata concordia, & ejus loco emergens discordia, Reipublicæ capita periculosè inter se commisit.

Discordia inter Prætorem & Episcopum oritur.

Ab Societate utrumque sopitur.

CAPUT XXXIII.

NICOLAO Durandò Mastrillo patria fuit Nola, Neopolitani regni urbs inclyta. Nobilitatem è Mastrillorum stirpe non sine Hispani sanguinis mixtione hausit. Carolum & Gregorium Mastrillos, Societatis nostræ viros, planè illustres patruos, Marcellum verò Xaverium Mastrillum nostri ævi Heroëm clarissimum nepotem habuit. Centurionis gradum pænè puer adeptus est, ut nempè plurâ ornamenta pro Christo sperneret. Neapoli Societatis tyrocinii & studiorum philosophicorum curriculo emenso, Apostolicorum laborum sitiens, in Peruviam navigavit. Sacerdotio insignitus, ob adeptam linguæ Quichoæ peritiam, per Guamangæ tractum ad Ethnicorum terras obedientiæ alis delatus, multa pro augenda Dei gloria & diu pertulit. Arequipam missus, ad Condesuios Barbariæ insignes populos excursione factâ, memorabili illâ cinerum pluviâ pænè obrutus fuit. Inde redux Julide Rectorem egit: ubi Aimarram linguam discens gentes illas barbaras, uti Alegambe refert, Apostolico spiritu excoluit. Deinde non interrupto labore Quitensis & Chuquisacensis Collegiorum Rector fuit, donec Alvares de Paz, Peruviæ Provincialis, eum in Socium assumeret: quo in munere sexennio posito, anno hujus sæculi decimo-octavo Procurator Romam missus, ita se Mutio Vitelleschi probavit, ut

Nicolaus Durandus Mastrillo Provincialis.

Ejus parentes.

Puritia.

Navigatio.

Missiones.

Officia.

cum ſummis muneribus admovendum (niſi ipſe religiosè reſtitiſſet) in Europâ retinere voluerit. Poſt procurationem Romanam, & aliquamdiu geſtum Limenſis Collegii rectoratum, legitimis Generalis litteris Paraquariæ Provincialis dictus, ea fecit quæ hactenus ſcripſimus. Provinciam capeſſens, viginti-quinque domos regendas accepit, & quamvis is ſedium numerus, abſciſſo Chilenſi regno, & Calchaquinâ valle deſertâ, necnon Jaguapuano apud Paranenſes, Regum apud Guaicuræos, Iiviſenſi & Caaroënſi apud Urvaicenſes oppidis deſtructis, ad quindecim reductus fuerit, tamen ſucceſſori ſuo unam ſupra viginti ſedes apud Indos, & decem apud Hiſpanos reliquit. Primus ipſe Provincialium aperto novo itinere in Guairaniam penetravit. Poſt gubernatam Paraquariam bis Provinciæ Peruanæ, & ſemel Collegio Limenſi præfuit: clariſſima quovis in magiſtratu excellentis prudentiæ ſpecimina dedit. Ejus magnificentiæ Lima, Quito & Chuquiſaca, templa ſua Europæis molibus invidenda debent. Demiſſi animi modeſtiam tum maximè prodidit, cùm poſt geſta tot munera Æthiopum curæ ſe totum tradidit. In adverſis fortitudo, in admovendis rerum gerendarum obſtaculis magnanimitas, & ne ſingulas appellem virtutes, omnes in eo fuere geſtis muneribus pares. Didacus Boroa, audiente me, aſſeruit, in eâ opinione ſe eſſe, ut exiſtimaret, nullum virum ex Europa in Americam clarioribus dotibus præditum navigaſſe. Limæ, anno hujus ſæculi quinquageſimo tertio, ætatis octogeſimo-ſeptimo, initæ Societatis ſexageſimo-octavo, totius Peruviæ luctu, cujus ipſe amorem & reverentiam planè ſingularem promeritus fuerat, piè uti vixerat, fatis conceſſit.

Status Provincia.

Ælia Durandi officia.

Virtutes.

Mors.

HISTORIÆ PROVINCIÆ PARAQUARIÆ SOCIETATIS JESU

LIBER NONUS.

SUb initium Anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi-noni Franciſcus Vaſquius Truxilius Provinciæ regimen accepit, quo incentore Apoſtolicæ expeditiones ubique feliciter continuatæ ſunt. Cordubâ ipſimet Theologiæ magiſtri, Sabbathinis diebus, ad Indorum ſuburbanos vicos, æquali laborum ac animarum collectâ meſſe, ſæpiùs excurrebant; unde ſummo manè diebus Lunæ ad ſcholas ſuas redibant, his excurſiunculis majorum expeditionum deſideria mitigantes. Alii ex inſtituto miſſionibus deſtinati ſolito more & emolumento ad remota loca ivere. Eſterenſis Collegii excurſores, quinque fermè menſium ſpatio, littora fluminum Salſi & Dulcis excutientes, ſeptem Indorum millia Exhomologeſi à multis nunquam aliàs uſurpatâ expiavêre; multos baptizavêre, ſuperſtitioſas conſuetudines abolevêre, Idola cremavêre, Tonocotibus, Diaguitis, Sanovironibus ad ſe adventantibus per interpretes noſtra myſteria explicavêre. Reperti, qui confeſſionis ergò è locis duodecimo lapide remotis ad Socios accurrerent. Inda mulier meditandis Chriſti laboribus clariſſima, quoties domo exiret, reculas ſuas inobſeratas ſuo Crucifixo commendare ſolitabat, optimo ſucceſſu, & nunquam fallente tali cuſtode. In Saltenſi urbe tractuque graſſata peſtis multis Hiſpanorum & Indorum corporibus ſe pavit: Sociis noſtris, animas utrorumque ut ex unguibus dæmonum eriperent, domi foriſque invigilantibus. Aliquot Eſterenſes Indæ, ne laſcivis juvenibus illicium eſſent, deformitatem corporum ab Deo ferventibus precibus poſtulavêre. Riocæ peſte etiam omnia vaſtante notabilis fuit Hiſpani hominis malis artibus ditescentis, & luxuriæ cœno perpetuò ſe volutantis, exitus; qui in periculoſo morbo cùm abſolvi à peccatis, pellice domi ad pulvinar ſuum retentâ, vellet, nec id ab Sociis noſtris impetraret, alium Religioſum evocavit, à quo illegitimè abſolutus Viaticum poſtulavit, quo accepto, audiri cœpere ex ejus ventre voces porcorum adeò horrendè grunientium, ut nemo dubitaret margaritas ante porcum projectas fuiſſe. In portu Boni-aëris laſcivus homo in ipſo Veneris actu deliquium animi paſſus, per quindecim dies ardenti febri exarſit; à qua liber ad vomitum rediens, in ipſa turpitudine repentino fato fœdam animam exhalavit. In Sanctæ Fidei civitate Socii, domi foriſque, Æthiopibus, Indis atque Hiſpanis, utilitatem non contemnendam attulêre. Uno ad Indos transfugas, in Inſula contra Dominos ſuos violenter ſe tutantes, non ſine fructu excurrere etiam auſo. Indus homo Chriſtiano ritu ab viginti annis bonâ fide Matrimonio copulatus ità abhorrebat ab Sacris, ut toto eo tempore induci non potuerit ad templi ingreſſum: examinatâ horroris causâ, repertum eſt eum non fuiſſe baptizatum, ſed olim ab Hiſpano homine nomen Chriſtianum ſine initiali Sacramento accepiſſe: eo baptizato horror evanuit.

CAPUT I. In Tucumaniæ & Boni-aëris regionibus geſta narrantur. 1629.

Magiſtri Cordubenſes excurrunt,

Et Eſterenſes Socii.

Pœna indignè Euchariſtiam recipientis,

Et laſcivi hominis.

IN Chaquenſi Provincia Gaſpar Oſorius majori laborum Apoſtolicorum famâ, quàm proventu, perſeverabat; quippe toto ſeſquianno, præter pauculos infantes, duodecim ſolummodò adultos Chriſto adſcripſit; cæteris in immenſa regione ob metum ſervitutis & indolis ferociam à Fide averſis. Ex Tobarum oppido ad Ethnicorum terras delatus, magno omnium plauſu exceptus quidem eſt; ſed temporis progreſſu, cùm gentis primores animadverterent, eo præſente, ebrietati & avitis

CAPUT II. De expeditione Gaſparis Oſorii ad Chaquēſes.

Oſorius bene ab Tobis excipitur.

vitiis vacari non posse, de eo expellendo agitavere. Accessit huic malo interiorum populorum perversitas, arma ideò minitantium, quòd Christianus Sacerdos sese tam ex propinquo ostenderet. Utroque periculo Divinâ ope evitato, aliud supervênit ex obortâ tempestate adeò fœda, ut Osorius grandine sub tentorio pænè obrutus, omninò cœcutierit. Remedium fuit ipso malo acerbius: nam Indi ex ejus oculis per totum fermè diem enatas squamas intolerabili dolore dempsere. Quibus demptis usum quidem visûs recepit, sed curationis ergò ad Hispanorum castrum redire debuit. Interjecto tempore ad eosdem Ethnicos iterum non sine spe perrexit; sed oborto bello expeditio hæc in aliud tempus dilata est.

In suspicionem trahitur.

Afflictatur oculorum dolore.

CAPUT III.

Alfonsus Aragona & Didacus Vassaurus moriuntur.

ANNO incunte in Assumptionis urbe è vivis sublatus est Didacus Vassaurus, Riocæ in Hispania natus, ante & post initam Societatem piis exercitiis addictissimus: hoc nomine mihi præ cæteris commendandus, quòd per quindecim annos Sociis in Paranæ & Urvaicæ oppidis degentibus, materno planè affectu ex rebus Collegii succurrerit: peste affectis assiduus ministrarit: Socios in Assumptionis urbe commorantes infatigabili labore sustentarit: omnes boni Coadjutoris partes impleverit. Moriens intento in præsentem dæmonem digito ita exhorruit, ut defectissimis licet viribus, se tanquam viperam, adstante & horrente Josepho Oregio, in lectulo contorqueret. Horrore depulso cum his verbis, *In Domino confido*, placidissimè exspiravit. Mense Junio fatis etiam concessit Alfonsus Aragona Neapolitanus, qui inter conficienda tyrocinii Religiosi & studiorum stadia, eam collegit Sanctitatis famam, ut palam Beato Aloïsio Gonzagæ ob morum similitudinem, authore Alegambe, conferretur. Per Collegium Neapolitanum sermo increbuerat Vincentium Carafam, postea Generalem, & Alfonsum Aragonam pari gradu ascendere ad culmen perfectionis. Quamvis Neapoli linguam Hebraicam publicè professus fuisset, non renuit tamen pauculis pueris Assumptionis in urbe Latinæ linguæ rudimenta biennio integro tradere. Ad Urvaicenses Indos Christo domandos translatus, in novo Conceptionis oppido septem fermè annis incredibili laborum tolerantiâ perduravit; donec Sancti Nicolai coloniæ fundandæ regendæque præficeretur. Biennio ibi posito, multis Barbaris ad Fidem conversis, ex ulcere in ore nato tabescens, ad Assumptionis urbem curationis ergò delatus, magno omnium dolore Anno ætatis quadragesimo-quarto ad Cœlos, uti speramus, meliore sui parte, Virginitatis palmâ decorus, evolavit. Post ejus mortem litteræ Mutii Vitelleschi apertæ sunt, quibus Assumptionis Collegii Rector designabatur. Defuncto Paraquariæ Præpiscopus, uterque Magistratus, Prætor, & cives parentârunt. Ne singulas viri virtutes appellem, omnes in eo fuere adeò singulares, ut Nicolaus Durandus Paraquariæ & Peruviæ Provincialis, cuivis rei asserendæ par, post peragratam Italiam, Hispaniam, & Australem Americam pænè totam, in publico conventu asseruerit, nullum hactenùs Religiosum hominem se cognovisse, in quo majora elucerent eximiæ virtutis specimina, quàm in Alfonso Aragona. Erga MARIAM Virginem & ejus Filium amorem tenerrimum, continuato cum iis per multas horas singulis diebus colloquio, fovebat. Erga Indos profusissimæ erat liberalitatis. Tam periculorum Apostolicorum amatorem, quando non aderant, quàm, quando aderant, contemptorem se præbebat. Ne latum quidem unguem ab Martyrii gloria, uti demonstratum est, abfuit, Rochi Gonsalvii necem præsciviisse non levis conjectura est; nam paulò antequàm cum Alfonso Rodericio mactaretur, utrumque hospitem in Sancti Nicolai oppido religiosâ cœnâ excipiens, in triclinio suprà amborum capita hæc verba digitalibus litteris inscribi curavit: *Beati, qui ad cœnam Agni vocati sunt.* Multa scripsit utilia his, qui Guaranam nationem excolunt. In eadem urbe statua Virginis incomparabilis formæ, eminentis in Hispania sculptoris opus, in Sacelli nostri domestici solio magnâ pompâ & totius urbis concursu collocata, hoc anno cœpit clientûm suorum & Sodalium patrocinio clarescere.

Vassaurus moriens ab dæmone vexatur.

Alfonsi Aragona patria.

Sanctitas.

Humilitas.

Virginitas.

De ejus virtutibus Nicolai Durandi judicium.

CAPUT

ROCHO Gonsalvio cruentâ morte sublato, Paranensibus & Urvaicensibus Sociis, Petrus Romerus, eandem aliquando palmam adepturus, cuivis oneri par, suffectus est. Urvaicensis verò Provincia recenti tumultu concussa, & sanguine calens, in motu adhuc erat; torquebatque multorum animos superstes Niezuvius, & timebatur, ne, redintegratis alibi viribus iram reaccenderet, eò periculosiùs, quò recens victoria confidentiores Neophytos reddebat. Igitur Ibitiraquani Neophyti, convocatis undique auxiliaribus copiis, classem centum cymbarum adornant, eóque provehunt adverso Urvaicâ, ubi Niezuvius res novas moliri putabatur. Circum omnia littora investigata, & per audaciſſimos quosque sylvæ excussæ, donec inquietum animal plus centum leucis fugisse compertum est. Reditum meditantibus exploratores nunciant, in nemore procul abs se visos seniculos duos decrepitæ prorsus ætatis, morti jam proximos; ad eos tamen ob hostium suspicionem sine periculo penetrari non posse. Didacus Alfarus, qui classi aderat; nihil, inſit, in causa Dei pericula moror. Quo dicto, exscensione factâ, per nemorum spissitudinem, accepto viæ duce, iter capessit; repertos senes raptim instruit; instructos ritu Catholico abluit, & abluti in Cœlum, ut spes est, transportati sunt. Sic non frustra bellum tentatum fuit: nam Niezuvius longè fugiens Urvaicam utcumque metu liberavit, & dæmon bino vulnere accepto debilitatus est, ostenditque Deus aliò vergere sua & mortalium consilia, dum tanto apparatu è dæmonum servitute seniculos hos eripit.

CAPUT IV. In Niezuvium movetur.

Felix duorum senum Baptismus.

ETIAM in Iguasuana regione aliquid turbatum est. Omnibus Sanctæ Mariæ Majoris oppidanis Ethnicis hâc tempestate indictum fuerat, ut unâ ex pellicibus in uxorem assumptâ, cæteras domo pellerent, si Catechumenorum albo inscribi vellent. Plerique, quibus cœlitùs major indita virtus, dictis paruêre. Cæteri, verentes ne ad id vi adigerentur, fugâ elapsi, adverso fluvio, & deinde per spissa nemora fugientes, in semotis locis semente facta pagum avito more constituxêre, legi Christianæ nuncium remittentes. Vulgatâ fugâ, Claudius Ruierius, fidelissimos in speciem Neophytos ad transfugas mittit, nunciaturos nulli fugam fore dedecori, si citò redirent. Sed nuncii imaginariâ libertate allecti, mutatâ repentè voluntate, ipsismet, ad quos mittebantur, perniciosiores fuere: nam transfugis, ut in perfidia remanerent, & reliquis, ut oppidum desererent, authores se fore clam profitebantur: timebaturque ne malo exemplo alios Neophytos allicerent, totumque Paranam quasi tempestate turbarent. Habito super ea re Sociorum consulto, & Numine per Sacrificia conciliato, Claudius Ruierius & Vincentius Badia, ne pars sincera per dilationem traheretur, acceleratione usi, difficillimo itinere cum fida Neophytorum manu eò perrexere: cùmque ad utrorumque transfugarum locum eo tempore perveniſſent, quo viri omnes venatum lignatumque ierant; Casiquiorum, quos secum ducebant, operâ, domibus injectus ignis, & multitudo imbellis ad oppidum abigi cœpta est. Sub noctem transfugæ ex venatione reduces, conspecto incendio, id quod erat suspicati, uxorum & pignorum suorum desiderio, Sociis se ultrò traditum venêre: qui dissimulatione potiùs, quàm verborum castigatione utendum rati, collaudato redeundi consilio, in dæmonem pleramque culpam retulêre, asserentes nihil illo astutius ad pervertendos eorum animos, qui se ab sua tyrannide subtrahere vellent: caverent impostorum malè monentem audire. Oppido restituti ingentem toti Paranæ lætitiam peperêre, eò etiam uberiorem, quò ipsi constantiores fuere. Nam non diu pòst omnes Christum professi, desertis pellicibus, legitimo matrimonio copulati, insignem de dæmone victoriam reportarunt: cujus victoriæ grande additamentum fuit, ex Iguasuanis hoc anno quadringentos & quadraginta quinque baptizasse. Frendeat dæmon, & sciat se minorem Maria Majore, & calcandum, ubicumque sedem elegerit Cœlorum Regina.

CAPUT V. In Iguasuana colonia turbatur.

Catechumenorum fuga.

Ab fuga retractio.

IN Acaraiensi Nativitatis Beatæ Virginis oppido etiam victus triumphatusque dæmon fuit: nam præter multos Ethnicos Christo assertos, veneficus ille veterationis pudendæ perdoctus, qui ante aliquot annos Claudium Ruierium transfo-

CAPUT VI. De cæteris Paranæ rebus.

Insignis magus convertitur.

dere destinarat, & Sociorum doctrinam mutipliciter sugillans populares suos ab Fide Christianâ averterat, post falsorum auguriorum instrumenta omnia & ariolandi deliramenta igni tradita, cum quinquaginta aliis sacro Fonte expiatus est. Ad Paranam, peste summa infimaque capita demetente, animorum constantia stetit. Abacatus in Divi Ignatii oppido Casiquius nobilis morti proximus, cognito uxorem suam de morbo filii minùs piè conqueri, & morbi causam in venefici incantationes referre: *Apage*, inquit, *has nugas, & tandem ab conjuge moriente disce, à Deo positos esse terminos vitæ nostræ, quos præterire nec in nostra, nec in malevolorum sit potestate.* In Corporis Christi coloniâ Ducem de morte filiorum Petrus Alvares noster solatus, id habuit responsi. *De morte*, inquit, *filiorum subditorumq; meorum, non est quod doleam, nam si Deo est placitum, cur etiam mihi non placeat?* Cui addidit alter, magni nominis Casiquius. *Hodie*, inquit, *genitorem meum\morientem sine lachrymis vidi, indignum ratus corporis mei parentem lugere, qui tui, ô Pater, animæ meæ parentis usu optatissimo fruor: lugerem sanè, si te aliquando privarer; nam damnum animæ, non corporis Christianorum lachrymis dignum esse reor.* Atque hæc omnia, licet communia videantur, tamen si ab ore eorum proficiscantur, qui ferarum instar paulò antè in antris victitabant, sapientissimorum apophtegmatum laudem merentur. Cæterùm tam sincerus filiorum carissimorum sensus Petrum Alvarum permovit, ut quoquomodò posset, pesti singulis annis grassanti remedium quæreret, & quia vapores fluviatiles radiis orientis Solis impulsi, factâ quotidie gravi nebulâ, & soli humectationes, oppidanos malè afficiebant, oppidum transtulit, ubi salubritas cœli solique per totum annum æqualis futura credebatur.

Quorumdam Barbarorum apophthegmata.

Corporis Christi oppidanorum transmigratio.

CAPUT VII.

Caaroënsis oppidi restauratio urgetur.

DEIND-E ad resarciendum damnum, à partibus Niezuvianis illatum, omnium Sociorum animi conversi sunt. Cujus rei primam occasionem præbuit ipsorum Caaroënsium parricidarum pœnitentia, quam Tambataïus captivus ad eos remissus non admodùm ægrè extorserat. In cujus rei fidem frustum calicis, quo nuper Gonsalvius, ab iis trucidatus, in Sacris usus fuerat, ad Socios parricidæ remiserant, rogantes, ut ad restaurandam rem venire non pigeret. Quibus cognitis Petrus Romerus & Didacus Alfarus eò profectionem adornavere; obluctantibus licet Neophytis, asserentibus certum adiri necis periculum. *Quòruitis*, inquiebant, *ô Patres? Num satis miseri sumus repentinâ Gonsalvii parentis nostri & carissimorum sociorum ejus jacturâ? an orbitatem nostram novis funeribus augere amatis? Vt parta tueamini vix sufficitis, & vos in damnum nostrum prodigere pergitis? Servate vos nobis, ne incerta dum quæritis, certa & proxima perdatis, Ebullit adhuc in parricidis Caaroënsibus furor, & cruentæ clavæ recenti sanguine adhuc calent. Si vos corpora vestra non amatis, saltem animas nostras amate.* Sed Socii in opinione persistentes, ad Caaroënses iter moliti, cùm eos non fictè pœnitentes reperissent, frendente nequicquàm dæmone, Crucem ex eo ligno, quod æri campano sustentando ante mortem Gonsalvius destinarat, erigunt; erectamque omnibus adorandam proponunt, & spe factâ restaurandi oppidi incolumes regrediuntur. Paulò postquàm hæc gesta sunt, Provincialis Vasquius è Tucumania ad lustrandos Urvaicæ & Paranæ Socios recèns advectus, non sine aliquo apparatu, ad conciliandam sibi authoritatem, eò etiam ire voluit. Adventanti Caaroënsium primores cum conferta multitudine, positis armis, occurrêre: quorum nomine Guarobaïus, qui in fide Patrum perstiterat, sic alloquutus fertur. *Arma ante tuos pedes, ô magne Pater, deponimus, imperata quæcumque facturi, dummodo facinoris perpetrati pœna non sit Societatis IESV præsidio & doctrinâ carere. Id omnes populares mei exoptant, meq; patrono innocente utuntur, ut veniam facilius nocentes impetrent.* His dictis, flentes ad genua Provincialis provolvuntur, Romero interprete orantes, ne se quamvis nocentes deserat. Mulieres & pueri condonari crimen conjugibus parentibusque suis gestu lamentabili postulabant. Provincialis Vasquius commiseratione motus, miseris illacrymans, eodem interprete usus: *Iam pridem*, infit, *spes animum subiit Gonsalvium in Cœlis fore vestri memorem, qui nihil in terris satius habuit, quàm contemptâ morte vobis prodesse: gaudeo hanc à Deo mentem injectam, quæ vos admoneret Patres de Societate à vobis*

Caaroënsiũ pœnitentia.

Romeri & Alfari magnanimitas.

Periculum.

Franciscus Vasquius Caaroënses adit,

Alloquitur.

audiendos

audiendos esse; non illos ariolos, qui pravis religionibus captas mentes, veluti furialibus stimulis, ad omne scelus agerent. Perseveraret forsan malum, si Niezuvius præteriti mali fons adesset, quo absente satis apparet, vos fraude deceptos non malitiâ conjurasse. Animos itaque & corpora erigite, arma posita resumite, & in sinum amplexumq; meum omnes ruite. Has veluti parentis voces cùm audirent, manare plerisque gaudio lacrymæ, adeò ut confunderent etiam interpretem. Altero mane Provincialis incruento Sacrificio placare Superos eo ipso loco studuit, quo Gonsalvius Rodericiusque superiori anno cruentè litaverant. Sacrificio peracto, triginta & quinque pueros sacro Fonte expiatos Christianorum albo, Nienguirio Ibitiraquanorum duce sponsore, inscripsit. Et Niezuvianæ cladis captivos, quos secum adduxerat, manu mittens, popularibus restituit. Casiquiis vestes acu pictas, aliis alia munuscula distribuit, constitutoque in omnium ducem Regis Catholici nomine Guarobaio, spondens Gonsalvii successorem quantociùs venturum, per Caasapaminienses & Piratinienses, ubi multos adultos baptizavit, iter reflectens ad Urvaicam pervênit.

In gratiam recipit.

NON diu pòst Josephus Oregius, Oregii Cardinalis frater, vir antiquæ virtutis, ad Caaroënses regendos instruendosque, Provincialis jussu, magnis itineribus è Paraquariæ metropoli venit, qui alacriori animo purpuratis Sociis successit, quàm ejus frater ab Urbano Octavo, cui Oregiorum familia cara erat, ad Cardinalatûs apicem evectus fuerit. Inter hujus anni præcipuos proventus computatur, sexcentas Caaroënsium familias congregatas, necnon quadringentos & tres adultos, infantes verò centum & septuaginta-novem baptizatos fuisse. Porrò, ut semel & simul videas utilitatem denarratæ restaurationis, constat ex authenticis libris, Societatem supra novem mille capita sacro Fonte immersisse in Caaroënsi oppido; quod tribus Japoniæ Martyribus nostris ea cautione adhibita sacratum est, ut si aliquando ab Pontifice Maximo Sanctorum albo Gonsalvium & Socium adscribi contingeret, in illorum vicem tutelamque loci succederent. Nec ea spes in vano est; nam, Didaco Boroâ motore, Paraquarienſium sacrorum præfecti ad Urbanum Octavum Pontificem Maximum amplissimis litteris postularunt, ut sibi rite in mortem & vitam Heroum nostrorum inquirere liceret, quò deinde publicus honos, si mereri decrevisset, assereretur: & ut idem Philippus Quartus Rex Catholicus per Legatum apud eumdem Pontificem exigeret, alteris litteris efflagitatum est. Quòd ea res valitura putaretur ad Martyrum imitatores animandos, ad Neophytos in fide confirmandos, ad Barbaros alliciendos, ad Americæ præsidium, ad Hispanorum famam, & Majorem Dei glotiam.

CAPUT VIII. Caaroënse oppidum restauratur.

Ei Josephus Oregius præficitur.

Baptizatorum numerus.

Rochi Gonsalvii solemnes honores sollicitantur.

POST restauratos Caaroënses Tuca, potens Casiquius, novam rei benè gerendæ materiam dedit. Is, quà Tabatius fluvius sese in Urvaicam, septimo ab Ibitiraquanorum coloniâ lapide, Orientem versùs exonerat, authoritate pollebat. Et aliquando ejus clientes ab Rocho Gonsalvio Sacerdotes de Societate, ad oppidum fundandum, coram petierant. De qua re iterum rogatus Didacus Boroa, eò properans, tuguriolo, quod sibi domus & templum foret, exstructo, multitudini undique confluenti nostra mysteria explicarat, oppidi futuri sedem elegerat, domorum areas divisérat, spem denique perpetuandæ rei fecerat. Quod dum urgeret, Barbari è vicinis montibus erumpentes, toto nudi corpore, & ad ostentationem ferociæ depicti, advolarant, nescio quid minaciter deblaterantes. Periculo res plena fuit: nam inter hos Barbaros Joannis Castillii necis complices frequentes aderant, & Tuca aberat. Didacus tamen Boroa, his terriculamentis dudum assuetus, ferocientes munusculis donatos, unde venerant, dimiserat. Et quamvis effera tygris tuguriolum ejus ingressa, servulum tantùm, non eo præsente, lethaliter vulnerasset, & alia pericula non deessent: tamen tantam multitudinem collegerat, quanta ad oppidum inchoandum sufficere videretur. Cui rei peragendæ magnum momentum attulerat Mariana, Quaracipucutii Ibitiraquanorum Casiquii conjux, Christianis nuper initiata mysteriis, quæ sexum oblita, verbi Dei præco effecta, per proximos saltus sylvasque cum conjuge cursitans, dicendi vi effecerat, ut plurimæ

CAPUT IX. Divi Francisci Xaverii oppidi ad Urvaicã fundatio.

Tabatius fluvius.

Didaci Boroæ periculum.

Marianæ Neophytæ pradicatio.

mulieres

mulieres barbaræ cum viris è latebris ad Boroam audiendum prosilirent. Deo infima eligente, ut fortia dæmonum agmina confunderet. Didaco Boroa inde regresso, interjecto tempore, Provincialis Vasquius in destinato oppidi loco quadringentas Barbarorum familias inveniens, sub erecta Cruce aliquot infantibus baptizatis, novum oppidum Josephi Ordoniesii curæ demandavit; ideo Divo Xaverio consecratum, quòd sub idem tempus Jaguaitienses paucitate laborantes, oppido suo destructo, aliò concessissent. In ea colonia hactenus Societas supra sexies mille capita baptizavit. Post fundationem hujus oppidi, Acaraguaïenses, adversi Urvaicæ populi, Provinciali occurrêre, Socios etiam sibi concedi postulantes: differri tamen eorum desideria oportuit: nam pauci Socii in tot partes distracti tantis operis non sufficiebant. Sic novi oppidi apud Urvaicenses erectione, & alterius restauratione, atque tertii spe, præteriti anni clades utcumque compensata est. In Conceptionis oppido hoc anno, Christi Corpus Neophytis dari cœptum. A dolescens optimæ indolis interrogatus à Patre, cur cibum Angelorum sibi concedi non peteret? Respondit id hactenus non se ausum fuisse, quod maturitatem Divinæ mensæ congruentem nondum induisset: *Nam ego*, inquit, *adhuc lubenter cum coætaneis in plateis ludo, & curiosus sum rerum inutilium indagator.* Eo in oppido ducenti & duo adulti, præter centum & sexaginta tres infantes, Christianis accessere. Apud Piratinienses, centum & octoginta provectæ ætatis, & ducenta octoginta sex puerorum capita lota sunt. Apud Caasapaminienses universim quingenti & viginti octo; apud Iguasuanos, præter centum & viginti tres infantes, trecenti & viginti duo homines, in novo Divi Xaverii oppido trecenti circiter infantes & quinque adulti, apud cæteras Paranæ colonias vario numero salutares aquas recepêre.

Franciscus Vasquius infantes baptizat.

Acaraguaïenses Sacerdotem petiêre

Cibi cœlestis æstimatio.

Multi baptizati.

CAPUT X.

JESU-Mariana colonia in Guairaniâ surgit.

1630.

IN Guairania, mitigato utcumque Guiraverâ, visum est Patribus è majori Dei gloriâ fore, si periculo se exponerent, tentarentque in ejus terris novi fundationem oppidi. Eo fine Antonius Ruisius & Simon Maceta, obfirmato contra mortis metum animo, ad ejus terras perrexere; à quo primùm non inhumaniter excepti, multorum Casiquiorum adstipulante favore, futuri oppidi sedem eligunt, quam JESV & MARIÆ ipsis calendis Januariis dedicant; tantâ concurrentium undique populorum approbatione, ut satis appareret omnium animos ad veram legem capessendam cœlitùs esse commotos. Subinde Ruisius, relicto inibi Simone Macetâ, qui oppidum conderet regeretque, aliò se contulit. Maceta verò, dæmoni & Guiraveræ par antagonista, adeò strenuè rem gessit, ut numerosissima gens suavi Christi jugo superba colla facilè demitteret. Inter hæc confluentium undequàque populorum studia, Guiravera ab suis se cultoribus deseri non ferens, aliquot Casiquiis comitatus ad Macetam pergit, & imperanti similior, quàm petenti, albam illam & talarem vestem, quâ in Sacrificiis ornabatur, sibi dari postulat; addens verba in Divam Virginem & JESV Socios contumeliâ & contemptu plena. Guiraveræ comites Simoni Macetæ authores erant, ut vexationem ferocissimi hominis parvo redimeret: sed Maceta longo usu expertus Barbaros nimiâ conniventiâ ad alia scelera audaces fieri, superbireque erecto in Deum animo, spernens ferocientis minas, ad Guiraveram conversus: *Falleris*, inquit, *ô Barbare, si putas me rem sanctam tibi turpissimo cani, humanorum corporum ossa rodere assueto, concessurum. Falleris si ante porcum, mille spurcitiis inquinatum, margaritas projecturum me existimas: me vivo in luto non volutabitur hæc sacra vestis: nec impetrabis aliquando, ut mortis metu prodam, quæ mihi summi Dei Sacerdoti commissa sunt. Proinde hinc face esse, & res tuas tibi habe: nam nullo ferociæ ostentamento adducar, ut Cælorum Reginæ contemptori, & Sociorum IESV derisori, necnon dæmonis ministello, Divinitatisq; usurpatori, aliquid, quod veri Dei cultui officiat, volens concedam.* Simul hoc dixit, simul arculam, quâ vestes sacræ includebantur, ambabus ulnis amplexus, mortem, si res ferret, præstolabatur. Sed mirum dictu! Guiravera dicentis magnanimitate attonitus pallere primùm, deinde toto corpore contremiscere, circumspicere, turbari, clavam humi deponere, denique toto corpore corruere. Cæteri Guiraveræ comites generositatem ejus admirari, ad contemptum mortis stupere, etiam corruere, & totius

Simon Maceta oppido præficitur.

Guiravera ei obsistit.

Maceta constanter agit.

Guiravera toto corpore corruit,

Et ejus comites.

corporis

corporis motu satis ostendere, Maçetæ orationi vim infuisse humanâ majorem. Postquàm mutos & tanquam fulmine aliquo consternatos, humique prostratos vidit, mutato stylo placidè & benignè pauca verba addidit, monens se, non hostili animo, sed ob res sacras tutandas severitatis personam assumpsisse: cæterùm præterita omittere, ac tum, si vellent, benignitatem suam omnes experturos. Interim ad rumorem facti Guiraveræ amita, & alii Casiquii, Maçetæ se sistentes bono animo esse jubent, auxilium tutelamque contra vim spondentes. Hoc tumultu sedato, aliquantula pax successit, quæ, ut brevissima foret, inconstantia Guiravetæ fecit. Solebat is ab malis geniis abreptus tanto impetu in furias agi, ut toto corpore spumaret, oculis scintillaret, crinibus horresceret, donec turpis concubinarum grex crebrâ palpatione corporis, & verborum illecebris, furentem muliebrosumque Herculem mulsisset. Igitur semel, nullâ re lacessitus, inter furendum mediâ nocte ex abrupto in forum prosiliens, oppidanos omnes à somno excitat, & vociferatus se Deum esse, addidit hominem in oppido esse, quem propediem devoraret. His à Maçeta cognitis, domesticis Sacramento expiatis, Martyrii palmam manu tangere, & Cœlum vertice jam ferire, sibi videbatur, cùm ea spes denuò elusa est fidelitate aliorum Casiquiorum, Guiraveræ furorem injecto metu reprimentium.

Maçeta consternatos animat.

Guiraveræ furor.

Maçetæ periculum.

PER hæc lucida intervalla res Christiana promovebatur; quippe non integro bimestri ad JESU-Marianum oppidum sacris Nominibus, tanquam Magnete, allectæ numerosissimæ Ethnicorum familiæ confluxere: & quia quinquaginta potentes Casiquii nomen dederant, sperabat Maçeta supra bis mille sagittarios in Catechumenorum album referri posse. Quibus si addidisses imbellem multitudinem triplo numerosiorem, facilè conjicies, Cœlorum Principes suum oppidum præ aliis voluisse esse eximium. Instructori suo domum è luto & levi palea, templumque, Catechumeni construxere, cui quantùm ornamenti defuit, tantùm superfuit pietatis. Sed præsertim in vivis Christi templis aptandis ornandisque Simonis Maçetæ insudabat industria. Unus Guiravera lætioribus successibus obcæcat, qui Apemondum Casiquium ad partes Christi transisse dolens, omnem lapidem movit, quo ad se perverteret. Hominem itaque adiens, non magis dolore, quàm diabolo stimulante, monet, dum integra res esset, patriæ simul prospicerent. Si diutiùs peregrinum Sacerdotem paterentur, profectò se brevi popularibus suis ludibrio futuros. Si secum conjurare vellet, uno Maçetâ sublato, omnium perniciem profligatum iri. Conflatâ conjuratione ambo, quinquaginta satellitibus secum assumptis, ad strangulandum Maçetam se conferunt; patrassentque scelus, ni Barbari duo, fide & amore erga Socios insignes, ex indiciis rem suspicati, expeditis armis viæ compendio usi, in auxilium properassent: qui in limine parricidas alloquentes: Per nostra, inquiunt, corpora carissimi Patris viscera petenda sunt. Valuit ad terrendos perduelles (ut est timida semper perfidia) fortitudinis ostentatio: nam ut eventilatum consilium vidêre, vindictæ metu, re infectâ, dissimulanter domos suas repetiere. Franciscus Diastanius in Sancti Thomæ oppido, & Petrus Spinosa in Archangelorum colonia versantes, cognito Maçetæ periculo, contractâ Neophytorum manu ad eum liberandum perrexere, & Guiraveram præterita excusare volentem acri oratione intentatisque minis perstrinxere. Quibus rebus Guiravera perterritus, supplici gestu veniam precatus est. Pro supplice intercessit Maçeta, ostendens magnam se habere spem, & beneficiis suis, & vicinorum authoritate, finem injuriis facturum. E reipublicæ tamen bono visum est, ad diminuendam ejus potestatem, alterum oppidi Ducem, quasi collegam, addere; profuitque aliquamdiu consilium: nam collegam rectè factis æquare contendit. Sed diu virtutis pallio vitium non teges. Metu amoto, ad antiquas artes devolutus Guiravera, nunc se Maçetæ cum sagittis in signum belli cruentatis, nunc ense aut cultro manu prælato, aliàs cum telis, in symbolum funerei facinoris nigrore infectis, ostentabat: & quamvis ab minacibus verbis abstineret, tamen internas furias rugata frons, flagrantes oculi, os torvum, & severus risus, mentiri non poterant. Solebat, cùm maximè furere vellet, tres laminas è collo ante pectus suspendere; si paulò minùs furiis agitari

CAPUT XI.

In JESU-Mariano oppido varie turbatur.

Numerus JESU-Marianorum.

Apemondus & Guiravera conjurât.

Conjuratores retrimuntur.

Guiravera reprimitur.

Iterum furit.

cuperet, duas tantùm adhibebat; & unam, si solito tantùm more debacchari luberet. Harum laminarũ alterã fuisse orbem illũ argenteum, quem Sacerdotes patenam vocant, non sine indiciis fuisse se suspicatum, mihi olim ipse Simon Maçeta narravit: qui inter hæc terriculamenta ita se gerebat, ut nec mortem timere, nec ferocientem irritare velle ostenderet. Aliquando contigit, Guiraverâ maximè furente, ut nihil propius esset, quàm ut pro Fide mactaretur; obtinuissetque indubiè Martyrii palmam, nisi evitato prudenter periculo, his cogitationibus incitatissimum Martyrii desiderium repressisset. *At si nunc moriar*, inquiebat, *quid de tot Barbarorũ millibus, quid de eorum animis nondum Fide confirmatis fiet? absit, absit, ô Deus, ut tot carissimorum filiorum jacturâ lauream unam, quamvis æternam, emam. Tu de mea gloria aliunde providebis; mihi certum est coronam, lauream & purpuram majori tuæ gloriæ postponere. Pro fratribus meis anathema lubens fiam, & permittam ut deleatur nomen meum de libro Martyrum, ut tot animæ scribantur in libro vitæ. Æterne Deus, hoc meum sit sacrificium, nolle sacrificari, ut tuis aris tot Barbarorum animæ sese sacrificent.* O dignam cedro vocem! dignam æternitate! te, ô generose Athleta, non Martyrem tantùm, sed plusquàm Martyrem Cœlum agnoscet: nam audi Chrysostomum. *Ponamus quempiam Martyrium approbare & cremari: alium verò ad ædificationem proximi Martyrium differre, nec differre modò, sed etiam absque Martyrio decedere. Verè igitur post hanc peregrinationem major erit; non enim multis in hoc loco rationibus opus est, cùm Beatus Paulus magnâ voce sententiam jam protulerit, dicens: Cupio dissolvi & esse cum Christo, melius mihi autem, in carne adhuc permanere propter vos.* Hæc Chrysostomus: cujus sententiæ Divus Thomas suffragatur. Hâc constantiâ Simonis Maçetæ, contusa tandem Guiraveræ atrocitas est, qui cùm se Baptismo expiari velle ostenderet, & dubitaretur, quo potissimùm nomine indigetandus esset, injectis in urnam plurimorum Divorum nominibus, sorte dubium dirimere placuit: & quod mireris, tribus continuis vicibus educta scheda nomen Sancti Pauli retulit, ut nemini jam dubium videretur, alterum Saulum Guiraveram fuisse, & Paulum, si voluisset, esse potuisse. Sed proh dolor! Paulus esse noluit; nam post variam fortunam, in antropophagiam, ut fertur, relapsus, ab latronibus trucidatus interiit: tamen, eo baptizato, ex tot antropophagis neminem puduit Christi partes sequi; & qui ossa humana ad cuspidandas sagittas acuere solebant, nunc crucibus, quas collo appenderent, faciendis insistebant. Atque hic est Guiravera, tot annorum labor, tot periculorum occasio, tot hominum helluo, tot Neophytorum pavor, & Sociorum JESV, per Guairaniam sparsorum, coronarum fabricator; documentum posteritati futurus, quantâ animi fortitudine, quantâ virtute opus sit ad exclamandum in hac barbarie: Saule, Saule, quid me persequeris?

Maçeta Martyrii desiderium reprimit.

Guiravera Baptizatur.

CAPUT XII.

De Mamalucorum origine, moribus & Sociis.

AUGEBATUR in dies res Christiana, spes erat futurum, ut Guairania tota ad partes veri Dei transiret, cùm dæmon, hostium suorum prosperis rebus irritatus, vires undique colligit: & quà per se, quà per Mamalucos, affeclas suos, novarum coloniarum ab Societate JESU in Guairania constructarum ruinam machinatur, exitiali planè successu. Res ipsa hortari videtur (quoniam per Mamalucos res peracta est) de eorum ortu, patriâ, moribus & Sociis explanare, ut quibus artibus florentissimam Provinciam labefactarint, & spem omnem aliquando restituendæ rescciderint, aliasque terras depopulati fuerint, planiùs deinde edisseram.

Brasiliæ descriptio.

Brasilia, novi Orbis Provincia, Æquatorem ab Septemtrione pro termino habet; ad Austrum ibi esse desinit, ubi fluminis Argentei præfecturæ fines terminantur. Ferè tota littoralis est, & vix extremâ sui parte ad Mediterranea aliquousque excurrit. Hanc terram Lusitaniæ Reges diversis temporibus coloniis occuparunt, & Joannes Tertius in præfecturas, operâ Alfonsi Sosæ Prætoris, divisit: qui post sectam Provinciam, oppidum Sancti Vincentii, quinque & viginti circiter supra Æquatorem gradibus, eo loco construxit, castroque & turri munivit, ubi exiguus maris sinus duabus insulis, quasi totidem propugnaculis, obvallatur. In Insularum una, aliud oppidum omnibus Sanctis dedicatum ædificavit; ut unum alteri præsidio foret. Ex his duobus oppidis aliquot in Mediterranea coloniæ ductæ sunt, quarum una

Piratininga nuncupatur. Hanc, biennio ante Divi Ignatii mortem, primus Brasiliæ Provincialis Emmanuël Nobrega ideò ab Divo Paulo nominavit, quòd ipso Divi Pauli sacro die Piratiningam ingressus fuisset. Quamvis verò Socii omnes, fundato inibi Collegio, cum laude desudarint, Josephus tamen Anchieta, miris rebus patratis, & innocentiâ vitæ longè aliis antecelluit; & Europæi coloni diu avitum decus conservavêre: donec, ob defectum fœminarum Europæarum, mixto cum Barbaris genere, insignis ille Lusitanorum sanguis corrumpi cœpisset. Quæ generis mixtio, ubi interjecto tempore plures corripuit, & optimis patribus succedere dissimiles filii, & nepotes vitiosiores; egregia illa Lusitanorum virtus Barbari sanguinis iteratâ mixtione suffocata periit, & magnanimi illi Brasiliæ fundatores in Piratininganos præsertim nepotes nihil nisi gentilitia nomina transcripsêre. Hanc progeniem Lusitani suo nomine dedignantes (ut Orlandinus in historia Societatis notat) barbaro vocabulo Mamalucos appellant; ut, qui toto cœlo sibi dissimiles sunt, dispar etiam nomen sortiantur. Accessere huic generis & morum conditioni pejores socii, qui eò aliunde licentiâ & naturâ loci allecti frequenter aliquando confluxere. Nam Piratininga, si agri fertilitatem & situm consideres, scelerate & delicatè vivere volentibus æquè tutelam ac materiam præbet. Quindecim leucis distat ab Oceano, paulò supra eum gradum, quo zona temperata Torridæ committitur. Unde media inter utramque temperie gaudens, in pleraque vitæ commoda utilis est, adeò ut non tantùm sibi ipsi, verùm etiam reliquæ Brasiliæ ob nimios calores humoremque luxurianti, frumenti & pecoris, necnon aliarum rerum abundantiam sufficiat. Saccari ferax est, nec auri fodinis prope & procul repertis caret. Ex Oceani portibus eò ire volentibus, per abrupta montium cacumina unicum & difficile iter est; adeò angustum, ut perpauci homines multitudinem ab aditu facilè arcere possint. Atque hæc agri felicitas, & natura loci, omni vi impervia, plurimos mortales, quos scelerum conscientia, appetentiáve torquet, ex Brasilia & Europa allicit. Variarum itaque nationum & vitiorum homines, invento suæ indoli opportuno loco, cum Mamalucis amicitiâ & connubiis fœderati, longè aliter quàm egregii illi Lusitani Brasilicarum coloniarum prisci ductores, Indorum res tractavere. Primum & palmare furoris experimentum, sicut ego comperi, in Tupinaquios fuit. Tupinaquiorum gens in utroque littore Aniembi fluminis, ex promontorio frigido originem sumentis, & longo pòst tractu per Guairaniam in Paranam se exonerantis, fermè vivebat. Triginta sagittariorum millia in trecentis pagis censita olim fuisse perhibebantur; totam tamen eam gentem sexennali bello ita confecêre, ut nullum fermè, præter pagorum ruinas, tantæ multitudinis vestigium supersit. Confecto Tupinaquiorum bello, Tupiguarum utraque Jeticai fluvii littora incolentium fines anno præteriti sæculi octogesimonono, circumlato priùs per circumjacentes Provincias terrore, aggressi, ingentem populationem per septennium fecere, quam excepit quinquennalis Paraubabæ in Amazonum fluminis capita sese exonerantis vastatio. Philippus Rex Catholicus detestatus abactorum ferocitatem, renovatis Caroli Quinti & Regum Lusitanorum legibus, in favorem Indorum latis, diploma scripsit, quo vetabat Barbaros qualicumque prætextu fieri captivos. In id invigilabant Brasiliæ Magistratus, & Prætores, adeoque ipsius Piratininganæ urbis Præfecti. Sed Mamaluci, pessumdatis novis & antiquis juribus, etiam quàm antea ferociùs perniciei Indorum institêre. Ne tamen palam Regiis legibus refragari viderentur, speciosas & Regi utiles causas imposterùm prætenderunt: pulchro pallio suam fœditatem occultantes. Quasi ergo ad aurifodinas in Mediterraneis regionibus repertas ire vellent, sæpiùs ex Piratininganо, necnon Sancti Vincentii & Sanctorum omnium agro, catervatim effusi, Indorum innumeram multitudinem, dolo vel vi abductam, pro mancipiis distraxêre. Et quod ridiculum in tam deflendo negotio videri potest, è patriâ ad sua latrocinia discessuri (in quibus excursionibus tres quatuórve annos electo duce ponunt) Sacramentis in speciem se expiant. Sacerdotes sui genii & conditionis quandoque secum ducunt. Imaginem Virginis MARIÆ in Divi Pauli suburbiis piè cultam (nam Piratininganorum multi pietatem colunt) venerabundi adeunt, suppliciter po-

Emmanuël Nobriga nomen Piratiningæ indit.

Mamalucorum nominis origo.

S. Pauli oppidum.

Tupinaquii.

Tupigua.

Paraubaba fluvius.

Mamalucorum simulatio.

stulantes, ut sibi incolumibus ire & redire per summa pericula liceat. Sunt qui Virgineæ statuæ pedem quo jam ob nimiam (si Superis placet) latronum pietatem caret, scalpunt, pulviſculum ex abrasione ceu amuletum asportantes: quasi verò Cœlorum Regina perfidos sospitari, & latrocinia adjuvare amaret: & quod bilem moveat, mortalium pessimi latrocinia sua expeditiones Apostolicas appellant, eo fine Barbaros è latebris à se erui dictitantes, ut ad humanitatem legemque Christianam adducant. Possem, si vellem (nam monumenta è Brasilia allata apud me sunt) qui, quando, quibus artibus, & quâ crudelitate, multas regiones depopulati fuerint, explanatiùs referre: possem latronum capita, populos ab ipsis deletos, diminutósve, nominatim appellare. Sed breviùs absolvam, si dixero, quidquid ab fluvio Maranione usque ad trigesimum latitudinis Australis gradum continentis est, continuis eorum excursionibus, factis ubique depopulationibus, patuisse. Restabat Guairaniæ pars, necnon regiones aliæ, JESV Sociorum Paraquariensium laboribus claræ, quas quomodò aut penitùs vastarint, aut labefactarint, narratione in multos annos producendâ, scribere aggredior. Unum tamen monuerim, hæc me de Mamalucorum origine & moribus, eorumque affectis præmonere voluisse, ne quis, quod turpissimæ prosapiæ proprium est, Lusitanorum nationi, de re Christiana benè meritæ, imprudens adscribat.

Ficta pictæ.

Devastationes.

CAPUT XIII. Occasio Guairaniæ depopulationis.

LUDOVICUS Cespedes, vir sanguine clarus, anno superiori ex Hispania in Brasiliam appulerat, in Paraquariam, cujus præturam ab Rege Catholico impetrarat, trajecturus. Duo è Brasilia in Paraquariam itinera sunt. Unum terrâ, alterum mari. Illud, quo terrâ itur, ne quid molestiæ Indis inferatur, regiis legibus clausum est. Placuit tamen novo Prætori iter terrestre, ex indulto, ut aiebat, Regis arripere. Piratiningam itaque profectus eo tempore viæ se dedit, quo nongenti omninò Mamaluci, & bis mille & ducenti Tupici (sunt hi Indi Mamalucorum amici ferocitate insignes) in Guairaniam ad faciendam depopulationem se adornabant. Dux ordinum, dictus Antonius Raposus; præerant cohortibus alii Indorum abactionibus infames. Malâ igitur tempestivitate Prætor Piratiningâ exiens, per aliquot dies terrestri itinere progressus, reliquam deinde viam in Guairaniam fluvio confecit. Laureti adnitente Antonio Ruisio magnificè exceptus, pro honore acerba dicta rependit: habitoque de præcavendis Mamalucis consilio, nihil satis firmi constituit. Et quamvis non potuit non laudare Sociorum labores, nusquam adduci potuit, ut contra prædones auxilia prævideret, imparem se eorum viribus testatus: sed constat remisisse aliquando eo in negotio se gessisse, ideóque ab Senatu Regio interjecto tempore eum multatum fuisse. Interea temporis, Mamalucorum cohortes Ethnicorum terras non longè procul ab Neophytorum nostrorum oppidis depopulabantur; nihil quidem in Neophytos ab Societate reductos intentantes: sed Socii non imprudenter suspiçabantur, sub cinere doloso latere hostilem ignem, qui mox magnum excitabit incendium: nam nulli non obvium erat, occasionem invasionis ab prædonibus quæri.

Mamalucorum copia.

Ludovicus Cespedes remisse agit.

CAPUT XIV. Mamaluci oppidum Divi Antonii depopulantur.

TANTI incendii occasio Tatarana Casiquius fuit: innocenter tamen. Is pridem Simoni Alvaro Mamaluco præda cesserat. Sed deinde, eluso injusto Domino, in pristinam libertatem cum suis se asserens, ad Sancti Antonii fugâ contenderat: quâ re cognitâ Simon Alvarus, unius Mamalucorum cohortis ductor, ab Petro Mola Antonianæ coloniæ directore, Tatauranam reposcit: qui cùm respondisset, Tatauranam naturâ liberum esse, nec sibi lubitum contra naturæ leges eum denuò vinculis induere, qui se jure & feliciter illis expedierat, irritavit latronem, qui statim communicato cum Antonio Raposo Mamalucorum duce consilio, totius Sancti Antonii coloniæ perniciem in vindictam machinans, cohortem suam arma expedire jubet. Contrà, Petrus Mola, invasionis certus, aut metuens, quotquot erant in oppido infantes Baptismo expiat: quo in opere quamvis verba merè tantùm necessaria ad confectionem Sacramenti proferret, septem omninò horas ob numeri magnitudinem posuit; tantâ defatigatione brachiorum, ut fulcro sustentari ei debuerint.

Occasio proxima depopulationis.

Petrus Mola infantes baptizat.

buerint. Altero die Mamalucorum numerosa cohors, Simone Alvaro duce, oppidum aggreditur; diripit, sacra profanaque miscet, obluctantes obtruncat, in gentis primores vincula injicit, imbellem turbam abigit, Petrum Molam supellectile spoliat: qui in omnem partem se vertebat, quâ putabat latrones ad commiserationem inflecti posse. Per Superos obtestabatur Indorum innocentiam, furibundis supplex fiebat, audacissimos obsecrabat, alios objurgabat; sed ubi vidit in ipso templi sacro sinu nihil tutum esse, & apud perditos homines nihil pietatem valere, desperatâ corporum salute, ad animorum integritatem libertatemq; procurandam vires omnes convertit. Igitur hinc inde cursitans, captivos interrogat, num crederent quæ de Deo Trino & Uno ipsos docuerat? affirmantes, aquâ, quam in vasculo circumferebat, ritu Catholico abluit; alios aliter juvat, omnes lacrymans solatur, singulos amplectitur. *Filioli mei*, inquiebat, *quos in Christo genui, utinam vos omnes in sinu meo fovere possem.* Sic nudis cruentatisque crebro offendiculo pedibus, & brachiis frequentatione Baptismorum defatigatissimis, filios in Christo genitos alloquebatur, cùm nescio quis ex Mamalucorum cohorte nebulo, ne tanta pietas aliquot Indos ab captivitate retardaret, Patrem optimum occidere destinat: & de eo actum erat, nisi collineantem latronum alter ab proposito divertisset. De audacia sacrilegum hominem Petrus Mola fortiter redarguit, indignam cœlo manum, quæ tantum facinus attentaret, docens. Risit latro, & invito etiam Deo se post mortem cœlos petiturum vociferans, felicitatem post susceptum Baptismum nulli negari, ne ab ipso quidem Deo posse, si in Christum credat, ex hæreticorum placitis asseruit. Bis mille & quingenta circiter Indorum capita in hac invasione prædonibus cessisse dicuntur; relicto sine grege Pastore, tantam jacturam absque spe recuperationis gemente, & ante oculos suos, filios suos, quos in Christo genuerat, ceu pecora, abigi miserè lamentante. Et mutuus erat captivorum dolor, anxiè circumspicientium, num quæ à vinculis effugii pateret porta: quâ repertâ ausi sunt aliqui ad Petrum Molam transfugere. His accessêre nonnulli, qui sese latebrarum beneficio à prædonum furore exemerant, quos benevolè exceptos ad Incarnationis oppidum dum deducit, ferè mortem reperit; nam plerique mutatâ voluntate tumultuari cœpêre, Patrem Molam perfidiæ arguentes, & cum latronibus colludere affirmantes: & jam expeditis armis vim parabant, cùm Petrus Mola tumultuantes compellans, Societatis in totam gentem beneficia commemorat, Christophorum Mendoçam nuper à Mamalucis vulneratum, & ab iisdem sibi intentatam pridie necem, aliaque deprædicat. Valuit earum rerum commemoratio in præsentiarum, & quorumdam Neophytorum fidelitas, ad compescendum repentinum tumultum. Sed mox casu auctum periculum est: nam Ethnicorum ingens multitudo, pridianæ depopulationis nescia, ad Sancti Antonii coloniam Christo nomen datura ventitans, ut vacuam mortalibus, & humanis cadaveribus fœdam vidit, excanduit; atque turmatim omnes dispersi popularium suorum, ut aiebant, ultores Societatis homines, ceu proditores, ad necem quærebant. Sed jam Petrus Mola evaserat, Silverii Pastoris ex Incarnationis oppido obviam progressi & subsidium adferentis ope, sine quo ob defectissimas vires in via indubiè periisset.

Latronibus supplex fit.

Periculum vitæ adit.

Bis mille & quingenta capita abiguntur.

Iteratum Molæ periculum.

Socii ad necem quæruntur.

FAMA invasionis ad Sancti Michaëlis coloniam perlata Christophorum Mendoçam & Justum Vansurkium ibi curantes perpulit, ut imminens malum quoquo modo possent, averterent. Et quia remanere in oppido intutum erat, oppidanis omnibus suadere conantur, ut secum ad Incarnationis coloniam fugiant: inibi viribus junctis resisti prædonibus posse. Multi dicta Patrum audientes, Vansurkio se ducendos tradidere: quibus obviam progressi Socii & Neophyti ex Incarnationis oppido, Vansurkium cum comitatu pænè jam deficientem abundè recrearunt. His in tutum receptis, Vansurkius ad Sancti Michaëlis iter relegens, reliquæ genti suasit, metu imminentis hostis se sylvis abderet. Ipse cum duobus adolescentibus in vacuo oppido remansit, ingenti cum vitæ discrimine; nam plerosque invaserat præteritarum suspicionum virus, & ferebantur aliquot Barbari Vansurkii solitudini insidiari, ad quem defendendum cùm aliquot Incarnationis Neophyti processissent, in manus

CAPUT XV.
Divi Michaëlis oppidi depopulatio.

Vansurkii periculum.

Mamalucorum incidentes, nequicquàm eos repoſcente Vanſurkio, vinculis onerati, in ſervitutem abacti ſunt. Paulò pòſt Antonius Vicudus, dux alterius Mamalucorum cohortis, Antonianæ depopulationis invidentiâ motus, nullâ re laceſſitus, Sancti Michaëlis coloniam ingreditur; quam ut inanem vidit, frenduit, & vicinitatem circum omnem per quatuor in circuitum leucas explorans, quotquot in ea regione remanſiſſe comperit, captivos fecit. Deſtructis his duobus oppidis, Caaïvenſium, numeroſiſſimæ gentis Socios JESV deſiderantis, converſioni opera dari non potuit.

CAPUT XVI. JESU-Marianæ coloniæ devaſtatio.

INTEREA temporis innumeræ trepidantium turmæ ad Jeſu-Marianam coloniam confluebant, ſanctiſſimorum nominum oppido, & Simonis Maçetæ virtute, quaſi aſylo, libertatem ſuam tutaturæ. Fruſtra tamen; nam nec ſacra nomina, nec optimi viri virtus in veneratione perfidis fuere. Emmanuël Moratus, turmæ Mamalucorum præfectus, cognitâ JESU-Marianorum multitudine, ſumptis ex aliis latronum cohortibus auxiliaribus copiis, & duobus Tupicorum ſubſidiariorum millibus, menſe Martio jam adulto armatum ſe JESU-Marianis oſtendit. Primores gentis exploraturi, num palam hoſtili animo tot cohortes venirent, extra oppidum paululùm progreſſi, catenis ſtatim onerati ſunt. Simon Maçeta ubi rem hoſtiliter agi videt, ad reprimendum quoquo modo poſſet Sacrorum reverentiâ furorem, Cruce manu prætenſâ, initiatâ veſte indutus latrones adit; quem contemptui habentes, Indorum deceptorem, vix alutâ & centone tectum, fatuumque appellavere. Circumdabant Patrem optimum nuper in Chriſto renati filii, & amorem quà lacrymis, quà verbis exprimebant: quos inter Curuba, Caſiquius potens, filiali confidentiâ apud eum de violentia ſibi illata conqueſtus, ab inſigni prædone ſclopeti glande transfoditur. Infremuit Simon Maçeta, & homicidam ſeveris verbis pupugit, qui innocentis ſanguinis libamento ferox, exerto acinace, Sacerdoti necem intentat. Maçeta verò pulchræ mortis avidus pectus illicò denudat, & inclinat caput, ſeu punctim transfodere, ſeu cæſim obtruncare vellet, paratus. Neutrum auſus eſt ſacrilegus, minoremque ſuam ferocitatem Patris magnanimitate faſſus, ferrum recondit: quamquàm in aliis ſchedis reperio ab prædone acinacis ictum vibratum fuiſſe, & ope Divinâ in vanum abiiſſe. Quam rem in medio relinquo. Volutabatur interim in ſuo ſanguine Curuba, Chriſtianorum Sacrorum adhuc candidatus, qui antequàm exſpiraret primo militiæ Sacramento initiatus, vix tyro in Cœli capitolium triumphum duxit. Prædonum interim furore omnia miſcebantur. Guiravera cum cæteris oppidi primoribus catenatus; ignobiles manibus poſt terga revinctis, ceu pecora, abacti, ſacraque profanata ſunt. Neophytus necem fugiens in ipſo amplexu Simonis Maçetæ ingenti ipſius diſcrimine bombardâ ab prædone transfoditur; qui cùm audiſſet inferni pœnas ob tantum ſcelus ſibi intentari, reſpondit, ob mala opera Fide Chriſti munitum ab ipſo Deo cœleſti gloriâ privari non poſſe: quod quàm falſum ſit, plumbeis glandibus aliâ occaſione ante pœnitentiam interfectus, abundè nunc cognoſcit. Ejus cadaver poſt mortem in ſepulchro non repertum, anſam dedit exiſtimandi ab dæmonibus cum anima ſublatum fuiſſe.

JESU-Marianorum ſimplicitas.

Curuba occiditur.

Maçetæ periculum.

Neophytus mactatur.

CAPUT XVII. Geſta poſt depopulationē narrantur.

COGNITO Maçetæ periculo, ad eum liberandum ex Archangelorum colonia Petrus Spinoſa cum aliquot Indorum centuriis noctu accurrens, ſcopulo alliſus ſibi pænè cervices fregit: quo caſu tribus horis exanimatus ægerrimè deinde convaluit. Trecenti Neophyti ex Sancti Thomæ oppido, Franciſco Diaſtanio comitante, ſuppetias etiam laturi eò ſeriùs pervenêre: nam prædam abegerant latrones, plus æquo in re peſſima ſolliciti. Nec aliud properatorum auxiliorum lucrum fuit, quàm aliquot captivos ex ultimis turmis è vinculis fugientes excepiſſe. Diaſtanius Simonis Maçetæ orbitati (nam ex tot capitibus duo tantùm adoleſcentes ſupererant) diu illachrymatus, horruit ad conſpectum deſtructi oppidi, trucidatorum cadaveribus ſtrati: inter quæ paſſim occurrebant corpora puellarum, ideo occiſarum, quòd ſuo pudori conſulere voluiſſent. Humatis de-

Aliquot captivi redimuntur.

center

center corporibus, execrati latronum inhumanitatem, ad Sancti Thomæ ambo redeunt: nam Diastanius coram Simone Maçeta solemniter quatuor vota profiteri ipso Incarnationis Dominicæ die jussus fuerat. Ciborum verò in tanta celebritate varietas hæc fuit. Farinæ lignææ dimensum unum, piscículi tres & aquæ limpidissimæ, lachrymarumque quantum satis; apud prudentes rerum æstimatores Sociorum parsimoniæ magnum argumentum: nam si tales geniales epulæ, quales demum quotidianarum mensarum fuere deliciæ, facilis conjectatio est. Hos pisces Diastanius in ducentarum leucarum viaticum pro Maçeta sepositi: consilium enim ei dederat latrones eò usque sequendi, quò assequeretur, prædam exoraturus, aut jure in Brasilia favore Magistratuum extorsurus.

Franciſci Diaſtanii profeſſio.

CAPTO viæ consilio Simon Maçeta, destructorum oppidorum pro absente Ruisio præfectus, & Justus Vansurkius, suis ovibus spoliati, deliberatâ priùs pro Indorum jure tuendo morte fortes, per immensam solitudinem latrones insequuntur, & paulò pòst assequuntur. Mamaluci, in turmas ut ante divisi, ingentem captivorum turbam præse agebant; ne cui daretur effugii locus, ferreis torquibus oblongâ catenâ continuatis Casiquios inseruerant, reliquos vinctis passim manibus incedere cogebant. Maçeta primo occursu ut catenatos vidit Indos, ab se in Christo genitos, affectu paterno & Numine instigante. *Quid*, inquit, *agis, ô anime? injice pedem tuum in compedes illorum, & in torques illorum collum tuum, & ne acedieris vinculis eorum.* Quo dicto per renitentes Mamalucos præceps & obluctans filios revinctos amplectitur, ipsâque catenâ se implicans, Sacerdos supplex fit prædonibus: *Aut me*, ait, *simul rapite, aut filios, quos in Christo genui, solvite; non sunt iniquæ preces Patris libertatem innocentium filiorum postulantis, quos ut à dæmonis servitute eximerem, in filios me semper habiturum spopondi. Nihil in eis noxæ est, nisi noxam putetis benè monenti credidisse.* Risit prædo bonum Patrem, & phanaticum, qui talia & diceret & faceret, asseruit. Non destitit tamen Maçeta eò usque supplex, quò, uno è latronibus emollito, aliquot filios in Christo carissimos redemerit. Hoc successu lætus ad aliam latronum cohortem se confert idem tentaturus: inter quos, ut filios carissimos vinculis onustos, viribusque defectissimos vidit, commota sunt ipsius viscera, & blandè alloquutus, magnos catenarum nexus collo rursum sibi injicit, seque in his moriturum affirmat, priusquàm à catis pignoribus separari se permittat. *Quocumque vos casus traxerit*, inquiebat, *me comitem habebitis: nec famem, dum vos esurietis, nec sitim, dum vos sitietis, nec mortem, dum vos moriemini, formidabo: catenæ & servitus inter catenatos filios mihi dulcescent.* Sed præsertim vincula Guiraveræ amplexatus: *Volo*, clamabat, *coronæ meæ fabricatori beneficus esse, volo nunc implere novum præceptum Domini, jubentis inimicos diligere.* Prædones nihil tum tantâ virtute mitiores effecti illum exagitare, ab carorum amplexibus avellere, exertis pugionibus mortem iis minitari, qui plùs à Patre amari videbantur; sed Maçeta, inter cara pignora & pugiones medius, imminentes ridebat mucrones, & suorum miseriam deflebat, donec crudelitas tantâ pietate victa, octo captivos in constantiæ spolium ei concederet: quos inter Guiravera & ejus uxor heroïcæ virtutis præmium fuere: tantum potest aliquando etiam apud ferocissimos homines pietas, si constantiâ non destituatur. Sæpiùs postea hâc arte alios in libertatem asserere tentavit, irrito tamen deinceps conatu; nam quamvis nondùm benè firmata crudelitas vinci subinde se sinat, ubi tamen induruit, nec flecti vult, & se vinci passam pudet. Ne igitur commiserationis latrones pœniteret, Indos è vinculis ereptos cum atæ portatilis bajulis in Guairaniam Socii remisere. Solis deindè tribus comitibus, sylvestribus baccis victitantes, latrones per immensa terrarum spatia sequebantur, præsenti non semel evitato vitæ discrimine. Pedetentim ibant Mamaluci, ne acceleratione captivi in via omnes deficerent: fiebat tamen sæpè, ut morbo fameque defecti, aut ipsâ senectute pueritiáve imbecilles, omninò fatiscerent; quos Maçeta & Vansurkius Sacramento initiali aut Exhomologesi expiatos, cum morte mox luctaturos, omni humanâ ope destitutos, in media solitudine feris expositos, quò aliis idem beneficium præstare possent, post se deserebant.

CAPUT XVIII. Simon Maçeta & Justus Vansurkius latrones usq; ad Brasiliam insequuntur.

Maçeta pietas.

Caritas.

Periculum.

Itineris ratio.

Vidisses

Vidisses in ipsa multitudine adolescentes matribus suis, matres filiis, filios patribus, uxores maritis onustos: & passim maritus uxori filiolum humeris gestanti succollabat. Si quis fugam intentaret, vi retractus crudeliter vapulabat; nec cuiquam impunè licitum erat apud patrem matrémve, præ infirmitate in via deficientes, remanere: sed quo quisque locò fatiscebat, eodem solus cogebatur mori. Ab amplexu morientis filii mater paterque avellebantur, & ne soror fratri morienti oculos clauderet, violenter prohibebatur. Matribus mortuis, proles defectu lactis, aut peribat, aut ægrè sustentabatur: ejusmodi infantem Socii longo post multitudinem intervallo repertum, priùs baptizatum humeris suis ad castra Mamalucorum retulêre, cui, nequicquàm renitentibus latronibus, nutricem invenêre. Superatis tandem ærumnosissimæ & longissimæ viæ laboribus Piratiningam delati, luculenter & amicè ab Collegii Paulopolitani Sociis excepti sunt. Et quia in ipsa prædonum patria remedium desperabant, terrâ marique ad Januariensem portum perrexêre: ubi quid egerint, quid ab Brasiliæ Prætore, quid ab Senatu, quid ab aliis impetrarint, quomodò inde redierint, cùm res hujus anni reliquas evolverim, dicere in animo est. Mamaluci Piratiningam, nono ab discessu mense, cum quindecim captivorum millibus revecti prædam inter se diviserunt, uno ore fatentes, nullibi se feliciùs & numerosiùs prædatos fuisse.

Captivorum miseria.

Sociorum Paulopolitanorum beneficentia.

CAPUT XIX.

Per totam Guairaniam res turbantur.

Societas in suspicionem adducitur.

Se purgat.

Guiravera suspiciones dissipat.

PORRÒ Guairania recenti clade concussa miserè jactabatur, & pravis consiliis suspicionibusque collidebatur: nam Neophytorum Catechumenorumq; quàm plurimi existimabant, eo fine ab Societate in colonias se redigi, quò faciliùs Mamalucis traderentur, passim aïentes non esse fidem adhibendam iis, qui toties asseruerant, Mamalucos illis tantùm infestos fore, qui Christo nomen & Hispano Regi non dedissent: plùs æquò se esse expertos, utrisque esse noxios: & si præterita perpendantur, plus periculi inesse in oppido coactis, quàm hinc inde per sylvas dispersis: post adventum Patrum plures uno die, quàm multis retrò annis, Mamalucorum armis periisse. *Quid*, inquiebant, *hos Patres sequimur? num satis mortium, num satis vinculorum vidimus? quid nos fictis lacrymis decipi sinimus? Patres se dicunt, ut benevolentiæ specie deceptos nostris nos hostibus tradant. Patribus crebrum cum Mamalucis consilium est, idemq; utrorumque finis: nos & patriam magno metu liberabimus, si domesticum hostem perdamus.* Auxit suspicionem fama, quâ ferebatur, multos sylvestres Ethnicos insignem cladem Mamalucis intulisse. Igitur nonnulli captabant facinoris patrandi occasiones. Socii contrà, sui purgandi causas in vulgus ubique spargentes, vetera & recentia Societatis in gentem universam beneficia referebant: aiebantque, jus Indorum etiam cum æstimationis & bonorum jactura contra malevolos constanter defensum. Villaricanis authores fuisse, ne Guairaniæ populis graves esse vellent. Multas leges ab Rege Catholico in Indorum favorem, adnitente Societate, latas esse & promulgatas. In perniciem suam cœcos omnes ruituros, ni Sociorum consilio regerentur. Indignum esse malè suspicari de iis, quos vidissent, spretâ corporum salute, per tot retrò annos suis animis corporibusque fuisse utiles. Præterea singuli sua merita recensebant, Ruisius, Cataldinus, Diastanius, Salazarius, Mendoça, Spinosa, Bennavidius, Mola, spretam sæpiùs abs se mortem ob Indorum salutem, diu noctuque ad omnium nutum semper se paratos fuisse; nullas itinerum difficultates subterfugisse, nullum laborem renuisse. Sed ad hæc Barbari, impetu magis quàm ratione regibiles, ferociam potiùs quàm confidentiam ostentabant, rationum acervum novum dolum interpretantes. Periculum itaque in portis erat, cùm Guiravera è captivitate Simonis Maçetæ beneficio redux repentinus advenit, qui ut traductam suspicionibus Societatis famam cognovit, excandescens: *Quid*, inquit, *ô populares mei, IESV Socios Guairaniæ servatores per nefas falsis opinionibus opprimitis? Simon Maçeta, ut me vinculis exueret, illis sese induit, tamdiu prædonibus supplex minaxq;, donec liberum me vobis restitueret. Comite Vansurkio libertatem nostram procuraturus, cauturusq;, ne quid hostes in nos deinceps audeant, in Brasiliam proficiscitur.* Plùs profuit recens & palpabile exemplum, quàm rationum pondus, & Guiravera per Guairaniâ dissertabundus excurrens suspicionum

maculas

maculas utcumque abſterſit. Sed Villaricæ res turbidæ erant, nam nonnulli cives, conatu temerario, auſi ſibi vindicare eos fuerant, qui ex Sancti Antonii oppido è Mamalucorum manibus evaſerant. Cui rei, ne novarum ſuſpicionum motivum eſſet, obnitendum Patres cenſuere. Sed tamen inter has turbas maximè deplorandum fuit, quod Prætor Guairaniam, Provinciæ ſuæ præcipuam partem, in tanta calamitate neceſſario ſubſidio deſtituerit.

CAPUT XX. Loquacia Ariolorum oſſa venerationi ſubducuntur.

POST diſceſſum Prætoris, Franciſcus Diaſtanius apud Nivatinguienſes pro negotio divertens, ingens malum toti Incarnationis oppido magno cæteræ Guairaniæ bono detexit. Rem breviter exequar. Incarnationis oppidani quondam Antropophagi, Chriſtophori Mendoçæ induſtriâ ita mores mutârant, ut ſeſquimille familiæ recenter reductæ nihil à veteribus Neophytis differre viderentur. Verùm inter turbamenta ſurgentis belli, dæmon quorumdam ariolorum animos ſollicitans eò rem deduxit, ut ab ingreſſu templi abhorrerent, ſermones de rebus Divinis audire nollent, Ethnicos & infantes, ne baptizarentur, abſconderent, Cruces everterent, &, quod ante in deliciis erat, Sociorum aſpectum fugerent: denique apud pleroſque omnia pietatis officia ita frigebant, ut omnium judicio alius populus, quàm paulò antè fuerat, & ad antiquam feritatem rediiſſe, videretur. Dolebat Diaſtanius lætiſſimum Evangelii agrum, tot ſudoribus excultum, ex feraciſſimo ſqualidum ac ſterilem factum; cúmque cauſam diu fruſtra indagaſſet, ab adoleſcente domi educato præter ſpem totam rem cognovit. Is enim narravit ariolorum id opus eſſe, quibus dæmone monitore Cruces omnes ludibrio eſſent: maximam partem Incarnationis incolarum eorum præſtigiis dementatam; duo fana ab iis in montium ſummitatibus conſtructa, quò confluerent omnis ætatis & conditionis viri fœminæque: in utroque fano ex ariolorum olim mortuorum cadaveribus dæmones oracula, qualia ſolent, reddere: iis colendis Sacrificulos ex utroque ſexu creatos: ipſos oppidi ædituos, & Chriſtianæ catecheſi præfectos, maleficio eſſe infectos, & alios inficere: nihil ibi ſacrilegii, nihil in Chriſtum injuriæ prætermitti. Hanc ſummam inter initiatos religionem eſſe, viros velut mente captâ cum jactatione phanatica corporis vaticinia expetere; fœminas crinibus paſſis perpetuum ignem in dæmonis honorem fovere. Nefas eſſe oſſa ariolorum, quæ carnem denuò induiſſe mentiebantur, manu contingere. Diebus Dominicis & feſtis eò tantummodo concurri, eo fine, ut Chriſtianæ conciones & ſacra deſtituerentur. Peractum indicium Diaſtanius ad Ruiſium & alios Socios retulit, quos ingens timor cepit, ne ea principia magnum malum cæteræ Guairaniæ importarent. Decretum itaque eſt, ut hinc Antonius Ruiſius & Chriſtophorus Mendoça, illinc Franciſcus Diaſtanius & Joſephus Domenecus, quanto poſſent ſilentio, ad fana comburenda, caſtigandosque mali authores, pergerent. Rebus ſic ordinatis, intempeſtâ nocte, confecto Sacrificio, indicibus & ſelectis Neophytis comitati, per tenebroſa loca iter arripiunt. Diaſtanius & Domenecus ſub ortum Solis ad unum è fanis opinione celeriùs delati, reperêre omnia cum indiciis quadrare: nam illud amplum erat, & intus arioli cadaver in ſecreta templi parte, lecto è duabus columnis penſili impoſitum, multis ſindonibus involutum, & verſicoloribus plumis ornatum, ſummâ cerimoniâ ac religione colebatur. Foris ædiculæ plurimæ, quibus promiſcuè ſua jejunia & debacchationes initiati celebrabant: è templi tholo pendebant innumera dæmoni anathemata, qui viciſſim ſuos cultores vanis mendaciorum delitiis ad inſaniam uſque dementabat. Cùm verò Franciſcus Diaſtanius exquireret, ecquæ ſolerent dæmones ex his oſſibus effutire; comperit nihil illis magis in ore eſſe, quàm bonum nomen Societatis infamare; crebrò aſſeri, JESU Socios Indorum ruinam per ſpeciem pietatis quærere; eoſdem peſtem manu facere. Cavendum ab ſale exorciſato, cui præſentiſſimum venenum inneſſet: fugiendâ tanquam à peſte Societatis templa, ſua verò frequentanda: JESU Socios Deos quidem eſſe, ſed ſui comparatione multò minores, ſibique ſubditos. Diaſtanius & Domenecus debitum ſoli Deo cultum putrido ariolorum cadaveri non ferentes, Divino zelo incenſi ſacrilegum ſtratum ſuis manibus deturbant; turpia anathemata & ornamenta refigunt; prætenſis facibus inane

Incarnationis oppidani perversantur.

Indicium perversionis.

Fanum Ariolorum.

Crematur.

delubrum, & circumjacentes ædiculas, nullo obstante, concremant; ovantes denique domum redeunt. At Antonius Ruisius & Christophorus Mendoça per varios anfractus & montium juga evadentes, ubi cognovêre loquacia venefici ossa aliò transportari, bajulos sub meridiem consequuti sunt: quorum plerique fugâ elapsi feretrum deseruere, duobus tantùm ferociam ostentantibus, & mortem utrique Socio minitantibus, vincula injecta sunt. Furiosa ossium custos per devium nemus etiam elapsa, eò fugit, quò sedulò indagantibus accessus non patuit. Collectis ossibus, ambo Socii, incenso cum hospitiolis templo, oppidum repetentes, in ariolorum manus incidissent, nî utrumque Diastanius, auxiliari fidorum Neophytorum manipulo obviam ducto, periculo exemisset. Sequenti luce solemniter sacrificatum est Individuæ Trinitati, cujus Festum commodè in eum diem incidebat. Ante Sacrificium Cataldinus, plebe adesse jussâ, ex ingenti volumine (nam magna Barbaris librorum admiratio est) idololatriæ damna tam disertè explicuit, ut tota concio facti pœnitentem se statim ostenderit. Ruisius è pulpito verbis acribus exprobravit Barbaris, quòd trium ariolorum Antropophagorum putrida cadavera, præ Individua Trinitate coluissent. *Horrete*, inquiebat, *quicumque præstigiatam dæmonis vocem Dei Verbo Incarnato, cui hoc oppidum consecratum est, prætulistis, & lymphaticas mentis agitationes præ suavibus Divini Spiritûs motibus habuistis: unum restat, ut quæ monstra clam coluistis, ludibrio palam habeatis.* Secundùm hæc Diastanius ex eminentiori pegmate in foro ossa ariolorum exprompta contemptim in terram projecit: ad quæ proterenda pedibus tanto animorum ardore concursum est, quantùm sufficere videbatur ad expiandum scelus. Inter hæc intercessit res parva dictu. Mus è calva arioli, cen nido, prosilit, quo viso omnium cachinni elati, quòd nempe dæmon, mure timidior, loco cederet. Deinde cremandis ossibus exstructa pira est, materiam ministrantibus, quotquot in oppido erant, mortalibus. Sic publico apparatu, trium cadaverum combustione, offensæ Triadis iræ litatum est, & nocentes dolore Sacramentoque expiati sunt. Lætis hoc successu Patribus nunciatum est, in ædicula oppido conterminâ arioli recèns mortui cadaver etiam asservari, cui templum non pauci facere destinârant; quam ædem eâdem face Mendoça concrematum ivit.

Aliud fanum inflammatur.

Incarnationis oppidani respiciunt.

Expiantur.

CAPUT XXI. Insignis veterator exploditur.

DEVICTIS mortuis, cum vivis certamen fuit. Homo erat corpore supra modum deformi, collo obstipo, pede valgo, ventre protenso, dorso gibboso, capite enormi: Æsopum alterum diceres: hoc hominis mõstrum, in altissimo monte sedem habens, ita coluerant plurimi, ut si faveret, felices se fore; si adversaretur, omnibus rebus carituros autumarent. Sed hac arte devicta hominis dementia est. Captum namque Socii puerorum ludibrio palam exponunt, qui misellum dicteriis onerantes, dæmonis sputum, vivum cadaver, sterquilinium ambulans, bufonum principem, inflatam araneam appellavêre; succesu tam prospero, ut cùm ejus pristini cultores cernerent ab pueris impunè vellicari, proculcari, & luto stercoreque deturpari, errores deposuerint, seque doluerint; puduerit que, tamdiu ab hoc turpiculo homuncione decipi. Quin & Zaguarius (sit enim vocabatur) vexatione intellectum dante sapuit, & Christianus fieri voluit; deincepsque catechistam egit, donec vitam optimo fine concluderet. His tenebris depulsis, Socii ad restauranda damna, ab Mamalucis illata, vires & industriam converterunt.

Respiciscit.

CAPUT XXII. Sancti Petri oppidum apud Gualachos fundatur, & apud eosdẽ egregiè laboratur. *Sexcenti variis temporibus baptizati.* *Didaci Salazarii patientia.*

JUssu Antonii Ruisii Josephus Cataldinus ad Gualachos profectus, quinque ab Conceptionis Immaculatæ colonia dierum itinere, ibi novum oppidum posuit, ubi magna Gualachorum multitudo variis in locis habitabat. Apud quam gentem, ob morum ferociam, longè major laborum quàm animarum fructus percipiebatur: constantiâ tamen evictum, ut ex utriusque oppidi factione sexcenta capita, susceptо Baptismo, æternam salutem potiùs, quàm perniciem suam amarent. Atque illud fuit decimum tertium oppidum in Guairania ex Barbarorum reductione ab Societate fundatum. In Conceptionis colonia Didacus Salazarius inenarrabili prorsus patientiâ solus perseverabat. Post aliquot menses ex Taiaobæ

terris

terris ad eum hostiæ consecrandæ ob defectum frumenti mittebantur, quas, quia paucæ erant, in multas particulas dividebat, ut in singulorum dierum Sacrificia sufficerent. Cibos ad eum aliunde missos Gualachi rapiebant: per integrum annum tres tantùm casei ad ejus manus pervenere, etiam diripiendi, nî Barbari caseorum ignari, ceram candidam existimassent. Igitur radicibus & vilissimis cibis optimus Pater vitam sustentabat, narrantque eum viperarum carnes aliquando comedisse. Quoquomodo poterat, ebriosæ gentis solemnia coërcebat, aususque non semel est, spreto discrimine, brachiorum nisu lymphaticos, ne se mutuò conficerent, prosternere, & instrumenta ebrietatum frangere. Notabile fuit in his Gualachorum symposiis dictum: nam cùm dæmon adesse solitus ab compotitatoribus interrogaretur, quid è cœlo in hostiam Sacerdotis nostri sacrificantis sub medium missæ adveniret? respondit, Filium Dei: addens eo die, quia Nativitas Virginis celebrabatur, Virginem MARIAM è cœlo etiam descendisse, geniali die filium honestaturam. Quod dictum quamvis patris mendacii sit, multùm conferre potest ad tanti Sacramenti venerationem.

Inedia.

MARIA Virgo V. Sacramentum cohonestat.

SUB anni millesimi sexcentesimi trigesimi finem, & principium sequentis, Tucumania Calchaquino bello afflictari cœpit: quæ poterat pace frui, si de sua tutela querula non fuisset. Hispani in conterminis Calchaquinæ vallis vrbibus ante aliquot annos ideò se Societati offensos ostenderant, quòd hanc vallem duabus sedibus occupasset, dictitantes se Sociorum reverentiâ detineri, quominùs gentem indomitam subjugarent. Societas verò, quamvis Calchaquinorum pervicaciæ contundendæ frustra diu laborasset, autumabat tamen non inutilem Christianæ & publicæ rei operam se ponere, eo solo nomine, quòd Calchaquinorum infantes expiaret, & authoritate suâ quasi muro bellicosissimam gentem ab Tucumaniæ depopulatione contineret. Sed accedentibus aliis rationibus, vallis, uti supra demonstratum est, nobis deserenda fuit. Quâ desertâ, Saltenses & Riocenses cives, confidentiùs, quàm cum infidis & exacerbatis hominibus par erat, se gerentes, non secus ac antè in eorum confiniis agros excolebant: & ausus est Urbina, vir potens, in ipso vallis ostio amplam villam in castri speciem construere. Sed amotâ Societate, fractis velut repagulis, veteri odio stimulante, Barbarorum exundans furor foras erupit, vicina primùm corripiens, & deinde longinqua pervadens. Conjuratione cum finitimis factâ, Urbinæ villam vi capiunt, quo cum domesticis & uxore trucidato, ejus filias, selectissimas virgines, posteà à Saltensibus vi redemptas, abigunt; villas Hispanorum destruunt. Conjurati Andalgales, Famentini, Andacolæ, Capaïanes, & aliæ Barbarorum nationes advolant. Indi apud Hispanos educati per fraudem dominos mactant, vi viam ad vallem, libertatis recuperandæ ergò, sibi faciunt. Tucumaniæ Prætor Albornosius, Cardinalis Albornosii frater natu major, Barbaros, antequam vires jungerent, incompositos adorsus, vicit quidem, & in vallis faucibus castrum construxit: sed hostes adunati præsidiarios Hispanos extra vallem progressos cum eorum duce trucidant, potitique castro, Londinum urbem, occisis quamplurimis, destruunt, Riocam obsident, totam Tucumaniam belli metu concutiunt. Inter quæ turbamenta Saltense Collegium, combustis segetibus, & pecoribus abactis, nutavit: Riocense eò redactum est, ut Venerabile Sacramentum ex deserta domo educi debuerit. Nec unius anni vexatio fuit; sed ultra decennium bellum productum est, non ante finem habiturum, quàm Societas valli restituatur. Interim Calchaquinensium rebellio valdè incommodavit Apostolicis excursionibus & urbanis utilitatibus. Quamquam in authenticis codicibus reperio, hoc anno per varia loca non sine aliquo fructu excursum fuisse.

CAPUT XXIII. De Calchaquinorum rebellione.

1630.

Societas diu Calchaquinorum officio contenuit.

Conjuratio Barbarorum.

Albornosius Calchaquinos vincit.

Calchaquini bellum redintegrant.

IN Paranensi regione ex Acaraïensi oppido ad Caïaguas Christo lucrandos suscepta expeditio est. Caaïguarum gens est longè modica, & incultissima Indorum omnium. Ii inter Paranam & Urvaicam in sylvis sparsim habitant, unde illis nomen adhæsit; nam Caaïgua sylvanum sonat. Propriâ linguâ gens utitur, haud sanè ad cognoscendum facili; nam dum voces edunt, sibilare, & inarticulatos stlopos in

CAPUT XXIV. De Caaïguarum moribus.

gutture turbinare potiùs, quàm loqui videntur. Tenuissimas casas ex arborum ramis confectas, unas ab aliis longè semotas habent; nec pænè major quàm ipsis feris ciborum providentia est, adeò neque agriculturam, neque commercia exercent.

Caaïguarum cibus.

Sagittâ piscantur, venanturque: maximam partem vermibus, viperis, muribus, formicis, parabili sanè & passim obvio ciborum genere, & aliis animalculis vivunt: nec abhorrent ab esu tygrinæ carnis. Alces, quas Hispani magnas bestias vocant, luctando mactant, comeduntque. Simias per arbores adrependo ita sequuntur, ac si simiæ essent: quarum simiarum natura ea est, ut fugientes de arbore in arborem proles suas circumferant; ex alto lapsas Caaïguæ excipiunt, devorantque. Mel sylvestre illis in deliciis est. Hydromellis potu ita incalescunt, ut illo se contra frigora tueantur.

Agilitas.

Pralia.

Huic genti perpetua cum tygribus conflictatio est; nec aliam paucitatis suæ rationem reddunt, quàm quòd continuis ferarum insultibus diminuantur. Rabiem pro virtute habent, cæteras animi dotes ignorant. Multi usque ad portentum corpore deformes sunt, tam simiis similes, quàm hominibus, præsertim si nares spectes, quas simas jure optimo dixeris. Dorso gibboso & plerumque collo obstipo sunt: non desunt tamen inter eos formâ præstantes, præsertim mulieres, quæ in umbra natæ & educatæ, corporis colorem Europæis non admodùm absimilem conservant. Utrique sexui tenuissimus rationis usus est, quam ciborum genere, & quotidianâ feritate, necnon libertate vitæ ita depravant, ut ab ipsis ferarum moribus non multùm absint. Urticis mulieres à cingulo ad genua se vestiunt, quas urticas lini adinstar maceratas, digitisque pexas, reticulatim nectunt. Viri nullas vestes, præter pelles, habent, quarum propter parvitatem omnes ferè corporis partes sunt apertæ. Quamvis nudi incedant, ita toto corpore obcaluerunt, ut per vepreta & spineta sine formidine, viperarum adinstar, repant.

Ferocitas.

Si qui bello capiuntur, difficiliùs quàm ipsæ feræ cicurantur; nam plerumque vincula ferrea mordent, maniacorum in morem toto corpore spumantes: quin assuescere ad aliorum consortium, & mansuefieri, vix ipsi parvuli excepti possunt. Si in vinculis diu relinquantur, quâdam impotentiâ animi, ceu animalia, quæ extra elementum suum educari nequeunt, paucos post dies, non admissis cibis, moriuntur.

Bella.

Aliud genus Caaïguarum est bellicosum, quorum bella tam ignobilia sunt, ut propiora sint ferarum insultibus, quàm hominum certaminibus. Hi viatores in suis terris incautè dormientes ex spissitudine nemorum aggrediuntur, mactantque; non tam vindicandi se, aut aliarum rerum cupidine, quàm carne hostili vescendi, aut ferocitatem satiandi libidine: quam inhumanitatem liberali appellatione bellum vocant. Vinci se adeò dolent, ut quamvis subinde ab hostibus veniam accipiant, neque cibum sumant, neque vulnera curari patiantur. Ex utraque gente Guairaniæ Socii variis temporibus aliquot manipulos è sylvis eruerant, sed ferè omnes, statim ac oppido includebantur, more plantarum, quæ in umbra natæ Solem non ferunt, statim moriebantur. Acaraïenses etiam Socii aliquot ejusmodi homines variis artibus æquali animarum utilitate ac corporum pernicie reduxerant, optabantque modum invenire, quo mortalium miserrimis animarum saluti, minimo corporum damno, consulerent.

CAPUT XXV. De expeditione ad Caaïguas.

CAPTO itaque eorum terras adeundi consilio, Petrus Alvarus, aliquot Neophytis comitantibus, ex Acaraïa iter arripiens, transmisso Paranâ, sylvas densissimas, nullique præterquam tygribus pervias, per Piracabim ingreditur: quâ parte, per sylvarum densitatem sibi viam aperiens, tantâ corporis contentione obluctationéque processit, ut inter vepreta discerptâ veste cutem largè cruentarit. Vix tectus flumina collo tenus, paludesque pluvio maximè cœlo transmittebat; eóque loci dormiebat, ubi frequentia tygrium vestigia, & semesa ab feris hominum cadavera visebantur. Semel in reticulo pensili dormiens casu arboris pænè obrutus est. Inter hæc pericula, egregius animarum venator ferorum hominum spelæa ingressus, per interpretem effecit, ut octodecim capita non admodùm invitè se traderent. Narrabant, pridie quàm Alvarus venisset, duos è suis à tygribus discerptos, & mulieres tres viperarum morsu periisse. Petro Alvaro de vicinis populis sciscitanti

Expeditionis difficultates.

tanti respondêre Barbari, non ita pridem Ibagobium quemdam Christianum apostatam ad se venisse, multisque Caaïguarum persuasisse, ut se sequerentur, & eò duxisse, quò non facilis esset, quàm ipsis sylvicolis accessus: quapropter Alvarus, quia vires ægrè sylvestribus baccis herbisque sustentatæ eum defecerant, qualicumque prædâ lætus, per eadem pericula & labores vestigia relegit. Pedibus fermè ibat nudis, frequenter amnes vado aut natatione transmeabat; ex algoris & famis injuria passim genua subsidebant; continuo spinetorum occursu fatigabatur: lubricitate aut asperitate viæ, fallente vestigia toto pondere, fatiscens corruebat. Quæ ille omnia non æquo solùm, sed intento in Deum superabat animo; quippe tanta de inventa præda illi voluptas erat, ut cùm se largè cruentaret, aut ad saxa veprerasque offensaret pedes, & alia incommoda occursarent, gaudio exilire videretur. Ægrè superatis viæ difficultatibus, viginti & uno diebus in itinere exactis, demum defectissimis viribus Dei benignitate, salvo & incolumi comitatu Acaraïam rediit. Et quia compererat. Caaïguarum plerosque ex patriis tenebris abductos, ceu pisces extra elementa statim emori, nequaquam sibi cunctandum duxit, quin tentaret, quâ facilitate legis Christianæ documenta addiscerent. Quos quoniam reperit ad retinendum ineptos, & ad benè intelligendum obtusos, memor Divinæ Clementiæ, volentis homines & jumenta salvari, raptim, num crederent Christi mysteria, ab singulis inquirit: cùm assentirentur, volentes Baptismo initiat, quo suscepto paulò post omnes, nemine dempto, moriuntur. Quod ut perspexit Alvarus, enimverò gavisus est, manipulum suum per summos labores ex messe relatum dignum fuisse, qui in Æterni Patris horreum transferretur: in tantillo numero eâ cogitatione consolans, glorioſum esse pro Christo non solùm multa agere, sed pauca agendo multa pati. Sæpiùs deinde manipulatim ejusmodi homines eodem ferè successu subsequentibus annis reducti sunt. Per reliquum Paranam res quietæ erant, & si demeres metum ab Prætore Paraquariæ, rempublicam in consultò administrante illatum, secundo cursu omnia fluebant, Ethnicis non admodùm invitè in fidem turelamque Christi transeuntibus, & Neophytis sacrorum æstimationem, quàm superioribus annis majorem, præ se ferentibus: vniversim circiter quingenti ex Paranensibus, & ex Iguasuanis ducenti & viginti octo adulti, & totidem ferè parvuli Baptismi gratiam meruere.

Petrus Alvarus aliquot Caaïguas reducit.

Baptizat.

Iterata ad eos missiones.

SED longè copiosior messis ad Urvaicam fuit: nam apud Ibitiraquanos centum & quadraginta adulti, necnon centum & quinque infantes: apud Piratinienses triplicato fermè numero: apud Caasapaminienses præter ducentos & nonaginta & unum infantes, quadringenti & septuaginta-quinque provectæ ætatis homines: in Divi Xaverii oppido octingenti & sexaginta-tres, æquato fermè inter adultos & parvulos numero: In Caaroënsi agro supra quadringentos & octogintaduos pueros, quadringenti & septuaginta-sex rationis usu præditi, viri fœminæque Baptismate in libertatem filiorum Dei ex dæmonis servitute asserti sunt. Præter tantam messem novum oppidum constructum est, & duorum aliorum fundamenta jacta sunt. Acaragua fluvius est septem supra Divi Xaverii coloniam leucis in Urvaicam sese exonerans. Ejus accolis Provincialis Vasquius Sacerdotem de Societate promiserat, cujus spe domos suas hinc inde sparsas ita contraxerant, ut urbanitatem ambire, & Christianâ lege astringere se seriò velle demonstrarent. Societas verò magni interesse arbitrabatur hanc stationem occupare, tum ut gradus esset ad superioris Urvaicæ populos subjugandos, tum ne Niezuvius eo loci se ingerens rursum Neophytorum res turbaret. Eò igitur Petrus Romerus se conferens cùm reperisset trecentas & quinquaginta familias jam convenisse, & totidem alias facilè conventuras, Crucem erigit, Magistratum constituit, infantes baptizat, quorum unus primo aditæ sedis die ad Superos evolavit. Christophorus Altamiranus, Barbaricæ linguæ peritissimus, ex Provincialis destinatione his populis præesse jussus, per duodecim continuos annos adeò prosperè rem Christianam ursit, ut hactenùs in eo oppido, Assumptæ Virgini consecrato, per Socios initiata sacris quater mille & ducenta capita censeantur. Ibidem ego Guairanicam linguam tertiare didici,

CAPUT XXVI.
Ad Urvaïcam Assumptæ Virginis oppidũ construitur.

Baptismorum numerus.

Acaraguæ fluvius.

Trecentæ & quinquaginta familiæ reducuntur.

Acaraguanorum Baptizatorum numerus.

cujus qualemcumque peritiam adeptus, magno Dei beneficio, potui per Paranæ & Urvaicæ oppida jam ab viginti annis opellam meam, quamvis tantâ exercitatione indigniſſimus, conferre.

CAPUT XXVII. Ibapirius debellatur.

IN Mediterraneis Urvaicæ populis ad Auſtrum vergentibus, idem planè in petendis noſtris Sacerdotibus motus Ethnicorum erat. Eminebant tamen Caapienſes Apicabijâ, & Caaſapaguaçuenſes Mbocaratâ, utroque numeroſæ gentis domino, motoribus. Ut id facerent, permotos ſe aiebant Societatis continentiâ integritateque, quæ uni animarum lucro intenta nullorum corporibus noxia eſſet. Sed eam rem per ſe & per nuncios urgentibus, Ibapirius homo atrox interceſſit. Is apud Igaï fluminis accolas Ethnicos ad mare vergentes, ariolandi arte famam conſequutus, armatâ primùm familiâ, vicinos populos ad ſe vocat, palam edicens, Niezuvium bello ſe velle vindicare; & Caaſapaguaçuenſes Caapienſesque, ne exemplo noceant, opprimere. Factâ conjuratione, tumultuosè arma ſumunt, & in primum ferocitatis ſpecimen Cunumipita, rebellionis incentor, Caapienſes duos caſu obvios obtruncat. Cæteri, Ibapirio duce, in Caaſapaguaçuenſes movent, hoſtiliter omnia infeſtantes. Quâ re vulgatâ, pro incolumitate eorum, qui Fidem ambiebant, & ne Joſephus Oregius ſolus & indefenſus apud Caaroënſes opprimeretur, Ibitiraquani, Tabativienſes, Piratinienſes, Caaſapaminienſes, Acaraguani, Caaroënſes Neophyti catechumenique copias in hoſtem educunt, repertumque perturbant, & aliquot occiſis ad fugam compellunt. Mox fugientes inſequuti, biduo pòſt aſſequuntur. Sed hoſtes per nota vada Igaïm tranſmiſere, antequam decerni acie poſſet. Ubi Ibapirius, convocatis auxiliis bellum reparans, latiſſimè per campos ignes longè plures, quàm genti ſuæ ſufficerent, ad incutiendum timorem inſtrui jubet: & illâ ſe veſte induens, quâ olim Rochus Gonſalvius in Sacrificiis uti ſolebat, & fruſtum ſacri calicis apud ſe habens, non minorem quàm ille phanaticus Niezuvius oſtentabat ſuperbiam. Sed verborum etiam inſolentiâ par, vanam Deitatem affectans, vociferabatur omnes eos ſe perditurum, qui Patribus adhærerent. His rebus perculſi Neophyti indubiè fugam capeſſiviſſent, ni Alfonſus Quanara, ignominiæ impotens, ſimul ut popularibus ſuis Eccleſiaſticarum rerum reverentiam, Romero monitore, inſinuaret: *Quorſum*, inquit, *arma ſumpta, ô Milites? & in quos ſponte veſtrâ veniſtis? ſi irarum parci in ea, quam videtis, ſacra veſte Ibapirium prophanè exultantem cernitis? & ſi viſo illo calice, in quo toties Gonſalvio faciente efferbuit Chriſti ſanguis, frigetis, quo demum incitamento aliquando calebitis?* Simul hoc dixit, ipſe cum audacioribus & ipſo Romero, frigidâ licet tempeſtate, collo tenus, quà vadari poterat, in flumen ſe præcipitat; tum alii exemplum ſequuti, unà omnes in adverſum littus evadentes, Ibapirii ædes aggrediuntur, diripiuntque. Mox duplicato itinere operam dant, ne hoſtes elabantur; quos aſſequuti profligant. Ibapirius tantâ contentione fugit, ut omnium ſpes eluſerit. Inter ſpolia conopæum altaris Rochi Gonſalvii, & pars calicis redempta ſunt. Inter victos moribundum infantem Romerus baptizavit: & apud Neophytos victores ferocitatem avito more præferentes, de Chriſtiana caritate multa locutus, captivos omnes redemptos baptizavit. Ducibus verò demonſtrantibus neceſſe eſſe aliquot ſuſpendio plectere, ut vicinitati timor incuteretur, ſuaſit, ut cadaver occiſi hoſtis ex patenti arbore ſuſpenderetur; illud enim æquè valiturum ad ingenerandum hoſtibus metum, ac ſi in vivos animadverteretur: ſic militari prudentiæ & clementiæ Chriſtianæ abundè conſultum iri. Quo ſuſpenſo, Romerus ad Socios ſcripſit, abs ſe poſt partam victoriam rebellium unum funeſtæ arbori adjudicatum, ſuoque ſuffragio, quamvis Sacerdos eſſet, fuiſſe ſuſpenſum. Cúmque omnes, quibus nota mitiſſimi viri prudentia erat, anxios redderet, ut jocoſi ænigmatis ſolutionem audiere, riſum non tenuere, & ingenioſi ſtratagematis author clementiſſimæ crudelitatis laudem meruit. Cunumipita belli incentor, Ibapirii filius, & quatuor ejus pellices, præter numeroſam turbam, abacti, in captivitate libertatem filiorum Dei adepti ſunt. Atque utinam Ibapirius poſt facinus perpetratum ſtatim ſapuiſſet, non jam lugeremus conditionem miſerrimi hominis, qui poſtquam vagus & extorris

Igaïs fluvius

Ibapirius conjurationem conflat.

Neophytorum conſpiratio.

Ibapirius vincitur.

Bellum reparat.

Iterum profligatur.

Petri Romeri prudens conſilium.

Hoſtes capti.

aliquos

aliquot annis supervixisset, nescio quâ tactus pœnitentiâ ad Neophytorum oppidum æger deferri voluit, ad quod tamen morte præventus non pervênit, verendumque est, ne Deus in ipsius interitu riserit, qui vocantem tamdiu audire renuerat.

CAPUT XXVIII. Ad Urvaicam duorũ oppidorum fundamenta jaciuntur.

TANTA re perfectâ, Romerus, nondum dimissis copiis, animum contulit ad inchoandam apud Caasapaguaçuenses sedem. Eò itaque invectus, Mbocaratâ Casiquio rogante, Crucem erigit, futuri oppidi aream designat, Magistratum constituit, inque perpetuum fidelitatis pactum Casiquiorum infantes Baptismo expiat. Et quia Apicabiia tantam Barbarorum Ibapirianarum partium, & aliunde collectorum turbam contraxerat, ut alteri oppido faciendo satis superque esse videretur, annuente Romero etiam Caapienses oppidi fundamenta jecere: ad quod stabiliendum interjecto tempore pergens Romerus, centum & septuaginta infantes sacris undis abluit. Quo factum, ut dæmon fraude præcipuus melioribus artibus caperetur, ex eoque fieret Christianæ rei accessio, unde diminutionem intentabat. Ea tamen oppida nondum inter Societatis sedes nuncupo, sequenti anno id facturus, cùm Sacerdotes nostros eò deducemus. Apud Caaroënses aliquid turbatum est. Acceptus ex vano rumor vulgaverat, eos Josepho Oregio mortem machinari, & Niezuvii vestigiis pedem imprimere velle: quod ubi Caasapaminiensibus nunciatum est, raptim delectu habito expeditissima cohors fidissimorum Neophytorum eò se contulit, qui, re ad rigidissimum examen deductâ, cùm nullum conjurationis indicium inveniissent, & nullus reperiretur, qui malè affectam conscientiam aliquo affectu metúve proderet, suspicionis Caaroënses absoluti sunt; & Caasapaminienses, utpote qui motu proprio ad defendendum Oregium accurrissent, insignem laudem meruere. Hoc anno ad promovendas Caaroënsium res Franciscus Ximenius Oregio additus est.

Infantes ritè lotti.

Vanus turbarũ rumor.

CAPUT XXIX. Simon Maçeta in Brasiliâ frustra procurat Captivorũ libertatem.

SIMON Maçeta & Justus Vansurkius Mansilla, qui anno superiori è Guairania in Brasiliam abactos in Christo filios recuperandi ergò sequuti fuerant, in Januariensi Brasiliæ portu apud Australis plagæ judicem de trium oppidorum depopulatione per Mamalucos factâ cùm retulissent, & ut patriæ suæ captivi restituerentur, cæterorumque Guairaniæ oppidorum indemnitati caveretur, jure postulassent, ab judice responsum accepere, id negotii ad se non attinere, sed sui tantùm officii esse capitales res ad totius Brasiliæ Prætorem referre, à quo penderet judicium. Quapropter è Januariensi portu in comitatu Provincialis Societatis JESU Baiam Omnium Sanctorum, Brasiliæ Prætoris sedem, navigârunt. Apud quem legitimè conquesti tandem diploma impetravere, quo captivi Sociis reddi jubebantur, & judex creari, qui eos ab Mamalucis extortum iret. Sed id fuit speciosum magis quàm efficax remedium: nec id latebat Prætorem: satis enim apparebat, crudissimum vulnus longè quàm par erat mitiùs tractari, & latrones non jure sed vi adigendos esse. Verùm quia sub id tempus Brasiliæ imminebant Hollandi, non conveniens quibusdam visum est turbare domi, ne distractis ad castigandos Australis Brasiliæ latrones viribus, Septentrionalis pars debilia latera externo hosti nudaret. Quamquàm non desunt, qui putent ob nimiam in eo negotio remissionem, castigatam fuisse Brasiliam, intercepto sub id fermè tempus ab Hollandis nobili portu. Nam in comperto est, Guairaniæ captivos, mancipiorum instar, per totam fermè Brasiliam ab Mamalucis distractos, & nonnullos urbium primores injustâ emptione commaculatos fuisse, quo pluribus mali communicatione involutis remedium desperaretur. Quidquid sit Didacus Vega, nobilis Lusitanus, rem trahi ab aliquibus, non remedium quæri videns, existimavit pro suo in mortalium miserrimos affectu, negotium ad Regem Catholicum deferri oportere, & Simoni Maçetæ tantam pecuniæ summam, quanta ad tanti itineris & conficiendi negotii sumptus sufficeret, obtulit. Sed quia nunciabantur Mamaluci ad cæteræ Guairaniæ perniciem se rursum accingere, gratiis Didaco Vegæ actis, Socii de reditu cogitavere. In Januariensi portu non pluribus duodecim recuperatis Piratiningam revertentes, hoc etiam ad insigne caritatis exemplum addidere, ut quadriennem puellum humeris

Baiam Omnium Sanctorum navigat.

Didaci Vegæ pia liberalitas.

tamdiu

tamdiu gestarent, quoadusque ad littoralis crepidinis apicem duarum leucarum itinere è portu Sancti Vincentii evaderent. Ubi Piratiningam attigêre, facto tumultu, Mamaluci Socios ab ingressu Collegii vi arcuere, & in alteram domum deductos tamdiu detinuere, donec Collegii Rector eos è custodia infimis precibus eximeret. Postquàm verò Judex à Didaco Ludovico Oliverâ, Brasiliæ Prætore, designatus advênit, vix mortem ab nescio quo nebulone sclopeto intentatam evasit. Auditæ quorumdam prædonum voces sunt, asserentium, se potiùs suum Baptisma abjuraturos, quàm permitterent Prætoris diploma servari. Igitur Judex, desperato remedio, eò, unde venerat, rediit. Socii verò opprobriis affatim onerati, exiguo captivorum numero ex tot millibus impetrato, Piratiningani Collegii Patribus viaticum largè ministrantibus, secundo Aniembio ad Paranam, è Parana ad Paranapanæi fluminis oppida post unius anni terrâ marique labores, facto etiam ibi, ubi Josephus Anchieta olim submersus fuerat, ad Aniembii scopulos naufragio, salvis corporibus navigavere.

Socii afflictantur.

In Guairaniam renavigant.

CAPUT XXX.

Jesu-Marianum oppidum utcumque restauratur,

Nicolao Enartio promotore,

Et Simone Maçetâ.

INTERIM Guairaniæ Socii præteriti anni cladem novis operis sarcire satagentes, circum omnia nemora excutiebant, eo consilio, ut qui Mamalucorum metu fugerant, denuò reducerentur. Antonius Ruisius ad Sanctorum Michaëlis & Antonii ruinas, necnon ad Caaïvensem regionem excurrens, aliquantulam Ethnicorum turbam Religioni Christianæ conciliavit. Sed spes eo tempore restaurandæ rei potissimùm in Guiravera erat, qui posteaquàm nescio quâ proditionis suspicione apud Socios se purgasset, luculenter ab Ruisio veniâ donatus, & in patriam remissus, tantam mox coëgit turbam, quanta sufficit ad reficiendum antiquo in loco Jesu-Marianorum oppidum. Ad quod reædificandum missus Ignatius Enartius Lotharingus, vir planè probus, egregiè opus promovit, donec Simon Maçeta è Brasilia redux, post nunciatam ubique Mamalucorum pertinaciam, ad Huibai præcipitii proxima loca eo fine transferre Jesu-Marianum oppidum juberetur, ut remotiores ab prædonum excursionibus essent. Ibi igitur oppido & templo ædificatis, magnam adultæ gentis & puerilis ætatis multitudinem Christianis addidit.

CAPUT XXXI.

In Guairania multa fiunt memoratu digna.

Peccata castigata.

EX Guairania reliqua multa præter morem nunciata sunt. Ad Paranapanæum fluvium juvenem quemdam, Angeli custodis, humanâ specie visendum se præbentis, monitis surdas aures præbuisse, & dæmonis familiaritatem plùs illo æstimasse, idcircò sanum & vegetum, noctuque meretriculam quæritantem, derepentè diem suum obiisse. Juvenem Festis diebus audiendi Sacri negligentem à dæmone tygridis specie exterritum, denique in negligentia pertinacem à vera tygride, adstantibus & incolumibus amicis, discerptum, summo tamen Dei beneficio scelera Pœnitentiæ Sacramento ante mortem eluisse. Item fœminam visu horridam, ulnis infantulum gestantem, sorori post mortem sese ostendisse, & asseruisse se furti, contumeliæ, & prolicidii damnatam, ignibus æternis ardere: in cujus fidem ferramentum furto quondam ablatum, igne inferno calens, sororis dextræ admovisse, impacto simul criminum horrore. Ex Ibitirambeta etiam nunciabant, juvenem incestuosis cum matre & filia amoribus implicitum, serò facti pœnitentiam optasse. A tygride adulterum, intactâ adulterâ, dilaniatum, & puellam festæ diei negligentem, & alteram parentibus rectè monentibus pervicacem, eodem fato periisse. Villaricæ, sub Hispani hominis, lenonis officio diu functi, mortem, auditum catenarum & vinculorum stridorem, ignemque visum per totam domum, omnibus adstantibus spectantibusque, vi invisibili dissipari (quæ terriculamenta etiam post mortem audita sunt) tanto ad portentum visendum concurrentium hominum pavore, ut authoritate publicâ domus destruenda fuerit. Narrabant etiam pervicacis hominis in Indorum defensores maledicentiam, fœdo in ore carcinomate cœlitùs punitam. Horum prodigiorum ergò per totam Guairaniam diu & piè trepidatum est, Sacra diligentiùs adita, castimonia & justitia majori in pretio habitæ, & frequentiùs conscientiæ lustratæ sunt. Præter quos pœnitentiæ fructus ingens numerus Barbarorum hoc anno Baptismum suscepit.

Leno punitus.

GUAIRANIA itaque se iterum erigebat, sperabantque Socii novis incrementis superioris anni cladem brevi resarcitum iri, cùm trepidum nuncium adfertur, ab Mamalucorum cohorte Divi Pauli oppidum destructum, & incolas omnes in servitutem abactos fuisse. Huic oppido præerat Joannes Suarius, qui latronum ducem domum nostram jam ingressum alloquens infimis precibus rogat, ne vellet gentem novam in contemptum Christianæ fidei vexari. Plura dicere parantem, directo in ejus pectus sclopeto, interpellat latro, indubiè explosurus, nî Suarius pectus utraque manu nudans constanti voce dixisset, ne differret explodere; nihil enim se avere magìs, quàm vitam pro ovibus suis ponere. Quâ fortitudinis ostentatione exanimatus prædo sclopetum dimittit. Hoc primo periculo defunctus, amore ovium stimulante, è Tupicorum manibus aliquot captivos eripit, quos ne denuo abigerent, genibus ante latrones positis obtestabatur, ut se suâ potiùs supellectile, quàm carissimis in Christo filiis spoliarent. Sed nihil profecit apud latrones tanta pietas, omnibus iteratâ crudelitate abactis. Dum hæc domi geruntur, in oppido cæteri prædones tantâ inhumanitate furebant, ut nullus fermè fuerit, qui inter vulnera & mortes vincula non induerit. Factâ populatione, hominum urbanissimi simul omnes quasi valedicturi ad Parrem venêre, pro omni solatio ironicè rogantes, ne se mœrore conficeret, eandem enim fortunam omnia Guairaniæ oppida passa esse. Quo audito Suarius, nequicquàm reluctantibus & identidem cum protrudentibus Mamalucis, statim ad Incarnationis oppidum properare voluit. In itinere cùm ante oculos suos concatenatos filios in Christo carissimos, & alios invasionis ignaros, ex villis ad oppidum venientes, de novo abigi videt, dolore pænè obrutus est: qui dolor in immensum crevit, quando tantisper ad oppidum rediens, ut aliquibus saluti foret, è sinu suo abstractas gentis reliquias abigi ab latronibus conspexit. Igitur unico adolescente & puerulo comitatus (nam non plures ex tanto numero latrones ei permiserant) oppidum omninò deserit. Iter erat scabrosum, & hyemis tempestate pluvia maximè sæviebat; quare viribus ex mœrore, inedia, & defatigatione paulatim deficientibus, eò redactus est, ut sibi jamjam moriendum putaret, nî ex Incarnationis oppido aliquot bajuli cum commeatu advenissent: eo enim jam volaverat fama depopulationis, quâ auditâ plerique Neophyti Mamalucorum metu deserto oppido, partim ad Sancti Xaverii coloniam, partim ad Huibaïum confugêre. Multi, adnitentibus Sociis aliò transmigravêre. Suarius refectis utcumque viribus ad Divi Pauli ruinas rediens, aliquot Indos hinc inde sparsos retraxit, exiguum ingentis mœroris solatium. Sic oppidum unum prædonum furore, & alterum solâ trepidatione, sine spe restaurationis deleta sunt. Antonius Ruisius, dum hæc gerebantur, inter Gualachos versabatur, qui ad subveniendum miseris accurrens, nihil in afflictissimis rebus consilii invênit, quàm si gentem ex utriusque oppidi destructione requiri & versùs Villaricam, ubi Sancti Thomæ semita visitur, ad construendum denuo oppidum deduci juberet. Sed id fuit novis se miseriis inserere, nam alii Indorum abactores, prædæ intenti, quotquot potuêre abductos, aut suis servitiis addixere, aut in Paraquariam immenso pænè tractu abegêre. De quâ re per Joannem Suarium & Didacum Rançonierium postremò per se Villaricæ conquestus Antonius Ruisius, cùm nihil proficeret, & imminerent alia ab Mamalucis pericula, Franciscum Diastanium in Paraquariam amandat, Prætorem de totâ re edocturum & fulcimenta ruentis Provinciæ postulaturum.

CAPUT XXXII. Sancti Pauli oppidum devastatur, & Incarnationis colonia deseritur.

Joannis Suarii magnanimitas.

Ærumna.

Incarnationis oppidi desertio.

SED Prætor, audito Francisco Diastanio, de invasione Mamalucorum, oppidorum direptione, & totius Guairaniæ periculo differente, Neophytorum miserias tam iracundè accepit, quàm non convitia debuisset; & inter alia, Diastanio respondens, ait, scire se ex Villaricanorum litteris futiles esse Sociorum metus, Societatem in immensum omnia augere quo se in invidam traheret aliorum. Sed Franciscus Diastanius, ne dissimulatio tantæ rei Societati aliquando fraudi esset, supplici libello ex formâ juris concepto, per scribam publicum à Prætore postulat rebus Guairaniæ provideri. Quibus postulationibus cùm Prætor non responderet, nec

CAPUT XXXIII. Socii in Guairania & alibi variè vexantur.

Paraquaria Prætoris incuria.

sperarent iræ successuram oppressæ innocentiæ æstimationem, Diastanius circumflexo per Paranam itinere ad Provincialem, consilii ergò, quàm celerrimè potuit, navigavit. Eodem planè tempore, nec absimili de causa, Petrus Romerus Didacum Alfarum eòdem navigare jussit, quòd idem Prætor, diffuso in multas partes malo, lege cavisset, ne quis imposterum injussu suo per Paranam in Guairaniam pergeret, sed qui eò ire vellet per Paraquarium, ducentarum & quinquaginta leucarum circuitu, iter circumflecteret: & quamvis Societas Prætori exposuisset eam legem reipublicæ noxiam, utpote quæ bello afflictis subsidia tempestivè ministrari non sineret, tamen nihil impetrarat ab homine consilii sui tenace; qui insuper id addiderat molestiæ, ut vulgaret, vi effecturum se, ut Neophyti nostri privatis hominibus servirent. Franciscus Vasquius Provincialis, afflictarum Provinciarum statum cùm cognovisset, immenso propè dolori succubuit. Auxit dolorem è Guairania superveniens Paulus Bennavidius ab Ruisio missus, ut nunciaret quorumdam mortalium insolentiam, Neophytos illos, qui è Mamalucorum vinculis se exemerant, pro mancipiis distrahentium, aut in duram servitutem redigentium. Adeò ut miserrima gens inter incudem & malleum posita penitùs contereretur. Ob eas res Provincialis, imperatis per Collegia precibus & Sacrificiis, Franciscum Diastanium ad Senatum Regium in Peruviam mittit. Ipse verò adverso Paranâ in Guairaniam, Socios solaturus, & alias calamitates oculis perspecturus, navigat.

CAPUT XXXIV. Societas per Tucumaniam egregiè laborat. 1631.

ANNNO millesimo sexcentesimo trigesimo primo, è Cordubensi Collegio excurrentes Socii, multis Æthiopibus, adhibitâ conditione, Baptismum denuò contulêre. Joannes Cereçeda & Antonius Maçerus per quinque menses continuos Quimilpæ rupes, & Catamarcanam vallem apostolicè peragrantes, exanthlatis multis laboribus Quichuano & Calchaquinensi idiomate usi, præter alia opera, ducentos Barbaros, de quorum Baptismi valore dubitabatur, sacris undis, cautè tamen, submersere. Ratio in plerisque dubitandi erat, quòd Hispanus homo, qui defectu Sacerdotis in eo tractu baptizabat, corruptâ formâ uti soleret, & multi adultæ ætatis homines ignorarent, quid olim cùm baprizarentur, susciperent. Gaspar Osorius, è Chaquensi expeditione redux, Cucuisensem regionem insigniter excoluit. Et, ne singulorum Collegiorum excursores appellem, omnes studio pari, solitis Apostolicorum virorum armis, inter Calchaquini belli Tucumaniam pænè totam concutientis tumultus, & pestis plerisque in locis latè graſſantis metum, magnas ubique clades dæmoni inferebant.

CAPUT XXXV. Apud Caapienses & Caasapaguaçuenses oppida conduntur.

Oppidum Divorum Petri & Pauli.

SED vis Apostolicarum progressionum, in Urvaïcensi Provincia præsertim, vigebat. Petrus Romerus, acceptis aliquot Sociorum subsidiis, ad Caasapaguaçuenses rediens, Vincentium Badiam linguæ peritum eis præfecit, tanto Barbarorum plausu, ut ad Socios excipiendos viam per intactum unius leucæ nemus, deturbatis arboribus, complanaverint. Hoc oppidum Divis Apostolorum Principibus Petro & Paulo dicatum, ante finem anni sexcentas familias, Catechumenorum albo inscriptas, computabat, è quibus, præter infantium magnam multitudinem, nonaginta adultæ ætatis homines hoc anno baptizari meruere: cæteris, donec sufficienter eruditentur, in aliud tempus dilatis. Non diu pòst Petrus Mola è Guairania veniens occasionem dedit ponendæ apud Caapienses sedis. Apicabija sexcentas & quinquaginta familias commodo in loco congregârat, & plerique Barbari tanta ob adeptum Societatis Sacerdotem præbuere lætitiæ signa, nemo ut dubitare posset cœlitùs esse permotos. Id oppidum, quarto ab Caasapaguaçuensibus lapide positum, Divo Carolo Boromæo, Didaci Torres adhuc superstitis postulatu, in gratiam Frederici Boromæi Cardinalis, hujus Provinciæ benefactoris, ritè consecratum est.

Colonia Divi Caroli.

CAPUT XXXVI. Tapêsis provincia primũ aditur.

PAULÒ antequàm hæc fierent Andreas, Rua ex Japeivensi oppido, jussu Romeri, adverso Ibicuito navigans, ad Tapensem Provinciam penetrare ausus,

trium

trium vicorum incolas invitavit, ut se ad Trium Regum coloniam, paucitate laborantem, sequerentur. Sed ferè omnes repugnavere, aïentes, si Socii in suis terris oppidum fundare vellent, neminem refragaturum, Christoque omnes nomen daturos. Quare cùm gentis primores ostenderent ex suis & vicinorum Casiquiorum assecIis numerosissimum oppidum confici posse, & insuper suam operam ad id offerrent; Andreas Rua in eam spem, peste grassante, ducentos & quinquaginta infantes sacro Fonte expiavit. At Petrus Romerus, terrestri itinere ad aliam ejusdem Provinciæ partem delatus, longè maturiora rei benè gerendæ invitamenta reperit, ultrò ipsi obviam per viginti leucas progressis quibusdam Casiquiis, Socios Jesu ad fundandum oppidum invitantibus: cum quibus iter moliens, in Guaïmicæ potentis Casiquii terris ducentos circiter sagittarios, præter imbellem multitudinem, censuit, una voce promittentes Christo se adhæsuros, si Sacerdos concederetur. Cujus obtinendi desiderium satis ostenderunt, viam amplam dejectis arboribus, & stratis extemporaneis pontibus, complanantes, quò commodiùs & honestiùs Romerum in suas terras inducerent. Qui inde ad Jabiëi Casiquii pagum pergens, ducentas & quinquaginta familias Barbarorũ computavit idem flagitantium: quorum & aliorum Casiquiorum votis Romerus faciens satis, in Guaïmicæ pago futuri oppidi aream delineavit. In qua postquàm sub Cruce, solito ritu erecta, undecim suprà ducentos infantes Christianos feciSSet, sanctè promisit se de Sacerdote eis, quamprimùm posset, provisurum. Interjecto tempore, sed eodem anno, ad alteram ejusdem Provinciæ partem, Igaï fluminis fontibus obversam, excurrens, benè magnam Ethnicorum multitudinem Tupaminio & Quararæo Casiquiis obnoxiam in tribus pagis reperit, qui, quòd se monstrarent legis Christianæ cupidos, baptizatis quibusdam infantibus, spe aluit, fore ut (quod factum est) concesso Sacerdote, ad oppidum reducerentur. Porrò hæc oppidorum initia inter Societatis sedes nondum computo; id facturus brevi, quando Socii ex professo eò inducentur, & per Tapensem Provinciam victricia arma, pulso dæmone, circumferre incipient. Hæc interim in prægustum prælibare volui, ut sua quæque res suo tempori tribuatur.

Ducenti & quinquaginta infantes baptizantur.

Item ducenti & undecim.

CAPUT XXXVII.

Socii Urvaïcenses peste afflatis opitulantur.

Peste afflatos juvandi modus.

Apud Caasapaminienses septingenta Neophytorum capita; apud Tabativienses quingenta; apud Ibitiraquanos trecenta; apud Caaroënses totidem, & alibi vario numero, pestis demessuit, ingenti Sociorum labore. Porrò quia sæpiùs occurrunt ejusmodi pestes in novis Neophytorum oppidis, ut semel ante oculos ponam lue afflatos juvandi modum, sciendum est, hunc esse morem Jesv Sociis novas colonias construentibus, Indos, ne fame pereant, ad antiquos pagos, ciborum causâ, frequenter remittendi, donec satis sementis in novorum oppidorum vicinia habeant, & ob id sæpè fieri, ut quarto quintóve lapide ab novo oppido absint, teneanturque Sacerdotes nostri, peste grassante, quò Cathecumenorum, Neophytorumque necessitas postulat, per juga montium, per intacta nemora, per paludes, per obvia flumina rependo, equitando, advolando, noctu diuque, præsenti plerumque ab tygribus, viperis & ab ariolorum insidiis periculo, excurrere. Contingit aliquando, unum hominem uno tempore in tot partes distrahi, ut in ambiguo sit, an ad puerum sine Sacramento morientem, an ad decrepitum senem, eodem se ante mortem muniri postulantem, an ad expiandum in ultimo agone certantem Neophytum se duci sinant: sortique sæpe committenda æterna plurimorum salus. Cui incommodo ingeniosa Sociorum industria utcumque cavit, Neophytorum quorumdam delectu, quibus perpetuò incumbit, pagos, villas, mapalia & antra invisere, inquirereque, num sint, qui Sacerdotum nostrorum operâ egeant. Eorumdem est Sociorum exemplo venam secare, pharmaca miscere, ægros ad oppidum reportare, & quando necessitas postulat, Baptismi Sacramento initiare. Quo in officio apud Caaroënses Vincentius Japuius, Casiquius olim inter Rochi Gonsalvii necis complices unus, ita se probavit, ut commendationem mereatur. Unus enim ipse peste infectos ubique conquirens, ad oppidum reportabat, cibos egenis procurabat, morientibus aderat, si alicubi superstitionis antiquæ reliquias

Vincentii Japuii caritas.

esse suspicabatur, Sociis manifestabat, verbis castigabat, ignaros erudiebat, denique pietatis officia omnia implebat. Factumque semel est, ut cùm conjugem peste afflatam, quam humeris ex remoto loco Sacramentorum ergò deferebat, in itinere amisisset, nihil tamen ejus morte deterritus, aliis & aliis lue contactis, ne inexpiati perirent, succollaverit: quo in munere morbo lethali tactus ad oppidum delatus est. Ubi unica morientis cura fuit, Josephum Oregium & Franciscum Ximenium ibi curantes de suorum popularium periculo monere; qua in animarum cura animæ suæ non incurius, cum innocentia baptismali ad Cœlos, ut spes est, evolavit. Huic in officio successit Marcellus Maëndius Casiquius, cui in more erat Sociis moribundos per spissitudinem nemorum noctu indagantibus, non face sed fasce accenso prælucere, tanto in his officiis mortis contemptu, ut paucis pòst diebus peste & ipse contactus, ad ultimam luctam ab Oregio inungi postulârit. Cui Oregius, *Te inungam*, inquit, *ô Marcelle, & si verè credis, per illam Sanctam Unctionem corpore & animo valebis. Credo*, subintulit æger. *Ergo valebis*, addidit Oregius. *fides tua te salvum fecit*: nec dictũ ab facto abluit, Maëndio pristinæ sanitati & officio feliciter restituto. Quo facto, æstimatio Extremæ-Unctionis, contra Ariolos, feralem esse divulgantes, asserta est. Tabaca Casiquius, succollante cum eo matre, genitorem suum Baptismi ergò per sex leucas ad oppidum detulit; eo officio promeritus, ut pater, mater & ipse Baptismi gratiam consequerentur. Catechumenus alter Matri morienti, Christianorum sacrorum desiderio, ex remoto maximè loco humeros suppositi, cui in itinere vix jam animam trahenti, casu ab Superis dispositi, Josephus Oregius circum omnia nemora amore prædæ excutiens occurrit, & eam sacris aquis expiatam ad cœlos transmisit. Nobile par conjugum famam etiam meretur: qui filiam ægram, adultæ quàm infanti propiorem, humeris per quatuor leucas advectam, eo consilio Christianâ doctrinâ in itinere instruxêre, ut instructam Sacerdos statim baptizaret, minùsque de salute æternâ periclitaretur. Valuit industria: nam inter brachia parentum felix puella tum vivere desiit, cùm jam elinguis in conspectum Socii delata, ritè lota incœpit esse Christiana. Quarum rerum exercitatione tantùm veræ laudis Caaroënses mereri videntur, quantum sufficit ad delendam maculam sacrilego parricidio contractam. Numerus peste sublatorum abundè compensatus est excursionibus Apostolicis, & Baptismorum multitudine: nam apud Caaroënses nongenta & duo capita; apud Tabativienses septingenta & quinquaginta duo cum ipso oppidi duce; apud Acaraguaïenses quadringenta & quadraginta quinque capita, magna partes adultorum hominum, primo Sacramento expiata sunt. In Ibitiraquanorum oppido centum & quadraginta septem adulti, præter centum & sexaginta sex infantes; ex Caasapaminiensibus septingenti & sexaginta sex adulti, præter trecentos & quinquaginta quinque infantes; ex Piratinienſibus quingenti circiter omnis ætatis, & alibi multi, ab Sociis ritè loti sunt. In Assamptionis Neophytorum oppido templum & domus Sociorum hoc anno arsit, tanto novorum hominum dolore, ut luctum publicum pro infortunio more barbarico instituerint, veriti in primis ne Socii ob incendium se desererent. Sed Altamiranus, delinitis eorum animis, promissâ sedis perpetuitate, ad reædificandum templum domumque ita animavit, ut multi, quò ædificium ad culmen citiùs perduceretur, ex suismet domibus materiam detraxerint. Apud Ibitiraquanos templum imbricatum & affabrè factum hoc anno Virgini Immaculatæ eo fine solemnissimo apparatu dedicatum est, ut Neophytis Ecclesiasticarum rerum æstimatio insinuaretur, & Ethnicis ad celebritatem ex remotissimis locis concurrentibus persuaderetur, ne se in viva Sancti Spiritûs templa consecrari renuerent, optimo in utrisque successu.

Marcelli Maëndii vigilantia.

Extremæ-Unctionis vis.

Baptismi desiderium.

Numerus baptizatorum.

CAPUT XXXVIII. Apud Iguazuanes gesta narrantur.

Baptismorũ numerus.

IN Iguazuana Mariæ Majoris colonia, in qua ducenti & quadraginta novem hoc anno Christo accessere, adolescentulum unum captivum ex Caaïguarum gente Claudius Ruierius eo fine redemit, ut linguæ Guaranæ peritiam adeptus, Sociorum apud populares suos interpres esset. Nec res utilitate caruit: nam cùm Caaïguæ animadvertissent Iguazuanos, antiquos hostes suos, jam Christianos, vix amplius violentos esse, quorumdam animos subiit desiderium ad vicina Divæ Mariæ Majo-

ris oppi-

ris oppido loca progrediendi: eoque processere, ut eorum Casiquius cum aliquot asseclis non ægrè se ad oppidum duci siverit. Ad quos visendos, non secus ac ad Africana monstra in Europa itur, concursum est. Socii ad cicurandos feros homines Divi Xaverii lypsanotheculam eis ostentavêre, creditumque est plus mutum pictumque Xaverium & ejus reliquias potuisse, quàm vivam cæterorum Patrum virtutem. Exinde enim per interpretem feri homines sermonem Sociorum avidè arripiebant, & positis suspicionibus cibos appositos non illibenter admittebant, nostrorumque vestes & calceos attoniti attrectabant, autumantes eos calceatos petasatosque olim fuisse natos: adeo præter sylvas suas sylvicolæ illi nihil noverant. Lepidum fuit, ad æris campani tactum ceu ad tonitruum, stupidos cernere, audiréque scisitantes, quî tantilla moles adeò sonorè loqueretur? Lepidius fuit, feros homines, tygridum barritibus tantùm assuetos, ad musicæ numeros sponte suâ subsilientes videre, & Neophytos nostros ad symphoniacos modulos salutantes ultro imitari, denique, factâ aliqua redeundi spe, suas sylvas feri homines repetiere. Quamvis Socii nullam unquam occasionem omiserint de ea natione benè merendi; tamen rari admodum hactenus Christo nomen dedere.

Canigua utcumque cicurati.

HOc anno Episcopus Paraquariensis Paranenses Neophytos inspectum venit. Venientem Petrus Romerus & Socii per vias arcubus triumphalibus conspicuas in ornata novorum oppidorum templa, inter vocum & instrumentorum musicorum concentum, Infulâ & Pontificali veste insignem invexere: stupentibus hinc novis hominibus ad Præsulis majestatem: inde verò Præsule approbante Societatis labores, quæ tam pulchro additamento Christianum imperium auxisset. Multa millia Neophytorum altero post Baptismum Sacramento ad spiritualem pugnam pro officio confirmavit, abiensque litteras honorarias conscripsit, quibus Regi Catholico significabat, vidisse se nostrorum Neophytorum oppida, ab Societate ad Paranam constructa, quæ non jam saperent barbariem, sed humanitatem benè cultorum hominum. In Acaraiensi Nativitatis Virgineæ oppido, Josephi Anchietæ reliquiæ duobus adolescentibus, uni sumpto veneno, & alteri viperæ morsu, ad extrema deductis, salutares fuere. Ibidem imago Beatæ Virginis & Divorum Josephi & Ignatii portentosè sudavere, stupentibus ad insolitam rem Petro Alvaro & Antonio Palermo oppidi curatoribus, & triste nescio quid ominantibus, præsertim cùm nunciatum est alteram Virginis iconem sub id tempus Piratiningæ in Brasilia etiam sudasse. Auxit ominis metum Emmanuël Correa, vir nobilis, è Brasilia nuper advectus, nuncians multas Mamalucorum & Tupicorum cohortes in totius Guairaniæ perniciem arma moliri; immoto ad hæc Paraquariæ Prætore, & nihil de incuria remittente. Itaque horret animus in Guairaniam proficisci, & rerum dicendarum calamitas ab solito officio calamum absterret. Porro pergendum est.

CAPUT XXXIX. De reliquis Paranæ rebus.

Confirmatur Neophyti.

Josephi Anchietæ Reliquiæ.

Sudor portentosus.

FRANCISCUS Vasquius Provincialis, inspectis Paranensibus oppidis, per famosum illud præcipitium, eodem quo ejus decessor labore, in Guairantam penetravit. Nam quamvis Paraquariæ Prætor illàc iter habere vetuerat, tamen recentioribus litteris Senatus Chuquisacensis Regius, abrogatâ lege, edixerat è bono publico non sibi videri, si communes compendiariæque viæ interdicerentur. Igitur postquam Provincialis primam Guairaniæ Hispanorum urbeculam attigit, citato amplissimi ordinis edicto, magistratum de fractâ Prætoris lege conquerentem, postulantemque, ne illàc rediret, facilè compescuit. Villaricam adverso Paranâ & Huibaïo delatus, trepidum nuncium accepit de Divi Xaverii oppido ab Mamalucis obsesso. Quo accepto nuncio, animatis ad auxiliandum Villaricanis, quantâ potuit remorum contentione, viæ compendio usus, in Sociorum subsidium properavit. In Divi Xaverii oppido aderat Sylverius Pastor initio invasionis, qui cognito ab Mamalucis suos Neophytos è remotioribus villis in servitutem abigi, extra oppidum progressus latrones adiens, spretis ferreis fistulis in suum pectus directis, tantum gestu, voce, minis, lacrymis potuit, ut aliquot captivos sibi reddi impetrârit. Sed

CAPUT XL. Sanctorum Xaverii & Josephi coloniarum depopulatio.

Franciscus Vasquius Guairaniam adit.

Mamaluci oppidii Divi Xaverii invadunt.

breve fuit ſolatium, hoſtibus ſequenti die in villas oppido proximas effuſis, & populationem ſolitâ crudelitate facientibus. Quibus iterum obviam factus, conſpecto Mamaluco acinacem iteratâ ſævitie in Neophytum, quem vulneraverat, vibrante, auſus eſt in parricidæ brachium involare, vociferans, malle ſe, quàm cariſſimum in Chriſto filium, feriri. Sed Mamaluci fictâ urbanitate eum cingentes, & per ſarcaſmum, ne nimiùm iraſceretur, obſecrantes, occaſionem dedêre Neophytis ſuis procul id ſpectantibus exiſtimandi, Patrêm ſuum à Mamalucis circumventum occiſumque fuiſſe. Quæ fama, quamvis falſa, plurimis ſaluti fuit; trecentis omninò Xaverianorum capitibus, ne Paſtore deſtituti præda lupis fierent, citatiſſimâ fugâ ad vetera Guairaniæ oppida elapſis: quorum non paucis è fuga retractis vincula prædones injecêre, aliis alibi eandem fortunam expertis. Trecentos Sylverius Paſtor hinc inde conquiſitos ab ſervitute conſervavit, & octodecim à prædonibus recuperavit, quos omnes Joanni Suario, in auxilium recèns appulſo, in tutum recipiendos tradidit. Mamalucis interim, more ſuo, munitione è palis factâ extra oppidum captivos includentibus, aut magnis catenarum nexibus inſertos, ne elaberentur, arctantibus. Antonius Ruiſius ubi ad Divi Xaverii portum, diſſipatâ jam gente, appulit, immenſo dolore diriguit. Chriſtophorus Mendoça eò, etiam invaſionis neſcius, appellens, manipulum Ethnicorum abs ſe recèns è ſylvis reductum, re cognitâ, continuato labore, ad vetera oppida extra præſentis periculi aleam, quantâ potuit celeritate, deduxit. Eo in rerum ſtatu Villaricani advenêre, qui in Mamalucos invecti, uno è ſuis occiſo, & altero vulnerato, pedem referentes, nunquam deinde adduci potuere à Provinciali, qui cum ipſis venerat, ut ſecundum impetum ad captivos liberandos tentarent. Igitur poſtquàm Pindovius, Nivatinguiënſis coloniæ deſtructæ dux, tractâ in partes numerosâ fœderatorum multitudine, prædonibus ſe tradidit, templum oppidumque Divi Xaverii deſtructum eſt, tanto Sociorum omnium dolore, quanto ſuperioribus annis ad reducendos ferociſſimos antropophagos labore conſtructum fuerat. Id oppidum mille & quingentas familias aliquando computârat, ex quo numero vix quingenta capita è prædonum furore erepta, ſecundo Tibaxivâ, ad vetera oppida Provincialis remiſit. Non hîc ſtetit invaſionis lues: nam Sancti Joſephi colonia, inter Sancti Xaverii & Sancti Ignatii oppida media, ſola trepidatione deſtructa eſt, ejus incolis Mamalucorum metu fugâ dilapſis, aut in eorum manus prolapſis. Et quia tot oppidorum deſtructorum reliquiæ veteribus coloniis oneri eſſe poterant, Provincialis non procul Laureto, ut mutuâ ſe vicinitate defenderent, novum oppidum, ad quod incolendum concurrerent omnes ii, qui prædonum furorem evaſerant, ſpecioſo magis & prudenti, quàm profuturo conſilio, conſtrui juſſit.

Aliquot capita conſervantur.

Pindovius Mamalucis ſe tradit.

Quingenta capita eripiuntur.

CAPUT XLI.

De deſerendis Taïaobanę factionis oppidis agitur.

HIs rebus ordinatis, Provincialis Vaſquius cum Antonio Ruiſio & aliis Sociis ad juvanda Taïaobanæ factionis oppida celerrimè contendit: nam rumor increbuerat, non ex vano acceptus, ſub numeroſiſſimis ſignis Mamalucos & Tupicos, in reliquæ Guairaniæ perniciem conjuratos, adventare. Circa Taïaobæ terras tria oppida Societas erexerat, quorum unum Archangelis dicatum, ſuprà mille familias cenſebat. In Sancti Thomæ oppido octingentæ familiæ ſe aggregaverant, & Simon Maçeta in reædificata Jesu-Mariana colonia tantam Barbarorum multitudinem Guiraveranæ factionis denuò reduxerat, ut vix à primo ſplendore differre videretur. Hùc dum appulit Provincialis, & coram vidit ferocem nuper Antropophagorum gentem, ita jam ad honeſtam piamque vitam proclivem, ut quotidiè neminem aut Catecheſi adeſſe, aut religioſè feſtos dies celebrare, aut utilia animis corporibusque monita audire pigeret, non potuit non laudare dexteram Excelſi, qui ex lapidibus his fecerat tot filios Abrahæ. Socios verò, Divinæ bonitatis inſtrumenta, amplexus hortabatur, ut quo pede cœpiſſent, porrò pergerent. In his rebus verſanti rurſum nunciant exploratores, Mamalucorum cohortes non procul abeſſe. Quare Provincialis, adhibitis quotquot potuit in conſultationem Sociis, à ſingulis percunctatur, quid in re trepida factitandum putarent? Plerique reſponderunt, duos eſſe modos Taïaobæ populos juvandi: ſi nempe ad reſiſtendum hoſtibus animarentur, aut ad

Taïaobanæ factionis ſtatus.

Nuncium de Mamalucis.

Pars cenſet reſiſtendum hoſtibus.

tutiora

tutiora loca ducerentur. Qui resistendum existimabant, movebantur præsertim numero Neophytorum Catechumenorumque, quos Ethnici ipsi juvarent, si in auxilium pro communi causa vocarentur. Addebant, transmigratione indubiè præscindi spem juvandi tot Ethnicorum millia, Societatis curæ se tradere volentium. At qui transmigrationem suadebant, præfati nihil se magis in votis habere, quàm pro ovibus suis vitam ponere, non metum mortis allegabant, sed cognitum Mamalucorum Tupicorumque furorem, quorum pauci immensam Barbarorum multitudinem aut in servitutem redegerant, aut fœdè trucidârant. Indos corpore nudos sagittis arundineis uti, quarum propter bicubitalem longitudinem levitatemque infirmus ferè & incertus est ictus, fierique non rarò, ut volantes sagittas per contemptum latrones manu avertant, aut thoracibus, gossipio fartis, indemnes excipiant. Mamalucos verò ensibus & bombardis armatos, tractandi belli peritiâ nihil admodùm ab Europæis differre. Nec dubium esse, quin seriùs ocyùs totam gentem abigerent. Satius itaque videri, quoscumque possent, in tutum fugâ retrahere, quàm inermes armatis, expertisque hominibus, exponere, & tandem post multorum stragem cæterorum omnium jacturam facere. Huic parti assentiens Provincialis decrevit, recensita tria oppida quamprimùm ad proxima præcipitio Guairaniæ loca, eo fine esse transferenda, ut & longinquitate se tuerentur, &, si res ferret, superato præcipitio, ad Paranæ colonias descenderent. Quâ re Sociis commendatâ, flexo per Lauretanum oppidum itinere, inexplicabili mœrore obrutus, secundo Paranâ, remenso iterum præcipitio, ad reliquæ Provinciæ res ordinandas properavit.

Pars transmigrandum.

Provincialis transmigrationi assentitur.

VIX Provincialis abierat, cùm nunciatum est, hostem infesta omnia præ se agere. Quare maturatum transmigrationis consilium est. Ludovico Ernoto commissa cura fuit, supellectilem sacram domesticamque destruendorum oppidorum secundo flumine in tutum recipiendi, qui sexagesimo ab discessu die ad conditum locum res & homines sibi commissos æquali labore ac felicitate, nullo amisso, deposuit. Petrus Spinosa, Didacus Salazarius, Didacus Rançonierius, Nicolaus Enartius, Ignatius Martines, quotquot potuêre barbaros præ se agentes, periculo eripere contendebant. Simon Maçeta JESU-Marianos in tutum recipiens, dum ad transfugarum manipulum divertit, oraturus, ut secum vellent transmigrare, non tantùm repulsam tulit, sed etiam duobus comitibus spoliatus, sine comitatu ad suam turbam redire coactus est. Christophorus Mendoça destructorum extra Taïaobæ regionem & Sancti Thomæ oppidorum reliquias, ne perirent, abigebat. Ibant omnes per sylvas & immensam solitudinem nullo fermè commeatu, & quia plerique aut fame cruciabantur, aut itinerum difficultatibus impares erant, revocante eos amore patriæ, passim ab incœpto itinere redibant; ingenti Sociorum cruciatu oves suas in luporum fauces sponte suâ sese præcipitare dolentium. Unam ex his turmis Christophorus Mendoça ab reditu revocare tentans, pænè mortem reperit, quam elevato jam ferro intulisset ferox Indus, ni circumstantes Neophyti imminentem jam à tergo ictum avertissent. Aliqui Gualachorum furorem experti, aut fœdè trucidati, aut antiquo more servituti reservati sunt. Nec deerant Indorum abactores miserorum libertati insidiantes. Ubique mœror, ubique timor, ubique mortes in itinere fatiscentium cernebantur, inter quos labores tandem singuli Socii suas turmas post octo dies ad conditum locum deduxêre. Triduo postquàm eos eduxerant Mamaluci, Taïaobæ regionem ingressi, prædam quantam nunquam aliàs fecerant, invenêre: ultrò se dedentibus populis, & vincula, metu mortis, induentibus. His, qui transmigrationis incœptæ pertæsi, Socios deseruerant, eandem fortunam expertis. At Mamaluci tantâ populatione non contenti, cognito per Gualachorum terras Neophyrorum turmas ab Sociis abductas esse, turmatim eos insequuntur.

CAPUT XLII. Tria oppida Taïaobanæ factionis trãsmigrant.

Socii transmigrationẽ juvant.

Plurimi fugiunt.

Mamalucorum adventus.

IN Gualachorum regione Societas duo oppida fundaverat, unum sub nomine Conceptionis Didaci Salazarii curæ demandatum; alterum Sancti Petri, ad quod Didacus Rançonierius æger & Simon Maçeta recèns appulerant. In hoc ex im-

CAPUT XLIII. Duæ coloniæ in Gualachorum regione po-

proviso

fitæ ab Mamalucis deferuntur.

Gualachos Mamaluci non appetunt.

Gualachi in Didacum Salazarium insurgunt.

provisò turma Mamalucorum nullo Sacerdotum respectu irrumpens, fusque deque omnia habuit. Gualachos, ob ferociam indolis, non æquè Mamaluci pro servitiis appetunt ac Guaranos: quare iis omissis omnem conatum in id intenderunt, ut fugientes cum Sociis Taïaobæ populos assequerentur. Sic oppidum Divi Petri destructum est, incolis ad sua latibula dilapsis, & Sociis comitatu Guaranorum spoliatis ad Piquirium sese etiam recipientibus. Conceptionis oppidum non clementiùs habitum, quò delati Mamaluci, Didaci Salazarii ibi curantis suasu, ab Gualachorum furore se tutantes, abactis tantùm duabus primæ notæ mulieribus, ab voxandâ gente abstinuêre. Post discessum Mamalucorum, Gualachi ob abactas mulieres furore perciti, templum nostrum armati ingrediuntur, tumultuosè ab Salazario tum sacrificante postulantes, ut abreptas ab Mamalucis fœminas aut reddi curarer, aut æquale iis pretium daret; id damnum ab ipso emanasse, quòd fugientes Taïaobanos per suum oppidum fugam capessere voluisset, & bellum dissuasisset: eoque reum & damni debitorem esse. Hæc inconditis clamoribus cùm dicerent, sagittâ & lanceâ in ejus pectus directis, necem ferociter minabantur, patrassentque scelus, nî unus ex illis, Salazarii beneficiis præoccupatus, populares suos utcumque coërcuisset. Diripuere tamen sacras vestes, & domesticam supellectilem, indumentaque exteriora. At cùm ageretur de calice etiam rapiendo, eum utraque manu prehensans, exprobratâ priùs ingrati animi labe, magnâ voce testatur mortem se potiùs subiturum, quàm Divini cruoris scyphum prophanis manibus contaminari sineret. Simul hoc dixit, cum duobus adolescentibus Sacrificii administris, deserto oppido, per nemora fugam capessit, eoque se tandem retraxit, quò Socii cum Neophytis fugientes condixerant.

CAPUT XLIV. Transmigrantium calamitates describuntur.

POSTQUAM tot capita ex tot oppidis destructis in unum fermè locum convenêre, deficiente cibo, & cibi proximâ spe, miserrima fuit tum Indorum, tum Sociorum conditio, herbis & sylvestribus baccis, aut fluvii rejectamentis ægerrimè se sustentantium. Nullus fermè ex tot fugitivis erat, qui non propriam miseriam defleret; nam unus genitorem, alter matrem, altera maritum, maritus uxorem, pater filios, hic fratrem, frater sororem, ab latronibus abactos lamentabantur, & singulorum dolor in Socios, tanquàm in patres, redundabat: qui inter se de conservandis his populorum reliquiis consultantes, in id consensere, ut sementem eo loci facerent, dum aliud juvandæ gentis consilium suppeteret. Quamquam satis liquebat, nec in eo, nec in altero Guairaniæ loco stabilem sedem figi posse, quòd Mamalucis nihil jam impervium esset. Interim Ruisius, qui abeuntem Provincialem usque ad præcipitium deduxerat, Socios eo in loco revisens, immensùm quantùm singulorum calamitatibus condoluit. Quod dum facit, iteratum nuncium adfertur, ab Mamalucis ad Huibaïum Villaricæ subcensitos pagos infestari, & novas prædonum centurias ex omni Brasilia Australi, ingenti prædæ conceptâ spe, in reliquorum Guairaniæ oppidorum & Hispanorum urbecularum perniciem conspiratas adventare. Quamobrem Ruisius cum Simone Maçeta, & Petro Spinosa, ad vetera Laureti & Sancti Ignatii oppida, quantâ potuit celeritate, navigat. Augebat metum Didaci Salazarii epistola, asserentis in Conceptionis oppido ab Mamaluco, quem olim beneficio afficerat, se cognovisse, post deprædatam Taïaobæ regionem, prædonibus in animo esse, vetera Neophytorum oppida invadere: quod prævidens Provincialis, ante discessum imperârat magno numero cymbas fabricari, usui ad transmigrandum futuras, si hostis immineret. Igitur postquàm Villaricani juridicè postulati, fassi sunt, defendendæ Guairaniæ se esse impares, & undequaque hostes ingruere nunciabantur, Lauretanis & Ignatianis transmigrationem Antonius Ruisius indixit.

Antonii Ruisii sollicitudo.

CAPUT XLV. De transmigratione Lauretani & S. Ignatii oppidorum agitatur.

HÆ duæ coloniæ, ante viginti annos constructæ, industriâ Sociorum ea incrementa acceperant, ut cum benè fundatis in his regionibus Hispanorum oppidis comparari possent. Templa in eis, suprà reliqua, quæ in Tucumania Paraquariaque visuntur, sumptuosa, ornataque erant. Joannes Vasæus, Gallo-belga,

in utroque

in utroque Musicorum odæa instruxerat, nihil admodùm ab Eutopæis differentia. Nec satis jam distingueres Neophytorum mores à politicis dudumque cultis populis. Boum, & aliorum animalium domesticorum greges, Sociorum immenso labore per ducentas leucas advecti, aliquo proventu ali cœperant. Incolæ gossipii & cæteræ sementis satis habebant, quo se non tantùm decenter vestirent; sed etiam quo multa in Hispanorum levamenta mitterent. Quæ omnia Neophytos non parum retardatura videbantur ab transmigrationis consilio, consideraturos rerum omnium abundantiæ brevi immensas miserias cum perpetuo exilio successuras. Occurrebat plerisque iter centum & triginta leucarum, per summa pericula metiendum, antequam eò pervenirent, quò duci jubebantur. Nec satis sibi persuadebant infantes, mulieres, ægros & senes, commeatu mox carituros, cum vitâ ad tam remota loca per immane præcipitium & solitudinem pervenire posse. Ex aliâ tamen parte urgebant hostes, præter corporum durissimam servitutem animarum perniciem plerisque allaturi. In medio tantorum malorum deprehensi, ut erant longo doctrinæ usu instructi, uno omnes ore Ruisio & Sociis, quocumque vellent, se ituros spondent; fidem per eos à Deo accepisse, per eosdem in eâ foveri se velle: si fame aut fatigatione mori suos viderent, eâ se cogitatione solaturos, quòd pro conservandâ religione morti se suosque certo periculo exposuissent: Deo curæ futurum suæ pietatis præmium. Non esse iis deflendam ciborum penuriam, qui saturitatem corporum, animarum cibo ab Sacerdotibus suis ministrando posthaberent. Se itaque non tantùm volentes, sed alacres, quocumque ducerentur, ituros.

Horum oppidorum status.

CAPUT XLVI. Lauretani & Ignatiani transmigrant.

ANTONIUS Ruisius præsenti animorum alacritate utendum ratus, convasationem imperat. Vidisses concionatorum suggesta, exhomologeteria, baptisteria, & alia templorum ornamenta, prolixâ industriâ ab Sociis elaborata, momento temporis deturbari, Divorum signa arcis includi, quidquid commodè potuit ratibus, quas balsas hîc vocamus, imponi. Illato commeatu, postquam Divæ Virginis icon miraculis clara, & elegantissimum pueri JESU signum impositum est, nemo fuit, qui non se exulem lubenter futurum cum talibus comitibus profiteretur. Igitur majori alacritate quàm exules solent conscendentes, secundo Paranapanæo, patriam nunquam aliàs visuri deserunt. Lentè admodùm navigabant, ne quas rates post se hostibus relinquerent. Emenso Paranapanæo, per Paranam deinceps remigantes, nequicquàm reluctantibus urbis Regalis civibus, non admodùm infeliciter ad proxima magno præcipitio loca pervenêre. Ubi eos in opposito littore præstolabantur Indi, illi omnes, quos ex destructione aliorum oppidorum confluxisse narravimus. Ex Lauretano oppido nongentas familias; ex Sancti Ignatii octingentas transmigrasse, Simon Maçeta testis ocularis affirmat, præter quem numerum quadringentæ familiæ Lauretanis & multæ aliæ se adjunxerant. Quot ex aliis oppidis ad præcipitium pervenerint, non facilè dixerim, Sociis, qui transmigrationi interfuerunt, infinitè de numero variantibus. Illud securiùs asseruero, immenso dolore Socios omnes pænè obrutos fuisse, considerantes, quot Neophytorum millia ex tredecim coloniis prædæ Mamalucis cessissent, aut se antiquis latibulis occultassent. Præter quam jacturam lamentabantur tot Ethnicorum millia in Guairaniâ abs se deseri, sine spe illos adjuvandi, aut dissipatos Neophytos Catechumenosque recuperandi.

Numerus transmigrantium.

CAPUT XLVII. De continuâdâ transmigratione consilia capiuntur.

POSTQUAM dolori utcumque indultum est, Socii egere de transmittendo præcipitio, quo deinde, secundo Paranâ, tot capitum millia ad destinatum locum septuaginta adhuc leucis distantem transportarentur, ne Mamaluci has populorum reliquias sibi etiam vindicarent. Nam triduo postquam Lauretani & Ignatiani navigare cœperant, nunciatum fuerat, prædonum cohortes vacua oppida ingressos fremuisse, & ob delusos conatus suos ulteriorem perniciem fuisse interminatos. Sed non satis apparebat, quibus navigiis post præcipitii descensum tanta multitudo exciperetur; vix enim sperabatur, ex tanto numero navigiorum aliquot naufra-

Trecentæ cymbæ diffractæ.

gium evaſura, ſi à profluente rapi, & ex ſummitate præcipitii in ejus hiatum labi ſinerentur. Quia tamen omnia tentamenta adhibenda erant, pænè omnes cymbas onere levatas ſolutasque fluvio commisêre: quæ ubi ex alto præcipitio cadentes voraginibus & ſcopulis exceptæ ſunt, in minutiſſimas partes diffractæ momento temporis diſparuêre. Altera ſpes erat, ſi nempe ex Paranenſibus Neophytorum noſtrorum oppidis navigia ad præcipitii radices adducerentur: ſed magna ex parte ea ſpes etiam fefellit, Sociorum Paranenſium coriphæis ad provincialia comitia Cordubam evocatis. Quare valiturum utcumque conſilium fuit, exſcenſione ex præcipitio terreſtri itinere factâ, in planis locis novorum navigiorum fabricationi intendere. Ad quod præſtandum, Ignatius Martines cum aliis Sociis in unum locum evocatus, naufragio facto, ſub flumine diutiſſimè fuit, & cùm jam ſuffocatus crederetur, repertus tandem ab Indis in profundo fluminis: unde eductus affirmavit, nihil ſe moleſtiæ aut timoris ſub aquis ſenſiſſe, nec aliam cogitationem admiſiſſe, quàm quod ſperaret brevi aliquâ ope ſe educendum. Ubi plerique convenêre, ad præcipitii deſcenſum ſe adornavêre, cui rei intentos (nam annus ad finem vergit) tantiſper relinquam, eoſdem, dum tempori obſecundavero, poſtliminiò reviſurus.

Ignatius Martines ſubmergitur.

CAPUT XLVIII. Societas ad Itatinenſem Provinciam Chriſto ſubjugandam invitatur.

Primi Itatinenſis Provincia exploratores.

EO in loco Antonius Ruiſius litteras accepit ab Xereſii Hiſpanorum urbecuiæ magiſtratu, infimis precibus poſtulante, ut ad ſe multis retro annis Sacerdote omninò deſtitutos, aliquot Socios mittere vellet, Hiſpanis Sacramenta miniſtraturos, & circumjacentibus Ethnicorum regionibus profuturos. Non neglecta poſtulatio eſt, tum quòd optarent Guairaniæ Socii, ovibus ſuis ſpoliati, novas oves Chriſto quærere; tum quòd Provincialis abiens ſignificarat, Itatinenſem provinciam, Xereſii ditioni conterminam, omninò adeundam eſſe. Eò igitur Antonius Ruiſius, antequàm ad comitia properaret, Didacum Rançonierium, & non multò pòſt Juſtum Vanſurkium Manſillam Belgas, tantæ expeditioni pares, cum mandatis mittit, ut exploratam regionis conditionem ad ſe reſcriberent. Ivêre Socii difficili longoque aliquot hebdomadarum itinere; & quæ Dei benignitas eſt, reperêre Apoſtolicis cultoribus congruentem materiam, pro deſtructa Guairania ſucceſſuram. Vanſurkius enim rediens Sociis nunciavit, in Itatinenſi provincia magnam januam Evangelio eſſe apertam; & Rançonierius, ſcriptis litteris, annuebat Sociis, ut in partem novorum laborum venirent. Ex omnibus Patribus Ignatius Martines Italus, & Nicolaus Enartius Lotharingus electi, & ex advecta ſupellectile campanæ & alia ſacrorum inſtrumenta ad fundanda nova templa oppidaque attributa ſunt. Quibus auctus ſubſidiis Vanſurkius, expeditioni præfectus, adverſo Paranâ & Miniaio iter relegens, citatis remis ſe Didaco Rançonierio rurſum adjunctum ivit. Quid ſelectiſſimi viri ea in regione fecerint, in loco non omittam enarrare.

HISTORIÆ PROVINCIÆ PARAQUARIÆ SOCIETATIS JESU

LIBER DECIMUS.

CAPUT I.

Per Tucumaniam gesta congeruntur.

1632.

Philippi Guevara mors.

Per Cordubæ tractum excurritur.

Innocentia longam vitam parit.

Estecum terræ motu concutitur.

Socii Estecenses pacificat.

Luxuria desiderium caligatione castigatur.

Rioca urbs ab Calchaquinis invaditur.

CAPUT II.

Inter belli tumultus Socii multa gunt memoratu digna.

IEUNTE Anno currentis sæculi trigesimo secundo, comitiis provincialibus Cordubæ habitis, Joannes Baptista Ferrufinus Italus, afflictæ Provinciæ auxilia ab Rege Catholico & Mutio Vitellesco Generali postulaturus, plurimorum suffragiis eligitur. Corduba luxit Philippum Guevaram Simançæ in Hispaniâ natum, utilem admodùm rerum externarum administrum, præter cæterarum virtutum exercitium, singulis diebus aliquâ pii animi significatione ab Deo flagitare solitum felicem vitæ exitum, quâ assiduitate evicit, ut mortem non tantùm intrepidus, sed etiam alacer exciperet, & instare nunciantem suavissimè amplecteretur. Tucumania eâ tempestate bello Calchaquinensi, fame, illuvie & peste, non sine Apostolicarum excursionum detrimento afflictabatur. Non obstantibus tamen tot impedimentis, Joannes Cereçeda, & Joannes Dias Ocania, per Cordubensem tractum excurrentes, non paucis mortalibus Baptismum contulêre. In remotissimis locis reperêre homines adeò sacrorum nostrorum rudes, ut affirmarent, se nunquam Sacrosanctæ Missæ Sacrificio adfuisse: &, quod mireris, multi decrepitæ ætatis senes per plurimos annos innocentiam conservârant, qui, percunctantibus Patribus; quomodò tamdiu sine sacrorum subsidiis, & in summa libertate, peccata vitassent? respondebant, se ad eam ætatem nequaquam perventuros fuisse, si iram Divinam peccatis provocassent. Idem Joannes Cereçeda aliò translatus, & Didacus Barios, fluminis Salsi accolas bimestri spatio lustrantes, Exhomologesi, Baptismorum collatione, pellicum demptione, magnam utilitatem attulêre. Estecensis civitas multis repentinis mortibus, peste & terræ motu afflictissima fuit, tertia pars urbis subita concussione subversa, omnium animis terrore consternatis, præsertim cùm in aëre auditæ sunt præliantium voces: è nostro Collegio Venerabile Sacramentum, ne ruinâ obrueretur, in forum eductum, ab civibus sospitatem flagitantibus, pænè totâ nocte accensis facibus frequentatum est; qui, metu discusso, cœleste rursum Numen irritavere: urbe in partes discisâ, & jamjam sumptis armis in seditionem abiturâ, nî nostri intercessissent partium capitibus industriâ pacatis. In urbe Sancti Michaëlis germani fratres in mutuam ruentes perniciem, directore sodalitatis Marianæ adnitente, dexteras sibi dedêre testes pacificatarum voluntatum, mutuò sibi pedes osculantes; cùm tamen jam hinc ab anno nec provinciæ Prætor, nec alii præstantes viri eos reconcilare potuissent. Inda mulier, post approbatum in animo perpetrandæ luxuriæ desiderium, caligantibus oculis nunquam potuit vultum imaginis Virgineæ in templo nostro patentem cernere, quem tamen mutatâ voluntate videre meruit. Rioca urbs serò luxit, non obtemperasse nostris Concionatoribus, in Indorum gravamina pro suggestu declamantibus, dum se ab Calchaquinis rebellionem continuantibus deformatam vidit.

HIERONYMUS Cabrera, nobilis eques, moturus in hostem, Socios expeditionis comites habere voluit: qui, ne Societatis nomen apud Indos odiosum facerent, diu repugnavêre: sed tandem Ducis authoritati cedendum fuit, affirmanti sine uno saltem è nostris, cui plus fideret, quàm armatis copiis, ad bellum non iturum. Franciscus Hurtadus, Socius impiger, cum eo profectus,

Franciscus Hurtadus milites comitatur.

non parvam domitarum gentium laudem meruit. Primo impetu cum Guandacolibus, Capaïanis, & Famatinæ vallis incolis, Hispani Cabrerâ Duce feliciter pugnavêre: post pugnam hostes, comperto, Franciscum Hurtadum, qui superiori anno ad eas gentes Apostolicè excurrerat, in comitatu esse, missis nunciis enixè ab eo postularunt, ut pacis arbiter esse vellet. Acceptatâ procuratione, factionum primores Hispanorum Duci se stitêre, pacis conditiones, ex sententia fermè Franciscî Hurtadi ad Indorum levamentum compositas, accipientes. Satis constat omnes pagos Famatinæ vallis ad Regis Catholici obsequium eo modo fuisse reductos. Nobile fuit hostium erga instructores quondam suos benevolentiæ testimonium, qui destructis omnibus circumquaque Hispanorum villis, & abactis pecoribus, Societatis jus intactum reliquêre, dictitantes, ali dignos esse eos, qui animis plurimam utilitatem, & corporibus nullam noxam, adferrent.

Indos pacificat.

Ruptâ pace, Capaïani, Guandacoles, & Calchaquini, icto simul fœdere, in id conspirarunt, ut quidquid esset Hispani sanguinis, nullo sacrorum respectu perderent, adeò inviolabili execratione, ut suæ nationis fœminas eo solo nomine trucidarent, quòd ab Hispanis constupratæ externum sanguinem admisissent.

Barbari Societatem æstimant.

At cùm de Societate ageretur, communi partium consensu sancitum, eam esse conservandam, & etiam tempore belli ad curam animarum suarum invitandam, quòd longo experimento didicissent fœminis suis non insidiari.

Et ulterò invitandam sanciunt.

Domitâ iterum gente, in Famatinæ vallis meditullio arx exstructa est, in qua Franciscus Hurtadus utilem planè Hispanis, & devictis Indis, operam navavit; donec Riocam, Joannis-Baptistæ Sampsonis funus curaturus, revocaretur. Nam postquàm Londinum destructum est, Hispani & Indi Londinenses, furori hostium superstites, Riocam magno numero concedentes, famem, & ex fame pestem in modicam urbem, & tot alendis imparem, invexerant, magna mortalium strage; quibus inserviens noster Sampson, haustâ lue, anno ætatis quadragesimo quinto, vivere desierat.

Joannis Baptistæ Sampsonis mors.

Barlota, Neapolitani regni oppidum, eum mundo genuit.

Patria.

Impetratâ missione Indicâ, Calchaquinis domandis impositus, adito sæpe inter sagittas, & Barbarorum debacchationes vitæ periculo, per aliquot annos perduravit. Animi dotes, Apostolicis laboribus pares, & mortem vitæ non absimilem, habuit. Nullus ante ipsum linguæ Calchaquinæ artem utiliùs scripsit, aut meliùs calluit. Saltensis Collegii Socios, utiliter excurrere assuetos, Calchaquinense bellum domi diu continuit; plerisque Indorum amicorum pagis, & Hispanorum villis usque ad Chileni regni terminos deletis.

Studium Calchaquinæ idiomatis.

Postquàm verò aliquantulæ induciæ concessæ sunt, Petrus Hortensius, & Andreas Valera, octo residua Barbarorum municipia adeuntes, exiguum planè fructum collegerunt, viginti tantùm capitibus baptizatis, octodecim pellicatibus in legitima matrimonia conversis, & aliquot aliis aliter expiatis.

Apostolicæ Petri Hortensii & Andreæ Valeræ excursiones.

Ulteriori emolumento obstitêre gentis mores, avitâ fœditate & bellorum inquinamentis eousque depravati, ut totos fermè dies aut vino maderent, aut totum Eumenidum agmen furendo repræsentarent. E Peruvia ad refrænandos Calchaquinos missæ Hispanorum cohortes, materiam præbuere Saltensibus Sociis frequenter ad castra, & utiliter, excurrendi. Hîc appendam, præcipuam Boni-aëris Collegii gloriam stetisse in baptizandis Æthiopibus, ex Africâ apportatis, & componendis Reipublicæ capitibus, ob habendi cupidinem, & honoris tuendi nimiam sollicitudinem, sæpè discordantibus.

Æthiopes baptizantur.

CAPUT III.

Marcellus Lorençana moritur & laudatur.

IN Assumptionis urbe morte sublatus est Marcellus Lorençana, ab Nierembergio jure meritò illustribus Societatis Heroïbus adscriptus. Hunc Legio urbs, cognominis regni caput, orbi produxit. Progenitores habuit Joannem Rodericium Lorençanam, equitem generosum, & Mariam Pontiam, seu Ponçe de Leon, pari cum marito natalium splendore, morumque ac vitæ honestate, inclytam.

Ejus nobilitas.

Sed neque Marcellus noster derivatam à parentibus nobilitatem degeneri socordiâ obscuravit: quippe eâ virtute primos ætatis annos in patria, & mox adolescentiam in Academia Complutensi, transegit, ut dignissimus habitus sit, qui in Societatem Jesu adscriberetur.

Studia.

Sub Joanne Peraltâ, viro Asceticæ artis peritissimo, Religionis tyrocinio posito, Philosophiam Ludovico Paltmâ, & Theologiam Compluti Francisco Suario

Doctoribus,

Doctoribus, didicit. Humanis Divinisque scientiis sub tantis viris excultus, cùm quemvis Religiosi honoris gradum in Europæ luce ascendere posset, adnitente Didaco Zunigâ, Peruviæ Procuratore, in Indiam ab Claudio Aquaviva Generali mitti meruit. Circa annum præteriti sæculi nonagesimum secundum Limam appulsus, religiosè recusato Theologiæ docendæ in Quitensi regno munere, maluit in Paraquariam, septingentarum leucarũ itinere, ad Barbaros erudiendos concedere. Ante fundationem Provinciæ, post Alfonsum Barsenam, Assumptionis urbis sedi magno Hispanorum & Indorum emolumento præfuit. Sedem in Collegium versam, nullus alius eo diutiùs gubernavit. Porrò quas molestias in diuturno regimine tolerârit; quàm utiliter ad longinqua loca excurrerit; quæ in fundando primo Paranæ oppido pericula adierit; quid in Guairania & Tucumania pro augenda Dei gloria factitârit, Nierembergius in viris illustribus, Didacus Boroa Provincialis speciali libro, & ego sparsim in hoc opere suo quoque tempore tradidimus. Hîc attexam, quæ annis alligari de tanto homine non potuere. In Hispania adhuc versanti demandata ipsi fuerat Ducis Feriæ, in domo nostra Complutensi subinde diversantis, cura; ab quo interrogatus de parentibus & patria, respondit, matrem suam esse Societatem, nec alium parentem agnoscere, eandemque patriam suam esse: multùm applaudente modesto juveni Duce, virtutem ex contemptu mundi æstimare solito. E Pontia Legionensi nobilissima familia fuisse ortum, hujus Provinciæ Socii tum solummodò cognovere, cùm, eo mortuo, authenticæ litteræ id testantes apertæ sunt. Ab Claudio Aquaviva in Chilensis regni Collegii primarii Rectorem designatus labores inter Paraquarienses Indos continuare præoptavit, & obtinuit. Gravem morbum ex eo aliquando contraxit, quòd intellexisset brevi se Provincialem futurum: nec ante convaluit, quàm cognovit negotium fuisse disturbatum. Scisciatus ab Paraquariæ Prætore, quid de legibus pro servitio Indorum abs se latis sentiret, constanter respondit injustas esse, & ni eas rescinderet, æternas pœnas irato Deo daturum. Per quadraginta & novem Religionis annos in summis etiam Paraquariæ caloribus, extra statuta cœnæ & prandii tempora, nisi ter per modum medicinæ, nunquam bibit. Nec acetum, nec salem, nec alias gustûs illecebras, ordinario cibo aliquando adhibuit. Herniæ, stomachi, & capitis doloribus afflictissimus, vix aliquo die lectulo decubuit, aut ab faciendo abstinuit. Commissarii sanctæ Inquisitionis onus perdiu sustinuit, infracto semper contra malevolos animo. Si quas molestias ab occultis aut palam Societati infensis pateretur, Religiosæ tolerantiæ palliolo se involvens, ostendebat nihil sibi magis cordi esse, quã benè agere, & innocenter multa pati. In fundatione primi ad Paranam oppidi, dæmon apud suos Ariolos verba faciens, nihil inculcabat magis, quàm ut Lorençanam averserentur: & vice versâ Lorençana dæmonem ita exagitabat, ut eo ex antiqua possessione pulso, Paranensium primitias tandem Christo asseruerit. Per viginti annos in Assumptionis urbe nunquam fermè panem gustavit. Linteamina ad decumbendum nisi senex & æger non admisit. Gossipinâ veste malè tinctâ utebatur, quo in habitu Episcopi, Prætores, & Magistratus, eum summopere venerabantur, tacitum censorem pertimescentes. Nimius fuisse in conservandâ castitate dici posset, nisi experimento constaret hujus virtutis integritatem remediorum insolentiâ conservari. Fuit, qui sponsam eâ se lege ducturum diceret, dummodo ipsa priùs sponderet se tantummodo apud Lorençanam castissimum Sacerdotem peccata deposituram. Post tot annos in Paraquariæ metropoli exactos, nullam matronarum aut Virginum, quarum plerisque aures confitentibus dabat, de facie noverat. Nunquam pœnitentes fœminas ad se venientes filiarum nomine appellitabat, aut Hispanas mulieres Paraquarienses idiomate alloquebatur, quòd utrumque familiarem nescio quam blanditatem saperet. Paranenses Barbaros Angelicâ castitate potiùs, quàm eloquentiâ, convertit ad fidem; admirantibus Barbaris, hominem carne vestitum, inter nuda passim corpora, ac si cadaver esset, nihil vivi hominis præseferre. Observantiam erga Majores per hoc maximè ostendit, quòd jussus ab Stephano Paës Visitatore Assumptionis domum deserere, quamvis spes ex proximo affulgeret, multas Provincias Ethnicorum ad Christi fidem adducendi, & Assumptionis urbs Visitatoris consilio totis viribus re-

Navigatio.

Nobilitatis contemptus.

Barbarorum amor.

Intrepidum dictum.

Abstinentia.

Patientia.

Paupertas.

Castitas.

Obedientia.

pugnaret, nunquam adduci potuerit, ut tantisper jussa dissimularet: sed falce in messe relictâ in Tucumaniam statim concesserit. Caritatem ejus & animi demissionem satis commendavero, si dixero Petrum Oniatum, Paraquariæ Provincialem, scripto testatum fuisse, nullum se nec in Hispania, nec in Peruvia, aut caritate excellentiorem, aut animi demissione præstantiorem ipso Lorençanâ cognovisse. Cordubæ Rectorem agens ex exhausto dolio & pro vacuo derelicto mel promere jussit, eo successu, ut ordinariis numerosi Collegii usibus suffecerit, donec aliud dolium è Paraquariâ mitteretur: quo in penum illato, vetus fluere desiit. Multas res priusquàm evenirent, cœlitùs nosse creditus est. Guairaniæ oppida, multò antequam destruerentur ab Mamalucis, aliquando destructum iri pronunciavit.

Charitas & humilitas.

In Deum fiducia.

CAPUT IV.

Francisci à Valle mors.

POST Lorençanam elatus ibidem est Franciscus à Valle, cujus non parva laus fuit in Evangelio per Paranam promulgando. Is tenuibus admodùm parentibus in Lusitaniâ natus, olim ab Ducis Sidoniæ œconomo hero suo jussus amatorias litteras pellici deferre, maluit opulento servitio depelli & egere, quàm lenonem agere. Quod factum tanti æstimavit unus è Ducis famulitio, ut aulâ expulsum, quotidiano dimenso inter eum partito, tamdiu operam litteris navantem aluerit, quousque in scholasticorum convictum ejusdem commendatione famuli admitteretur, & interjecto tempore San-Lucaris Verramedani parœchiæ, favore Ducis, cum sexcentorum aureorum censu præficeretur. Traditâ alteri suæ Ecclesiæ curâ, Jurisprudentiæ operam daturus, Salmanticam concedens, anno ætatis trigesimoquarto Societatem JESU ambivit, & primo ambitu obtinuit. Narrabat ipse, cùm in tyrocinio Villagarciano degeret, quòd mensæ nostræ mediocritati nondum assuesset, adeò se fame vexari solitum fuisse, ut subinde panem è penu sufuraretur, clam comedendum; sed, ut fit, clandestinâ illâ comestione longè se cruciatum magis, quàm si famem toleraſſet; conscientiâ facti, quamvis in levi materiâ, ejus animum crudeliter lancinante: nec utrique malo priùs inventum remedium, quàm Rectori se patefaceret. Post tyrocinium, septem annis per varia Castellæ loca utiliter excurrit. Montano Collegio in Hispania primùm; tum Aquavivæ Generalis jussu septem Sociis in Paraquariam navigaturis præfuit. Sedem Boni-aëris ipse primus stabilivit, rexitque. Templum nostrum in Sanctæ Fidei urbe ejus maximè operâ surrexit. Inde post explosam illam, quam suprà retulimus calumniam, ad Paranam translatus, multos Barbaros summo labore ad Fidem convertit. Rochus Gonsalvius scripto affirmavit, Franciscum à Valle socium suum inter genuinos Societatis filios, operarios inconfusibiles, gloriæ Divinæ zelatores, & insignes missionarios amplissimum locum mereri. Post excultam per aliquot annos Paranensem vineam, ob calculi dolores ad Assumptionis Collegium revocatus, nihil de solitis laboribus remisit, adeò ut ex continuatione audiendarum confessionum aliquoties ad extrema deductus fuerit. Piè mortuum tantâ mœroris exhibitione luxit universa civitas, quantâ vivum prosequuta fuerat. Longè disparem exitum habuit nescio quis Morales, qui è Societate expulsus, cùm se ex levitate animi pro divinatore apud plebeculam venditaret, in Peruvia fœdissimè trucidatus fertur. Senatus Platensis Regius, acceptis è Paraquaria Guairanicæ depopulationis relationibus, ad Regem Catholicum litteras scripsit, quibus præterita damna, & ulteriora pericula serò lamentabatur. Sed cataſtrophen calamitosæ tragœdiæ inspectum eamus, & ultimam tandem manum profligatis Guairaniæ rebus commodemus.

Egregium casti adolescentis facinus.

Sidoniæ Ducis famuli caritas.

Francisci à Valle vocatio ad Societatẽ.

Levia furta castigata.

Ab Rocho Gonsalvio laudatur.

Morales miserabilis exitus.

CAPUT V.

Guairanii transmigratione continuant.

UT tot illa capitum millia, è prædonum manibus post tot oppidorum depopulationem erepta, è præcipitio Guairanico descenderent, & transmigrationem continuarent, Antonius Ruisius partitæ in agmina multitudini præfecit Socios consilio, ope, imperio, & ubi opus foret, Sacramentorum subsidiis adjuturos. Singuli commeatu & reculis suis onusti procedebant: passim torrentes occursabant, ad quos transmittendos, deturbatis arboribus, extemporanei pontes sternendi erant. Jam scopulorum arduitas, jam arenosa loca Solis vapore adusta, jam invia nemora pergentibus obstabant: quarè non tantùm ægri & senes, sed etiam mulieres prolibus

onustæ,

onustæ, & integri sub onere fatiscebant; quocumque quisque in loco viribus deficiebat, ab reliquis ferè deserebatur: quorum corporibus Socii cùm remedium adferre non possent, animas ultimis adjumentis procurabant. Satis constat benè magnam multitudinem in ea præcipitii crepidine, à me superiùs descripta, periisse. Quæ crepido, si rectà iretur, quatuordecim leucas solummodò in longum protenditur, sed quòd ob insuperabilia passim obstacula, viarum anfractus quærantur, duplicanda ferè est itineris longitudo. Octiduo in descensu posito, postquàm ad plana loca plerique pervenêre, scapharum fabricationi insudatum est: quæ quia ab Indis ex cavatis arboribus fieri solent, & circa radices præcipitii procera ligna non reperiebantur, scaphas nullius ferè oneris capaces facere coacti sunt. Paranenses Socii aliquot ejusmodi navigiola cibis onerata ad excipiendam gentem magno labore, & facto sæpè naufragio, usque ad ipsum fermè præcipitium promovêre, quæ ob superantem multitudinem exiguo planè subsidio fuere. Igitur universa gens in quatuor agmina divisa est. Primum agmen terrestri itinere Paranæ littus legere, Petro Spinosa ductore, jussum est. Duo alia per mediterraneas utrimque sylvas versùs Acaraïenses & Iguazuanum oppidum, sub Joannis Augustini Contreræ, & Joannis Suarii cura, processere. Ultimum agmen ipse Ruisius cum cæteris Sociis secundo flumine devehebat. Cui cùm non sufficerent navigia ad transportandam totam multitudinem, Simon Maçeta cum reliqua gente in ipsis præcipitii radicibus præstolari jussus est, dum navigia ex Acaraïensi portu redirent, & alia itineris levamenta quærerentur. Interim trimestri spatio arborum sylvestrium frugibus ibi se sustentavit. In altero verò littore quadrimestri integro Didacus Salazarius, sexcentorum capitum custos, summâ rerum inopiâ, inter scopulos permansit, donec Andreas Gallegus ex Iguazuano oppido itineris continuandi subsidia adferret. Sive verò terrâ, sive fluvio iretur, utrobique funera passim cernebantur, unis fame, alteris lassitudine, aliis multiplici calamitate in via deficientibus; quos Socii aut jam mortuos sepeliebant, aut morientes Sacramentis priùs curatos deserere cogebantur, quò cæteris idem officium præstare possent. Qui fluvio vehebantur, ob parvitatem navigiorum & fluctuum magnitudinem, passim cum reculis mergebantur. Multi ex cannis quinquaginta pedes longis & crure humano crassioribus simul alligatis rates confecerant, quibus se committentes passim naufragabantur. Una earum ratium in oculis Patrum multitudinem omnem in flumen effudit, natationis beneficio, salvis quidem omnibus, præter unam mulierem, quæ amore prolium mergi cum illis maluit, quàm, depositio onere, cum aliis emergere. In profundo fluminis dudum hæc fuerat, nec usquam affulgebat spes liberandi, cùm Antonii Ruisii animo occurrit, benè se facturum si Lauretanam iconem è loculo eductam pro matre & prolibus submersis imploraret. Vix orare cœperat, quando vertex mulieris procul in flumine apparuit, ad quam Indi adnatantes, capillitio raptam, & ad littus attractam, atque ut ante gemellos filios in risum effusos utrâque ulnâ amplexantem Virgini sospitatrici incolumem stitêre; nemine non affirmante, miraculo id factum fuisse. Fluminis voragó alteram ratem absorbens, salvis adultæ gentis capitibus, undecim infantibus se pavit.

Præcipitii descensus difficultas.

Scapha fabricantur.

Transmigratores in agmina dividuntur.

Moriuntur.

Naufragantur.

Lauretana Virginis opportunum auxilium.

PER tot pericula transportatos Iguazuani & Acaraïenses Neophyti omni ope primi omnium juvere. Nec facilè dixerim, quantâ caritate Paranenses Socii Neophytique tot advenarum millia exceperint; seipsos pro aliis alendis ad ultimam calamitatem redigentes. Antequam de recondendis oppidis ageretur, universa gens per Urvaicæ & Paranæ colonias sparsa est. Quæ coloniæ ob anni steriliratem, quia vix suis municipibus alendis sufficerent, consequens fuit inhumeris se miscuisse miseriis. In compertò est, Sancti Ignatii ad Paraquarium oppidanos, duas ex tribus annonæ partibus advenis stipis nomine distribuisse. Itapuanos ter mille boves in iisdem juvandis fermè consumpsisse; Corporis Christi incolas mactato etiam numeroso boum armento, mortalium miserrimos pavisse: quos statim pestis & inedia multis in locis consumpsit. In Acaraiënsi oppido (quò primùm tot advenarum millia appulere) exiguo planè tempore sexcenti omninò sepulti sunt. Superstites,

CAPUT VI.

Transmigratores ab Urvaicensibus & Paranensibus liberaliter excipiuntur.

Multi moriuntur.

consumpto

consumpto circa oppidum omni cibatu, per sylvas & longinqua loca sparsi, vitam venando protelare contendebant; quos dum passim in nemoribus morientes investigat Petrus Alvatus, ad expiandas eorum animas vires corporis ita profligavit, ut ob inediam & laboris excessum ossibus vix hærens attonito similis videretur: eóque redactus est, ut veteres calceos, lentâ coctione mollitos, jamjam devoraturus esset, nisi aliquantulam annonam alii Socii submisissent. Solatium fuit in extrema illa calamitate, neminem sine Sacramentis obiisse. Iguazuani mille & quingentos è Guairania hospites, accersitâ etiam sibi fame, quadrimestri spatio gratis aluere. Ex his quingentos pestis mox absumpsit. Tygrides in Sanctæ Mariæ Majoris oppido cadaveribus humanis inescatæ viginti Neophytos brevissimo tempore devoravere, notabili Justitiæ Divinæ documento, nam sedulò observatum est, solos devoratos eos fuisse, qui ob perditam vitam iram Divinam merebantur. Urvaïcenses, ad quos pars advenarum transmissa est, profusissimæ liberalitatis argumenta dedêre, quâ non obstante, quamplurimos pestis & inedia etiam assumpsit: multa paucis complectar, si dixero, ex tredecim Guairaniæ oppidorum reliquiis, post primum transmigrationis annum, vix superfuisse quatuor millia; cæteris omnibus aut in itinere defunctis, aut fugâ elapsis, aut post adventum variis in locis peste & fame consumptis. Cæterùm hoc uno plerique omnes (si transfugas excipias) felices fuere, quòd infatigabili Sociorum labore expiati decesserint.

Petri Alvares fames.

Tygrides saviunt.

Ingti defunctorum numerus.

CAPUT VII.

Transmigratores oppida reædificant.

POSTQUAM mortalitas utcumque cessavit, Antonius Ruisius, superstitibus undique evocatis, ad reædificanda oppida animum advertit. Jabebuirius fluvius est, Itapuam inter & Corporis Christi coloniam, pari fermè utrimque intervallo medius. Ad ejus ripas, non procul ab Parana, in quem influit, retentis veteribus Laureti & Divi Ignatii appellationibus, duo oppidorum fundamenta jacta sunt; in quibus fabricandis, ne fame operarii perirent, ea pecunia, quam Rex Catholicus Sociis annuatim numerari jubet, & divenditâ destructorum oppidorum supellectile, decem boum millia coëmpta sunt: quibus & aliis subsidiis famem utcumque toleravere, & translatitiæ illæ coloniæ aliquid pristinæ claritudinis, iteratâ Sociorum industriâ, sub Magnæ Matris & Divi Ignatii tutela, pedetentim indeptæ fuere. Atque hùc redactæ sunt Guairaniæ nostræ reliquiæ, in qua excolendâ per tres & viginti annos nullis parcentes laboribus, ita se selectissimi Socii exercuerant, ut famam virorum Apostolicorum meruerint. Præter Villaricanam sedem etiam desertam, tredecim oppida fundaverant, innumeram Barbarorum multitudinem Christianis humanisque moribus informantes; tanto labore, & omnium rerum inopiâ, ut toto eo tempore radicibus fermè, farinâ ligneâ, oleribusque, illis victitandum fuerit. Satis constat, ne semel quidem à quoquam in Indorum oppidis panem gustatum fuisse: vinum vix conficiendis Sacrificiis sufficisse: interulas vestes & externas, lineâ deficiente, singulis ex gossipio fuisse; corium induratum, aut rete pensile pro cubili plerosque habuisse. Quibus si addas quotidiana, eaque pedestria, per invias sylvas, fœdissimas paludes & asperrimos montes itinera, necnon locorum solitudinem, Indorum barbariem, frequentia ab Ariolis, latronibus, Antropophagis, viperis atque tygribus pericula, quantum unicuique stramineas & luteas casas ferè incolentibus ærumnarum sufferendum fuerit, facilis conjectatio est. Cataldinus tamen & Maçeta scripto testati sunt, nullam Sociorum auditam esse vocem, vel de tenuitate ciborum, vel de alteris ærumnis per tantum tempus conquerentium: nam omnes nobilissimo operi insistentes ita de se credi volebant, ac si nihil magis appeterent, quàm terrenis deliciis carere, & multùm pro Christo pati. Sic Guairania gloriosè caput extollebat, sperabaturque fore, ut tota quanta erat, reductis etiam Gualachis, ad partes Christi transiens, Hispanum imperium pulchro additamento ornaret, cùm Mamalucorum turbo, eo maximè, quo diximus modo, susque deque cuncta evertit, spem omnem rescindens ejus repetendæ. Nam post depopulata oppida, Societatis operâ constructa, iidem latrones Villaricæ subcensitos pagos, & ipsam Villaricam, Guairamque, Hispanorum urbeculas, nullâ Episcopi Paraquariensis, qui ad auxiliandum venerat, reverentiâ destruxere. Villari-

Jabebuirius fluvius.

Regis Catholici eremosina.

De Guairaniæ reliquiis.

Guairaniæ oppida ab Societate cõstructa.

Guairaniæ Sociorum labores.

Iterata Mamalucorum depopulatio.

canis

canis partim ad Paraquarii littus translatis, partim ad Mamalucos dilapsis. Guairaniæ Socii reliqui, Petro Romero, Urvaïcensium & Paranensium oppidorum præposito, imposterùm parêre jussi sunt: quos brevi victricia signa per novam Ethnicorum Provinciam circumferentes, Deo dante, videbimus.

CAPUT VIII. Antonii Ruisii tolerantiæ religiosæ exempla.

PUBLICÆ calamitati lubet attexere Antonii Ruisii tolerantiæ religiosæ imitamenta, cui præter immensum dolorem ex tot carissimorum filiorum abs se in Christo genitorum jacturam medullitùs conceptum, hoc insuper additum est, ut nonnulli Socii magnitudine ærumnarum, recenter in Paranensia oppida invectarum, oppressi, causam in eum refunderent, aïentes præcipiti consilio transmigratum fuisse. Potuisse resisti Mamalucis, & oppida Guairaniæ conservari, si suos ad defensionem potiùs, quàm ad fugam, animasset. Quatuordecim Societatis sedes, unius hominis timiditate destructas, sine spe tot Ethnicos in Guairania relictos ad Fidem reducendi. In comperto esse, vicies plures fuisse Neophytos Catechumenosque, quàm Mamalucos: singulos armatos ab viginti inermibus facilè opprimi posse. Non tantùm Guairaniam eo ictu deturbatam, sed Paranæ etiam oppida sub ruina nutare. Accessere his verborum telis aculeatæ ipsius Provincialis sagittæ, non satis approbantis, quòd tanta res se inconsulto patrata fuisset: id autem aïebat, immemor rerum abs se in Guairania ordinatarum, ubi scripto dictoque (si hostes ingruerent) transmigrationem oppidorum injunxerat: ad quam faciendam cymbas fabricari jusserat. Deo autem permittente factum, ut illius oblivisceretur, quò magis inclarescceret tolerantia Ruisii, qui obfirmato contra dicta animo, tela acerba excipere maluit, quàm, cùm facilè posset, retorquere. Super hæc, eodem tempore accusatus fuit, quod litteras Provincialis, ad alium Socium directas, admisso grandi piaculo, & tantùm ab Majoribus expiando, reseraſſet: nec colore carebat accusatio, nam auditis facti circumstantiis, nullus non veram esse affirmasset: quarè ipse Provincialis Ruisio scripsit, ut ab tanti criminis infamia se purgaret, ni pœnam subire mallet: qui tamen ad id nullo modo adduci potuit, quòd cuperet heroïco silentio Christum imitari. Cùm igitur non se excusaret, Provincialis tanquam tanti criminis reum gravissimis pœnis multavit: immoto ad hæc Ruisio, & infamiam tacitè devorante; donec constitit, non ab eo, sed ab alio, cui ipse Provincialis reserandi suas litteras potestatem fecerat, fuisse apertas. Quâ re vulgatâ, Ruisius magnam laudem apud omnes consequutus est. Porrò ut videas heroïca illa facinora non parvi constare, ob colluctationem naturæ respuentis infamiam, in gravem morbum incidens, sanguinem omninò sibi corrupit. Valetudini redditus, dum suprà vires laborat, repentino casu hernioſus fit, adeò notabili tumore, ut intestina omnia diffluere viderentur. Accessit pernicioso malo aliud ab invidia dæmonis additamentum, qui spectabili formâ visendum se præbens, Ruisium in altera herniæ parte baculo magnâ vi percussit, ruptis etiam viscerum retinaculis: ab quo tamen utroque malo ab Suprema Virgine, obfirmatis miraculo cicatricibus remedium accepisse creditus fuit. Stabilitis duobus oppidis Ruisius præesse jussus est, subjectus tamen Petri Romeri imperio. Reliqui verò Guairaniæ Socii, partim cum Ruisio remansere, partim ad alia oppida regenda, aut de novo fundanda, adhibiti sunt. Nam sub idem tempus Tapensis Provincia ab Societate occupari cœpta, parem aut etiam majorem, quàm in Guairania sperari posset, materiam præbuit.

Variè vexatur.

Silet.

Accusatur de reseratis Provincialis litteris.

Tacet.

Calumnia ad liquidum deducitur.

Herniâ laborat.

Ab Virgine sanatur.

CAPUT IX. Tapensis Provinciæ descriptio.

POSTQUAM Petrus Romerus Guairaniæ advenis utcumque providit, auctus novis Sociis, de propagando Christi imperio longè ultra Urvaïcæ fines per Tapensem Provinciam seriò egit. Quâ in re Dei Optimi Maximi providentiam considerabis, post tot oppidorum depopulationem, & Sociorum fugam, novam Provinciam Evangelio opportunam aperientis, & pro destructa Guairania substituentis. Porrò Tapensis Provinciæ nomine venit montium series centum circiter leucarum longitudine ab Occidente in Orientem protensa, qui montes utroque suo extremo angulo octiduo ab Urvaïca flumine, & duplo magis ab Athlantico mari, distant. Valles iis subjectæ latissimè prata exhibent, alendis pecoribus maximè

Ejus magnitudo.

Fertilitas.

opportuna. Solum, cujuſvis ſeminis capax, fontium ſcaturiginibus & rivis irrigatur. Amphibium animal non rarò in paluſtribus locis, ad mare vergentibus, viſitur, ovi ſimillimum, niſi quòd ungues & dentes tygrinos habeat: tantæ autem ferocitatis eſſe fertur, ut neque leonibus parcat, neque ab aliis feris indigenæ ſibi magis timeant, quàm ab his ovibus, gregatim ex aquis ſeſe in campos effundere, & ſtragem facere ſolitis. Nec aliud ab earum feritate refugium eſt, quàm ſi homines ſummâ celeritate proceras arbores aſcenderint: quamquàm nec illud ſæpè ſufficit, ovibus illis arbores ipſas eradicantibus, aut tamdiu prædam circumdantibus, donec metu aut inediâ exanimata ex arboribus decidat. Si quandoque ejuſmodi feras (quod rarum eſt) Barbari mactent, earum pellibus ſe veſtiunt, unde Guarani veſtem Ao, ex nomine animalis, aut animal ex veſtis voce appellant. In pellibus ovium hæc animalia veniunt, intus autem ſunt lupi rapaces. Celebratur avis albi coloris, ex exiguo maximè corpore vocem emittens campanæ ſonitui non abſonam, quam ideò Indigenæ Guirapum, ſeu avem ſonantem vocant. Sylvæ palmas gignunt humillimas, juncis Indicis non abſimiles, ex quarum cortice arcuum funes conficiunt, tenuitate & fortitudine ſericis filis præſtantiores. Saxa pellucida paſſim cernuntur, indubiè poliri apta, ſi Europæorum induſtria accederet. Arbor Eçapis nomine, quæ etiam alibi reperitur, orto Sole, copioſum imbrem pluit, quem ne rorem putes, ſiccæ circum aliæ arbores edocent. Aptè diceres, hanc arborem nos monere, proſperitatis Sole ridente homines flere debere. Mores & lingua Tapenſium nihil ab cæteris Guaranis differunt, niſi quod indoles manſuetior, & vitiis minùs inquinata videatur: compertumque longo experimento fuit, nullam gentem Chriſtianis moribus capeſſendis aut retinendis aptiorem in Auſtrali hac America fuiſſe repertam. Avitæ libertatis amans externum nomen oderat, nec facilè vi armorum ab Europæis domari potuiſſet, niſi Crux, omnibus mortalibus ſalutaris, vires ſuas interpoſuiſſet. More Guaranorum exiguos pagos, aut montium dorſis impoſitos, aut ſylvis abditos, prout fontium rivorumque commoditas eſt, habitat: inter quos pagos Tape, unde provincia nomen ſumpſit, incolarum numero præcellebat. Eò primus penetrarat ante mortem Rochus Gonſalvius, ſed quòd gens immatura adhuc eſſet, pedem non ſine diſcrimine retraxerat. Anno verò ſuperiori, hinc Andreas Rua adverſo Ibicuito, & illinc Petrus Romerus terreſtri itinere, provinciam adorſi, repererant, commercio cum noſtris Neophytis habito, multos Religionis Chriſtianæ avidos eſſe, præſertim Guaimicam, Jabiëum, Cuniambum, Araçaſum, & alios Caſiquios ſummo ſtudio veræ Legis Doctores ſibi concedi flagitantes: quorum votis tandem hoc anno ſatisfieri potuit, quòd Guairaniæ deſtructæ Socii præter linguæ & tractandorum Indorum peritiam, animos dæmoni infenſos attuliſſent, averentque illata damna ſarcire.

Ao amphibium animal.

Avis ſonora.

Eçapis arbor orto Sole ploræns.

Tapenſium mores.

Primi eorum Doctores.

CAPUT X.

Oppidi Sancti Michaëlis fundatio.

Chriſtophorus Mendoça & Paulus Bennavidius ei præponuntur.

478 *infantes baptizati.*
Adulti 270.

PETRUS Romerus delecto Sociorum habito, Ludovico Ernoto Gallo-belgâ, & Paulo Bennavidio Luſitano, ſecundo Urvaïcâ, adverſoque Ibicuito præmiſſis, ipſe terreſtri itinere cum Chriſtophoro Mendoçâ & Emmanuële Bertot ad Tapenſem provinciam magnis animis properat. Adventantem Romerum & Socios Guaimica & fœderati Caſiquii honorificè exceptos, in templum abs ſe fabricatum domumque induxêre. His regendis Chriſtophorus Mendoça, & interjecto tempore Paulus Bennavidius, impoſiti ſunt: quorum maximè induſtria ante finem anni ſeptingentæ & quinquaginta familiæ coaluêre. Quadringenti & ſeptuaginta octo infantes, adulti verò ducenti & ſeptuaginta, in Chriſtianorum album relati ſunt: dilatis poſt ſufficientem Catecheſim multis mortalibus. Hoc oppidum Divo Michaëli dicatum, pietate in Deum & amore erga Societatem præſtans, inter decora ſua computat Chriſtophorum Mendoçam primum doctorem habuiſſe, & Petrum Romerum metatorem oppidi ſui, ambos pro Chriſto gloriosè aliquando trucidatos: & hactenùs Societas, eo in oppido ad Urvaïcam poſtmodùm tranſlato, octies mille & quadringenta capita Chriſtiano fonte immerſit.

INTER hæc Ludovicus Ernotus & Paulus Bennavidius ad alterum Tapensis Provinciæ locum pervenerant, fundando alteri oppido designatum, à quibus cùm Araçaïus & Caarupa aliique Casiquii cognovissent Romeri adventum, obviàm progressi noctu eum exceptum ivêre, in signum lætitiæ excitatis ubique tot ignibus, ut satis appareret, ex filiis tenebrarum velle se transfigurari in filios lucis. Et qui ante quadriennium Rochum Gonsalvium ad necem quæsierant, nunc è lupis oves facti pastoris vocibus obtemperantes, superba colla Christi jugo submittunt. Extemporali opere constructo templo, casas suas in formam oppidi construxerant, ostensuri, quàm non gravatè reliqua Sociorum mandata capesserent. Divo Thomæ consecratum oppidum Ludovico Ernoto & Emmanuëli Bertot regendum Romerus tradidit, quorum infatigabili operâ primo trimestri mille & ducentæ familiæ convenere, è quibus ante finem anni septingenti & quinquaginta infantes, præter centum & sexaginta adultæ ætatis homines, peste afflati baptismum consequuti sunt. Cæterorum desideria idem postulantium, quoadusque Christianis præceptis informarentur in sequentem annum differre necesse fuit. Quot hujus gentis millia Societas baptizaverit, commodiùs alio loco recensebo.

CAPUT XI. Sancti Thomæ oppidum constituitur.

Incolæ Romerum recipiùt benevolè.

Ludovicus Ernotus & Emmanuel Bertotus eis præficiuntur.

Mille & ducentæ familiæ reducuntur.

Supra nongenta capita baptizantur.

BIDUO aberat Divi Thomæ colonia ab Divi Michaëlis oppido: medio verò utrimque spatio multi sparsim Barbari intacti erant, qui suâ sponte in unum locum Itaquatiam vocatum convenientes, ædes in oppidi formam, & domum templumque Societatis usibus accommodata construxere, certos homines ad Romerum allegantes, postulaturos, ne se præ aliis gentibus contemneret: velle enim se fieri Christianos, & dæmoni renunciare. Romerus rei novitate attonitus prorupit in laudes Dei, barbarissimos homines per sese moventis & suaviter sub suæ legis jugum mittentis. Eò itaque profectus in faustum ponendæ sedis omen trecentarum & quinquaginta familiarum concursu, plaudente cœlo, Crucem erigit; baptizatisque quibusdam infantibus, ne quid de fundatione dubitarent, surgens oppidum Divo Josepho consecrat, Sacerdotem se brevi daturum adpromittens. Non procul eo loco, in alto montis jugo (Araricam vocant) vicinorum allecti exemplo multi Ethnici in unum locum coalescentes, etiam templum domumque nostris usibus adaptata ædificavere; efficaci, ut arbitrabantur, Sacerdotis è Societate impetrandi ratione. Eò etiam delatus Romerus sexcentis circiter familiis promisit, se propediem Sacerdotem concessurum. In quam spem erectâ Cruce, & sacro Fonte lotis infantibus, novellam rempublicam designato Magistratu ordinavit. Hæc colonia postmodùm Nativitatis Marianæ nomen sortita est. Post hæc Petrus Romerus ad Ibitirunam sylvam alteri sedi destinatam, quò superiori anno ipse excurrerat, Petrum Molam amittit, cum mandatis, ut circumjacentes populos spe alat Sacerdotis obtinendi, si constanter agerent. Quâ spe læti Barbari erectâ Cruce, & designato oppidi futuri loco, infantes suos grandi numero baptismo obtulêre. Interjecto tempore Franciscus Ximenius, Adrianus Knudius, Philippus Viverus, ad eos reportato aliquo animarum fructu etiam itiravere. Sed satis apparebat, gentem ab aliis semotam solidè juvari non posse, nisi stabilis sedes figeretur; nam præterquàm quòd Evangelicæ legis semina absentibus Sociis dæmon per Ariolos dissiparet, multi fame grassante sine Sacramentorum adminiculis miserrimè moriebantur. Non potuit tamen ante proximè sequentem annum hic locus, sanctæ Theresiæ tutelæ destinatus, insideri: quarè ejus rebus, uti & inchoatorum Sancti Josephi & Nativitatis Beatæ Virginis oppidorum, enucleatè describendis in id tempus differo, quo ab Societate positis sedibus occupabuntur.

CAPUT XII. Alia loca fundandis oppidis designantur.

Ad Itaquatiam.

Ad Araricam.

Ad Ibitirunam.

URVAICENSIS Provincia novem Neophytorum nostrorum colonias computabat. Eminebat inter omnes, ut prærogativâ ætatis, sic virtutum imitamentis, Conceptionis oppidum sub curâ Claudii Ruïerii & Francisci Molinæ. Hic campanas fundere, ferramenta facere, & quidquid usus Sociorum & Indorum postulabat, suo marte ex ære fabricare magno templorum & populorum emolumento didicit. Hîc Socii centum & quinquaginta octo capita hoc anno Christianis addidere.

CAPUT XIII. De Urvaïcensium Sociorum laboribus.

Franciscus Molina mechanicis se applicat.

Centum & quinquaginta-octo capita baptizantur.

Quingenti adulti præter infantes baptiſmum recipiunt.

Venerabile Sacramentum honoratur.

Indarum mulierum caſtitas.

Adoleſcentis pium deſiderium.

Grandis numerus Baptiſmorum.

Baptiſmus corpori etiã ſalutaris;

Et Extrema-Unctio.

Turpis fœmina caſtigatur.

Eo ſolo nomine hujus oppidi incolæ ſementem faciebant, ut haberent, quod Guairaniæ advenis largiter tribuerent. Ob quam liberalitatem creditum eſt, præ cæteris in agrorum fertilitate ab Superis fuiſſe adjutos. In Piratinienſi Sancti Nicolai oppido Silverius Paſtor & Joannes Baptiſta Mexia quingenta adultæ ætatis capita & infantes plurimos baptizavere: ille, relicto ad ſarcinas Socio, aliquot dierum excurſione, centum & ſeptuaginta Ethnicos ſecum traxit ad oppidum ſuo tempore Chriſtianorum albo inſcribendos. Ibidem hoc anno per plateas Corpus Chriſti circumferri cœptum, aulæorum cæterorumque ornamentorum defectum ſupplentibus frondoſis floridiſque arcubus, è quibus Neophyti, quidquid ex agris & ſylvis provenit, ſuſpendebant, teſtantes omnia omnium Domino debere ſervire. Inda mulier poſt ſuſceptum Chriſti Corpus ad turpitudinem ſollicitata, infamem procum cum hac voce abegit, *Næ tu*, inquit, *ſtultus es, qui credis, fœminam Deo plenam alteri corpus ſuum tradere velle.* Adoleſcens mulierculæ pellicienti fortiter reſpondit, indignum eſſe præſente Deo, & omnia conſpiciente, turpitudinem perpetrare. Juvenis Neophytus, audito adoleſcentium Europæorum more, in prima ætate ſe ab conſortio mulierum in convictibus, aut Religioſorum clauſtris ſegregantium, communicato cum coætaneis conſilio, ad unum è noſtris advolans, velle ejuſmodi domum inſtituere amore caſtitatis profeſſus eſt. Cùm verò in his regionibus id fieri non poſſe intellexiſſet, multùm ſuſpirans, in has voces erupit: *Id tu*, inquit, *Pater nobis non negares, ſi experimento didiciſſes, quid ſit, adoleſcentes inter nudas mulieres diu noctuq; converſari.* Apud Caaſapaminienſes in Purificatæ Virginis oppido præter centum & quatuordecim infantes, ſexcentos & quadraginta-ſeptem grandis ætatis homines, inter inſtrumentorum muſicorum vocumque harmoniam, ſacro Fonte Socii immerſere. Baptizatos cum palmis & coronis circum templum non ſine pompa deducebant, ut alii Ethnici ad idem optandum allicerentur. Joſephus Oregius, & Franciſcus Ximenius ex Caaroënſibus ducentos & quadraginta infantes, adultos verò quingentos & nonaginta, in Chriſti ovile per Baptiſmi januam induxere. Franciſcus Ceſpedes & Chriſtophorus Portellus in Divi Xaverii oppido quadringenta & nonaginta-quatuor omnis ætatis capita Chriſtianis adjunxere. Acaraguaënſium dux ſeptem pellicibus irretitus, unicâ Petri Romeri percunctantis, quando tandem deſerto dæmone ad caſtra Dei confugeret, voce permotus, funibus abruptis, Chriſtianis undis immergi meruit: idem ibidem beneficium centum & quadraginta & uno infantibus, necnon ducentis & octoginta-novem adultæ ætatis hominibus conſequutis. Arioli more ſuo Baptiſmum lethalem eſſe prædicantes, proſpero eventu exploſi ſunt: nam mulier in ultimo agone conſtituta, ut Chriſtianè lota eſt, affirmavit Baptiſmum æquè corpori ſuo ac animæ fuiſſe ſalutarem, ne veſtigio quidem morbi relicto. Apud Caaſapaguaçuenſes, peſte graſſante, ſolus diu curavit Adrianus Knudius, donec in partem laborum ei accederet Hieronymus Porcellus, qui quadringentos Ethnicos, variis excurſionibus reductos, ſimul baptizavere. Hujus oppidi dux, ad ultimam luctam Chriſtianè inunctus, ſtatim convaluit, Ariolis ſucceſſu attonitis, & universâ gente ab ſancti Olei horrore liberatis. Dici vix poteſt, quanto ſtudio etiam Ethnici procurabant, ne ſui populares, graſſante peſte, inexpiati obirent. Repertus unus, qui viginti leucis ſuorum humeris Baptiſmi deſiderio deportari ſe curaret, quo impetrato, ſtatim, ut ſpes eſt, ad Cœlos evolavit. Notabilis fuit cœleſtis animadverſio in mulierem, nullis hortamentis, nullis minis à lenocinio & turpitudine revocabilem. In omnem partem ſe verſabant Socii, quò eam ad ſanam mentem reducerent, ſed ex longis experimentis nihil aliud retulerant, quàm deſperationem correctionis: dolebantque ſummoperè, unius mulierculæ perverſitate tot juvenes corrumpi, non audebant tamen ſalaciſſimum ſcortum pœnis coërcere, propterea quòd lege à Provincialibus cautum eſſet, ne quis quoquo modo in novis oppidis primis annis inflictis pœnis novellam gentem ab capeſſenda Fide abſterreret. Verùm deſperato humano remedio, Divinum non defuit: nam derepentè hæc mulier mentis inops facta, ita ſe deformavit, ut ex pulcherrima comptiſſimaque fœdiſſima redderetur; adeò ut omnibus ludibrio & horrori eſſet: diu ſic vixit, donec ſub finem vitæ ſibi reddita expiaretur. Apud Caapienſes in

Sancti Caroli oppido turpissimus Ariolus, & insignis maga repentino fato periere. Præterea multi incantatores, propagationi Fidei infesti, turpes animas exhalavere: nemine dubitante id fuisse factum, ut planum Evangelio iter foret. Magus colloqui cum dæmone assuetus, Fidem Christianam professus, magno postmodùm adjumento fuit popularibus suis ab eo olim corruptis, uno scilicet homine vulnus & auxilium ferente. Adulto jam anno, Philippus Viverus Flandro-belga Petro Molæ socius additus est, grandi Caasapaguaçuensium emolumento; nam uno ad sarcinas remanente, per vices ad proxima remotaque loca excurrebant: ab utroque domi forisque trecenti Ethnici salutari lavacro abluti sunt. Andreas Rua Japeivienses, ne fame coacti latè per campos vagabundi dispalarentur, terram arare docuit, & armentum boum collegit: quarum rerum famâ allecti Ethnici Sociis, Religionis ergò, se traditum venêre.

Petri Molæ & Philippi Viveri excursiones.

CAPUT XIV. Sociorum Urvaiensium labores,

HÆc summatim de singulis Urvaïcæ oppidis: sed quis jam paucis verbis complecti possit, quæ universim Socii, grassante peste, & fame, & aliis de causis toleravêre. Excedebat vires singulorum aut binorum Sociorum in quoque oppido & regione curantium numerus ægrorum; nec fieri poterat, ut omnibus adessent. In comperto fuit, magnitudine laborum Petrum Molam pænè exanimatum fuisse. In nova Assumptionis colonia omnibus incolis peste afflatis, Christophorus Altamiranus sine Socio etiam æger in reticulo ad ægros se, aut ægros ad se transferri curabat; infirmâ voce manuque baptismum & exhomologesim impertiens. Pestem sequuta fames, quòd Guairaniæ advenas sustentassent. Inter hæc adversa in nova oppida multæ pietatis exercitationes utiliter inductæ sunt: nam diebus Christi patientis memoriæ consecratis institutâ supplicatione, scuticâ se verberare, rosarium Marianum quotidie in templo percurrere, ægros invisere, & alia ejusmodi plurimorum jam Neophytorum exercitium erat. Sole fruges adurente, cùm intellexissent, Caapienses solere veteres Christianos castigatis voluntariè corporibus pluviam ab Deo impetrare, turmatim arreptis flagellis in se sævière, adeò feliciter, ut cœlum ex sereno repente nubilum pluviam largiter effuderit. Non defuere tamen repullulantis impietatis exempla. Caapiensium Dux ægerrimè ferens pellicem abs se abstrahi, Ariolorum somnia deblaterans, explosâ Christi doctrinâ, sæpiùs Petrum Molam de medio tollere tentavit; qui contemptâ morte constantiam Christianam præseferens, eò veteratorem adduxit, ut abjuratâ perversitate sincerè fidem capesseret, & in expiationem præteritæ temeritatis ad longinqua loca profectus, multos Ethnicos Christianæ religioni initiandos ad oppidum reduceret. Multis in locis turbatum etiam est occasione pellicum, quarum turbarum causas lubet simul & breviter evolvere.

Peste grassante.

Petrus Mola ad necem quæritur.

CAPUT XV. De Guaranæ gentis matrimoniis.

GUARANÆ gentis primores solebant tot pellices alere, quot eorum libido & authoritas à popularibus suis impetrabat: nec aliud erat majus capessendæ religionis nostræ impedimentum, quàm cùm monerentur unicâ uxore Christianos ex lege Divina contentos esse debere. Accessit huic obstaculo nimia quorumdam Sociorum religiositas, ejusmodi homines ad primam uxorem adigere volentium. Alii dempto scrupulo, religionem Christianam ineuntibus, quamcumque vellent, ex pellicibus pro uxore permittebant. Ob earum opinionum diversitatem, inde natam, quòd Doctores scholastici de ea re inter se dissentiant, ad summum Legum interpretem recursum est, & Joannes Lugo, postmodùm Cardinalis, rem totam his verbis Urbano VIII. Pontifici maximo exposuit. *Sanctissime Pater, in Provincia & regno Paraquariæ, in India Occidentali, maxima difficultas suboritur in conversione infidelium ad fidem nostram, quando aliqui ex ministris volunt illos cogere ad recipiendum, & retinendum primum conjugem, quem in infidelitate habuerunt: gens quippe ex innatâ barbarie passim conjuges (si verè conjuges dicendi sunt) dimittunt, non aliter quàm nostri famulas vel famulos: & hoc solum quia conjux infirmatur, nec coquere cibos potest, aut vestes consuere, vel domûs curam habere, vel quia jam senescit. Imò frequenter non unam solum uxorem accipiunt, sed simul cum eâ omnes ejus filias vel sorores, si quas habet:*

Varia opiniones.

Joannes Lugo dubium ad Pontificem refert.

Ex quibus postea donat amicis aliquam, vel famulo in gratiam obsequii, quam postea repetit, si famulus discedat. Alius sola loci mutatio causa est deserendi conjugem, ne eam secum ferat. Itaque plerique putant non esse saltem communiter apud illos verum matrimonium, sed concubinatum: atque ideo permittunt, quòd conjugem baptizatum accipiant, quando ad fidem convertuntur. Alii tamen scrupulum habent, & cogunt eos ad repetendum primum conjugem, ex quo magna incommoda sequuntur. Primò, quòd multi hoc terrore Baptismum aversantur. Secundò, quòd mentiuntur, dicentes se nullum alium conjugem habuisse, & malâ fide cum alio contrahunt. Tertiò, quòd fingunt se repetere primam uxorem, sed revera aliam habent, nec de prima curant. Quartò, quòd frequenter difficillimum est primum agnoscere, quia vix recordantur in tanta multitudine, quæ fuerit prima, & illâ inventâ oportet rursum inquirere, an illa prius habuisset viros; & rursum de iis viris, an prius alias habuissent uxores. His accedit, quòd frequenter in iis conjugiis non utantur signo aliquo externo speciali, diverso ab eo, quo concubinam ad hebdomadam, vel mensem accipiunt; quarè sæpè non invenitur signum externum expressivum consensûs ad Matrimonium requisiti. Vnde attentâ eorum praxi & consuetudine, multi pii & docti viri putant communiter, non fieri apud ipsos verum contractum Matrimonii. Cæterùm ad tollendos scrupulos & dubia, & ad hoc gravissimum impedimentum auferendum illius gentis conversionis ad Fidem, à Sanctitate Vestra humiliter petitur, ut quandoquidem juxta doctorum virorum doctrinam Sedes Apostolica ex gravi causa potest aliquando Matrimonium infidelium dissolvere, prout Sanctitas Vestra declaravit in Brevi suo expedito die vigesimâ Octobris Anno 1626, & rursus in alio simili die decimâ septimâ Septembris anno 1627, his verbis: Nos attendentes hujusmodi infidelium Matrimonia non ita censeri, quin necessitate suadente dissolvi possint, &c. *Et quidem in hoc gravissimæ causæ sunt, imò necessitas ad cõversionem illorum infidelium, dignetur Sanctitas Vestra ex benignitate Apostolica concedere Provinciali Societatis IESV facultatem, ut ipse, & ii ex Societate, quibus ipse conversionem gentis demandaverit, & communicandum censuerit, possit occurrente casu, & facto examine, & manente dubio de valore prius Matrimonii in infidelitate facti, vel magnâ difficultate inveniendi veritatem, vel magnâ difficultate repetendi primum conjugem jam dimissum, possint, inquam, ad conversionem faciliorem reddendam, vel ad conversorum manutentionem in Fide & obedientia legum Ecclesiasticarum, dispensare cum ejusmodi conversis, ut possint post Baptismum contrahere verum Matrimonium in facie Ecclesiæ. Hoc enim modo Sanctitas Vestra infidelibus illis aditum ad Ecclesiam patefaciet, quem dæmon occludere conatur. Prout de Vestræ Sanctitatis benignitate sperare jubet, quam Deus &c.* Urbanus Octavus indicto sapientûm virorum super ea re consulto, pronunciavit, non videri sibi speciali suâ dispensatione opus esse, ubi doctorum sententiæ utrimque probabiles intercederent: sequerentur opiniones pro conditione locorum, ac hominum Barbaris favorabiliores, salvâ interim utriusque partis authoritate, sinerent doctis hominibus sentiendi libertatem. Constans igitur Sociorum plerorumque in his terris degentium opinio praxi confirmata fuit, horum Barbarorum Matrimonia ob rationes supra relatas nulla esse, & posse Barbaros ad Fidem conversos quamcumque baptizatam, rejectis aliis, in conjugem sumere. Quamquam eam semper adhibuere cautelam, quam rei gravitas postulabat.

Urbanus Octavus respondet.

CAPUT XVI. Itatinensis Provincia describitur.

Situs.

DUM hæc ad Urvaïcam geruntur, Itatinensis provincia, alterum Guairaniæ destructæ solatium, magnis animis occupabatur. Res in eâ ab Societate gestæ magis in comperto erunt, si retracto tantisper ad præterita stylo, occasionem expeditionis, & locorum hominumque conditionem explanavero. Parana & Paraquarium primæ magnitudinis flumina, uti in loco narravi, trecentis ab origine leucis per immensa terrarum spatia profluunt, antequam junctis alveis in unum concurrant. Terræ intercapedinem inter utrumque fluvium jacentem longa altissimorum montium series dirimit, è quibus montibus fluvii & torrentes orti hinc orientem versùs in Paranam, inde in Paraquarium evolvuntur; hoc notabili discrimine, quod aquæ in Paranam profluentes altis terris delatæ, originis limpiditatem servent, montibus, unde oriuntur, continuato velut dorso non ante se ab-

rumpentibus, quàm Paranæ littora pedetentim declives attingant. At ex adversa parte montium crepidines, ex abrupto se demittentes, aquas suas in humile & paludosum solum effundunt, quæ tracto limo, Paraquarium perpetuò inficiunt, & extra alveos stagnantes multis in locis cum ipso Paraquario æquor efficiunt, unde non desunt, qui hyemalẽ hanc inundationem cum Niliaca cõparant. In hac humili parte Itatinensis Provincia torridæ Zonæ & temperatæ extrema complectens, ab decimo nono latitudinis Australis gradu supra vigesimum secundum excurrit. Indorum pagos Assumptionis urbi subcensitos ab Austro pro finibus habet, ab Septentrione Bututeo fluvio terminatur. Porrò Itatinenses linguâ & moribus haud admodùm ab Paranensibus Urvaïcensibusque populis differunt, in hoc etiam pares, quòd circa suos fines aliarum linguarum factiunculas habeant, cum quibus internecinum bellum olim gerebant. Vires gestatione ingentis ligni (uti Lipsius de Chilensibus narrat) probabant, quod qui citiùs ad metam currendo devexerant, aut præmio potiebantur, aut honore. Fœminæ striatim punctionibus luteo colore infectis, corpus suum deformant potiùs, quàm pingunt. Propinquorum funera ex altis locis præcipitatione corporum, & subinde lethali casu, prosequebantur. Pilæ Itatinenses subsultoriæ ex arborum gummosa materia confectæ in utroque Orbe ab lusoribus celebrantur, & tostæ ad curandam diseenteriam adhibentur. Gens omnis pro tanta vastitate terrarum, & nationum varietate, non admodùm numerosa est; conditione loci humidi calidique morbos & raritatem faciente. Sperabatur tamen, Itatinensi Provinciâ domitâ, hinc ultrà Paraquarium usque ad Peruviam, inde ad terras ad Maranionem vergentes, Indorum numerositate famosas, facem Evangelicam proferri posse. Quapropter Franciscus Vasquius Truxillius Provincialis superiori anno, Antonio Ruisio in Guairania adhuc versanti, mandaverat, ut ad explorandam eam regionem se conferret. Sed is transmigratione occupatus Jacobum Rançonierium pro se miserat, qui Xeresium in Itatinensium finibus Hispanorum oppidum delatus, post expiatos incolas, Ethnicorum terras exploraturus adiit.

Josephus à Costa.

Fines.

Indigenarum mores.

Pilæ Itatinenses.

CAPUT XVII.

Jacobus Rãçonierius primus Itatinensem Provinciam explorat.

JACOBO Rançonierio in suam regionem primùm venienti Itatinenses Barbari suspicionem magis, quàm favorem ostentavere. Causæ suspicionum erant, quòd Lusitanus Sacerdos, Acosta nomine, Religionis specie Itatinensium plurimos ad oppidum reductos in Brasiliam servitiis eorum abusurus, abigere tentarat; feciseetque impiam abactionem, nî Barbari, explorato dolo, eum crudeliter trucidassent; verebanturque, ne Rançonierius, alter Acosta foret. Auxit formidinem imprudens hominis Europæi dictum, jocóne an seriò? aliquot Itatinensibus in itinere obviis affirmantis, quotquot Rançonierium admisissent, Hispanis deinceps servituros. Accessit his causis Ariolorum perfidia, in vulgus spargentium Sacerdotem advenam eo fine venisse, ut in construendis abs se templis congregatam multitudinem concremaret. Has ob causas multi de mactando Rançonierio capita conferebant. Qui verò mitissimè agebant, sumptis armis, quasi jam bellum cum Hispanis conflatum esset, propalabant; Rançonierio præsente, pacem servari non posse; eum servitutis & calamitatum prodrõmum esse. Et quamvis Rançonierius multis verbis ostendere conaretur, se nec mali machinatorem, nec libertatis insidiatorem, tamen non credebatur: donec Cœlum in auxilium veniret, evidentibus pœnis incredulos castigans: nam Casiquius postquàm multa in Patrem & Religionem Christianam deblaterasset, turpi carcinomate in gutture deformatus, putrem animam exhalavit. Alter explosâ Rançonierii authoritate ac doctrinâ, satis se idoneum esse, quàm ut alio doctore ad docendos populares suos indigeret, vociferans, fulmine exanimatus, ne latum quidem unguem ab morte abfuit. Agrum cujusdam Barbari pauculas spicas tritici turcici Rançonierio omnium rerum egenti dare recusantis, locustæ penitùs vastavere. Indis ipsis advertentibus in vindictam spreti Sacerdotis ea supplicia cœlitùs fuisse immissa. Magnum etiam pondus habuit ad inclinandos protervos animos renovata Patris Baltazaris Seniæ memoria, qui disertis verbis ante viginti annos adhuc vivens Itatinensibus se revisentibus prædixerat futurum, ut olim alter de Societate ex Orientali parte gentem omnem in oppida reducturus veniret.

Multi resistunt.

Rançonierius ad necem destinatur.

Ejus vexatores casti gantur.

His

Itatinensium animi immutantur.

His rebus, & præsertim Divino favore, Itatinensium animi ita immutati sunt, ut, suspicionibus positis, & odio in amorem verso, non tantùm liberam prædicandi Evangelii potestatem facerent, sed certatim Rançonierium ad suos pagos invitarent; qui animorum propensione usus, totam regionem exploratum ivit. Fuere, qui venientem ex lætitiæ excessu palmis elatum, in sua municipiola inducerent. Fame tamen grassante, more Barbarorum, palmarum medullis, in farinam contritis, se sustentabat, & subinde locustarum comestione, adhibitâ Divi Joannis-Baptistæ memoriâ, cœnam & prandium conficiebat. In his rebus versanti, Justus Vansurkius Socius accessit, quo ad Antonium Ruisium pro Sociorum subsidio, & impetranda fundandorum oppidorum potestate, in Guairaniam remisso, labores continuans, omnium animos Sanctitate vitæ, dicendi vi, & aliis Apostolicis artibus sibi conciliavit. At ubi Vansurkius cum Ignatio Martines, & Nicolao Enartio, amplâ facultate ad res gerendas instructus, rediit, simul omnes fundationi novorum oppidorum insudavere.

Rançonierius per regionem deducitur.

Subsidiarii Socii veniũt.

CAPUT XVIII. Societas in Itatinensi regione quatuor oppida fundat.

IN expeditione Itatinensi id usu venit, quod in magnis exercitibus factitari solet ex variarum nationum delectu plerumque compositis; nam ad conflandum contra dæmonem manipulum non numero, sed fortitudine formidabilem, concurrêre Didacus Rançonierius è Burgundiâ oriundus, sed in Belgio natus: Justus Vansurkius Brabantus, Ignatius Martines Neapolitanus, & Nicolaus Enartius Lotharingus, virtute omnes illustrissimi, qui ubi consilia contulêre, primi statim apud Itatinenses oppidi fundamenta jecere, communibus votis Divo Josepho consecrati. Nicolaus Enartius huic præesse jussus, ducentas familias in album statim retulit, cujus præcipuus labor fuit in distinguendis aliquot Barbaris, nescio quâ occasione Baptismum consequutis, sed lege avitâ viventibus, quibus refictis, ad Ethnicos catecheses instruendos deinceps operam felicissimè contulit. Secundum oppidum paucorum dierum intervallo in Tataguacuvii terris sub tutela Angelorum positum est, in quo administrando eluxit Ignatii Martines industria, brevissimo tempore ducentas etiam familias reducentis, & politicis Christianisque moribus informantis. In condendo templo ingens lignum contignationi destinatum è manibus fabrorum elapsum, Indum casu ita obtriverat, ut penitùs exanimatus crederetur. Ignatius Martines, ne fides novorum hominum hoc infortunio vacillaret, animatâ fide opem Dei imploravit, non frustra: nam ubi sacris vestibus indutus, Evangelium ritè pronunciavit, Indus pro mortuo habitus ita statim in pedes surrexit, ut sequenti die fabricationi operam dare potuerit. Tertium oppidum Incarnato Verbo dedicatum, non procul ab Guarambaræorum Societatis olim laboribus clarorum finibus, Justi Vansurkii, quingẽtas familias pedetentim in catalogũ relaturi, curæ cessit. Huic oppido vicinus pagus subcensitus erat, cujus Dux Vansurkium conveniens monuit, ne aliis rebus quàm docendis popularibus suis intenderet, se enim vitæ subsidia omnia copiosè ministraturum. Quartum oppidum Didacus Rançonierius, ex designatione Provincialis Itatinensi missioni præpositus, in Nianduabusuvii terris fundavit, rexitque, qui Nianduabusuvius non tantùm se pro Itatinensium omnium Domino venditabat, sed extra patrios fines imaginariam potestatem extendens, prætendebat omnes Indos usque ad Assumptionis urbem suo subdi imperio debere. In comperto erat ab Itatinensibus populis pænè adorari. Hispani summo studio ab hinc retro multis annis ejus conspectum ambiverant, irrito tamen semper conatu: nam ut eos eluderet, alterum Indum supponebat, qui se Nianduabusuvium simularet. Eâdem fictione usus Rançonierium per personatum hominem in ditionem suam recepit, indicto popularibus suis silentio, ne quis se advenæ Sacerdoti proderet, donec ejus mores conditionemque exploraſſet; interim ipse quasi unus de plebe, tradito alteri in speciem ornatu & comitatu suo, in oppido versabatur. Quadrimestri spatio in exploratione posito, cognito, Rançonierium Indorum rebus faventissimum esse, & ab eo uno contra vexatores suos patrocinium sperari posse, depositâ personâ tandem se prodidit, favorem imposterum adpromittens. Igitur Rançonierius omnia in proclivi habuit, plerisque Nianduabusuvii assecliis sanam doctrinam

Tertium Verbo Incarnato.

Quartum Rançonierius Principibus Apostolorum dedicavit.

Nianduabusuvii simulatio.

admitten-

admittentibus. Hoc oppidum, Divorum Petri & Pauli nominibus insignitum, tertio à Paraquario lapide positum est.

CAPUT XIX. De Itatinensium Sociorum laboribus & ulterioribus spebus.

IN adversa novi oppidi parte, ad Paraquarii littus, Païaguarum natio ab primo Hispanorum in has terras adventu, continuatâ crudelitate cædibus infestam omnem vicinitatem hactenus habuerat; adeò atroci famâ, ut Guaicuræis simillimi viderentur. Ad eos variis temporibus transfugerant aliquot Neophyti, pravitate animi aut nimiis servitiis exacerbati, à quibus Païaguæ didicerant Sociorum nostrorum conditionem, salvâ corporum libertate, animarum saluti tantummodò inhiantium, ob quam rem ad Rançonierium frequentes convenere, affirmantes se etiam sedem fixam ponere velle. Dictis addidêre facta, storeas suas, approbante Rançonierio, pro more gentis non procul ab Apostolorum coloniâ extemporali opere in formam oppidi erigentes. Sed ex innatâ indole factis non addidere constantiam, trans Paraquarium ad sua latibula paulò pòst dilapsi. At in quatuor novis sedibus degentes singuli Socii studio pari baptizandis infantibus & adultis erudiendis insudabant, è sua quique statione per totam regionem animarum lucrandarum ergò excurrentes. Nec negligebantur Hispani Xeresiani, quibus Nicolaus Enartius Quadragesimali tempore adeò gnavam operam navavit, ut oppidi primores litteris ad Senatum & Episcopum Paraquariensem datis enixè postularint, interponerent authoritatem suam ad impetrandam Societatis sedem. Prætereà Guati, Gualachi, & variorum idiomatum populi, non procul aberant, panem Evangelicæ doctrinæ, ut apparebat, recepturi, si essent, qui frangerent. Extra Provinciam verò in terris ad Aurelianum vergentibus Pygmæi corporum parvitate insignes: Amazones, sic nuncupatæ, quòd totâ vitâ belligerantes, singulis annis exiguo planè tempore ex vicinis populis ad concipiendum viros adsciscere dicantur, & aliæ gentes adeò numerosæ, ut Rançonierius ad majores suos scribens, multa simul oppida in interioribus regionibus, cùm suppeterent Socii, fundari posse affirmaret. Denique si præsentem rerum statum & spem futurorum considerares, una Itatinensis provincia cum adjacentibus regionibus ad oblitterandam calamitosæ Guairaniæ memoriam sufficere videbatur. Sed iteratus turbo, præsentium rerum statu everso, & spebus magnâ ex parte clusis, alteram Guairaniam in Itatinensi provinciâ ferè nobis figuravit. Adeò verum est, accedentes ad Dei servitutem præparari debere ad tentationem.

Païaguæ spem faciût conversionis.

Xeresiani sedem Societatis expetunt.

De Guatis,

Pygmæi,

Et Amazonibus.

CAPUT XX. Sancti Josephi colonia destruitur.

SINGULI Socii in his quatuor sedibus degentes, solatii & Confessionis sacramentalis ergò, solebant se invicem invisere: & quia octiduo aberant Ignatius Martines & Didacus Rançonierius, inter utrumque oppidum designaverant pagum Jerein dictum, quò ex condicto subinde concurrerent. Ibi dum quadam die simul agerent, Christi Cruci affixi imago altari imposita copiosè sudare cœpit, quo sudore reverenter pannis excepto, dubii num ex cœlo tum temporis nubilo id evenisset, an ad prodigium referre deberent, taciti ominosæ rei præstolabantur eventum. Nec plures dies abiere, cùm se portenti causa prodidit, nuncio de Mamalucorum in Itatinensem Provinciam adventu paulò pòst accepto. Hi post destructam Guairaniam turmatim, cum numerosâ Tupicorum cohorte, eo, quo Socii itinere, ad proxima Xeresio loca penetrarant, initoque cum aliquot prædonibus fœdere, de modo nova oppida statim vastandi egerant: quod ut minimo suo incommodo facerent, certos homines ad Sancti Josephi coloniam, absente Nicolao Enartio, destinant, dolosè significaturos, se non maleficii aut populationis ergò venisse, sed ut injurias ab interioris terræ Indis Rançonierio illatas vindicarent: posse se, si JESU Sociis doctoribus suis rem acceptissimam facere vellent, arma jungere. Dux oppidi prædonibus fidem innocenter adhibens, populares suos ad vindictam animatos armari jubet, & nullâ interpositâ morâ ad castra Mamalucorum perducit: quò cùm perveniissent, detectâ fraude vincula armis commutare ad unum omnes jussi sunt, imbelli turbâ defensoribus destitutâ, ex oppido ad castra facilè etiam translatâ. Nicolaus Enartius redux, oppidum vacuum ubi ingressus est,

Sudat Christi imago.

Mamalucorum dolus.

Depradatio.

Nicolai Enartii virtus.

& fraudis crudelitatisque monumenta vidit, non secus ac leæna, amissis catulis, infremens ad Mamalucorum stationem citatissimo gradu pergit, perque sacra omnia postulat, ne se carissimis in Christo filiis privarent. Sed castra ingredi volentem dux latronum violenter prehendi, & ab designato satellite trucidari jubet. Ad quas minas egregius Christi pugil, in hæc verba prorupit. *Lubenter*, inquit, *pro ovibus meis animam meamponam, interim pacis Dominum rogo, ut intentatum scelus vobis condonet.* Latrones hac sermonis blanditate nihil mitigati, variis modis vexatum è castris ejiciunt, vestes dilacerant, probrosis verbis onerant: inter quas injurias Nicolaus Deo, ut existimatum est, plenus, Mamaluco supra cæteros ferocienti prædixit, in tanti sacrilegii pœnam patriam eum non revisurum. Vaticinio addita fides; sacrilego homine ab Barbaris in itinere fœdè trucidato.

Præsagium.

CAPUT XXI. Angelorum coloniæ depopulatio.

ALTERA Mamalucorum cohors Angelorum coloniam invasit, quam tamen magnâ ex parte vacuam reperere: nam Ignatius Martines de prædonum adventu certior factus, plerosque incolas proximis sylvis abdi curaverat, quamquàm non pauca capita, nequicquàm reclamante optimo pastore, quem latronum dux, si resisteret, vinciri mandaverat, cessêre. Et ausus est atrox Mamalucus gladium in ejus guttur vibrare, parricidium facturus, nî pater collo & pectore nudatis, pendentem ictum invitans, sicarium fortitudinis admiratione repressisset. Abactam prædam latrones castris suis inclusêre, quò se Ignatius Martines filios suos in Christo carissimos liberandi desiderio inflammatus cùm contulisset, triduo violenter detentus est, ne gentis reliquiis per nemora sparsis consilium aut auxilium adferret. Interim spicis tritici turcici humi temerè repertis contentus, cibis ab prædonibus oblatis constanter abstinuit: testatus, omni quo posset modo, eorum latrocinia detestaturum. Latrones novennem puerum Patri concessere, cæteros abegêre.

Ignatii Martines mortis contemptus.

Ejusdem ab Mamalucis aversio.

CAPUT XXII. Divorum Petri & Pauli oppidum Mamaluci destruunt.

EODEM tempore altera Mamalucorum phalanx Nianduabusuvii terras depopulabatur, quorum colonos, absente Rançonierio, sic decepisse ferunt. Gentis primoribus ad colloquium pellectis edixere, primùm non se hostili animo venisse; sed ut dispersos latè Barbaros, constructo maximo oppido, religionis Christianæ ergò, reducerent, si operam suam conferre vellent, amicè convicturos. Hoc dolo decepti hostibus se traditum turmatim venere. Sed in deditos Mamaluci ferociter involant, primores vinculis onerant, Nianduabusuvium custodiæ tradunt, hostiliter omnia agunt, mox ad alios dolos rursum dilapsi primoribus gentis significant, unam esse viam ab dura se servitute liberandi, si nempe populos sibi subditos suo loco tradant: quos ubi evocarant, non dimissis Casiquiis, eâdem perfidiâ & immanitate captivabant. Didaco Rançonierio, auditâ invasione, ad opem ferendam properanti, quingenti circiter Indi Nianduabusuvianæ factionis occurrerunt, pro ipso Nianduabusuvio & aliis Casiquiis prædonibus tradendi: quo cognito mirum quantum bonus pastor excanduit, multis verbis dolos & ferociam latronum incusans, tantumque eloquentiæ vi potuit, ut omnes ad justâm defensionem animaret. Sed antequam vires jungere possent, Mamaluci imparatos aggressi, solitis artibus damnum plerisque intulere. Septuaginta tantùm armati, qui se Rançonierio in Apostolorum deserto oppido adjunxerant, triginta Mamalucorum & septuaginta Tupicorum impetum, repressâ utrorumque rabie, fortiter sustinuere. In hoc conflictu Catechumenorum uni, quinque acceptis vulneribus, cranium fractum est, adeò deformiter, ut cerebrum per plagas erumperet, & sequenti die vermibus scateret: hunc desperatâ salute corporis Rançonierius sacris undis abluit, & Divo Xaverio, cujus festum agebatur, Angeloque Custodi commendatum, ut aliis succurreret, solum deseruit. Ad quem post octiduum revertens sanum & vegetum reperit, tantâ admiratione, ut asseruerit nihil se totâ vitâ vidisse mirabilius: nec ab quoquam dubitatum, patentissimo miraculo Divi Xaverii & Angeli Custodis ope fuisse sanatum.

Rançonierii vigilantia.

Fortitudo.

Vulnus portentosè sanatum.

CAPUT

CAPUT XXIII. Gesta post devastationem oppidorum in Itatinensi provincia.

DESTRUCTIS his oppidis, Socii in omnem partem se vertebant, quò dispersis aut captivis Indis opitularentur. Rançonierius adibat Mamalucos, ante quos identidem pectus denudabat, rogans, ut se potiùs mactarent, quàm filiis suis in Christo carissimis nocerent: irrito tamen conamine, ferocissimis hominibus contra omnem pietatis sensum obduratis: qui veriti, ne Gualachi, Paĩaguæ, & Hispani, in Itatinensium vindictam conjurarent, abactis circiter mille capitibus, primis aliorum oppidorum deprædatoribus citato passu se adjunctum ivere. Antequam ex Itatinensium finibus simul omnes abirent, Nicolaus Enartius ad eos ire ausus, importunis precibus Nianduabusuvium redemit: præterea abeuntium vestigia insequutus, è vinculis fugientes consilio & ope adjuvans, plurimis saluti fuit: inter quos S. Josephi ducem recepit, quem cùm è fugâ prædones terrahere tentarent, experti sunt, quantum libertatis cupîdo fortitudine animata posset: nam unus contra multos se defendit, donec in tutum se reciperet. Mamalucorum odio aliquot Tupici ad Enartium transfugêre quidem, sed Itatinenses proditionem suspicati, omnes ad unum trucidavere. Mamaluci abeuntes testati sunt, nullam se Barbarorum nationem Itatinensibus fortiorem invenisse: & itinerum difficultates periculáque exaggerantes, se nunquam ad eos populationis ergò redituros affirmavere: Nautarum scilicet more, tempestate durante mare detestantium, & ad centies abjuratam navigationem redeuntium. In transmissione fluminis Itatinenses Casiquii simul omnes longâ catenâ inserti, obortâ repente tempestate, facto naufragio periere. Reliqui captivi, deficiente commeatu, ad esum viperarum & fœdorum animalium cum Mamalucis adacti sunt. Quas res Didacus Rançonierius ad Socios scribens in hæc verba prorumpit. *Pudeat*, inquit, *me esse desidem in opere animarum, dum latrones è Brasiliâ per immensam trecentarum leucarum solitudinem, per sylvas & scopulos, nullo fermè commeatu, in perpetuum mortis metum venire non renuunt, ut corpora captivent. Quid in die ultimi Iudicii respondere potero, ni, excussâ vecordiâ, tantum saltem pro lucrandis animis Christi sanguine redemptis ausus fuero, quantum latrones pro perdendis corporibus præstant.* His cogitationibus animatus, post discessum Mamalucorum Ignatium Martines ad Assumptionis urbem auxilium ab Paraquario Prætore, & consilium ab Collegii Rectore, flagitaturum amisit. Et mox ipse rem restaurare satagens, per afflictam Provinciam excurrit, adito sæpè vitæ periculo. Nam Itatinenses suspicionibus depravati altè imbiberant animo dicta Mamalucorum, ausorum asserere, ab Sociis JESU ad regionem depopulandam se fuisse vocatos. Ex hâc origine ita abalienati sunt plerorumque animi, ut turbâ Indorum ad occidendum Rançonierium impetum fecerit: nec defuere, qui lunatis jam arcubus & sagittis, in ejus pectus directis, in hæc verba proruperint. *Tu*, inquiebant, *prodromus latronum fuisti, tu eos in nostras terras induxisti, quâ viâ vos è Guairaniâ, eâ illi ad nos venere:* dictis addidere ferociam, vocatis ad eum mactandum tribus Indorum turmis, à quibus tamen, Deo protegente, liber evasit. In Angelorum oppido reperit sacra prophanata, ipsismet Indis Itatinensibus, concepto ex suspicionibus in Socios odio, authoribus. In Sancti Josephi coloniâ, omnia vastata circum se perspiciens anus solitudinis impatiens, laqueo sibi gulam fregit. Passim Indorum pagi fumabant, municipibus ad latibula dilapsis, aut hinc inde phanaticorum more effusis: & quia Mamaluci, qui abierant, sparserant famam, alteram suorum turmam ad Paraquariæ pagos destruendos profectam fuisse; quò se verterent, nec Socii, nec Indi satis apud se constituebant, paulatim tamen, juvante Deo, suspiciones evanuere, & res denuo, uti sequenti anno videbimus, utcumque restaurata est. Illud notatu dignum, quod in comperto deinde fuit, sudorem illum è Crucifixi imagine eo temporis momento fluxisse, quo Mamaluci & alii prædones, collatis capitibus, depopulationem decrevere. Bono scilicet JESU Sociorum suorum laboribus hîc & alibi compatiente. Minùs luctosa visa est hæc Itatinensis depopulatio, quamvis maxima, quòd omnium lachrymas Guairaniæ vastatio transmigratioque exhausisset.

Rançonierius pro ovibus mortem spernit.

Nianduabusuvius redimitur.

Itatinensium fortitudo commendatur.

Casiquii submergumtur.

Rançonierii zelus animarum.

Pericula.

Omen.

CAPUT XXIV. De rebus in Tucumaniâ gestis. 1633.

CORDUBÆ Tucumanorum fatis concessit Didacus Ribeirus Lusitanus Sacerdos, ante undecim annos in Societatem cooptatus, religiosâ vitâ, animi demissione, morum candore, & aliis virtutibus præ cæteris (nam quis singulos laudet) memorandus. Boni-aëris Collegium luxit Andream Jordanum, in regno Neapolitano Zitivolæ natum: hunc portum tres & viginti annos continuato labore religiosè adjuvit. Moriens dæmone instigante animi diffidentis, & pænè de Dei bonitate desperantis, motus adeò turbulentos sensit, ut pænè de æterna ejus salute conclamatum videretur. Quos motus excepit lux cælestis menti ejus adeò suauiter & patenter immissa, vix ut dubitaretur post tenebras visurum lucem æternam. Saltense Collegium templumque fluminis exundatio penitus dirnit: Socii in lectulis ad quietem se composuerant, quando eluvionem sensêre, quorum prima cura fuit Venerabile Sacramentum in tutum recipiendi: quo peracto, supra culmen templi corpora tutaturi conscendêre, unde ruinæ metu in subjectas arbores se demittentes, ægrè mortem evasêre: vix enim transilierant, cùm templum exundatione disturbatum, & paulò pòst domus, salvâ supellectile, eversa est. Socii liberalitate & benevolentiâ magistratûs translati in aliam domum, ejus partem in formam ædis sacræ adaptavêre. Excursiones per Tucumaniam fructu & labore aliàs relato factas, non est cur sigillatim singulis annis cum tædio referam.

Didaci Ribeiri mors.

Andreas Jordanus moritur.

Saltense Collegium eluvione destruitur.

CAPUT XXV. Joannis Darii ortus, educatio, & officia.

IN Esterensi Tucumaniæ urbe principe valdè flebilis fuit mors Joannis Darii, inter prima hujus Provinciæ decora numerandi, & jure merito Societatis heroïbus ab Nierembergio additi. Natus is Altavillæ Neapolitani regni, in primaria planè domo. Parentum curâ pueritiam adolescentiamque pietate & studio litterarum, partim Neapoli, partim Salerni excoluit; ubi supremum in utroque jure Doctoris gradum indeptus, juri dicendo se addixit; sed quòd clientem suum è liquidissimo jure dolosus judex deturbasset, aversatus periculosæ artis technas Sodalitio Virginis MARIÆ, sub Petro Antonio Spinello Neapoli, tum Societati JESU Romæ, anno ætatis vigesimo-quinto se mancipavit. Exacto Religionis tyrocinio, subministrum in domo professa, tum successivè in seminariis Græcorum, Germanorum, & Nobilium, ministrum egit. Inde claresçere viri virtus, expetique pro altioribus ministeriis cœpit. Sed Darius sensit se ab Summo Numine pro ambienda India sollicitari: nam cùm JESUM suum in Eucharistia adoraret, rogans ut se dirigeret per vias rectas, indicaretque, num verè ad Indos vocaretur, audit loquentem intùs JESUM in hunc planè sensum: *O, Dari, si in Indias navigas, multæ te manent cruces.* Quâ voce auditâ, sensit se Crucis desiderio totum inflammari. Quare nihil de oraculo dubitans, ad Claudium Aquavivam Generalem pergit, à quo subsidiariis Sociis in Peruviam navigaturis (nam Procurator Peruanus in itinere obierat) præficitur. Abeunti Clemens Octavus benè apprecatus, nominatim Indorum animas ei commendavit: quæ vox Summi Pontificis totâ vitâ ipsi valuit ad renovandum in Indicis laboribus fervorem; aiens, non torpere debere in eo munere, quod Supremum Numen, per suum in terris Vicarium, commendaverat. In Indica navigatione à Confessionibus fuit Cusquensi Episcopo, asserere solito, nullum se hominem aliquando reperisse cordi suo magis conformem. Julide in Peruvia per annum commoratus Aïmarram linguam didicit, exercuitque, donec ab Joanne Sebastiano Provinciali, cui carus fuit, in Tucumaniam sub finem præteriti sæculi mitteretur. Cordubensem domum, Provinciæ deinde caput, primus rexit. Calchaquinam vallem, positâ sede, primus occupavit. Sancti Michaëlis, Estecensis & Riocensis Collegiorum fundamenta jecit. Reliquam vitam aliis sedibus regendis, Apostolicis excursionibus, & cæteris nostræ Religionis exercitationibus utilissimè posuit. Exempla virtutum, quibus omnes vitæ periodos asperserit, pauca ex multis divisim tradam.

Missio ad Indos.

CAPUT XXVI. De quibusdam Joannis Darii virtutibus.

PER quadraginta annos nullâ nocte supra tres horas dormivit, residuum temporis orationi tribuebat. Ad arcendum somnum pro cœnulâ carnem nunquam gustavit. Ab serotino domesticorum colloquio perpetuò abstinuit, quò diutiùs cum Superis conversaretur. Christi pro nobis passi doloribus, Virginis

MARIÆ prærogativis, Angeli Custodis favoribus, D. Ignatii, & aliorum Sanctorum virtutibus contemplandis, singulorum dierum intervalla distinxerat, haustam inde cœlestem lucem ad dirigendas ex Dei voluntate exercitationes utiliter reflectens. Aiebat, cogitationes illustrationesque divinitùs immissas perpetuâ incubatione fovendas, ne improles evaderent, comparatione sumptâ ab gallinis; pullos suos non excludentibus, si interruptâ incubatione ova refrigescere sinant. Id idem explicabat exemplo eorum, qui mansos cibos diu concoquunt, & aliorum, qui digestioni necessaria tempora prævertentes, insalubres escas identidem deglutiunt: asserebat enim, non tam multiplicitatem ciborum, quàm eorumdem ruminationem esse salubrem. Quadragesimali aut Jubilæorum tempore, dum alii Socii ob concursum pœnitentium, aut frequentiam habendarum concionum, tempora exercitiorum spiritualium decurtant, ipse è contra de somno aliquid decerpens aliquanto plùs orationi vacabat, alimenta pro pœnitentibus & auditoribus ab summo Numine petens: aiebat enim nutricem, quò plures lactat infantes, eò abundantiori cibo indigere; ne tenuitate victûs lac deficiat. Quomodo, inquiebat, eructabit cor meum verbum bonum, si ex mensâ Dei parcè comedam? Si quis de prolixitate in faciendo Sacro conquereretur, hâc fermè ratione compescebat. Si, inquiebat, tu me mediatorem inter te & Prætorem in gravi negotio constituisses, profectò non quererēris, quòd prolixè rem tuam agerem; cur ergo querulus es, dum apud Deum idem facio? Si quid audiret frivoli ab nostris, aut aliis narrati, cum hac voce imponebat silentium: Frater mi, quid hoc ad salutem? Amore Dei inflammatus ex qualibet re cœlestis pabuli buccellam excerpebat. Dum lavabat manus, animi puritatem desiderabat: si fluentes rivos cerneret, se existimulans exclamabat: Ah, cur eodem impetu anima mea non currit ad Dominum! Potosinum montem aliquando cernens, & tot mortalium curas in eo eviscerando intentas: O stultæ, inquiebat, & inanes hominum curæ, Christum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, perituræ glebæ, infinitis propè laboribus & periculis acquirendæ postponentium! Conscientiarum suarum moderatoribus narrare solebat immissiones cœlestes menti suæ illapsas, comparari posse cum copiosâ pluvia agros inebriante, unde spontaneæ lacrymæ, & jaculorum ad instar in cœlum evibratæ precatiunculæ. Libellum repleverat illustrationibus Divinis, quas in Exhomologeteriis cœlitùs exceperat. Ad fovendum amorem Divinum corpus suum, tanquam hostem, afflictabat. Per quadraginta annos linteaminibus ad cubandum nunquàm est usus. Brevissimum somnum super asserem nudum carpebat; flagellationem, & asperum cilicium, nullo die omisit. Romæ tribus in sedibus ministrum agens, noctu diuque ad infimas usque servulorum sordes devolvebatur. Hispali tempus navigationis præstolans, ea dedit in triremibus, angiportibus, & nosocomiis, ferventis operarii exempla, ut Socios omnes fatigaret, & domûs professæ Præpositus egerit de eo retinendo, spondens, si annueret, rem se cum Generali transacturum. In Indiis præter Aimarram linguam, Quichoam etiam & Kakensem calluit, incredibili Indorum emolumento. Per totam Tucumaniam pauperum pater ferebatur, mancipium Indorum se ubique profitebatur. Quamdiu Rectorem egit, nulli unquam stipem negavit. Privato, ex Majorum facultate, nunquàm ipsi defuit, quod daret. Saccos aut corbes in cubiculo patenti habebat, quos locupletiores cives panibus, aut aliis rebus replebant, ipsius manibus distribuendis. Si quandoque contingeret saccos suos, aut corbes vacuari, suam Crucem portatilem his imponebat, fidenter dicens, Crucem cibos allaturam: nec unquam confidentia inanis fuit, nam mox aderant, qui vacuos farcirent. In summa annonæ caritate, cùm ditissimos cives fames etiam afflictaret, & Joannes Darius omnis generis homines ex suis corbibus & saccis aleret, numquàm tamen evacuati sunt. Ex omni Tucumania, & Peruvia ipsa, pecuniæ largiendæ submittebantur ab divitibus hominibus, eleëmosynas suas tanti viri manibus sanctificari volentibus. Dicere solitabat, ei nihil deesse posse quòd daret, qui liberalis esset, & Deo fideret. Quandò post exactum confessionibus audiendis integrum diem nihil domi supperetet, quod ori admoveret, Patrem suum cœlestem compellabat his verbis. Pater mi, hodie tibi servivi, tuarum partium nunc est,

Sanctos colit.

Variè illustratur.

Animi pia sensa exprimit.

Corporis afflictatio.

Linguarum studium.

Eleëmosyna.

In Deum filialis fiducia.

filium tuum nutrire: & mox infallibiliter experiebatur paternam Dei manum, civibus cœlitùs permotis necessaria submittentibus. Deficiente omni cibo, ad excipiendos numerosos hospites, ad Patrem cœlestem filiali confidentiâ conversus, illicò expertus est benevolum: nam tot fercula sub vesperam ad eum missa sunt, ut in plures dies sustentandis lautè hospitibus sufficerint. Deficiente etiam fermè domi oleo, noluit sebo lampadem ad cohonestandum Venerabile Sacramentum ali: non inutili honoris exhibitione, nam postridie civis dives duo grandia olei vasa in plurimos menses suffectura submisit. Diu noctuque ægris aderat mirabili caritate, vestes, supellectilem, & omnia sibi detrahens, ne quid cuivis deesset. Obvios quosque interrogabat, num aliqua in re suâ operâ indigerent: si affirmarent, ob oblatam benefaciendi occasionem gaudio exilire videbatur. Denique in Socios, externos, peregrinos, Indos, Hispanos, nosocomia, & carceres, tot & tanta contulit, ut inter primæ notæ eleëmosynarios, approbante Cœlo, computandus videatur. Tucumaniæ Prætor frigidissimâ tempestate Collegium Sancti Jacobi summo mane ingressus, immutato vultu Darium convênit, quem sic affatus fertur: *Fidem somniis temerè non habeo, ô Pater, narrabo tamen tibi hodiernum somnium meum. Visus sum*, inquit, *mihi videre scalam pede terram, summitate cœlum attingentem, & huic impositos omnis generis pauperes, qui te, ô Pater, per scalam ad Cœlum de manu in manum evehebant: cùm verò etiam eò ascendere vellem, tertiò repulsam passus sum, cum hac voce. Si vis Darium ascendentem sequi, imitare ejus in pauperes beneficentiam; quo dicto expergefactus ad te venio, sanctè promittens, omnia mea in tua potestate futura.* Hæc Prætor, qui ne verba dare videretur, grandem in præsentiarum pecuniæ summam, & deinceps usque ad mortem multa, & sæpè, Joanni Dario donavit pauperibus distribuenda.

CAPUT XXVII. De cæteris ejusdem actis & virtutibus.

Compatiebatur miseris.

NOSTER Darius peccata acriter, peccatores blandè, in concionibus & privatis congressibus tractabat: aïebat, compati infirmis, præcipuum esse infirmitatis antidotum. Quot eâ compatiendi arte è visco vitiorum extraxerit: quot inimicitias compescuerit; quot in Societate vacillantes confirmarit, non est facile numerare. Multoties mutatâ derepente præmeditatâ concionis materiâ, aliam Deo plenus arripiebat. Exempli vice esto. Tucumaniæ Prætorem, in urbe Sancti Michaëlis templum nostrum æstate ingredientem, audierat de calore conquerentem, & ad numerosum comitatum voce altâ dicentem, O quam hujus urbis clima calidum est. Darius, inde arreptâ occasione pro concionis themate verba Prætoris sumens, quàm non calidum esset Sancti Michaëlis clima, si conferretur cum inferni rogo, adeò ferventer demonstravit, ut Prætor post concionem ei se sistens expiari conscientiam suam statim voluerit, & benè grandem pecuniæ vim pauperibus erogandam tribuerit; aliis auditoribus salubriter etiam compunctis. Tucumaniæ Episcopo, & Prætore, necnon primoribus urbis, Kalendis Januariis ad templum nostrum pro cohonestando Festo confluentibus, quòd multa ossa mortuorum ad pulpitum pergens offendisset, omissâ JESU nominis laude, tantâ vi mortis materiam tractavit, ut omnibus lacrymas elicuerit. Post supplicationem hebdomadæ Sanctæ, concionem de Christo passo jamjam habiturus, quòd inter auditores Clericum eo die sericas caligas immodestè ostentantem vidisset, mutato consilio, pro Passione Domini invectivam Orationem in eum Sacerdotem habuit: adeò nullius offensione, ut omnes tanquàm oraculum, & de Cœlo lapsum hominem, audirent. In Sanctæ Fidei urbe, templo auditores non capiente, pulpitum concionantis in agrum sæpè transferri debuit, tantâ motione animorum, ut plerique post concionem expiari exposcerent. Et hoc agebat homo Italus nullâ humanâ eloquentiâ pollens, obtusioris linguæ, & Hispanum idioma adeò deformiter tertians, vix ut se explicaret. Quam rem admirans prudentissimus vir è Dominicana familia, pro publica concione non dubitavit asserere, Darium ex illis viris esse, quibus pro eloquentia innocentia vitæ, castimonia pro luxuriæ antidoto, & cæteræ virtutes pro reliquorum vitiorum alexipharmaco erant. Animi demissionem multis indiciis prodidit: quamvis enim utriusque juris doctor esset, & Episcopi, Prætores, Sena-

Extemporaria concionatio.

Fervor concionantis.

tus Re-

tus Regius, & summi quique viri, consilia ejus maximè probarent: tamen spiritualium coadjutorum gradu contentissimus vixit. Solebat se comparare puello nobili à matre summâ curâ mane compto, & nitidis vestibus ornato, quas vestes petulans puer de die luto & pulvere fœdaret. *Pater meus*, inquiebat, *quotidiè in matutina cœlestium rerum meditatione, Sacrificio, exhomologesi, & gratiarum actione, suâ gratiâ, tamquam pretiosâ & nitidâ veste, me ornat, quam ego veluti petulans puer pulvere & luto imperfectionum mearum quotidiè commaculo*: quare tanquam à puero exigebat abs se delictorum pœnas. Invidus dæmon tantis virtutibus sæpè noctu cum ipso congressus fertur, inflictis etiam plagis. In vindictam perditissimi hominis ab Dario ad bonam vitam conversi furens frendensque nares, facto grandi vulnere, ita deformavit, ut medicus assereret eum de vita periclitari. Nec unquam defuere sycophantæ, innocentissimi viri famam vellicantes: immoto semper nostro Dario, & Cruces, quas Dominus disertis verbis, si in Indias navigaret, ipsi promiserat, amanter amplexante. Inter has Cruces computandæ sunt tot regiones Barbarorum ab ipso aditæ, tot itinerum difficultates superatæ, tanto tempore inter Calchaquinos in frequenti mortis periculo perduratsse, toties peste grassante ægris juvandis se totum tradidisse, in summis caloribus extra tempora ordinaria nunquam aquam gustasse, & ejusmodi sexcenta. Fertur multa prædixisse, priusquam contingerent. Archidiaconus Cathedralis Ecclesiæ dicto scriptoque juratus affirmavit, fororis suæ partum, & eventa omnia parientis, sibi narrata fuisse ab Dario absente, antequam humanitùs ea cognoscere posset. Europæo homini, Indorum vexatori immodico, & profligatissimæ vitæ, remedium animæ pertinaciter renuenti, prænunciavit fore, ut aliquando sentiret irati Dei manum. Dicto adhibita fides est, homine illo sine confessione peccatorum miserabili morte sublato. Uni è nostris imminentes molestias, & seriem vitæ imposterùm traducendæ: alii denique aliud prædixit, eventu nulla in re fallente. Mortis etiam suæ tempus præsciviisse, ex quibusdam indiciis suspicio fuit. Morbum lethalem contraxit ex mœrore, inde concepto, quòd grave delictum externi hominis impedire non potuisset, & quòd in loco patenti ferventer concionans, caput ipsi doluisset à Sole. Post susceptа piè Sacramenta, ægrotantis deliramenta fuere, Sacerdotes nostros in catechesi tradenda, & ritè sacramentaliter absolvendis pœnitentibus, imitari: satis ut appareret, quid lateret in corde. Promulgatâ ejus morte, luctus talis per totam urbem institutus est, qualis fuisset, si unaquæque domus dominum suum amisisset. Provincialis ad Præpositum Generalem scribens, tantam fuisse ob Darii mortem Esterensis urbis turbationem asserit, quanta futura putaretur, si mundi exitium nunciaretur: Indis præcipuè in ejulatum effusis. Tota civitas funus cohonestavit. Tucumaniæ Prætor, & Ecclesiæ Cathedralis Decanus, cadaver extulêre; nemo fuit, qui Sanctissimum virum obiisse, inter parentandum multis verbis non testaretur.

Demissio animi.

Dæmonis in eum odium.

Præsagia.

Luctus in ejus morte.

IN Paraquariæ metropoli, Reip. capita intempestivis negotiationibus rapidum Evangelii cursum retardarunt. Prætor enim Paranensem Casiquium Neophytum nulla alia de causa cum ejus asseclis in vincula conjecerat, quàm quòd cymbas ex una arbore concavas paulò, quàm imperarat, minores ad se advexisset: & addiderat vexationi acerba verba, minitans se ad nova Paranæ oppida manu armatâ profecturũ, effecturumque, ut Neophyti omnes Paranenses, vi subacti, Hispanis pro mancipiis essent. Quæ res ita irritavit novos homines, jugi adhuc impatientes, ut nisi Sociorum authoritate sisterentur, timendum fuerit, ne quid novarent. Sed eosdem Episcopus longè exacerbavit magis, qui oblitus laudatæ abs se Societatis tot tantaque, quanta oculis perspexisset, pro Dei causa molitæ, privatis emolumentis velificans, in animum induxit suum, Ecclesiæ suæ proventus longè majores fore, si novorum Paranæ oppidorum cura Societati demeretur, & clericis aliis, in quos restrictum jus non haberet, commendaretur. Id ut assequeretur, prætensis in speciem causis, quasi Neophyti sub Societatis cura Quartas partes & Decimas non solverent, Socios omnes Paranenses sacris interdixerat. Et jam parabant Prætor & Episcopus graviora, ni Petrus Romerus Sociorum præfectus, falce in messe

CAPUT XXVIII.

In Paraquariâ Socii vexantur.

Ab Prætore.

Ab Episcopo.

relictâ

relictâ, utrique obstitisset. Qui citatissimo ad Assumptionis urbem centum leucarum itinere ex Urvaïcâ delatus, Prætorem primùm convênit, compositissimis verbis rogans, ne novos homines contra Regis Catholici mentem terreret nimiis imperiis, néve vexationibus pacatos irritaret. Barbaros paulatim & leniter domandos esse, sic domitos, leges & imperia capessituros. In quam rem multis ultro citroque agitatis, tandem perpulit Prætorem, ut in suam utcumque sententiam concederet. Cum Episcopo, pertinaciùs negotium suum urgente, fortiùs agendum fuit. Igitur diplomatibus Regum Catholicorum & Pontificum in Societatis favorem expromptis evidenter demonstratum est, eò jus Episcopi non extendi, ut posset ob eas causas religiosos homines sacris interdicere. In his rebus dum sunt, Provincialis Vasquius adveniens longè majus pondus habuit ad dissolvendas Episcopi machinas, eò iterum obliquè collineantis, ut amotâ Societate externos Sacerdotes in Neophytorum Paranensium oppida, cum certâ Evangelicæ propagationis pernicie, induceret. Ad quod evertendum exprompsit non unas Regis Catholici litteras, distertis verbis imperantis, ne quis temerario ausu vellet Societatem ab curâ Neophytorum, quovis prætextu, se inconsulto subtrahere, aut quomodocumque vexare. Cui rei cùm authoritatem suam Prætor jam benevolus interposuisset, Episcopus tandem dedit manus; & Petri Romeri ad Paranam revertentis vestigia premens, iterum nova oppida invisit, Neophytosque confirmavit.

Uterque conciliantur.

Conciliatio confirmatur.

CAPUT XXIX.

Acaraïenses & Iguasuani transmigrant.

HAs vexationes excepit belli metus, & transmigratio duorum oppidorum. Iverat jussu Majorum Pater Joannes Augustinus Contreras, adverso Paranâ reliquias & supellectilem destructæ Guairaniæ advecturus. Sed eunti, & famosum præcipitium prætervecto, aliquot Mamaluci occurrerant, operosè scisitantes de Iguasuano & Acaraïensi Neophytorum nostrorum oppidis ad Paranam sitis, narrantesque tres Mamalucorum cohortes cum Itatinensi præda non procul abesse. Quæ res suspicionem movit novæ invasionis. Quare Joannes Augustinus, unde venerat rediens, quàm citissimè potuit Iguasuanos & Acaraïenses per se, per litteras verò Petrum Romerum, de periculo monet; qui extemplò nunciis per Paranæ & Urvaïcæ oppida missis, Socios, quanto numero potuit, ad se vocat. Postquàm frequentes convênere, conceptis verbis voto firmatis, pro tuendo grege capita sua cuivis mortis periculo consecrantes, ad arma Neophytos animant. Inter quos excelluit ardor Romeri, pro se summa discrimina ambientis, & authoritate præoccupantis. Interim Acaraïenses, increbrescente prædonum famâ, oppidum suum deserentes concremantesque, Itapuanis, & Corporis Christi oppidanis, aliquot dierum itinere se adjunctum venêre, ubi, depositâ spe patriam repetendi, hactenùs perseverant. Quapropter ad Iguasuanos periculo eximendos Petrus Romerus proram & animum convertit. Satis constabat illud oppidum conservari non posse, ni aliò transferretur: nam præterquàm quòd triginta leucarum intervallo distractum erat ab aliis Neophytorum coloniis, facilis erat, seu fluvio, seu terrâ, è Guairania descensus. Capto igitur transmigrationis consilio, de loco agi cœptum est. Campus erat ad Urvaïcam Conceptionis, & Divi Xaverii colonias inter medius, fundando oppido opportunus, sed circumflexum erat iter, & quinquaginta leucarum, verebanturque Patres, ne quemadmodùm maxima pars Guairaniæ Neophytorum in transmigratione perierant, id Iguasuanis ob easdem causas succederet: quam formidinem dissipavit potentior metus ab hostibus, & ratio dictans, satius esse partem, quàm totum, periclitari. Adde quòd Romerus rem faciliorem reddidit, imperato per oppida reliqua commeatu, & contractis undique navigiorum auxiliis, frequentibusque Sociis transmigrationi adesse jussis. Sic bis mille & ducenta Iguasuanorum capita sine gravi incommodo translata sunt, & constructo in Urvaïcæ littore oppido, reservato Mariæ Majoris titulo, inter Urvaïcenses computari cœpere. Ne transmigrarent, dæmon Angeli lucis & Reginæ Cœlorum specie adolescentulo aliquoties se spectandum præbuit, promittens, si in patria remanerent, suo patrocinio à Mamalucis & aliis periculis futuros indemnes: eóque res processerat, ut à multis

Petri Romeri vigilantia.

Acaraïenses oppidum suum deserunt.

Iguasuanorum transmigratio.

crederetur : sed indicio hujus rei accepto, dæmonis fallacia, Sociorum vigilantiâ, dissipata est. Multi, ut fit, transmigrationi restiterunt, antiquis sylvis se abdentes, quos Socii & fideles Neophyti repetitis excursionibus è fuga retraxere. Præterea interjecto tempore crevit oppidum (in quo ego per biennium vixi) novis accessionibus Barbarorum grandi Christianæ rei incremento.

CAPUT XXX. De Urvaicensibus coloniis.

TRADUCTIS Iguasuanis, decem oppida ab Societate constructa in Urvaicensi regione censebantur, de quorum rebus hæc pauca accipe. In Conceptionis oppido in memoriam patientis Christi introductus publicæ flagellationis usus magnam admirationem habuit : nam viri pueriique adeò se acerbè cruentavere, ut modus adhibendus fuerit rigori, eò magis commendando, quòd ea gens suis corporibus indulgentissima sit, & ante susceptam Fidem etiam pro castigandis pueris nomen flagrorum penitùs ignoraret. Sed Fide semel imbuti ardebant plerorumque animi pro admissis delictis in se severissimè animadvertentium, & alia virtutum exercitia Europæis Christianis usitata usurpantium. In eo oppido ducenta & quatuor capita Christianis accessêre. Sed longè plures in Piratinensi colonia, quorum incolæ Neophyti Ethnicos summâ curâ conquisitos Sociis baptizandos tradidêre. In Japeïvensi oppido, publico apparatu, & remotorum populorum concursu, Venerabile Sacramentum primò expositum est. Purificatæ Virginis colonia fortuito igne magna ex parte flagravit; ne flamma templum involveret, statua Reginæ Cœlorum opposita est, optimo successu. Numerus Caasapaminiensium hoc anno ad partes Christi traductorum quingentos & viginti superat. In Sancti Francisci Xaverii oppido trecenti nonaginta & unus, magna ex parte adulti, salutaribus aquis immersi sunt. Ex Caaïguarum gente viginti-quatuor capita se ultrò Sociis tradidêre. Transfugarum manipulus ad ovile Christi postliminiò etiam reductus est. Hoc oppidum in commodiorem locum translatum, sub tanto patrono hactenùs feliciter, aucto numero, perennat. Socii in Assumptæ Virginis Neophytorum colonia præter quadringentos & octo adultos, octoginta-novem infantes baptizavêre. Imaginem portentoso sudore apud Acaraïenses commendabilem è Parana hùc translatam magnâ pompâ in templum invexere. Neophytus à populatibus suis monitus, ne Sacrum die festo omittere vellet, post spretam monitionem repentino fato interiit. Alterum Sacri etiam audiendi die festo negligentem fulgur interemit. Nonnemo sub initium Quadragesimæ sacros Cineres spernens, eo ipso tempore, quo Neophyti cineribus ritè aspergebantur, à prædonibus fœdè trucidatus est. In Caaroënsi Sanctorum Japoniæ Martyrum oppido, sub cura Josephi Oregii & Petri Spinosæ quingenti & octoginta-duo Christiano ritu abluti, & quadraginta paria Matrimonii vinculo adstricta sunt : in Quadragesima subinde uno die trecenti numerati, qui se asperâ flagellatione exciperent; pueris vix infantiâ egressis parentes suos exemplo animantibus. In Principum Apostolorum apud Caasapaguaçuenses, Adriano Knudio ministro, quadringentos adultos, & ducentos infantes, Christianorum albo inscriptos fuisse constat. Nec minores fuere progressus apud Caapienses, Petri Molæ infatigabili labore rem Christianam promovente. Sancti Caroli oppidi Patroni imago, Ludovici Bergeri penicillo depicta, magno Caapiensium plausu, non sine pompa, in templo collocata est. Ex hoc compendio viri cordati conjicient magnos Sociorum Urvaicensium labores, diu noctuque animarum prædæ invigilantium, & latebras omnes ac sylvas excutientium, quo certatim, quanto maximo numero possent, Christi gregem augerent.

Ibi ira aquarum voluntaria castigatio.

Quatuor & ducenti baptizantur.

Item viginti supra quingentos.

Item 391.

Circiter quingenti.

Sacri violator castigatus.

Et cinerum sacrorum.

582 Baptizantur.

Item sexcenti.

Et totidem fermè alii.

CAPUT XXXI. Sanctorum Michaëlis & Thomæ oppidorum incrementa.

PORRÒ quamvis tanta, quanta narravimus, ad Urvaicam gerebantur, longè tamen notabiliora fuere Tapensis Provinciæ incrementa. In Sancti Michaëlis oppido Christophorus Mendoça, & Paulus Bennavidius octingentos & quadraginta-quatuor magno labore abs se reductos in numerum filiorum Dei cooptavere. In Sancti Thomæ colonia nongenta adultæ ætatis capita, præter sexcentos infantes, ab Ludovico Ernoto & Emmanuële Bertot Christiano ritu lota sunt; longè pluribus in utroque oppido in Candidatorum catalogum relatis. Ibidem Indum quinque

844 baptizati.

Item mille & quingenti.

pellicibus clam implicitum, eoque Baptismi renuentem, taurus ex improviso ferè discerpsit, tantum vitæ relinquens, quantum sufficit ad detestandam præteritam pervicaciam, Baptismumque admittendum. Fœminam diu se reduci recusantem, & populares suos, ne Christianis accederent, remorantem, fulgur cum prole cineravit. Duo oppidi duces sacro Fonte immersi, grande momentum attulêre ad vicinos remotosque populos alliciendos. Unus ex illis Araçaïus, antequam primo Sacramento initiaretur, longam habuit ad circumstantes Orationem de futilitate Ariolorum, adeò plausibilibus rationibus, ut Sacerdotes nostros sui laudatores, & multos è popularibus imitatores, habuerit. Is ipse terram latè exploraturus, multorum dierum itinere usque ad mare pergens, reperit aliquot Mamalucos, turpi hominum negotiatione oram illam infestantes, è quorum cohorte nescio quis Europæus ad Socios scribere ausus, ne se suis populationibus interponerent, omnibus injecit metum futuræ invasionis. Inda mulier statim post Baptismum infimis precibus impetratum, sylvam ingrediens, fera credita ab marito & fratribus suis, minori corporis damno, quàm animæ emolumento, telis transfixa interiit. Ethnicus cardiaco morbo laborans in ignem vi ægritudinis excussus, adeò deformatus est, ut viscera paterent, & carboni similior quàm homini videretur: tamdiu tamen supervixit, donec unus è Sociis accurrens, paulò ante mortem Sacramento eum expiaret.

CAPUT XXXII. Sancti Josephi oppidū fundatur.

INTER Sancti Thomæ & Divi Michaëlis oppida, unius fermè diei utrimque itinere, Itaquatia, locus montosis sylvis obsitus visebatur, cujus incolæ Ethnici nullum lapidem non movebant, quo unum de Societate impetrarent. Petrus Romerus spes eorum alens, promiserat fore, ut voti compotes fierent, dum Provincialis è Paraquariæ metropoli veniret. Hâc promissione non contenti, cognito, Provincialem ad Paranam perveniisse, gentis primores ad eum destinant, rogaturos, ne se cupitissimâ re frustrare vellet. Sed Provincialis de eorum desiderio præmonitus, Josephum Cataldinum, Guairaniæ oppidorum primum fundatorem, eo fine abse jam amiserat, ut apud eos oppidi fundamenta jaceret, Divi Josephi nomen sorituri. Cui Itaquatiani occurrentes, remisso Provincialis adeundi consilio, mirum quantum exhilarati sunt. Cataldinus ubi ad designatum locum venit, templo domoque ad nostros usus adaptatis, oppidi fundamenta adeò feliciter jecit, ut primo statim tempore trecentas & quinquaginta familias reductas Religionis Christianæ sitientissimas censuerit. Singulis diebus ad signum campanæ citatissimo cursu ad templum advolabant, stimulante eos desiderio catecheseos perdiscendæ, sine quâ Baptismum frustra peti non ignorarent. Puer eo fine ad templum dum properat, offendiculo in terram toto corpore delapsus, antequam Baptismum percipere posset, exanimatus obiit; non desperandum tamen aliqui putauere, ob Baptismi desiderium animæ salutem fuisse consequutum. Puellus æger Ariolum malè affectas partes superstitiosè fugere parantem, spretis parentum jussis, abse generosè repulit, & quia ad dormientem veterator redierat, suxeratque, adeò puer excanduit, ut è domo paternâ se propipiens, ad Cataldinum multùm lachrymans, ejulansque venerit, qui innocenti puero prædixit fore, ut pro detestatione veteratoriæ artis indubiè (quod factum est) corporis sanitatem consequeretur. Cataldinus sylvas & latebras pro more excutiens ad indagandos Barbaros, unum reperit in depontanâ ætate nullius gravis actualis noxæ reum, adeò ut seni illi, quem Josephus Anchieta nihil contra legem naturalem peccasse compererat, compararet. Is post susceptum Baptismum, ut spes est, ad cœlos evolavit. Ex Itaquatianis Cataldinus hoc anno non plures octoginta & tribus adultis, præter centum & nonaginta-novem infantes, in album Christianorum retulit: cæteris pro more dilatis. Societas verò ex eâ gente hactenus circiter quinquies mille & octingentos Christianos fecit.

Trecentæ & quinquaginta familiæ reducuntur.

Catechumeni mori.

Pueri fides.

Senis innocentia.

287 baptizantur.

CAPUT XXXIII. Nativitatis Virgineæ colonia a-

EODEM fermè tempore & modo aliud oppidum positum est in alto monte, Aratica dicto, cujus hæc origo fuisse traditur. Cuniambum, Mboipei insignis Casiquii germanum fratrem, Franciscus Ximenius apud Caaroënses degens,

& inter-

& interjecto tempore, Petrus Romerus beneficio conciliaverant: qui in patriam rediens, popularibus suis Societati convocandæ author fuerat. Ad quam impetrandam, templum domumque suo marte superiori anno ædificaverant, & frequentibus nunciis ad Socios missis doctorem veræ legis exigebant potiùs, quàm postulabant: eoque processere, ut de uno è duobus Sociis in Sancti Michaëlis oppido degentibus clam rapiendo, incenso religionis Christianæ desiderio, collatis capitibus jocóne an serio? agitarint. Cognitis eorum votis, Provincialis Vasquius Petrum Alvarum eò mittit cum potestate oppidum fundandi, Nativitatique Beatæ Virginis consecrandi. Primus Alvari labor fuit nongenta & viginti-septem, magnâ ex parte puerilis ætatis, capita baptizare: secundus, adultos catechesi informare; tertius, vicina loca ad augendum oppidum excutere, tanto successu, ut primo anno novella respublica octingentis catechumenorum familiis steterit. Porrò ex Araricanis, apud quos ego alio translatos magnâ animi lætitiâ triennium degi, hactenùs Societas novies mille & octingentos circiter sacro Fonte immersit.

pud Araricanos ponitur.

Araricanorum Religionis desiderium?

Petrus Alvarus iis præfit.

Infantes baptizat.

NEc hîc stetit fervor Sociorum, nam sub id tempus trans Igaïm fluvium, seriem Tapensium montium secantem, penetravit, procurante Itapaîvâ, potente earum terrarum casiquio, qui Petrum Romerum & Christophorum Mendoçam in S. Michaëlis oppido conveniens affirmavit, si Igaim transmittere secum vellent, oppidi fundandi materiam oportunitatemque reperturos. Ambo eò iter moliti, longè plura quàm Barbatus promiserat invenêre: nam quadringentæ familiæ, desertis pagis, in unum locum concurrerant, tantam propensionem animorum ostentantes, quantam ab dudum cultis populis exigere posses. Ibi igitur Crux solemni ritu erecta, infantes baptizati, & in Tutelarem surgentis oppidi Sancta Anna electa est. Cujus oppidi curam suscepit Ignatius Martines, in Guairania & itatinensi provincia multa cum laude ante versatus, qui ante finem anni octingentas familias, magno labore abs se reductas, computavit. Ex quo numero quot futuris temporibus Christo accesserint, Societate adnitente, quamvis authentici libri perierint, factâ cum aliis oppidis comparatione, facilis conjectatio est. Quamquàm non omiserim adnotare septem millia & septingentos ab non-nemine fuisse numeratos. Ex hoc loco Christophorus Mendoça ad Ethnicorum vicum delatus, adolescentes duos captivos, funestæ mactationi post sagenam destinatos, feliciter redemit.

CAPUT XXXIV. Sanctæ Annæ oppidi fundatio.

Ignatius Martines ei præfit.

Octingentas familias reducit.

7700 baptizati.

DUm hæc in unis Tapensium montium crepidinibus gerebantur, duo alia oppida in obversa eorundem montium parte condebantur, de quorum origine, situ, & progressu, hæc pauca accipe. Circa Igaï fluminis capita campi latissimè excurrunt, magnis nemoribus per intervalla distincti. Inter quæ nemora nominatissima erant Ibitiruna, Ibitirabebo, & Mondeca, à pinetis abundantissima, quarum arborum altitudo, dum ad maturitatem pervenêre, centum & viginti pedum esse proditur. Tanta verò est eorum rectitudo, ut tornatæ potiùs, quam sine cultu natæ, videantur. Dum adhuc crescunt, per æquales intercapedines ramos in modum coronarum circummittunt, qui suâ sponte paulatim decidentes, reservatis tantùm vestigiis, nodos relinquunt, adeò duros, ut arte levigati ossibus politis, quàm ligno similiores esse videantur. Hujus regionis incolæ prægrandibus pinis magnam anni partem vescuntur, quorum sapor haud admodùm ab Europæis juglandibus differt. Reperitur etiam Paraquariensis herba, Indorum deliciæ, & aprorum caprearumque ingens copia, itaut accedente modicâ agriculturâ, indigenæ rebus apud se natis non ægrè se sustentent. Ad has sylvas Tapensis Provinciæ appendices ante biennium Petrus Romerus cum aliqua spe gentem ad oppidum Sancti Caroli biduo inde distans reducendi excurrerat, sed inde, quòd ægrè se à patria, rerum abundantissima, abduci indigenæ finerentur, de novo oppido condendo seriò agitatum est. Superiori itaque anno cum ea spe in Quararæi potentis Casiquii terris Ibitirunæ objectis Petrus Mola, jussu Romeri, Crucem erexerat: exinde Quararæus, & Tupaminius Casiquius Mondecaënsis sylvæ incola, omnem adhi-

CAPUT XXXV. Oppidi Sanctæ Theresiæ initia.

Ponetorum descriptio.

Eam gentem Petrus Romerus primus adit.

Deinde Petrus Mola.

Franciscus Ximenes & alii.

bebant operam, quò unum de Societate impetrarent: utriusque verò Casiquii votum implevit Franciscus Ximenius, eò missus cum potestate oppidum inchoandi. Venientem cum Hieronymo Porcelo Quararæus eleganti prorsus Oratione excepit, cujus argumentum fuit, numerare corporis sui partes, & asserere tantam in singulas diffusam fuisse lætitiam, quantam verbis explicare non posset. Designato oppidi loco multi Barbari ad condendum templum domosque incredibili alacritate convolavêre, adeò ut nec frigore, nec pruinosâ tempestate, ab opere se abstrahi permitterent. Gens hæc à pueris mento sibi oblongos lapides pro barbula inserit: quem morem dum Socii arguunt, aïentes indecorum esse, his additamenris deformare corpora, quæ Deus fecisset; effecêre, ut pueri omnes evulsos hos lapides in ignem projicerent, veriti, ne mos barbarus Religioni Christianæ obstaculo esset. Mulieres certatim suos infantes Baptismo offerebant, non ignaræ ab Sociis non deserendos, quos Christo genuissent. Jactis his fundamentis, utrique Socio ad curam Urvaïcensium oppidorum, unde venerant, redeundum fuit, donec hoc, de quo scribimus, anno Franciscus Ximenius eò denuò mitteretur, cum mandatis incœptum oppidum in commodiorem vicinioremque locum transferendi, quod statim præstitit, designato in Tupaminii terris oppidi loco, ad quod ædificandum incolendumque Quararæus cum assecli (quamvis ægrè patrios montes desereret) & circumjacentes populi frequentissimi convenêre. Hoc oppidum Argentei fluminis Prætoris postulatu Sanctæ Theresiæ dicatum, Franciscus Ximenius Augusto mense regendum suscepit, qui Joanne Salas adjutore in tantam auxit magnitudinem, ut primo fundationis anno octingentas familias numerârit. Infantes Christi charactere in Baptismo insigniti sunt, provectæ ætatis hominibus solito more dilatis.

Octingentæ familiæ reducuntur.

CAPUT XXXVI.

Sancti Joachimi oppidi initia.

DUM hæc agitarentur, Petrus Romerus ad designatum Sanctæ Theresiæ oppidum, superatis Tapensis provinciæ montibus, eo fine perrexit, ut venturo propediem Provinciali viam ejus senio accommodam inveniret. Montes jam prætergresso Caruaïus, potens Casiquius, cum aliquot assecliis occurrit, aiens se etiam teneri desiderio Religionis Christianæ, & oppidi fundandi, nec defore ex circumjacentibus locis colonos, si Sacerdos concederetur. Romerus benignissimè hominem amplexatus, latè excurrit in laudes miserentis Dei, per sese barbaram gentem moventis, ut æternæ salutis adjumenta quærerent. Porrò perspectâ loci & hominum conditione, non potuit non annuere Barbarorum postulatis. Nam præterquàm quòd summopere desideraret, tot animas dæmoni ereptas Christo asserere, intererat Tapensis Provinciæ hunc locum occupari, quo Sanctæ Theresiæ oppidum cum aliis coloniis, in altera montium crepidine erectis, quodam quasi vinculo connecteretur. Electo itaque loco, Crucem solemniter erigit, infantes in perpetuandæ sedis tesseram baptizat, surgens verò oppidum Divo Joachimo consecratum, interim dum Sacerdotem accersit, Francisco Ximenio commendat: qui eò paulò pòst ex pinetis delatus, magno vicinorum populorum concursu, extemporali opere ædem sacram extruxit: in quâ extruendâ cùm petrosum solum erigendis palamentis obsisteret, barbara virago, incensa desiderio Religionis, operarios magnâ voce animabat, aiens laboris præmium fore veræ legis doctorem, & cum eo Cœlum impetrare. Postmodùm Joannes Suarius, hujus oppidi primus institutor, domum & templum multitudinis capax condidit. Barbaros verò tanto numero collegit, quantus justo oppido satis foret. Dum ad hujus coloniæ fundationem solâ Cruce & precum Breviario armatus pergeret, interrogatus à Sociis, quibus instrumentis templi molem erigeret, & quibus præmiis gentem novam alliceret, respondit, Evangelii semen secum ferre, nec aliâ re indigere.

Barbarorum ad Religionẽ propensio.

Joannes Suarius ùs præst.

CAPUT XXXVII.

Franciscus Vasquius Provincialis Indorum oppida lustrat.

INTERIM Provincialis è Paraquariæ metropoli veniens, Paranam & Urvaïcam Socios inspiciendo prætervectus, ad Sancti Caroli oppidum pervênit: unde Sanctæ Theresiæ novam coloniam petens, crus sibi ex gravi casu læsit, quare reliquum iter humeris Indorum delatus perfecit. Ab Sanctæ Theresiæ oppido, Sancti Joachimi colonia octavo lapide distans visebatur: inde transmissis montibus, reductos

in alterâ

in alterâ montium parte populos lustrans, cognovit Ethnicos alios Religionis Christianæ & fundandi oppidi desiderio teneri, quos spe alens, & Sanctos Cosmam & Damianum in eorum Tutelares designans, per Viperarum flumen ad Ibicuitum descendit. In itinere obvios habuit aliquot Barbaros horum fluminum accolas, oppidum sibi erigi & Sacerdotem concedi postulantes: sed quia oppida multiplicari vetabat raritas Sociorum, Barbaris suasit, ut se Japeïvienſibus Neophytis, quod pedetentim fecere, adjungerent. Quaquà transibat, Indos largè donabat, ita ut ex tot Catechumenorum Neophytorumque millibus nullus indonatus abierit. Mox reflexo per Urvaïcam & Paranam itinere, ad Sanctæ Fidei urbem contendit. Post ejus discessum in Tapensium montium ultimo pænè angulo, Societas aliud oppidum sub finem anni condidit sacris Jesu & Mariæ nominibus dedicatum. Locus, in quo positum est, Ibiticarain vocabatur, quò tot coloni concurrerunt, ut primo fundationis anno quatuor mille capita censita sint, sub cura Petri Molæ, ob bonitatem indolis, & tractandorum Indorum peritiam, memorabilis. Infantes pro more statim baptizati, templum pro instruendis âdultis ædificatum. Sic non toto biennio in Tapensi Provinciâ octo oppida ab Societate constructa, & loca alia aliis construendis designata, Guairaniæ jacturam, æquali fermè animarum præsenti lucro, & majori spe, compensarunt.

Sanctorum Cosmæ & Damiani oppidi designatio.

Jesu-Marianum oppidum conditur.

Quater mille capita reducuntur.

AT in Itatinensem Provinciam ducentis leucis ab Tapensi distantem, post superioris anni populationem à Mamalucis factam, Paraquariæ Prætor duas Hispanorum cohortes in subsidium miserat: quæ, quòd abactis jam Indis serò venissent, & milites Indorum servitiis inhiarent, majori detrimento, quàm emolumento, fuere: nam ad Assumptionis urbem reduces, quò liberiùs miserorum operis abuterentur, Prætori insinuavêre, benè se facturum, si Itatinensium curam clericis, non religiosis, traderet. Et jam Prætor præpostero consilio assensurus erat, nî Franciscus Vasquius Provincialis interessisset, grande reipublicæ damnum prænuncians, si Apostolicis progressibus se interponeret. Igitur Didacus Rançonierius, qui ad urbem Assumptionis venerat, cum amplâ potestate oppida condendi, ad suos Itatinenses cum Justo Vánsurkio & Nicolao Enartio opera Apostolica continuaturus rediit. Quorum hoc anno labor fuit, ex dispersis latronum metu populis, & reductione aliorum Barbarorum, duo oppida erigere: primum ad Tepotium flumen positum, Justi Vansurkii curæ traditum est: aliud centesimo ab Assumptionis urbe lapide non procul Paraquario, Didaci Rançonierii & Nicolai Enartii industriâ surrexit: quorum difficultates in recolligendis Barbaris, in fame tolerandâ, in ædificandis templis, & domibus, quia omnibus missionariis nostris communes sunt, dicere supersedeo. Evangelicis profectibus mirum quantum offecerit Viri in dignitate positi imprudens dictum, qui Itatinensi Casiquio ad se venienti, jocóne, an serio? cùm asseruisset Itatinenses omnes Hispanis aliquando servituros, ab nostris tanquam servitiorum prodromis absterruit. Quamquam pedetentim obstaculum illud amotum est, impetratis ab Rege Catholico litteris, quibus Neophytos nostros per Evangelium reductos ab servitiis privatorum eximens, sibi immediatè tributarios faciebat. Rançonierii oppido non parum incommodavit rumor ab ipsis Païaguis temerè sparsus, ubique asserentibus, Hispanos Paraquarienses, in Païaguas & Itatinenses infesta arma moliri. Quæ res ita perturbavit Indos nostræ curæ subditos, ut quadringenti, duce Nianduabusuvio seniore, transmisso Paraquario, ad montes latissimè protensos, & nostris excursoribus eâ occasione destinatos, transfugerent, quorum plerique ad ovile Christi Pastorum suorum fideli operâ sequenti anno rediêre.

CAPUT XXXVIII. Apud Itatinenses duo oppida reædificantur.

Rex Catholicus Indis favet.

SUB finem anni Provincialis Vasquius Româ litteras recepit, quibus alteri Provinciæ præfecturam tradere jubebatur. Hanc ipse quinquennio administravit vario rerum successu, nam sub ipso undecim Guairaniæ oppida destructa: ad Paranam Acaraïensis sedes expuncta, Iguasuana metu belli traducta, Urvaïcenses & Paranenses Neophyti repetitâ lue diminuti, Chaquensis provincia bis frustra tentata,

CAPUT XXXIX. Status Provinciæ sub Francisco Vasquio Provinciali.

tentata, & oppida Itatinensia pænè in origine oppressa sunt. Inter prospera verò numerantur, ad Urvaïcam Caaroënse oppidum restituisse, ibidem Caasapaguaçuensem, Caapiensem, Sancti Xaverii & Assumptionis colonias instituisse, Tapensem provinciam octo omninò oppidis, & Itatinensem duobus occupasse; necnon ad alias regiones viam Evangelio straviſſe. Inter eos, quos ab Societate expulit, notabilis fuit exitus cujusdam Nunies, in Paraquaria tenuibus parentibus nati, qui inter externarum rerum coadjutores adscitus, aliquando religiosè vixit, donec ab instituto deflectens, votis solutus, suas res sibi habere jussus fuerit. Postea in Peruvia degens, cùm nescio cujus militis bona omnia aleæ lusu lucratus fuisset, & ab milite rogaretur, ut saltem ensem, quo etiam eum spoliaverat, sibi restitueret, nec impetrasset, miles facti indignitate exacerbatus, dissimulatâ tantisper injuriâ, dormientem pugione eò usque confodit, donec extruderet animam: unde factum, ut idem gladius esset instrumentum supplicii, qui fuerat parricidii irritamentum. Atque hæc sunt selectæ res (nam quis communes & usu tritas in Commentarios referat?) quæ sub Francisco Vasquio Truxillio contigêre: cujus patria fuit Truxillum, celebre in Hispania oppidum. Parentes habuit nobiles. In Indias pænè puer cum consanguineo Platensi Canonico navigavit. Limæ in convictu Sancti Martini educatus, Societatem admodùm juvenis ambivit, &, reclamante licet affine Canonico, tandem obtinuit. Post decursa feliciter studia Sacerdos factus, in Chilense regnum amandatus est, in cujus metropoli diu Collegii Rectorem egit. Inde duorum Provincialium socius, Romam Procurator missus, & in aliquot Collegiis Rector fuit, donec Provinciæ præfecturam capesseret; quâ defunctus Collegium Cordubense iterum rexit, reliquam ætatem usque ad annum vitæ octogesimum, & hujus sæculi quinquagesimum-secundum privatim, sed utiliter, traduxit. Virtutes tot & tantæ in eo excelluerunt, quot & quantas gesta munera requirebant. Nunquam per sexaginta Religionis annos cubiculum suum est ingressus, quin corpore, animo & voce Reginam Cœlorum in auxilium vocaret. In omnibus Collegiis & plerisque Indorum oppidis aut renovari, aut de novo instituì Sodalitia parthenia procuravit: successori suo Collegia novem in Hispanorum urbibus; in Indorum verò oppidis ab Societate fundatis, viginti-quinque sedes reliquit.

Nunies infelix exitus.

De Francisci Vasquii Truxillii patria.

Munia.

Virtutibus.

HISTORIÆ PROVINCIÆ PARAQUARIÆ SOCIETATIS JESU

LIBER UNDECIMUS.

IPso Conceptionis Virginis sacro die, Provinciæ præfecturam auspicatò iniit Didacus Boroa, ingenti famâ sanctitatis, inde ortâ, quòd supra communem modum austeritatem profiteretur, & Indorum emolumento se totum traderet. Ipse olim Calchaquinos in Tucumaniâ, Guarambaræos in Paraquariâ, magnâ ope juverat: Inianenses ad Paranam, Iguasuanosque constructis oppidis incluserat: ad Urvaïcam Sancti Xaverii coloniæ fundamenta jecerat, & utriusque fluvii missionibus diu cum laude præfuerat. Ante verò partitionem Provinciæ in Chilensi regno non inutilem operam navarat. Cordubæ & in Assumptionis urbe Rectorem agens, Quichoanæ & Guaranæ linguæ beneficio Indorum salutem incredibili zelo procurarat. Consentaneum igitur erat, ut qui singulas Provinciæ partes Apostolicis expeditionibus adjuverat, universæ simul virtutum splendore illustrandæ præficeretur. Quamvis verò omnes de tali Præside sibi gratularentur, præ cæteris tamen Indorum missionibus occupati animi lætitiam ostentabant, sperantes ministerium suum ab tanto capite vigorem hausturum. Nec eos fefellit opinio, nam prima ejus cura fuit, Indorum quaquà latè patent immensæ propè regiones, fide Christianâ imbuere, aut imbutas aliis adjumentis procurare. Ejus auspiciis Petrus Martines & Andreas Valera excursionem quadrimestrem, hinc quadraginta leucis ad fluminis Dulcis, inde sexaginta ad Salsi littora extenderunt, multiplices dæmonis technas variis in locis utiliter dissolventes. Multi negatâ immortalitate animarum, Atheistarum more, omnibus se vitiis conspurcantes, alii solemnem debacchationum materiam nefandis ritibus dæmoni consecrantes; alteri eodem incubo, aut Ariolorum operâ abutentes, pessima documenta dedocti; iisdem adnitentibus sapuere. Ter mille exhomologesi, multi Baptismo expiati sunt. Inda mulier, quo se ab spurco amatore liberaret, pendens JESU-CHRISTI Cruci fixi signum objecit, interrogans pro quo Deus in eâ Cruce mortuus fuisset? respondenti, pro se, casta virago exprobravit: pudeat ergo te, tanto amori scelus velle reponere. Ægra mulier per visum spectavit cœlestem Jerusalem auro undique fulgentem, sed quòd ignoraret Christianorum rudimentorum preces, ab ejus civitatis ingressu repulsa, ad arctam semitam deducta est, ubi eam aculeati crabrones fœdè lancinavêre: ne pejora ei contingerent, invocata JESU & MARIÆ nomina fecêre. Sancti Michaëlis Collegium non sine religiosæ pacis inquietudine civibus concordiam peperit. In hujus urbis agro periculosiores turbæ Societati laudis materiam dedêre. Jucumanitam, Indorum pagum, Chilemino hostium ferocissimo duce, quadringenti Calchaquini invaserant, & cæde incolarum factâ, crematis ædibus, temploque, cum præda in suos se fines receperant. Qua de re moniti Ignatius Loiola, nostri Ordinis Sacerdos, & alter Socius, nequicquàm reluctantibus Hispanis, certum adiri vitæ periculum vociferantibus, ad cineratum pagum se contulêre, ubi vulneratos omnes expiavere, cadavera ritè sepeliere, & demum indemnes domum rediere. E cæteris Tucumaniæ Collegiis, hostibus obversis, excurri ab Sociis non potuit. Didacus tamen Boroa Provincialis, officii necessitate in totius Tucumaniæ utilitatem versâ, afflicta bello Collegia lustrans, ingenti fructu varias adiit Indorum regiones, lustratâque quadringentarum leucarum itinere Tucumaniâ, ad Para-

CAPUT I. Didaci Boroæ Præfecturæ initium, & Sociorum per Tucumaniam gesta narrantur.

1634

Didaci Boroæ commendatio.

Excursio ad fluvios Salsum & Dulcem.

Indæ mulieris castitas.

Ignorantia doctrinæ Christianæ castigata.

Audacia Ignatii Loiolæ.

Didaci Boroæ fructuosi labores.

nensia

nensia Neophytorum oppida citatissimè se contulit, Sociorum multiplices labores coram inspecturus, & Chiriguanarum expeditionem exornaturus.

CAPUT II. Expeditio ad Chiriguanas.

Chiriguanarum origo.

CHIRIGUANARUM natio est longè ferocissima, de quorum origine hæc pauca accipe. Postquàm Paraquarienses Indi, ante adventum Hispanorum, Alexium Garciam (de quo suprà palam factum est) è Peruviæ finibus reducem crudeliter trucidârunt, seu vindictæ metu, seu prædandi licentiâ, cum Paranensibus confœderati, patrio solo deserto, eò transmigrare voluere, quò Alexio duce paulò antè perrexerant. Condicto transmigrationis tempore, Paranenses facto itinere per Pilcomai fluminis proxima loca, ad eos montes, qui Taricensi Hispanorum oppido contermini sunt, pervenêre: Paraquarienses verò aliâ viâ progressi, post immensa terrarum spatia, consedêre ubi Sancti Laurentii oppidum non procul ab Guapaï littore situm visitur. Communicatis deinde consiliis, in summitatibus montium pagos suos construentes, continuis excursionibus vicina longinquaque loca tantâ pertinaciâ depopulati sunt, ut fama sit, ab Chiriguanis, nescio unde eam appellationem sortitis, centum millia Indorum non integro sæculo aut occisa, aut in servitutem abacta fuisse. Primis transmigrationis suæ temporibus, his solemne erat captivorum corporibus vesci: deinde verò commercio clam cum Europæis instituto, ab esu humanæ carnis abstinentes, populos eo fine captivabant, ut mancipiorum loco divenderent: ita tamen ea commercia exercebant, ut non desinerent, oblatâ occasione, ipsis Hispanis esse malefici, cum quibus multa prælia miscuere: & eò progressa res est eorum audaciâ, ut publicè & impunè Franciscum Toletum, Peruviæ Proregem, armis lacessiverint; hactenusque non desinant Tarifam, Pasmaïam, Pilaïam, Tominam, Miscam, Peruviæ oppida, universam denique Sanctæ Crucis in Montanis, & Tucumaniæ Paraquariæque fines, infestare. Adeò ut nulla natio in mediterraneis Americæ Australis regionibus, Chiriguanis lucri cupidine instigatis, & continuo prædandi usu exercitatis, aut Hispanis terribilior, aut aliarum nationum Indis nocentior, competiatur. Quod mireris, quater mille capita solummodò olim transmigrasse fama est: sed postmodùm captivis ad suos mores conformatis, & progenie factâ, numero aucti, extra montes suos dilatari, longè latèque cum suo nomine terrorem sparserunt. Ad hanc gentem Christo domandam nulla ars hactenus profuerat; frustra remedia omnia Peruviæ Episcopi tentaverant: frustra Emmanuël Ortega, vir planè Apostolicus, ante triginta annos face Evangelicâ tenebras gentis dissipare conatus fuerat: frustra Martinus Del Campo, concivis & propinquus meus, necnon alii Collegii Sanctæ Crucis in Montanis Socii, desideria in domandis feris hominibus intenderant; adeò ut tanquam desperatæ salutis ab multis retrò annis fermè desererentur. Donec hâc, de qua scribimus tempestate, Francisco Diastanio, in Chuquisacensi urbe res Paraquariæ apud Senatum Regium procuranti, occurrerent aliquot Chiriguanæ, significantes non ægrè populares suos Fidem Christianam capessituros, si Societatis Sacerdotes, Guaranæ linguæ periti, ad eos irent. Quâ re cognitâ, Didaci Torres Paraquariæ Exprovincialis, in eadem urbe versantis, auspiciis (qui ab Gusmano homine prædivite magnam pecuniæ summam, & annuum quingentorum aureorum censum, pro ea missione impetrârat) Franciscus Diastanius cum alio Sacerdote animos gentis tentaturus, in Chiriguanarum terras ire ausus est. Ex qua expeditione id relatum est, ut Didacus Torres ad Præpositum Generalem scriberet, videri sibi è re Christiana futurum, si duo Socii, in Paraquariensibus missionibus exercitati, in Peruviam mitterentur, ex professo Chiriguanarum saluti operam navaturi. Igitur postquàm accessit Generalis voluntas, & Nicolai Durandi Mastrilli Peruviæ Provincialis, necnon Senatûs Regii, idem agitantium, litteræ redditæ sunt, Didacus Boroa Provincialis nihil satius habuit, quàm ut ad Paranam se conferret, Socios tantæ expeditioni idoneos electurus. Inter ambientes Petrus Alvares magnis per Paranam, Urvaïcam & Tapensem regionem laboribus perfunctus, necnon Ignatius Martines, in Guairania, Itatinensi & Tapensi provinciis clarissimus, electi sunt; qui è Tapensibus oppidis viam sexcentarum leucarum molientes, eo quo discesserant anno,

Ferocitas.

Numerus.

Conversendorum spes.

Doctores.

Chiriguana-

Chiriguanarum fines ingressi, majori labore, quàm fructu (uti Peruviæ Annales narrabunt) per aliquot annos insudavere.

CAPUT III. Didacus Boroa Paranã lustrat.

PAULÒ antequam Socios ad Chiriguanas dimitteret, Didacus Boroa Provincialis Collegium Assumptionis inspectum iverat; unde rediens Paranensium, Urvaïcensium, Tapensiumque oppidorum lustrationem, continuato itinere, pro munere occœpit. Quem [illegible], annotatis singulorum locorum hujus anni rebus, sequi lubet, ut ex itinerum qualitate, laborumque multiplicitate, quàm Apostolica sit Paraquariensis Provincia latûs dignitas, semel appareat. Triginta leucis distat ab Assumptionis urbe primum Paranæ oppidum. Unde, emensis viginti leucis, Provincialis Itapuam delatus, ab Neophytis, quorum plerosque ipse Christo aliquando genuerat, variâ hilaritate exceptus est. Itapuani, quòd plerique infantes nescio quâ aurâ afflati morerentur, ab Divo Ignatio quæsivêre mali remedium, non irrito successu; nam postquàm spopondêre, Sanctissimi Patris festum quantâ possent pietate se celebraturos, observatum est deinceps rariores mori. Ibidem mulier in limine domûs interrogata ab prætereunte Socio, num infantem suum, quem sinu gestabat, initiales doctrinæ Christianæ preces edoceret, respondit, se ab ipso infante doceri: miratus Pater responsi insolentiam, ab lactente pænè puero petit ut solitas preces recitet, quod cùm nihil hæsitans fecisset, laudavit Dominum, qui linguas infantium facit esse disertas. Decimo-quintò lapide suprà Itapuam coloniam Corporis Christi oppidum visitur, ante duodecim annos ab ipso Didaco Boroa fundatum, quem incolæ venientem, ut primum animarum suarum parentem, omni officiorum genere excepêre. Inter Itapuam & Corporis Christi colonias, Guairaniæ reliquiæ in duobus oppidis novo Provinciali non parvam commiserationem peperêre, consideranti ad qualem paucitatem redacta esset numerosæ provinciæ multitudo: de quibus plura dicere non lubet, ne recentem ingentis vulneris dolorem, nondum obductâ cicatrice, impacto ungue renovem.

Infantis habilitas.

CAPUT IV. Didacus Boroa Urvaïcam inspicit.

INSPECTO Paranâ, sexdecim leucarum itinere ad primum Urvaïcæ oppidum, Conceptionis Immaculatæ nomine insignitum, transmisit. Ubi duobus Sociis fide dignis spectantibus, Divorum Ignatii & Xaverii pictæ tabulæ abundè sudavêre: non sine funestorum eventuum metu; animis similia prodigia in ominosam calamitatem detorquere solitis. Nec aberant humana indicia, Mamalucis ad Oceanum, quà Tapensem Provinciam spectat, sese ostentantibus. Tertio inde lapide ad Urvaïcæ littus Iguasuani recenter translati, Provincialem, qui primos gentis ad Fidem & oppidum ante novennium reduxerat, hilariter recepêre. Post ejus discessum aliquid hîc turbatum est, tribus Neophytorum turmis ad patrias sylvas fugâ se recipientibus, quos tandem omnes incredibili Sociorum diligentiâ repertos, ad Christi caulas postliminio adegêre. Ex hac statione Provincialis adverso Urvaïcâ Divi Xaverii oppidum petens, in exigua quatuor leucarum navigatione naufragium fecit: navigationis comites vi tempestatis abstracti, quòd ab torrente violenter abreptus fuisset, periisse putârunt, ideoque pro ejus anima sacrificatum est. Sequenti verò die nuncius de ejus incolumitate acceptus, Socios multipliciter exhilaravit, præsertim cùm comperissent indubiè periturum, nî Iguasuani de naufragio moniti, per fluctus irato mari similes enatando, eum cum certo periculo ereptum iviſſent; ejus nempe corpus servantes, qui suas animas è dæmonum servitute eripuerat. In Sancti Xaverii oppido, cujus ipse etiam Provincialis fundamenta jecerat, bis mille reductorum capita reperit. Inde integro die navigans, Acaraguam, seu ad Assumptionis novam coloniam se contulit, quo in loco hoc anno trecenti & quadraginta-duo adultæ ætatis Barbari, & nonaginta septem infantes, Christianorum ritu abluti sunt. Inter quos memorabile factum fuit unius, octo pellices Christophoro Altamirano ibi curanti sistentis, & in has voces prorumpentis. *Ex his omnibus pellicibus prolem feci, ideoq; omnes mihi caræ sunt, sed longè carior est Deus à te nobis annunciatus, cujus amore antiquissima harum mulierum pro uxore mihi retenta, cæteras manu mitto, totidem popularibus meis, quos tibi sisto, legitimo Matrimonio jungendas; quid*

Sudor portentosus.

Turba Iguasuanorum.

Provincialis naufragium.

Quadringenti & triginta novem baptizati.

Acaraguaënsis ducis conversio.

jam obstat quin baptizer? Applaudenti Altamirano, & indubiè post sex dies proximo festo, magnâ celebritate baptizandum affirmanti, forti voce respondit: se nolle tanto tempore sub dæmonis jugo gemere, sed velle in libertatem filiorum Dei statim asseri: quare illicò baptizatus est. Idem paulò pòst in lethalem morbum incidens, Altamiranum de suæ mortis periculo sollicitum subtristemque sic consolatus fertur. *Esset*, inquit, *quod doleres, si Ethnicus morerer; jam cùm hæres regni Dei per Baptismum effectus sim, est multum, quod mihi promissum regnum speranti gratuleris.* Ex hac colonia reflexo sexdecim leucarum itinere, Piratinicnse Sancti Nicolai oppidum Provincialis petiit; in cujus oppidi condendo templo hoc notabile accidit, quod matres non contentæ terram per se bajulare, lactentibus infantibus, quos brachiis portabant, corbes fecerint eo fine, ut Deus Optimus Maximus pro suo cultu laborantes benigno vultu respiceret. Porrò ex Piratinianis hoc anno centum & septuaginta circiter capita Christianis accessere. Josephus Domenecus Purificatæ Virginis oppidum, ab Piratinicnsibus unius diei intervallo distans, regebat, dum Provincialis advênit, à quo inductus mos supplicabundè circumferendi Venerabile Sacramentum: quod ut decentissimè in summa rerum inopia fieret, Neophyti mille & quingentos arcus ex frondosis arboribus floribusque erexerunt. Ex eadem materia in quatuor fori angulis dispositis altaribus, ex quibus genus omne ferarum & domesticorum animalium suspendêre, magnâ advenarum, tum Neophytorum, tum Ethnicorum admiratione, ex his celebritatibus Mysteria nostra æstimare discentium. Josephus Oregius & Petrus Spinosa, in Caaroënsi Martyrum Japoniæ oppido, partim adultorum, partim innocentium, mille & septuaginta-duo capita sacris undis immersere. Tambabæus, oppidi dux, centum Barbaros, magna ex parte Ethnicos, ex latibulis reduxit. Josephus Oregius, peste grassante, longè excurrens, plurimam utilitatem omni hominum generi, Sacramentorum collatione, attulit. In Apostolorum Petri & Pauli colonia Adrianus Knudius sex suprà quingentos, partim infantes, partim adultos, Christianos fecit. Idem Indæ mulieri post partum secundas rumpere impotenti, eoque de vita periclitanti, author fuit, ut se Divo Ignatio committeret, non irritâ pietate; nam statim & secundas rupit, & post secundas secundum partum effudit. In Sancti Caroli sede non minorem Socii collegêre messem animarum, quibus invidens humani generis hostis, tygridis assumptâ formâ, quantum in se fuit, Catechumenum deterruit ab susceptione Baptismi: Indam verò eadem de causa, turpissimi hominis figuram induens, impacto sæpiùs in ejus caput fuste, pænè exanimavit: frustrato utrobique conatu, nam uterque Baptismi gratiam meruere.

Barbarorum mulierum pietas.

Venerabile Sacramentum à Barbaris cultũ.

Mille & septuaginta-duo capita baptizata.

Item quingenta.

Et ferè alia totidem.

CAPUT V.

Didacus Borroa Cismontana Tapensis Provinciæ oppida adit.

Octingenta familia reducta.

Nongenti & quinquaginta baptizati.

Inchoata Visitationis colonia.

Quingenti ritè loti.

INSPECTIS his tribus Urvaïcæ ultimis oppidis, uno fermè die abs se distractis, triduanum iter moliens Provincialis, ad Sanctæ Theresiæ coloniam, cis ipsos montes sitam, contractâ ex laboribus valetudine, pervênit. In Sanctæ Theresiæ curabant Franciscus Ximenius & Joannes Salas, quorum maximè operâ ex octingentis familiis jam reductis, trecenti fermè adulti homines, & sexcenti quinquaginta infantes, cæteris pro more in aliud tempus dilatis, in numerum filiorum Dei relati sunt. Postquàm Provincialis utcumque convaluit, octavo ab Sanctæ Theresiæ colonia lapide, oppidum ab Visitatione Virginis dictum, nuperrimè inchoatum, lustrans, reperit convenisse complures Barbaros, Fidei Christianæ desiderio incensos: sed quòd copia Sociorum non suppeteret, eos Patribus in Sanctæ Theresiæ & Sancti Joachimi oppidis commorantibus commendavit. In Sancti Joachimi colonia Joannes Suarius Barbaros ad Fidem traductum ibat, quorum hoc anno circiter quingenti Baptismum suscepêre. Locus ipse erat montibus asperrimus, & ingentibus saxis obsitus, inter quæ saxa, fragosissimaque nemora, habitabant indigenæ, unde pedetentim summis laboribus educendi erant, antequam sociabilem vitam edocerentur. Fructus eorum laborum ampliissimi: quorum palmaris fuit, hominem jam sepultum baptizasse. Solent Socii, grassante peste, per emissarios Neophytos indagare, num qui in villis & nemoribus ægri Sacerdotis operâ indigeant. Unus ex his Suario retulerat Catechumenum unum sine Sacramentis in

remoto

remoto nemore defunctum fuisse. Hoc audito excanduit Pater, quòd ante ejus mortem non se monuisset; & instinctu, ut putatum est, divino, inter irati animi signa, ad mortuum illum velle se ire elatâ voce profert; cui emissarius, frustra ibis, ô Pater, nam non tantùm mortuum, sed etiam sepultum reperies. Ivit tamen Suarius ad designatum locum, quò cùm perveniset, quasi exploraturus num vocem aliquam perciperet, sepulchro aurem admovet. Mirum dictu! ex ipso sepulchro levissimum quiritatum audit, quasi hominis deficientibus jam planè viribus tenuissimè suspirantis. Quarè Suarius per se, & per alios, superpositos lapides amovens (nam in ea regione, quòd solum petrosum sit, humana cadavera injectis lapidibus sepeliuntur) avidissimè percunctatur, num vivat? Respondentem se adhuc vivere, interrogat: num approbatis Fidei Christianæ Mysteriis, delictorum suorum pœnitens, hæres regni Dei per Baptismum effici velit? Affirmanti Baptismum confert: quo accepto vivere desinens, ad Cœlos, ut spes est, evolavit; tanto optimi Patris gaudio, quantum nullis verbis nemo queat exprimere. Difficilis erat ex Sancti Joachimi ad Jesu-Marianum oppidum, trans ipsos Tapenses montes positum, via, quam ut perviam faceret Christophorus Arenas, per intacta nemora, deturbatis arboribus, & impervia saxeta, pedetentim toto nisu colluctationeque corporis incedens, inter saxa ingentem thesaurum invênit; infantem scilicet in ramali solitariaque casa cum morte colluctantem: quâ baptizatâ, iter prosequutus, ad Divi Joachimi coloniam pervênit, ubi aliquamdiu Joannem Suarium, defectu Socii immenso prope labori succumbentem, peste grassante, juvit. Uno eorum in oppido remanente, per vices omnia circum loca exploratum ibant, Baptismum moribundis conferentes, æternùm utique perituris, ni Deus Optimus Maximus utrique Socio vires laboribus pares suffecisset.

Sepultus baptizatus.

Iter apertum

CAPUT VI.

Didacus Boroa ad Tapensis Provinciæ colonias trans Igaïm positas pergit.

EX Sancti Joachimi coloniâ transmissis Tapensibus montibus, post bidui iter, Jesu-Marianum oppidum, superiori anno incœptum, Provincialis tenuit, Petri Molæ & Christophori Arenæ laboribus clarissimum. Mille Barbarorum familias in album retulerant, cùm pestis coloniam hanc invadens, plerosque novos incolas dispalavit; ad quos indagandos juvandosque Petrus Mola profectus, primo statim die febricitare cœpit; quo morbo non obstante iter continuans, sub dio & humi in madidâ veste cubans (nam aliquoties in obvios fluvios lapsus fuerat) æger ipse salutem æternam infusis salutaribus aquis plurimis mortalibus peperit. In alterâ viginti-quatuor dierum excursione Christophorus Arenas per easdem fermè ærumnas quotidiè magnum ægrorum numerum collato Baptismo ad cœlos transmisit. Barbaris mulierem ad sepulchrum efferentibus occurrens, Deo plenus, Sandapilæ admotâ aure, & excepto tenuissimo sibilo, jussit eam evolvi, interrogataque, num nostris mysteriis credens baptizari vellet, respondit id maximè se velle: recepto igitur Baptismo, verè vivere in terris desiit, &, ut spes est, in cœlis cœpit. Ethnici eam ab Christophoro Arenâ vitæ redditam fuisse credidere, sed ego sine gravi examine, miraculorum haud temerarius assertor, rem in medio relinquo: nam cùm mos sit inter hos Barbaros, populares suos, antequam animam exhalent, pro mortuis deflere, & quandoque efferre, quamvis multorum Sociorum mores ab talibus signis patrandis non abhorreant, haud ausim tamen ejusmodi eventa pro miraculis venditare. Miraculum certè fuit in tantâ temporum iniquitate, ab duobus Sociis domi forisque mille & trecentos infantes, necnon mille & sexcentos adultæ ætatis homines, sacro ritu fuisse lotos. Secundo ab Jesu-Marianâ coloniâ lapide locus erat novo oppido destinatus, ad quem aliquot centenæ familiæ concurrerant, unum de Societate sibi concedi summis votis postulantes. Ad id procurandum Caraichure Ethnicus ab popularibus suis ad Provincialem missus, quinquaginta leucis obviàm procedens, non destitit causam suam agere, donec tandem Provincialis motus constantiâ hominis, evocato Augustino Contreras, fundamenta novi oppidi jaceret, sub Divi Christophori tutelâ futuri, & tantam prosperitatem sub ipsis initiis habituri, quantam nulla fermè alia colonia habuerat. Nam sesquiennali spatio novæ fundationi quatuor mille & sexcenta capita nomen de-

Mille familiæ reductæ.

Barbara mulier in Sandapilâ baptizata.

Bis mille & nongentâ capita baptizata.

Sancti Christophori colonia initia.

Quater mille & sexcenti reducti.

dêre. Caraïchure primus popularium Baptismum meruit, cæteris in sequentes menses dilatis. Trans Igaïm etiam feliciter surgebat Sanctæ Annæ colonia, octingentis familiis conspicua, quas Ignatio Martinio ad Chiriguanas profecto Emmanuël Bertot magnis augmentis rexit, quæ augmenta ad hunc & sequentes annos pertinentia sigillatim non recenseo, quòd authentici codices nuper conflagrarint; constat tamen ab ejus origine hactenus ex eâ gente per Societatis homines quinquies mille & quingenta capita per primum Sacramentum Christo asserta fuisse. Grassante peste Emmanuël Bertot ad ægros per bajulos ferebatur, infirmâ manu baptismum & alia Sacramenta conferens; nam solus numerosum oppidum procurabat, nec aliunde sperare poterat auxiliarem Socium, quòd fermè singuli in singulis oppidis versantes multiplicitate operum pænè obruerentur. Quid facitis, Europæi Academici, bibliothecas diu noctuque evoluentes, operam & oleum perdendo, dum nos tantam operarum inopiam quotidiè lugemus?

Quinquies mille & quingenta capita sacro Fonte immersa.

CAPUT VII.

Didacus Boroa oppida Tapensis Provinciæ cis Igaïm posita perspicit.

EX Sanctæ Annæ statione Provincialis Igaïm transmittens, Araricanam Nativitati Beatæ Virginis dicatam coloniam, eodem die tenuit, cui regendæ Petro Alvares in Peruviam profecto successerat Paulus Bennavidius: unde jure merito Araricani dicere possunt: Petrus & Paulus legem tuâm docuerunt nos, Domine. Quorum utriusque maximè operâ ducenti & sexaginta-novem supra mille infantes, & quingenti fermè adulti, longè pluribus in Catechumenorum album relatis, Baptismum suscipientes, hoc anno Christianis nominibus insigniti sunt. Paucis milliaribus Araricâ abest Divorum Cosmæ & Damiani oppidum, hujus anni partus, sed præcedenti ab Vasquio Provinciali conceptus. Mense Januario ineunte, hunc locum occupavit Adrianus Formosus Neapolitanus, qui mille familias Ethnicorum ex vicinis nemoribus mirabili felicitate reduxit: ex quibus nongentos atque duodecim ex omni ætate baptizavit. Is ad villam evocatus moribundæ mulieri Baptismum collaturus, in has voces erupit. O, si equus in oppido esset, quo vectus periclitanti quàm citissimè auxilium conferre possem! quo dicto, domo egressus, occurrit duobus adolescentibus, equum ex alio oppido advehentibus: quo conscenso, præcipiti cursu ad ægram volavit, animam jam vix reciprocantem: quâ baptizatâ, in laudes miserentis Dei multis verbis excurrit; non enim dubium erat, sine Baptismate eam mulierem emigraturam, nî copia equi supperitisset. Inde non longè aberat Sancti Michaëlis colonia, ubi Christophorus Mendoça & Michaël Gomez præter jam baptizatos, baptizandósve mille & nonaginta-quatuor adultos, necnon quadringentos & septuaginta-duos infantes, sacro Fonte immersêre. In vicinâ Sancti Josephi sede Josephus Cataldinus quadringentos fermè provectæ ætatis homines, & ducentos sexaginta-septem infantes, solus ipse Christianos fecit. Ibidem puer septennis patrem suum pellicis amoribus obnoxium non desistebat monere, ut se pessimis vinculis extricaret: sed homo ferox ab puero se objurgari non patiens, irâ & indignatione correptus, ut se ab importuno monitore eximeret, non semel pro cibo venenosam radicem obtulit. Sed puer, sepositio veneno, patrem non desistebat rogare, ne viam perditionis capesseret. Constantiæ in tantilla ætate præmium fuit de parente triumphasse, qui tandem innocenti censori dans manus, pellicem alteri Indo nuptui tradidit. Sancti Thomæ oppidum Ludovicus Ernotius pergebat regere, operâ Emmanuëlis Bertotii subinde adjutus, magno animarum proventu: nam hoc anno mille & ducenti & quadraginta-novem adulti, præter septingentos & undecim infantes, baptizati sunt, & supererant longè plures Ethnici Catechumenique, idem sibi beneficium conferri postulantes. Felix hic fuit adolescentis exitus, amore patriorum morum ab aspectu Sociorum nostrorum fugientis, diligentissimeque intendentis, ne in Christianæ Catecheseos casses aliquando incideret. Is lignum ingens super terram elatum escâ suppositâ ita libraverat, ut si quæ fera subtus incederet, deturbato levi retinaculo, eo cadente, opprimeretur. Interjecto verò tempore, ad locum insidiarum inadvertenter rediens, ligni casu ita ipse obrutus est, ut reliquo corpore contrito, solum caput & manus extarent: quarum nisu suffossâ humo, ab superposito pondere se

Mille & septingenti & sexaginta-novem ritè loti.

Item fermè septingenti.

Item mille & nonaginta quatuor.

Necnon quadringenti & septuaginta.

Et sexcenti & sexaginta septem.

Item mille ducenti & quadraginta novem.

Necnon septingenti & undecim.

utcumque

utcumque extricans, animæ remedium per Baptismum rependo, petitum venit & obtinuit.

CAPUT VIII. De reliquis Missionariorum rebus.

DIDACUS Boroa Provincialis, in inspectione Paranæ, Urvaïcæ, & Tapensis Provinciæ, præter benè magnum infantium numerum, octigentos ferè adultos suâ manu primo Sacramento initiavit. Nam Socii in singulis oppidis, si quos haberent Catechesi informatos, lubenti volentique in aliquod onerosæ dignitatis solatium baptizandos offerebant. E Tapensi Provinciâ per Japeivense Urvaïcæ ultimum oppidum iter circumflectens, ad portum Boni aëris navigavit, unde Franciscum Diastanium, quadriennali procuratione apud Senatores Regios pro Indorum defensione ante occupatum, ad Tapensem Provinciam amandavit, in JESU-Mariano oppidò contra Mamalucos invigilaturum; nam rumor increbuerat, non ex vano sumptus, eos in Neophytos nostros Tapenses arma moliri. Petrus Romerus, rerum gestarum ab Sociis suæ curæ subditis seriem scribens, tredecim millia & octingenta in numerum filiorum Dei, hoc, de quo scribimus anno, per Baptismum fuisse relata asserit. Qui numerus ferè nullus erat, si conferretur cum Catechumenis aut Ethnicis ad mare vergentibus, infinitam materiem præbituris, si copia Sociorum suffeciisset: sed Socii magnâ ex parte singuli in singulis oppidis præsentibus laboribus vix, aut ne vix quidem, pares erant: nedum ad longinquiora extendi poterant. Nam in his rerum initiis, singulis incumbebat areas domorum novis incolis assignare, templum & privatas ædes pro se exstruere, leges politicas stabilire, per se vel per alios ad oppida Ethnicos invitare, venientes excipere, grassante peste per latibula sparsos ægros inquirere, in oppido victitantibus omni officiorum genere adesse, Catechesim facere, Sacramenta ministrare, dolentes solari, Ariolorum technas evolvere, infirmorum corporibus mederi, venam secare, pharmaca miscere, ulcera tractare, ægrum exercere, hortulum componere; quibus si addas Sacerdotale pensum, vix spatium sumendi cibi carpendive somni suppetebat. His accedebat ciborum insolentia, panis, vini, & rerum pænè omnium inopia, gentis novæ fastidiosi mores, atque intolerabilis pænè solitudo; nam cum barbarissimis hominibus conversari, tormentum potiùs quàm solatium est. Et quia centum & quinquaginta leucis urbes Hispanorum, ubi necessariæ res ad vestitum emebantur, distabant, infinitis prope incommodis Apostolici viri implicabantur, quo in opere unus hoc anno morte cruenta sublatus est.

Provincialis octingentos baptizat.

Summa baptizatorum.

Sociorum multiplices labores.

CAPUT IX. Petrus Spinosa à Barbaris trucidatur.

DUo Guairaniæ oppida post transmigrationem maximè laborabant vestimentorum penuriâ, ideò quòd campi & sylvæ Paranæ adjacentes gossipio alendo non satis idonei essent, vapore fluviatili ante maturitatem florem corrumpente. Cui malo mederi volens Antonius Ruisius, centum & quinquaginta leucarum itinere ad Sanctæ Fidei urbem Petrum Spinosam cum selecto Neophytorum manipulo miserat, ovium greges per immensam solitudinem advecturum; & jam pænè medium iter confecerat, cùm res accidit luctuosa. Paucis ante diebus aliquot Hispani viatores Guapalachibus vagabundis Barbaris damnum intulerant, qui in vindictam intenti, simul ac ex campis non procul ab Paranæ littore fumum, viatorum vestigium, conspexêre, rati Hispanos esse, intempestâ nocte ad eum locum, ubi cum suis Petrus Spinosa sub dio, ut fit, pernoctabat, summo silentio veniunt, & primo statim impetu quinque Neophytos ejus comites jugulant. Secundus impetus fuit in ipsum Spinosam, tumultu expergefactum, petentemque, quid rerum ageretur; cujus vocem ut audiere Barbari, opinantes eum unum ex Hispanis esse, quos neci destinaverant, magno tumultu nudavere, nudatumque verberibus affecere, donec putarent exspirasse. Sed is post tot verbera utcumque sibi redditus, suaviter invocans JESUM & MARIAM, provocavit iteratum parricidarum furorem, tumultuosè vociferantium, frustra ab JESU & MARIA eum auxilium petere: inter quas impietatis voces penitùs oppresserunt. Brachio ejus avulso, reliquum cadaver tygribus escam futurum hinc inde distraxêre. Ut illuxit, & Sacerdotem abs se occisum perspexere, ferunt pœnituisse facti; nam ad necem solummodò quærere

Quinque ejus comites mactantur.

dicebantur Hiſpanos illos, qui pridiè eo loci pernoctârant. Non deeſt, qui aſſerat, ab parricidis non ignoratum, antequàm necem patrarent, eum fuiſſe Sacerdotem. Dilapſis prædonibus, avulſi brachii manus, digitis in formam Crucis decuſſatis, inventa fertur.

CAPUT X. Petri Spinoſæ vita.

SUNT, qui noſtrum Spinoſam Martyrem appellant, eâ ratione adducti, quòd ſicarii Ethnici & Apoſtatæ, implorantem JESU & MARIÆ nomina ludibrio habentes, parricidium perfeciſſent. Scio in Madritenſi Collegio inter Societatis Martyres aliquando fuiſſe depictum, ſed longè ſecuriori viâ in compendio Societatis Martyrum inceſſit Alegambe, dubitans an Fidei causâ mortem obierit; ſed corrigendus in volumine mortium illuſtrium, dum ejus mortem ad annum hujus ſæculi trigeſimum-ſeptimum refert. Quidquid ſit de cauſa mortis, germanus ejus frater, noſtræ Societatis Sacerdos, olim eum ab Barbaris trucidandum prædixit: qui in Peruvia degens exquiſitis litteris parentes ſuos monuit, ne ullam curam omitterent in educando fraterculo ſuo, futurum enim, ut Societate initâ, ſe in Indiam ſequeretur, & ab Barbaris trucidaretur. Fidem adſtruxit prædictioni eventus. Quin & Spinoſa noſter, jam Societatis ſcholaſticus, in Æde ſacra ferventer Deo ſe cõmendans, viſus ſibi eſt à Barbaro in terram proſterni, raptari, cædi, atque ad ſe ut rediit, humi jacere ſe comperit; ita laſſato affectoque corpore, ac ſi reverà verbera excepiſſet. Hoc Cordubæ in Hiſpaniâ contigiſſe tradit Alegambe. Mater ejus, ſelectiſſima matrona, ſic eum adhùc pænè infantem alloquuta fertur. *O fili, te priùs videam mortuum, quàm lethali culpâ fœdatum: vide, ô fili, ne aliquando pudoris florem turpitudine commacules. Si matrem tui amantiſſimam ingenti gaudio affisere vis, promitte ex nunc nunquam te caſtitatem violaturum.* Hæc cùm profuſis lacrymis mater pronunciaſſet, ita commota ſunt pueruli viſcera, ut coram ea ſanctè promitteret, perpetuam ſe caſtitatem ſervaturum. Hæc mater quatuor filios habuit, Societati noſtræ omnes mancipatos, quorum unus Auguſtinus nomine, ab Nierembergio inter illuſtres Societatis Heroës ampliſſimè celebratur. Præclari verò quaternionis facta, Apoſtolicis digna operariis, eleganti carmine ab laureato poëta Alfonſo Bonilla decantata, non parvam claritudinem accepêre. Noſter Petrus poſito Religionis tyrocinio, Cordubæ in Bœtica operam litteris dedit. Hiſpali Sacerdotio initiatus, in Paraquariam navigavit. Cordubæ Tucumanorum perfecto ſtudiorum & cæterarum probationum curriculo, in Guairaniam miſſus, poſt excultos Niuſeatinguïenſes Barbaros, ferociſſimam Taïaobæ antropophagorum gentem ad oppidum & manſuetudinem Chriſtianam mirabili tolerantiâ reduxit. Nullum ſubterfugiebat laborem aut periculum, ubi de Indorum ſalute agebatur. In tranſmigratione Guaïraniæ miſerrimæ genti levamenta quærens, in ſolitudine morbo oppreſſus animam exhalaſſet, nî Ruiſius accurrens, ſectâ ejus venâ, reſpirandi meatus reſeraſſet. Ad Urvaïcam naufragium paſſus, ſub aquâ periculoſiſſimè ſubmerſus fuit, adeò nullâ impatientis animi ſignificatione, ut etiam ſuam ſortem riſu elevaret. In Guaïrania Simoni Maçetæ de vita periclitanti ob Mamalucorum furorem ſuccurſurus, per viam ſcabroſam incedens, pænè ſibi cervices fregit. Immodicus erat in corpore afflictando. Quodam in Collegio ab Rectore impetrârat, ut alienâ manu flagello exciperetur. In Taïaobæ oppido ex trabe ſe nudum ſuſpendebat: quo in ſtatu ab lacertoſo Neophyto ſcuticâ verberari ſe curabat, quòd diu quotidiè præſtitit, donec ab Superiore, rei conſcio, prohiberetur. Ibidem nihil edulii ad pulmentum, ex tritico turcico ſine ſale confectum, adhibebat. Nunquam auditus eſt de conditu ciborum conqueri; oblatis cum gratiarum actione parcè veſcebatur. Viliſſimo contentus viatico magna & difficillima itinera pro animarum ſalute confecit. Nunquam otioſus, ſemper operoſus erat. Si quid otii nanciſcebatur, ad fovendam animi demiſſionem paupertatemque, ſuis aut Sociorum ſuendis interpolandiſve veſtibus inſumebat. Virginitatem totâ vitâ conſervatam ſolebat ipſe, poſt Deum, ad ſuæ parentis curam referre. Venerabile Sacramentum præcipuo cultu venerabatur. Affectum verò erga MARIAM Virginem per hoc maximè oſtendit, quòd dum in Hiſpania ageret, & de Immaculatæ Dei Matris Conceptionis

Prædictio.

Spinoſa Matris pietas.

Fratres.

Labores.

Afflictandi corporis ſtudium.

Virginitas.

honore

honore ageretur, ipse jam tum integritatis asserendæ votum conceperit, & Octavam ejus, ut vocant, ritè celebrandæ solemnitatis conscripserit. Eo die, quo defunctus est, uni è Sociis, in Itatinensi ditione ducentis leucis distante, visendum se præbuit, gloriâ & cœlesti lumine circumseptum, cum hac voce. *Mane cum Deo, frater, nam ego ad Cælos evolo.* Socius ostento expergefactus, narravit domesticis, quid sibi contigisset, notatoque die & horâ, observatum in id temporis incidisse, quo à Barbaris trucidatus est. In eadem Itatinensi provincia pergebant Socii reformare nuper ædificata duo oppida, spem per litteras Provinciali dantes, si copia Sociorum non deesset, fore ut alia duo construerentur. Sed res inter spei cancellos stetit.

Apparitio.

CAPUT XI. Convictus Esterensis, & Estecensis Collegium dissolvuntur. 1635.

ANNO hujus sæculi trigesimo-quinto, in Tucumaniæ metropoli convictorum Cathedralis Ecclesiæ Collegium sub curâ Societatis esse desiit. Canonici collatis secretò capitibus ad Regem Catholicum scripserant, convictores in eo Collegio Ecclesiæ Cathedrali pænè inutiles esse; nusquam nisi diebus festis choro inservire, & alia hujusmodi. Quibus Rex Catholicus responderat, si Societas statutis Collegiorum ejusmodi Ecclesiarum se accommodare vellet, posse retinere convictûs administrationem: id enim videri è Reip. bono. Sed Societas, introspecto novi Episcopi animo, multa præter Tridentini concilii statuta, & nostris moribus, necnon juventutis rectæ educationi obversantia, exigentis, dimissis convictoribus, juri suo cedens à multis se extricavit incommodis. Magistratus Ecclesiasticus non diu pòst facti pœnitens, & urbis primores, apud Episcopum intercessêre, scripto dictoque affirmantes, renunciationem hanc non fore è Reip. bono. Et Episcopus damnavit suam præcipitationem in admittendâ cessione. Immobili ad hæc Societate, ex hujus convictus administratione lites oriri solitas abhorrente. Ferè sub id tempus Estecense Collegium dissolutum est: eo quòd Estecum, urbem modicam, pestis pænè continua vastasset, & bona Sociorum, deficientibus servitiis, periissent.

CAPUT XII. Didacus Boroa utiliter Provinciæ partem lustrat.

OB recens rescriptum Præpositi Generalis, jubentis omnes Tucumaniæ Indorum pagos semel saltem in anno ab nostris adiri, ex plerisque Collegiis Apostolici excursores magnam fecere animarum messem. Ipse Provincialis præibat exemplo, qui è portu Boni-aëris per planitiem centum & viginti leucarum iter molitus, vagabundorum Indorum turmas ad capessendam fidem humanitatemque Guarano idiomate, majori conatu, quàm fructu animavit, plerorumque animis avorum suorum moribus pernicialiter imbutis. Ethnicus in desertis his locis erectam Crucem lapidare ausus, vociferans pernicioſam aëris siccitatem ab eo, qui è Cruce pependerat, fuisse procuratam, Divinam Nemesim statim sensit, nam blasphemiam enormis grando statim excepit, & sacrilegum vociferatorem paulò pòst taurus discerpsit. Didacus Boroa cum tribus Sociis Sacerdotibus pagos omnes Indorum inter Cordubam & Tucumaniæ metropolim ex itinere expiavit, & continuato labore, Sancti Michaëlis, Saltensem & Riocensem tractum emensus, non contemnendos per immensa terrarum spatia manipulos animarum collegit. Inda mulier simplici, sed nullo modo imitandâ pietate, cognito, sacerdotem lasciviæ deditum ad aras facere, tanto horrore concussa est, ut ab sacrificii inspectione, deficiente altero sacerdote, toto semestri abstinere maluerit, quàm id monstri spectare, Puritatis scilicet dominum impuris manibus attrectari. Veneris puppus, quatuordecim annos sordes conscientiæ occultans, desperatâ animæ salute, suspendio vitam corporis abrumpere decreverat: sed laqueum bis collo aptantem vox per aërem delata absterruit, monens ab lethali vivendi fastidio liberum fore, si exhomologesim sincerè perageret: quâ peractâ, fœdissimis moribus abjuratis, totum se virtutibus tradidit.

Ethnicus blasphemus castigatus.

Luxuriæ horror.

CAPUT XIII. Gesta per Provinciæ Collegia narrantur.

IN Esterensi civitate senex, Veneris mancipium, contractâ ex nimiâ libidine lethali ægritudine, in mortis articulo dubium reliquit, num delirans peccata sua

Sacerdoti

Sacerdoti explicuisset: nam confessione peractâ, magnis vocibus meretriculæ suæ nomen identidem usurpans, animam exhalavit; & eo temporis momento pellicis domus, quamvis firma, in terram corruit: nemine non advertente, cœleste portentum id fuisse. Impurus Sacerdos honestissimæ matronæ diu & frustra pudorem sollicitans, tandem à perverso consilio se abstinuit, quòd in eam involans reperisset aspero cilicio pænè toto corpore vestitam: quibus armis tutò defenditur pudor. *Castitas conservata.*

Ignatii Loiolæ mors. Sancti Michaëlis urbem in flore ætatis funestavit Ignatius Loiola, Societatis nostræ Sacerdos, Divi Ignatii pronepos, Cordubæ Tucumanorum, nobili viro Guiposcuensi natus, qui post initam Societatem tantis virtutibus floruit, quantis opus erat ad sustentandam clarissimi stemmatis opinionem. Obedientiam imprimis coluit, secundùm quam, animi demissionem exercebat, adeò non fictè, ut post traditas Philosophiæ artes ab Majoribus impetrârit, Grammaticam pauculis pueulis explicare. Dicendi vi, quâ multùm pollebat, & facilitate indolis, sibi omnis generis homines conciliabat: adeò ut inter utilissimos hujus Provinciæ Sacerdotes noster Ignatius celebraretur. *Virtutes.* Saltenses Socii, Collegio superiori anno eluvione everso, in privata domo munia sua diu exercuêre, donec domo iteratâ inundatione etiam subversâ, ad suburbanam villam se reciperent. Ubi operam suam afflictissimis civibus, tenuissimo cibo contenti (nam hostis & ignis fortuitus Collegii prædia vastaverat) conferebant. Inter hæc infortunia Petrus Herrera ad Pullares excurrens exiguum planè fructum collegit, bello ut corporibus, sic animis, utilitatem adferre non permittente. In portu Boni-aëris præcipuus Sociorum labor, pro more, fuit Angolanos Æthiopes post catechesim salutaribus aquis frequenter expiasse: reliqua exercitia cum communibus Collegiorum muniis paria fuere. Assumptionis Collegii Patres aliquot Ethnicos, ad proxima urbi loca è patriis sylvis Mamalucorum metu se recipientes baptizavêre. Effrænatæ linguæ homo ausus est in publicis congressibus iteratò asserere, Confessionis sacramentalis secretum ab uno è nostris Sacerdotibus fuisse violatum. *Calumnia explosa.* In quam rem ab utroque Magistratu inquisitione factâ, cùm falsum esse, ipsomet sycophantâ retractante, pateret, & jam nihil propius esset, quàm ut impostor plecteretur, repentino fato sine expiatione exspiravit; cœlestem vindictam sequuta tempestas horrida multas urbis partes, concussis ædibus, deformavit; quam tempestatem usque adhuc imposteris nomine plebs solet nuncupare. Interim omnia publicè turbabantur, Assumptionis civibus & ipso Prætore Indorum servitiis inhiantibus, eóque Societati, miserorum asylo, offensis.

CAPUT XIV.

Imago Beatæ Virginis in Sanctæ Fidei Collegio portentis claresci incipit.

IN templo Collegii Sanctæ Fidei Imago Beatæ Virginis portentosè sudavit, spectante magnâ urbis parte, cum Ecclesiæ primariæ Vicario & ipso Rectore sudorem gossipio certatim & reverenter excipientibus: ne verò tantum portentum inter res dubias reponeretur, ipse Vicarius, adhibitis numerosis testibus, rem testatam juridicis tabulis reliquit: addens sudorem illum gossipio exceptum multis fuisse salutarem. Nam Joannes Ortis, Proprætoris frater, solo attactu gossipii sudore illo madefacti ab pertinaci morbo repentè convaluit. Petrus Botellus ob auris trimestrem dolorem à medicis depositus, applicato eodem gossipio, statim à periculo exemptus est. *Sanitas variè recuperata.* Maria Encinas, honesta matrona, ulcere palmari ab quinquennio in stomacho laborans, postridiè quàm Vicarius intinctum sudori gossipium ulceri applicuit, diuturnum malum in cicatricem coiit. Hæc Vicarius. Mulier, quæ absente marito, ex vetito concubitu geminam prolem pepererat, infamiæque metu occiderat, aspectu ejusdem Virginis tantam præteritæ vitæ detestationem sensit, ut mox dimisso adultero, & factâ exhomologesi, vitam omninò sanctam occœperit. *Aspectus Virginis Mariæ salutaris.* Non-nemo diuturno pellicatu infamis, monitus ab uno è Sociis, non posse à peccatis absolvi, ni pellicem domo abigeret, ad monitorem suum conversus. *Ni*, inquit, *me absolvas, nunquam aliàs me sistam Sacerdoti, sed permittam animam meam ab dæmonibus rapi.* Hoc audito, Sacerdos blando sermone benevolentiam hominis captans impetravit, ut uno saltem aspectu portentosam Virginis effigiem dignaretur. Quâ conspectâ, ita derepentè mutatus est, ut lacrymis suffusus ad Sacerdotem rediens, peccati occasionem domo se expulsurum adpromitteret.

EO rerum ordine res ad Paranam prosperè gerebantur, Sodalitia parthenia in novis oppidis instituta vigebant, & Neophytorum pietas tempore solidata nihil fermè ab veteranorum Christianorum moribus differebat. In Itapuano oppido multæ fœminæ tutatæ sunt pudorem, sollicitatoribus rosarium è collo pendulum objicientes, aut asserentes indignam rem esse, Partheniam Sodalem, Corpore Christi pasci solitam, turpiter fœdari; sponsas Christi & mancipia Virginis sine macula esse decere. Fœmina ab turpi amatore interrogata, num sola esset in cubiculo? Respondit solam esse non posse, quam Deus semper comitaretur; & insuper addidit, mactari se posse, Deo teste, peccare non velle. Mulier post susceptum in Brasilia Baptismum, audito, in nostris Guairaniæ oppidis ante transmigrationem Societatis Neophytos sæpè communicare Corpori Christi: quòd in patria tantæ rei occasionem non haberet, incensa desiderio sacra Mysteria participandi, cum marito multorum mensium itinere Lauretum se contulerat, unde ad Paranam cum aliis transmigrans, adeò præclara pietatis specimina dedit, ut meruerit mancipiis Partheniis accenseri, inter quæ diu perseveravit omni virtutum genere florere, donec morbus lethalis eam opprimeret. Pro mortua habita, cùm de ea sepelienda ageretur, ex improviso in hæc verba prorupit. *Non fallimini*, inquit, *vos, qui me vitâ functam defletis, nam verè mortem obii, defunctaq; inferna loca, & in his multos è notis, Angelo indicante, vidi: inde ad cœlestem aulam deducta plures mihi gratulantes habui, quòd Sodalitio Virginis aliquando nomen dedissem, & cognovi Sodalium sortem Cœlestibus esse acceptissimam. Pergite, ô Sodales*, aiebat, *quo pede cœpistis, & ne degenerate ab proposito Superis gratissimo.* His dictis multa addens de æternis inferorum pœnis, & cœlestium gaudiis, animato ad constantiam filio, in læta loca, ut spes est, post quintum diem, uti reviviscens prædixerat, evolavit. In cæteris Paranæ oppidis certabant Socii ardore pari Baptismorum, & cæterorum Sacramentorum collatione, necnon verbi Dei seminatione, magno cum animarum fructu vineam Domini excolere.

CAPUT XV. De particularibus Paranæ rebus.

Eucharistiæ desiderium.

Parthenia sodalitatis commendatio.

AD Urvaïcam multa etiam memoratu digna sunt gesta. In Tabativiensi Sancti Xaverii oppido non parvas turbas excivit Chemombeus, veterator impius, qui Ariolorum quorumdam vocatu, è terris mari vicinis accitus, magnam garriendi vi apud plebeculam sibi conciliavit authoritatem; tantumque potuit, ut conspirationem de mactando Francisco Cespedes, Socio optimo, conflârit. Domum amplam aliquot Xaveriani extra oppidum veteratori ædificârant, in qua inter compotitationes & choreas de modo patrandi parricidii agebatur, placueratque conjuratoribus ipso Paschatis pervigilio, post curatum Christi funus, parricidium facere, patrassentque scelus, nî adolescens domi educatus consilium eventilasset; quo cognito, ab fidis Neophytis optimus Pater ad Urvaïcæ saxeam speluncam paulò antè deductus est, quàm Chemombeus cum armatis comitibus in nostram domum irrumperet. Interim verò dum elapsam prædam nequicquàm indagat, moniti Mariæ Majoris incolæ, magno numero auxilia adproperavere, quorum sedulâ indagatione Chemombeus & conjuratores alii in manus venêre, in exilium transportandi. Antequam caperentur, adolescentem, consilii sui eventilatorem, multis verberibus affecerant. Franciscus Cespedes, è latebris eductus, perseveravit Divi Xaverii oppidum curare, adeò inter adversa prosperè, ut suprà ter mille capita Christianorum albo inscripta ab coloniæ prima origine computaret. Acaraguaïanorum Neophytorum quingenta capita pestis demessuit, quorum locum subiere è sylvis erutæ numerosæ Ethnicorum cohortes, non diu pòst Christo conscribendæ. Lues Piratinienses etiam afflixit, quam ut averterent, quadringenti homines, ponderosas cruces humeris bajulantes, piam supplicationem instituêre. Sanctorum Apostolorum colonia hoc anno numerositate Baptismorum floruit: nec parcior seges in Sancti Caroli agro colligebatur, sacris messoribus in horrea Æterni Patris numerosos manipulos continuò inferentibus. Satis constat septingentos & viginti-quinque omnis generis & ætatis homines ab Caaroënsibus Sociis fuisse hoc anno baptizatos. Ex hac gente fœda lues quinquaginta-duo suprà octingenta capita deturbavit, in-

CAPUT XVI. Socii Urvaïcenses multa faciunt memoratu digna.

Chemombeus conjurationem conflat.

Franciscus Cespedes periculo subducitur.

Septingenti & viginti-quinque baptizati.

credibili Hieronymi Porcelli labore, Sacramenta post debitam catechesim diu noctuque moribundis magno fructu conferentis. Ibidem bimula puella, conspecto coram matris suæ adulterio, in hæc verba prorupit. *Ne tuam, ò Mater, turpitudinem videre aliàs cogar, Deum rogo, ut me vitâ privatam ad Cœlos evehat, ubi Superos fatigabo, ne dæmonem iterum malè monentem audias.* His dictis, paulò pòst puella, nullâ ante ægritudine tentata, in morbum lethalem incidens, ad innocentium patriam evolavit. Neophytus festis diebus sacrificanti adesse negligens, illud etiam addidit, ut sacro Quadragesimæ tempore intempestâ nocte carnem voraret, sacrilego joco dictitans, non esse cur sibi à Deo noctu dormiente timeret: mirum dictu! sequenti festo die, post Sacrorum solemnia ab eo omissa, & voratas carnes eo tempore vetitas, repentinâ morte, sine expiatione, duplicis sceleris ream animam evomuit; venter recenter defuncti horrendè intumuit, nemo ut dubitaret, inusitato mortis genere in eum cœlitùs fuisse animadversum. Adolescens, auditis pro concione his verbis, *Si oculus tuus scandalizat te*, &c. ne turpi objecto animæ candorem fœdaret, adeò deformiter oculos laceravit, ut morbum periculosum ex ulceribus contraxerit. Ex Japeïvensi Trium Regum oppido octoginta circiter Neophyti, boves nullo certo domino per ampliſſimos campos vagantes pro more collectum progressi, incidêre in ferociſſimos homines, cum quibus prælio facto, mediam suorum partem amisere. Cladis solatium fuit, quod omnes, expiatis animis, ad eam expeditionem processissent. Pestis longè plures absumpsit, adeò ut exiguo planè tempore tertia incolarum pars desiderata sit. Sed postmodùm novis Barbarorum accessionibus oppidum crevit.

Quadragesimæ violator punitur.

Continentiæ amor.

CAPUT XVII. Ad Tebiquarim utiliter excursitur.

NARRATIS, quæ ad Urvaïcam gesta sunt, rerum capitibus, ad Tapensem Provinciam magnis successibus insignem me accingo. Didacus Boroa Provincialis, in Tucumaniam abiens, mandaverat nationes Ethnicorum ad mare vergentes excurri, tum ut fundandorum novorum oppidorum opportunitates explorarentur, tum vel maximè, ut ad constituta jam oppida, quanto maximè numero fieri posset, Barbari invitarentur. Tertia causa erat, ut contractâ cum his populis amicitiâ, Mamalucis in Tapensem provinciam clauderetur aditus: nàm multa indicia apparebant novæ invasionis. Primus è Sanctæ Theresiæ oppido prodiit Franciscus Ximenius, exiguâ, sed fidâ Neophytorum manu comitatus, id præsertim in oculis habens, ut quàmplurimos Barbaros ad Visitationis inchoatam coloniam, & adhuc Sacerdote carentem, reduceret. Quinto ab discessu die Caapibarim fluvium tenuit, per quem biduo navigans Mbocariroïm alterum fluvium biduanâ navigatione attigit, donec in Tebiquarim famosum flumen dilaberetur. Horum fluviorum littorales sylvas, saltus, scopulos indagans, reperit multos mortales desiderio Christianæ religionis incensos. Ubique magnâ Barbarorum occursantium, & de pago in pagum deducentium, hilaritate excipiebatur. Subinde triginta remigantium scaphæ ei occurrebant, armatas arcubus & clavis manus inter festas acclamationes, echo è littoralibus scopulis repercussas, hilaritet ostentantium. Plerorumque vox erat: erigeret Cruces, designaret domorum areas, ordinaret oppida, omnes in ejus potestate futuros, dummodò non cogerentur, patriâ desertâ, aliò concedere. Non defuere tamen, qui divinitùs permoti, transmigrationem profiterentur: mille & quingenta capita ad novum Visitationis oppidum, trecenta ad Sanctæ Theresiæ migratura, se Ximenio permisêre: ex quibus ducentos & quinquaginta infantes sacro Fonte statim abluit, ex adultis ægrotantibus multos Christianos fecit. De infante baptizando dum agitat, ejus pater furens frendensque omni conatu obluctabatur. Cui Ximenius muneribus delinito asseruit, Baptismi aquam filio non fore lethalem, sed in æternùm salutarem. Age, inquit Barbarus, baptiza eum: quòd si quid mali ex hac ablutione filio meo contigerit, tuo capiti malè erit. Ximenius, quia res urgebat, spretis minis, eum abluit, ablutusque statim ad promissam salutem evolavit: Barbaro nihil contra hiscere ausо. Idem solebat occursantibus passim Barbaris munuscula largiri: sed cùm navigii unius vectores, aliud agens, indonatos præteriisset, proram jubet derepentè convertere, denuoque con-

Multi transmigrationem profitentur.

Ducenti & quinquaginta infantes ritè abluuntur.

ventos,

ventos, excusatâ præteritâ oblivione, singulos donat; quod dum facit, conspicit in navigii concavo nescio quid contectum ramis sedulò asservari, suspicatusque quod erat, fœminam & infantem cum morte colluctantes reperit: statim ergo infantem jamjam moriturum abluit: fœminam verò fotam nostris mysteriis informavit. Ex hac viginti-quinque dierum expeditione cognovit Ximenius aliquot oppida ad Tebiquarim de novo posse fundari, si copia Sociorum suppeteret. Ad suum oppidum redux, cognito, Ethnicos circumquaque incolentes annonâ laborare, ingentes ipse sementes fecit, eo fine, ut inediâ corporum premente, ad se frequentes accurrerent, panem animarum eâ occasione petituri. Nec eum fefellit opinio, numerosis turmis ad eum perpetuò undique confluentibus. Sub idem tempus ibidem grassata pestis supra nongentos mortales absumpsit. Ex omni verò ætate mille & triginta-quatuor capitibus initialis Sacramenti aquæ infusæ sunt.

Utilitas expeditionis.

JOANNES Suarius per scopulos, immitissima loca, ex Sancti Joachimi oppido etiam eò ire ausus, fame & fatigatione non semel fatiscens, numerosam Ethnicorum turmam ad oppidum reduxit: è quibus centum ægros in ipsâ excursione sacro Fonte ablutos ad cœlos, ut spes est, statim transmisit. Aliâ in expeditione sexaginta ægris baptizatis, multos alios secum traxit suo tempore initiandos: ipse & Christophorus Arenas, per vices, uno domi remanente, nunquam sine prædâ animarum excurrebant: unde factum, ut Sancti Joachimi oppidum ex parvis principiis jam ferè alias colonias numerositate incolarum æquaret. Hoc etiam anno Joannes Suarius non nescius Barbaricorum morum, quos supra retuli, sepulchro fœminæ recenter sepultæ aure admotâ, cùm per lapidum congestorum foros tenuem halitum percepisset, tantam amotis lapidibus diligentiam adhibuit, ut ab volente expresserit in sepulchro Baptismi desiderium, quem post sufficientem catechesim ante mortem felicissima mulier admisit. Sanctorum Cosmæ & Damiani sedes, superiori anno erecta, ducentas supra mille familias censebat, ex quo numero hoc anno, præter benè magnam infantium multitudinem, octingenta & octoginta-quinque adulta capita digna reperta sunt, quibus Adrianus Formosus sacras undas infunderet. In Sancti Michaëlis oppido fructus hujus anni fuit, duodecim supra sexcentos omnis ætatis homines baptizasse. In Sancti Thomæ colonia sexcenti nonaginta-duo adulti, & quadringenti nonaginta & unus infantes, Christo per Baptismum accesêre. Hujus oppidi incolas afflixêre tygrides, eâ vicissitudine successuum, ut satis appareret immissas ab Divinâ Justitiâ: nam postquam novendiale sacrificium, invocatâ Reginâ Cœlorum, promissâque scelerum emendatione, institutum est, feræ disparuere. Sed veteratoribus ad abjuratas artes redeuntibus, rediere etiam tygrides, solitam rabiem exercentes; quæ triduano supplicio peracto rursum quidem evanuere: at ubi tertiò recruduere vitia, dentes etiam eò avidiùs exeruere, quò Divina Nemesis iteratione irritatior erat; nec ante cessit plaga, quàm seriam constantemque in abjuratis vitiis exercitationem adhiberent. Illud in hoc Dei flagello notabile fuit, quod tygrides nullum discerpserint, nisi aut ariolandi arte famosum, aut in avitâ superstitione pertinacem. Adde, quod fera nulla, adhibitâ licet summâ curâ, & fabricatis ubique cassibus, capi potuerit: ut satis constaret eas feras immissas à Deo fuisse, tamdiu sævituras, quamdiu novi homines puniendi materiam præbuissent. In Araricensi Nativitatis Virgineæ oppido trecentos nonaginta-duo provectæ ætatis homines, & trecentos triginta-tres infantes, Paulus Bennavidius salutaribus aquis immersit. De Baptismis in Sanctæ Annæ coloniâ factis, quia codices periêre, idem esto ferè judicium. Adeò ut per Tapensem Provinciam, si Baptizatos in Iesu-Mariano & Sancti Christophori oppidis, de quibus infra dicam, recenseas, hic annus inter fertilissimos numerati possit.

CAPUT XVIII. De variis rebus per Tapensem Provinciam patratis.

Utiliter excurritur.

Mulier sepulta baptizatur.

885 *baptizati.*

Item mille centum & octoginta-tres.

Tygrides ad nutum Dei sæviunt.

Septingenti & amplius Christianè loti.

Et forsan alii totidem.

INTER tantam felicitatem multa præter morem contigerunt gignendæ formidini obnoxia; & Socii omnia, in id quod maximè metuebant, in Mamalucorum scilicet invasiones, non ineptè retorquebant, jamque prænuncii rumores de latronum consiliis per pleraque Neophytorum nostrorum oppida percrebuerant: quos

CAPUT XIX. Christophorus Mendoça captivos in libertatem asserit.

ut anteverteret Petrus Romerus, in Paraquariam negotiorum ergò abiturus, Christophorum Mendoçam Jesu-Mariano oppidò (quod in finibus Tapensis provinciæ erat) præfecerat, cum mandatis, ut strenuè in omnes hostium conatus intendens, quà per se, quà per alios, pericula præveniret; & ne viro authoritas deesset, voluit cæteros Tapensis provinciæ Socios, in rebus ad defensionem pertinentibus, se absente, ei subjici. Igitur Christophorus Mendoça, ubi ad Jesu-Marianum oppidum pervênit, quidquid ad defensionem conducere arbitratus est, sedulò ordinavit. Has res agenti exploratores nunciant, ab prædonibus belli causas quæri, quas evolvere non erit inutile. Solebant Mamaluci ab hinc multis retrò annis, ex Australibus Brasiliæ oppidis maris littora radentes, in celocibus eò usque adnavigare, donec in ea parte se sisterent, ubi magnum flumen ab Sancto Spiritu dictum, è Tapensis provinciæ fluviis originem sumens, in Oceanum se exonerat. Per quod flumen paululùm progressi cum littoralibus Indis commercia sua exercebant, ferramenta, vestes, & id genus plurima pro captivis Barbaris commutantes. Indi advectis mercibus inescati, populares suos subinde illatâ vi divendebant, aut factâ in Mediterraneis regionibus populatione materiam ditandi quærebant: passimque hi Mamalucorum amici, aut confidentes dicebantur; qui hoc, de quo agimus, tempore eò progressi sunt, ut multos ex pagis Jesu-Mariano Neophytorum nostrorum oppido subcensitis abigere ausi fuerint. Quæ res per eos, qui fugâ è vinculis salùtem sibi quæsierant, divulgata, Tapensium Indorum animos ingenti timore, & Patres nostros gravissimâ curâ perturbavit, præsertim cùm non ignorarent, Mamalucos ægerrimè laturos, materiam mercimoniorum suorum per Societatem sibi substrahi; & potiùs consilia belli capturos, quàm passuros servitiorum spe se deturbari. Igitur quasi classico dato, omnium animi ad repugnandum erecti sunt; sed in primis Jesu-Marianorum, qui recenti injuriâ affecti, sumptis armis, magno numero in eam se partem contulêre, per quam populares sui in captivitatem abigi dicebantur. Quos comitati Christophorus Mendoça & Petrus Mola, non diu pòst iniquos abactores assequuti sunt; captosque, assertis priùs in libertatem captivis, ad Paranam, ne quid tale deinceps auderent, ablegavêre. Valuit factum ad ipsos abactores Christo lucrandos, & conciliandos undequaque Ethnicos, qui perspicientes ipsis Patribus curam inesse defendendorum Indorum, summis votis ambiebant in suis terris nova oppida ab Societate condi, aut ad jam fundata commigrare: satisque constat, eâ occasione multis in oppidis quamplurimos in libertatem filiorum Dei fuisse assertos.

Iniqua Mamaluorum commercia.

Multi Barbari reducuntur.

CAPUT XX.
Christophorus Mendoça variarum regionum populos sollicitat ad fidem.

SED præcipua Sociorum cura erat, populos mari obversos ad Fidem sollicitandi, conciliandique, ne decepti ab Mamalucis, adunatis viribus, Tapensi provinciæ perniciem adferrent. Verùm quamvis summam in ea re Christophorus Mendoça missis nunciis posuisset, pluresque Barbaros obnoxios donis sibi fecisset, multi tamen in impietate persistebant. Inter quos Jaguacaporuus, ab circumjacentibus populis pro Numine habitus, fretus affinitatibus, ausus fuerat de mactandis Patribus sermonem serere. Quare quia non admodùm prosperè per nuncios res agebatur, Christophorus Mendoça ad Tebiquarim fluvium, Ethnicos in partes pellecturus, multorum dierum itinere perrexit, populisque dicendi vi persuadere conatus est, ne crederent Mamalucis. Domum redux ad Caaguarum expeditionem se accinxit: timebatur enim, ne per eorum terras hostes iter arriperent. Porrò Caagua populosa regio est, inter Tapensem Provinciam & mare Athlanticum media, hactenus intacta & impervia Europæis, destinata tamen nostris laboribus, quando operæ suppeterent. In quem finem Caaguæ ad Tapensem Provinciam venientes, ab nostris Sociis benevolè recipiebantur, largiterque donabantur. Fortè sub id tempus quamplurimi ad Jesu-Marianum oppidum commercii ergò convenerant, ab quibus Christophorus Mendoça non ægrè impetravit, ut se in comitatu ad suam patriam ducerent. Capto itineris consilio, numerosam Neophytorum turbam seligit usui futuram, si alicunde vis pararetur. Eo comitatu se dat in viam: post aliquot dierum iter, Ibiaënsium fines, ubi Jaguacaporuus incolebat,

Tebiquarim adit.

Caaguarum regio.

ingressus

ingressus, plerosque in speciem benevolos habuit: nam spondebant, dum ex Caaguis rediret, frequentissimos ex suâ gente mortales ei adfuturos, & verba æternæ vitæ audituros. Cum hâc spe Christophorus Mendoça ad Caaguas iter molitus, feliciter omnia peregit; nam Caaguæ de Mamalucorum moribus, & de legibus Christianis, dissérentem pronis auribus audiêre.

CAPUT XXI. Christophorus Médoça ab Ibiaensibus mactatur.

SED interim dum Caaguarum pagos concionabundus Christophorus Mendoça percurrit, Ibiaënses corrupti de eo mactando consilia capiebant. Auctor perpetrandi sceleris Taïubaïus fuit, vir subdolus, & Christianæ Religioni infensus. Is Societatem ab Tapuïsis Provinciæ aditu arcere conatus olim fuerat, & quia pro Deo se venditans Catechumenos corrumpere pergebat, domi nostræ in Sancti Michaëlis oppido, adnitente Christophoro Mendoça, unius diei carcere multatus fuerat. Interjecto verò tempore ad Ethnicos transfugiens, omnem conatum adhibebat, ne Religio Christiana propagaretur. Audito itaque, interiores populos ab Christophoro Mendoçâ ad fidem Christianam sollicitari, Ibiaënsium primores adit, multiplici verbositate persuadens, ne vellent avitorum morum perniciem intra viscera recipere. *Mactemus*, inquiebat, *populorum illum corruptorem, uxorum pluralitatem vetantem, & nos miserrimis conditionibus alligantem: eo per vim sublato, reliqui Sacerdotes metu mortis aliò dilabentur, & populares nostri pristinis moribus restituentur, nosq; ab novarum religionum malo liberabimur.* Non difficile fuit apud ariolos conflare conjurationem, qui ad Jaguacaporuum nuncios mittentes, rogavêre, ut partibus accederet. Condicto die factionum primores, tracta secum armatorum multitudine, insidias opportuno in loco collocant, quas ut detexêre Christophori comites, plerique ad latibula dilapsi sunt; pauci, ab multitudine oppressi, dimicabant. Pater verò ascenso equo (nam paulò antè ad prandendum exscenderat) hostes hinc inde cursitando territare contendebat. Sed prima ejus cura erat, ne quis catechumenus in prælio sine Baptismo moreretur, quod dum agitat, & aquam ad unum è suis comitibus graviter vulneratum baptizandum, omni nisu prohibentibus hostibus, procurare contendit, cursu paludoso in loco cum equo inhæsit, ubi ab parricidis circumventus multa vulnera accepit; donec ex equo delapsus pænè obrueretur. Cadentis cura fuit, comites magnâ voce monere, ut se in tutum reciperent. Parricidarum unus auriculam ejus abscissam in furoris monumentum reportavit, alii nudato eo, Crucifixi iconem collo appensam in minutas partes non sine probrosis verbis fregêre. Cæteri Mendoçam mortuum arbitrati, ob pluviosam tempestatem ad proxima nemora sese recipientes, in sequentem diem crematione corporis, & ventris solemnem sectionem distulêre. Dilapsis parricidis, Pater, quamvis lethaliter confossus, adhuc anhelans, aliò rependo se contulit, magnâ admiratione patricidarum, sequenti mane ad locum cædis venientium; qui ubi vestigia sequuti eum adhuc spirantem reperêre, sese ad iterandam crudelitatem accinxêre, exprobrantes Christianorum Deum nullius potentiæ esse, à quo non redimi posset. Sed Pater blasphemos redarguens, multis verbis ostendebat, ideò ab summo Numine se non defendi, ut præmium toleraræ crudelitatis in Cœlis glorioſus reciperet. His multa de sui adventûs causis addere, & Christum prædicare pergenti, Barbari dentes excutiunt, os machærâ feriunt, multaque verbera ingerunt. Cùm verò nec sic moreretur, rati superstitiosè in plano loco non posse efflare animam, è campo ligno, tanquam paalangæ, impositum, ad proximam sylvam deferunt, & quia Christum annunciare non cessabat, & assereret se lubenter mori, & animam suam per dilacerati corporis rimas ad præmium æternum evolaturam, labium cum naribus præscindunt, ventrem aperiunt, viscera rimantur, linguam per mentum extrahunt, eductum cor sagittis transfodiunt, inter quæ supplicia placidis oculis Cœlum respiciens, vigesimâ sextâ Aprilis animam exhalavit. Patratâ nece, sicarii ad parricidale convivium dilapsi, duos adolescentes, nostri Christophori in sacris & domesticis rebus administros, crudeliter trucidatos, solemni Antropophagorum ritu devoravêre. Refert Antonius Ruisius Christophorum Mendoçam familiariter secum aliquando conversantem sibi dixisse, optare se breve Martyrium, ne diuturno mortis

Taïabaïus author necis.

Insultio.

Parricidarum furor.

Christophori Mendoçæ mors.

crudelis intuitu nimiùm percelleretur. Verùm quando robur animi, quo Martyres tormenta subeunt, non humanæ facultatis, sed divinæ gratiæ opus est, longam & variam Christophoro mortem voluit Deus obtingere, quo Dei adjuvantis virtus magis eluceſceret.

CAPUT XXII. Supplicium de occiſoribus ſumitur.

Neophytorũ dolor.

UBI Mendoçæ mors per Tapenſia Neophytorum oppida nunciata eſt, Neophyti omnes catechumenique in vindictam exarſêre. JESU-Mariani, non expectato ex aliis oppidis auxilio, arreptis armis ſtatim in campum prodiiſſent, niſi eos Petrus Mola, proteſtatus ſe vindictam nolle, detinuiſſet: ſed non diu pòſt ex JESU-Mariano & aliis oppidis mille & quadringenti milites ſimul concurrentes arceri non potuêre, quin facto agmine ad corpus recuperandum pergerent. Eminebat inter omnes ardor Sancti Michaëlis oppidanorum, quos noſter Chriſtophorus ad fidem primus reduxerat. Ibiaënſium fines ingreſſis occurrêre hoſtes, infeſtis armis ultra progredi vetantes, & occiſi Mendoçæ veſtis partem per ludibrium oſtentantes: adeoque inſolenter ſe geſſêre, ut ad pugnam noſtros Neophytos adegerint. In primo congreſſu Neophyti, ab hoſtibus quaſi coronâ circumdati, multa vulnera accepêre, donec dexteritate ſitum mutantes, hoſtes pænè victores ipſi cingerent, quorum multos trucidantes glorioſam victoriam reportavêre.

Hoſtes victi.

Nullus è noſtris in conflictu deſideratus eſt: vulnerati poſtmodùm convaluere. Perperàm verò Jacobus Damianus, in ſua ſynopſi, id ad prodigium refert, his utens verbis. (*Ut ſagittas membris infixas læſus quiſque educebat manu, ſimul hæ ſequebantur ſine ſenſu doloris, ſine plagæ veſtigio*) nihil enim ejuſmodi portenti contigit: ut mihi inter JESU-Marianos Neophytos, dum hæc ſcribo, verſanti & ſedulò indaganti in comperto eſt.

Error Jacobi Damiani.

Suſpicor autem Damianum inde fuiſſe deceptum, quòd hujus Hiſtoriæ partem ex Gallica relatione facta, ab eo, qui authographum Hiſpanicum contortè traduxerat, excerpſerit.

Taïubaïus trucidatus.

Ex hoſtibus pænè cuncti, qui violentas manus Chriſtophoro intulerant, miſerabiliter perièrê. Incentor conjurationis Taïubaïus, in ipſo loco, in quo noſter Athleta exſpirârat, ab Guaïmica, Michaëlitarum Duce, clavâ percuſſus, documentum fuit, quàm non potens ſui ſit ira, amore atque deſiderio paternæ caritatis inflammata.

Chriſtophori cadaver ſepelitur.

Cadavere ad JESU-Marianam coloniam tranſlato, Socii ex vicinis oppidis confluentes, majori luctu, quàm pompâ, optimo viro parentavêre.

Iteratum prælium.

Interim Sancti Joſephi coloni eâdem irâ ob amiſſum patrem perciti, per devia loca in terras parricidarum invecti, præter ſpem frequentiſſimis etiam hoſtibus occurrêre, cum quibus prælio facto, magnum captivorum numerum abegêre: quorum trecenti ad oppidum reducti, Neophytorum numerum poſtmodùm auxêre. Nec Sancti Thomæ incolæ, quamvis maximè remoti, quievêre, omnibus Neophytis in tanti ſceleris authores irâ inflammatis. Poſtquàm tumultus utcumque ſubſedit, Socii æquè ac Indi in laudes Chriſtophori Mendoçæ ad mitigandum dolorem effuſi, magnam meritorum ſegetem reperere: quam ego more meo in faſciculum colligam.

CAPUT XXIII. Series vitæ Chriſtophori Mendoçæ.

CHRISTOPHORUS Mendoça in Sanctæ Crucis, urbe Provinciæ cognominis capite, inter montes Peruviæ, quà Paraquariam reſpiciunt, generoſâ ſtirpe natus, avum & patrem hujus regionis prætores habuit. Sed paternam nobilitatem virtutum exercitio commendabiliorem facere volens, contemptâ avitæ præfecturæ adipiſcendæ ſpe, ſub vexillo ſummi Imperatoris in Societate JESU, admodùm juvenis, ſtipendia meruit. Poſito tyrocinio, & ſtudiorum curriculo compendiariâ viâ emenſo, in arenam productus, tanta, quanta ſuperioribus annis narravimus, in Guaïraniâ & Tapenſi Provinciâ præſtitit. Antequam tantis periculis objiceretur, in Aſſumptionis urbe ſtudiis vacans, oſtendit quàm timendus futurus eſſet dæmoni: nam cùm Religioſi viri ex alio Ordine ab dæmone poſſeſſi ei cura demandata fuiſſet, obſervatum ab pleriſque, ad unius Chriſtophori nutum dæmoniacum facilè circumagi, & quieſcere; cæterorum verò imperia viresque tumultuosè eludere: diceres præſenſiſſe palmaris viri poteſtatem.

Chriſtophorus Mendoça dæmoni timendus.

In Guaïrania, quatuor oppidorum, auſpice Antonio Ruiſio, fundamenta jecit. Pro defenſione Indorum ſagittâ ibidem bis

transfixus,

transfixus, fuso sanguine ostendit, quàm sincerè hominum miserrimos amaret. In transmigratione Guaïraniæ vix mortem evasit, intentatam ab Indo, arma in ejus caput jamjam vibraturo, nî comites ictum avertissent. In Tapensi provincia Sancti Michaëlis oppidum fundavit, &, si vera volumus narrare, multæ aliæ coloniæ ejus operâ coaluêre: nam ut erat linguæ Guaranicæ, quam cum lacte imbiberat, & tractandorum Indorum peritissimus, atque insuper lucrandarum pro Christo animarum zelo arderet, aut per se, aut missis quaquaversum nunciis, Ethnicos ad colloquium alliciebat, allectosque eloquentiæ vi atque beneficiorum multiplicitate rebus Christianis conciliabat. Satis constat, Sancti Christophori & Sanctorum Cosmæ & Damiani oppida ejus industriâ magna ex parte surrexisse. Nam quamvis auspiciis & authoritate Petri Romeri novæ coloniæ ducebantur, tamen nemo dubitabat, Christophorum prodromi officio fungi solitum fuisse, asperas vias complanando, quò innumeri Ethnici Christi partibus accederent. Labores in his functionibus exanthlatos nec facilè stylo quis describat, aut in compendium redigat. Satis dixero, si nostrum Mendoçam exercitatissimis in Apostolico ministerio viris comparavero. In domando corpore fuit asperrimus; in procurandis aliorum levamentis diligentissimus; in observandis Collegiorum legibus, etiam minutissimis, quando solus apud Indos degebat, exactissimus; orphanorum & pauperum Indorum curam adeò cordi habebat, ut etiam dormiens de iis juvandis somniaret. Nocte quâdam dormienti objecta est nudi pauperis species, quem ut juvaret, somnians stratam vestem ad cubiculi januam projecit, quo in loco expergefactus eam mane reperit. Familiarissimè in oratione cum Deo colloquebatur. Si ab Deo recederes, totâ cogitatione in refrigerandis animabus, lustrali igne detentis, quibus omnia opera sua dicaverat, ferebatur.

Multos ad oppida reducit.

Sancti Christophori oppidum conflat.

CHRISTOPHORO Mendoça cruentâ morte sublato, variæ calamitates Tapensem Provinciam oppressêre: quarum prima fuit Ariolorum crudelitas, multorum præsertim infantium baptizatorum corpora devorantium, & perniciem novis oppidis eorumque doctoribus minitantium. Origo mali sumpsit ab Ibiaënsibus parricidis, qui non satis castigati, & multitudine adhuc feroces, in spem venerant Christianam religionem è Tapensi regione per vim penitùs eliminari posse. Duces factionis fuere Casiquii tres, veteratoriæ artis peritissimi, qui dæmonis instinctu in magnis ædibus concionem cogentes, infantes nefando ritu baptizabant: Sacerdotum nostrorum cerimonias deluforiè usurpabant, & avitos mores non sine Christianorum contemptu, magno oppidorum plausu commendabant. Ad famam novæ rei septingenti circiter Indi ex variis partibus concurrêre, inter quos eminebat enormi corporis mole Ariolus, pro Deo se venditans, & Stentoreo boatu ubique vociferans, Solem & planetas suo subjici imperio, effecturumque se in invasione Tapensis Provinciæ, ut Neophyti tempore prælii tenebris obruerentur, Ethnicis interim in clarâ luce pugnantibus. Alter ejusdem farinæ homo, in tygridem transformaturum se cum certâ Neophytorum pernicie spondebat. Tertium ejusmodi monstrum, Antropophagorum, quos secum trahebat, dux erat. Sed ne singulos appellem, duodecim omninò Arioli in eorum numero in nostram perniciem conjuravêre. In primum ferocitatis experimentum, divisis turmis, sese per circumjacentes viculos effudêre, nullo discrimine obvios quosque; etiam Ethnicos, devorantes. Sed postmodùm mutato consilio, ne Ethnici non conjurati nostris se adjungerent, decrevêre eos tantùm devorandos, qui ab Ariolis ritu novo baptizari se non sinerent. Atque ut hæc fama pervaderet universos per Tapensis Provinciæ fines, prodromos suos (Saltitatores eos appellant) emisêre; quorum officium erat saltitationibus, ineptisque gesticulationibus plebeculam allicere, allectamque decipere. Ejusmodi ergò monstra cùm se in pagos & villas JESU-Mariano oppido subcensitos insinuassent, magnam Neophytorum Catechumenorumque multitudinem ita corrupêre, ut jam in oppido solitudo sentiretur: Sociis causam mali eò pernicioſiorem, quò magis occultam, ignorantibus. Eo in rerum statu Franciscus Diastanius, ex Peruana procuratione redux, ab Provinciali è portu Boni-aëris ideò

CAPUT XXIV.

Arioli post factâ multorum hominum & infantium stragem reprimuntur.

Duces factionis.

Saltitatores.

in

in Tapensem provinciam missus fuerat, quòd nuncium è Brasilia mari allatum fuisset de perversis Mamalucorum consiliis. Is Christophoro Mendoçæ in Jesu-Mariani oppidi cura suffectus, postquàm pernicioſam solitudinem animadvertit, conciliatis quorumdam animis, in id maximè intendit, ut indicium serpentis mali acciperet. *Indicium factionis.* Quo accepto, non destitit, donec duo insignes Arioli, qui non procul oppido multitudinem corrumpebant, in manus venirent: quibus ludibrio expositis, aliquot fidi Neophyti, authoritate pollentes, cum armatis manipulis eò se contulêre, ubi nefandi saltitatores pestem faciebant. Sed captis eorum quamplurimis, trepidum nuncium allatum est, Chemombeum insignem Ariolum cum septingentis conjuratis non procul abesse: multos infantes Christianos in circumjacentibus villis ab iis fuisse devoratos. Neophytos quamplurimos Jesu-Mariani oppidi nefandæ factioni secretò favere. Auxit metum hostis vicinitas, & difficultas contrahendorum auxiliorum. Deo tamen per preces conciliato, fidi homines, in eas partes, unde subsidia sperabantur, celerrimè transmissi sunt. Interim nostros juvêre adventitiæ aquæ, hostem eò usque ab insultu arcentes, donec auxilia properarent. *Catechumeni baptizãtur.* Postquàm quingenti circiter milites convenêre, Catechumenis ab Francisco Diastanio baptizatis, nullâ datâ morâ, subitario ponte strato, fluvium transmittentes, in unam hostium turmam impetum fecêre tantâ generositate felicitateque, ut nullo è nostris desiderato, multos hostes occiderint. *Prælium.* Secundo impetu in alteram eorum cohortem delati, integram victoriam reportavêre. Septem Arioli in prælio cecidêre, tres vincula induerunt, duo fugêre, captivi plurimi, evocatâ è latebris imbelli turbâ, postmodùm Catechumenorum numerum auxêre. Res fœda visu erat, passim in locis, ubi hostes pernoctârant, conspicere mutilata semitostaque infantium & Indorum corpora, aut reliquias nefandarum epularum, aut Antropophagis destinata fercula. Inter quæ corpora, ubi Neophytorum Dux fratris sui semiassatum cadaver reperit, infremuit, simulque lætitiâ exiliit, quòd tam fœda monstra de medio sublata fuissent. *Victoriæ fructus.* Primarius victoriæ fructus fuit, vicinitatem omnem Christianis partibus conciliasse, adeò notabili numero, ut non diu pòst, censu facto, bis mille suprà ducentas in Jesu-Mariano oppido, & extra oppidum octingentas familias, Socii in album retulerint: quamquàm ex tanta multitudine certum est non omnes convenisse. Cùm verò iniretur numerus infantium occisorum, aut ab Antropophagis devoratorum, conjectatione factâ ex superstitibus, repertum est, trecentos circiter, præter adultos, lanienæ cessisse: quos omnes satis constat Fidei Christianæ odio occisos fuisse, nam conjurati id præcipuè intendebant, ut Christianos mores cum Patribus nostris eliminarent, & in conventiculis suis sigillatim Petrum Molam & Antonium Bernal è nostris igni destinârant, jactitabantque Arioli se eorum oculos, tanquàm sorbilia ova, sorbituros. *Socii neci destinati.* Forma, quam emissarii veteratores usurpabant ad rebaptizandos Neophytos, hæc erat. Ego te abluo, ut Baptismum Christianorum eluam.

CAPUT XXV.

Ob defensionem Indorum Societas vexatur.

TANTA peste amotâ, cum alio malo certatum est. Martinus Ledesma Paraquariæ Prætor, novis Paranæ oppidis ex Senatûs Platensis mandato lustratis, in eam opinionem (instigantibus præsertim Assumptionis urbis civibus) venerat, ut existimaret duo Guaïraniæ oppida ad proxima Assumptionis urbis loca trãsferri, & cæteras Paranæ colonias cum Guaïraniæ reliquiis Assumptionis civibus servire debere; quod ut evinceret, sæpiùs explosam recantabat cantilenam: Paranenses nempe Assumptionis civium armis subjugatos, & Guaïraniæ populos jam olim privatorum hominũ servitiis fuisse obnoxios. Quibus rebus repugnabat Societas, affirmans Paranenses solâ Cruce Christo & Regi Catholico fuisse domitos, eaque conditione jugum accepisse, ne privatis hominibus aliquandò servirent; sed uni Regi Catholico vectigales essent. Verùm quia lis trahebatur, & ad Senatum Regium delata erat, Franciscus Diastanius, è Jesu-Mariano oppido ab Provinciali revocatus, in Peruviam cum legitimis instrumentis concessit. *Indi sola Cruce domiti.* Interim Petrus Romerus, Antonius Ruisius, Claudius Roïerius, & alii antiqui Patres, ad Assumptionis urbem Prætorem sequuti, juramento affirmavêre, ab Societatis hominibus solâ Cruce armatis Paranenses Indos Christo Regique Catholico fuisse subjugatos. Quod cùm interposito etiam jure-

jurando

jurando è Franciscana familia Sacerdotes integerrimi, & viri alii omni exceptione majores, asseruissent, accedente præsertim Senatûs decreto, deferbuit calumnia, nunquàm satis extinguenda, quòd identidem recalescat in plerorumque civium animis servitiorum amor, adeò cœcus, ut evidentia jura aut non videat, aut videre se, magnâ cum Reipublicæ perturbatione, dissimulet. Quod ad Guaïraniæ oppidorum reliquias attinet, leviùs tractabatur, cùm constaret de eorum præsenti miseria. Etiam Argentei fluminis Prætor Stephanus Avila, privatim Societati offensus, Neophytis nostris facessivit negotium: nam litteris Regi Catholico inscriptis persuadere conatus est, fundari debere urbem in Urvaïcæ littore ad coërcendos, ut aiebat, populos ab Societate reductos: quod quàm nocivum Apostolicis progressionibus foret, ex prænarratis satis perspicuum esse arbitror. Sed Prætoris litteræ nullum pondus apud Senatum Regium in Hispania habuere: nam ab Didaco Boroa misso earum antidoto, fides habita est viro integerrimo, rem Christianam & Regis Catholici obsequium sincerè & non ex privata utilitate procuranti.

Senatus Regius Societati favet.

1636.

CAPUT XXVI. De procuratione Joannis Baptistæ Ferrufini.

UTRIUSQUE Prætoris molestias utcumque dispunxit adventus novorum Sociorum ex Europâ in portum Boni-aëris advectorum: ad quos trahendos, ante quinquennium ex eodem portu solverat Joannes Baptista Ferrufinus, qui ab Rege Catholico facilè impetrarat navigationis expensas, & ab Mutio Vitelleschi Generali fieri delectum per Hispaniam & Italiam. Sed ubi delecti Socii Ulisipponem convenêre, difficile fuit navim reperire, quòd classis adornaretur in Brasiliæ subsidium, & archiclassus naves omnes pro transportando milite Regio locavisset. Unde factum, ut Socii seriùs solverent, quàm destinaverant; non sine providentiâ Numinis, eâ dilatione utentis ad juvandos ipsos classiarios & milites vectoresque in Gaulis Indiæ Orientalis, necnon remiges in triremibus Regiis animarum subsidio defectissimos. Impetrato navigio vela jam facientes, in piraticam Maurorum incidêre, exiguo periculo, quòd in comitatu armatarum navium navigarent. Secundo cursu usque ad gradum circiter vigesimum Australis altitudinis provecti, variis postmodùm tempestatibus agitati, ex ipso Argentei fluminis pænè ostio Brasiliam versùs vela vertere, & ibi hyemare coacti sunt. Rector Collegii Januarienſis, cognito, Socios in portu Omnium Sanctorum exscendisse, navigiolum cum copioso cibatu mittit, mandatque sedis nostræ Omnium Sanctorum Præfecto, suis expensis alat carissimos hospites, donec tempus novæ navigationis appeteret: nec segniùs præstitum, quàm imperatum; Patribus Omnium Sanctorum & Piratininganis, ad quos ex parte diverterant, omni officiorum genere viros Apostolicis laboribus destinatos, religiosissimâ caritate excipientibus. Januario mense ad portum Boniaëris appulsos Paraquarienſis Provincia benevolentissimè excepit: refectique, in varias partes, viginti numero, terrâ fluvioque sunt missi. At Joannes-Baptista Ferrufinus in Chilense regnum abiit, ex designatione Generalis Vice-provincialatûs officio functurus, nec inde nisi post decennium ad regendam hanc Provinciam rediturus. Hoc anno è Tucumania missi duo Socii ad loca Peruanæ ditioni subjecta Taricam versùs excurrentes, inter alia superstitiosa dæmonis machinamenta, hoc notabile commentum reperêre. Nonnulli Sacerdotes triginta Missas ab Divo Bernardo nuncupatas, non interruptim totidem diebus, præmissis Psalmis pœnitentialibus, jejuniis & flagellationibus, faciebant, & pro hac multiplici, si Superis placet, pietate, exigebant quingentos florenos, eamque summam persolventibus promittebant, tutos eos fore ab hostibus, & morte repentinâ, postque accepta lethalia vulnera, sine pœnitentia non morituros, nec aliquando adjudicandos æternis ignibus; sed Christum, Reginam Cœlorum, multosque Angelos, è Cœlo venturos ad eorum animas in beatitudinis sedes transportandas: id olim promissum ab Summo Pontifice Divo Bernardo. Socii has dæmonis technas evolventes, plebeculæ indemnitati consuluêre, quorum unus ad Chiriguanas, ubi Ignatius Martines versabatur, per fragosissimos scopulos penetravit. Cordubensem tractum, & cætera Tucumaniæ loca, Socii majori labore, quàm fructu, excolebant: bello Calchaquinensi, & peste, flores ante frugem demetentibus.

Classiarii adjuti.

Januariensis Collegii Rectoris caritas:

Et Brasiliorum Sociorum.

Joannes Baptista Ferrufinus Vice-Provincialis.

Error pernicioſus ablegatus.

CAPUT XXVII. Itatinenſes Socii variè afflictantur,

IN Itatinenſi regione pergebant elaborare iidem, qui oppida fundaverant, Didacus Rançonierius, Juſtus Vanſurkius, & Nicolaus Enartius, ſubſidia Sociorum ſine fine ab Provinciali poſtulantes, ut coloniarum numerum, reductis vicinis nationibus, augerent. Sed fruſtra erant eorum vota, quia ſupplementum ex Europa nuperrimè advectum Collegia & fundata alibi oppida exhauſerant. Igitur quod reliquum erat, dabant operam, ut quanto numero poſſent, Chriſtianæ militiæ candidatos conſtructis jam coloniis aggregarent. Quorum progreſſibus non parum obſiſtebant Aſſumptionis urbis Magiſtratus civilis & eccleſiaſticus, adunatis conſiliis contendentes, ad cives derivare Neophytorum ſervitia. Et quoniam non ignorabant Societatem ejuſmodi poſtulationibus ex Regis Catholici indulto refragaturam, id excogitavêre, ut inductis externis Sacerdotibus, Socios inde abducerent: & jam parochos elegerant, indubiè in ea oppida inducendos, nî Senatus Regius Chuquiſacenſis, adnitente Franciſco Diaſtanio, interceſſiſſet: ſevero edicto mandans, ne Societatis labores intempeſtivis vexationibus contra Regis voluntatem interturbarent. Quo in negotio illud ſingulare evênit: nam cùm viri primarii uſi fuiſſent falſis teſtibus ad calumniam fingendam contra Apoſtolicos viros, & inſtrumenta intentatæ calumniæ in Peruviam ad Senatum Chuquiſacenſem miſiſſent, unus ex his primoribus, conſcientiâ urgente, ſecreto libello ad eundem Senatum miſſo, ſe retractavit, affirmans, potentis viri authoritate eò ſe deductum fuiſſe, ut litteris ab ſycophantis contra Societatem confictis ſyngraphum adderet. Quâ reclamatione cognitâ, Senatus calumnias, non ſine authorum dehoneſtamento, exploſit, Societatisque jus ſartum tectum conſervavit. Non potuit tamen evitari damnum ex pravis malevolorum conſiliis enatum, quorum fama ubi ad Itatinenſes Neophytos pervênit, multi ad Ethnicos ſervitiorum metu tranſiere; ipſis Païaguis terrorem augentibus, falſoque rumorem ſpargentibus, viſas eſſe numeroſas cymbas cum armatis cohortibus & catenarum nexibus ad Neophytos ſubjugandos, & in captivitatem abigendos. His calamitatibus acceſſit peſtis, æquè Ethnicorum ac Neophytorum pagis infeſta, quos dum per paludes, ſylvas, antra, & ſcabroſa loca, Socii indagant, multis mortalibus Exhomologeſi, & Baptiſmo expiatis, glorioſam ſanè laborum meſſem retulêre.

Ab Aſſumptionis civibus.

Favet Societati Senatus.

Calumnia explosa.

Metu Neophyti diſperguntur.

Peſtis.

CAPUT XXVIII. De vitâ & morte Didaci Rançonierii.

MITIGATO peſtis furore, Didacus Rançonierius & Nicolaus Enartius ægrotare cœperunt, ignota de cauſa: quamquàm ſuſpicio fuit utrique ab neſcio quo Barbaro lentum venenum fuiſſe infuſum. Primus ſublatus eſt Didacus Rançonierius, Itatinenſis miſſionis præfectus fundatorque, qui in Flandrobelgica anno ſæculari nobili Centurione Burgundo natus, poſtquàm Trajecti ad Moſam adoleſcentiam honeſtis artibus excultam piè tranſegiſſet, undevigeſimo ætatis anno Societatem JESU Mechliniæ iniit, tantâ genitoris offenſione, ut deinceps ab aſpectu filii abſtinere ſtatuerit. Poſito tyrocinio, philoſophicis ſcientiis imbutus, per aliquot annos litteras humaniores non ſine laude docuit, donec in Indiam cum Gaſpare Sobrino navigaret. In navigatione, adhuc linguæ Hiſpanicæ imperitus, ad vectores & nautas utiliter admodùm ſingulis propè diebus doctrinam Chriſtianam explicavit; adeò nullius offenſione, ut omnes magis æſtimarent malè tertiata ejus verba, quàm aliorum culti idiomatis modulos. Cordubæ Tucumanorum, impatiens quadriennalis Theologiæ curriculi, ſummis precibus ab Majoribus poſtulavit, ut decurrato ſtudiorum ſpatio, quamprimùm ſe ad Indorum curam amandarent: quod ut impetraret, ad controverſas totius Scholaſticæ Theologiæ ſententias problematicè defendendas, ante præfinitum tempus, ſe obtulit, præſtititque tantâ ingenii æſtimatione, quantam ferè nullus ante eum hactenùs in Cordubenſi Academia conſequutus fuerat. In Guaïraniam miſſus, Neophytos Catechumenosque omni ope juvit. Gualachos, vagabundos homines, trimeſtri integro, nullo commeatu inſtructus, inediâ pænè confectus, ſub dio & humi cubans, inter quotidiana mortis pericula, per paludoſa & ſylveſtria loca, nudis pedibus ſequutus, nihil omiſit, quod profuturum exiſtimaret ad perverſam gentem Chriſto lucrandam. Villaricanos aliquos, Indorum libertati inſidiantes, magno animo compeſcuit. In tranſmigratione

Rançonierii patria.

Navigatio.

Studia.

Excurſiones.

Guaïraniæ multa cum Sociis passus, grande de se specimen dedit. Itatinensi expeditioni præpositus primo anno quatuor oppidorum fundamenta jecit: quorum tribus in origine ab Mamalucis destructis, non despondens animo, dispersam gentem, ædificatis aliis oppidis, tum per se, tum per Socios, iterum reduxit. Ter intentatam à Barbaris necem cœlesti ope evasit. Pro defendendis Neophytis suis, Mamalucorum sclopetis nudatum pectus multoties obtulit. Sæpè biduum sine cibo transegit. Nunquàm culcitrâ, nunquàm cupediis, persæpè ciliciná veste, plerumque corio indurato pro lecto, proque omni cibo sylvestribus radicibus utebatur. Ultra Itatinensem provinciam excurrere destinans, Guanianarum idioma utcumque didicit. In diuturnâ expeditione, fame grassante, tostis locustis se sustentavit. Si quandoque numerus conversorum ad fidem suis votis non respondebat, hac se cogitatione consolabatur, quod Angeli custodes unius animulæ curam per multos annos lubenter suscipiant; hinc fiebat, ut æquè paucorum ac multorum saluti, datâ occasione, se totum impenderet. Singulorum Apostolorum & Evangelistarum festos dies præveniebat octiduano jejunio, ad impetrandum spiritum Apostolicum. Præter statas preces, cum Deo magnam noctis partem familiarissimè colloquebatur. Sacrificans, aut aliter Deum orans, persæpe suavissimis lacrymis perfundebatur. Nunquam negotium inconsulto Deo occœptabat. In rebus magni momenti, regulis electionis ab Divo Ignatio traditis utebatur. Singulariſſimo in Christi humanitatem amore ferebatur; in cujus animæ venerationem ex concepto voto decies-sexties externæ aut internæ caritatis actus quotidie renovabat. In memoriam Sacratissimi Corporis Christi sexties etiam decies voluntariâ pœnâ se multabat. At verò ut fructuosè Reginam Cœlorum coleret, voto se adstrinxerat pari numero interiùs, aut exteriùs, humilis animi parvitatem profitendi. Singulas vitæ humanæ actiones ejaculatoriâ prece ad Deum dirigebat. Religionis vota observavit rigidissimè. Aliis præpositus authoritate utebatur, ad deligenda pro se domûs deteriora. Semel ab uno è subditis coram laudatus, ita excanduit, ut abs se hominem faceſſere, & extra cubiculum suum abire, jusserit. Tam sibi rigidus, quàm aliis blandus erat, præsertim Indis, quos ut amantissima mater omni ope sublevabat. In ægritudine enixè postulabat à Domino, ut intenderet morbi dolores, ad compensandam intensione mali lenitudinem: identidemque usurpabat has voces. *Quid hoc, quodcumque est, quod patior, si conferatur cum Martyrum tormentis? auge dolores, ô Deus, & si tua sit voluntas, æterni sint hi dolores mei.* Moriens ab corpore suo veniam petiit, quod id inclementer nimis tractasset. Inter hos pietatis affectus in humili Indorum pago, ad quem diverterat, animam placidissimè exhalavit. Cadaver in sacello ramali, vix trium personatum capace, magno Barbarorum luctu sepultum est. Nostrum Rançonierium supra communem modum luxit universa Provincia, testata in eo amissum hominem Indis utilissimum, Apostolicarumque virtutum verè prototypum. Franciscus Vasquius Provincialis, auditâ ejus morte, asseruit Didaco Rançonierio, si diutiùs vixisset, non tantùm potuisse totius Provinciæ, sed etiam universæ Societatis regimen tutò committi; cum non parvâ Flandro-belgicæ laude tales viros abs se ex instituti nostri rationibus amandantis, & augendæ gloriæ divinæ conversionique Barbarorum generosè pieque consecrantis. Elato Rançonierio, Justus Vansurkius cum Nicolao Enartio ex gravi morbo utcumque convalescente, collato consilio, ad Paraquariæ metropolim centum leucarum itinere properavit, subsidia Sociorum & rerum ad continuandam expeditionem idonearum ab Collegii Rectore postulaturus. Frustra tamen: nam pestis per urbem & suburbana loca serpens, pauculos Collegii Socios occupatissimos habebat. Ad Itatinenses suos redeunti nuncium in itinere allatum est, de morte Nicolai Enartii, & Mamalucorum adventu, quarum rerum (quoniam ad initium sequentis anni spectant) dilatâ narratione, aliò tantisper me confero, novis calamitatibus narrandis lugubrem stylum accommodaturus.

Itatinensium Præfecturâ.

Generositas.

Inedia.

Exercitia pietatis.

Paupertatis amor.

Patientia.

Mors.

Dotes.

Flandrobelgica Provincia lata.

CAPUT XXIX.

Antonii Ruisii Præ-

ANNO jam adulto, Antonius Ruisius Guairaniæ diuturnâ præfecturâ & magnis virtutibus clarus, pro Petro Romero Sociorum in Paranensi, Urvaicensi

fecturæ initium adversis rebus insignitur.

Romeri Præfecturæ statua.

Pestis.

Fames.

Sudor portentosus.

Numerus baptismorum.

& Tapensi, provinciis elaborantium, præfectus designatur. Quam præfecturam per septem annos & aliquot menses ipse Romerus tanto animarum proventu administravit, ut cùm decem solummodò oppida partim ad Paranam, partim ad Urvaïcam, regenda post necem Rochi Gonsalvii decessoris sui accepisset, vigintiquinque (ut omittam duo alia designata) successori suo tradiderit: spesque factis longè major erat, nî eam pestis, & belli turbo, evertissent. Nam ex locis mari Athlantico obversis advecta lues, Paranam, Urvaïcam, & Tapensem regionem miserum in modum afflictavit. Damna in singula oppida ex lue allata sigillatim non recensebo, satis fecisse ratus, si dixero, Sociorum in ægris juvandis labores, Indorumque calamitates, fermè fuisse ubique æquales, & fidem prope humanam excessisse: nam singulis aut binis Sacerdotibus noſtris incumbebat onus, ægrorum corpora & animos curandi, adeò magno numero, ut in Jesu-Marianâ coloniâ mille & quingenta, apud Caaroënses octingenta & quinquaginta Barbarorum capita, ut alios taceam, post susceptum Baptismum paucorum mensium spatio sepulta fuisse constet. Eosdem populos ex peste nata fames postmodùm infestavit. Sed majus malum timebatur à Mamalucis, dudum in Sociorum labores intentis, & novo portento prænunciatis. Nam in Sancti Michaëlis oppido imago Christi post flagellationem vestes quærentis, copiosè bis sudavit, attentis ad similia signa Sociorum animis, non semel provinciarum vastationem denunciata. Inter has calamitates solatio fuit, præter benè magnum Infantium numerum, septingentos & quinquaginta-tres adultos; ex Theresianis centum & quinquaginta-novem supra mille provectæ ætatis capita; ex Sanctorum Cosmæ & Damiani incolis sexcentos & nonaginta-novem, præter pueros; ex Araricanis sexcentos & quinquaginta-quatuor; ex Caaroënsibus mille & sexaginta-quatuor; ex Sancti Josephi inquilinis quingentos & quinquaginta-septem baptizasse. Quibus si addas numerum baptizatorum in oppidis trans Igaïm positis, necnon in semotâ Sancti Joachimi coloniâ, & in Urvaïcensibus Paranensibusque sedibus, nemo dubitabit hunc annum fuisse Cœlitibus gratissimum.

CAPUT XXX.

Jesu-Marianum oppidum ab Mamalucis destruitur.

Mamalucorũ irruptio.

Numisma Immaculatæ Virginis salutare.

Socii vulnerati.

Barbara mulier pugnat.

Neophyti vincuntur.

DEFUNCTUS præfecturâ Romerus, Jesu-Mariano oppido, quod in finibus Tapensis Provinciæ erat, præficitur: in quo oppido, utpote hostium incursionibus obnoxio, ex Prætoris Regii præscripto, adnitente Didaco Boroâ Provinciali, extemporali opere munitionem Neophyti exstruere cœperant. Quâ in re dum sunt, Mamaluci cum mille & quingentis Tupicis, contractâque per vim in itinere numerosâ Ethnicorum manu, oppidum repentè invadunt: irrumpentibus obstitêre fortiter quadringenti Indi, cæteris pro more gentis ad quotidianam rusticationem venationemque dilapsis. In prima oppugnatione res mira accidit, nam Antonio Bernal, Societatis nostræ adjutori, inter Neophytos pugnanti, glans plumbea digiti partem cùm abstulisset, continuato impetu in sacrum numisma Conceptæ sine macula Virginis pectori appensum incidit, nullo illato damno, nisi quòd numisma sui vestigium cuti ejus impressérit. In ardore pugnæ Joannes Cardenas, alter Societatis adjutor, explosione bombardarum bina vulnera accepit. Petrus Mola in capite læsus est. Petrus Romerus omnium telis impetitus, ubique versabatur, oppressis succurrebat, vulneratis Sociis aderat, expeditos animabat, vi ab ingressu hostes arcebat, unus multa officia obibat. Quâ verò parte Mamaluci ferociùs insistebant, Maria, Barbara mulier (adhuc superstes) memorabili prorsus apud posteros exemplo, virili veste sexum mentita, prætensam hastam in hostes non muliebriter vibrans, ferocientem Tupicum occidit, diuque præliando (uti ab ejus ore didici) instantes manipulos arcuit, & populares suos ad repugnandum confirmavit. Sed hostes numero & armis potiores, injecto in templum, ubi imbellis multitudo versabatur, igne, certis conditionibus loco tandem potiti sunt. Indeditos contra pacta rabiem exercentes, nullo sexûs & ætatis discrimine, in cremato oppido multos mactavêre: nequicquàm reclamantibus Sociis, carissimos in Christo filios omni ope servare contendentibus. Romerus pro Jesu-Marianorum Ducis uxore captiva, & aliquot aliis, cum latronibus de pretio pepigit; sed, præter ado-

lescentem unum, nullum alium recuperavit, captivis ipsis & repræsentatâ mercede spoliatus. Capto oppido, prædones per circumjacentes villas effusi, quoscumque potuere in servitutem abegêre; satisque constat, ex numerosissima colonia vix quartam partem fugâ salutem quæsivisse. Ex hostibus in pugna, præter vulneratos, quinquaginta quinque cecidêre. Finito prælio, dissimulato vulnerum suorum dolore, Socii saucios ex utraque parte adjutum ivêre, moribundos Sacramento expiantes, mortuosque sepelientes. Qua in re memorabile est, quod de captivis duobus domi nostræ educatis narratur, qui piis verborum affectibus, pro ut fieri ab Societatis hominibus viderant, moribundos ad ultimam luctam juvare visi sunt: stupentibus ad tantam pietatem hostibus, & adolescentularum formosissimas, ut eos ab Patrum amore averterent, offerentibus: quibus constâter repudiatis, se castè piéque ab suis Sacerdotibus educatos, ab talibus spurcitiis abhorrere respondebant: raro prorsus in novis hominibus in captivitate, & ætate juvenili, libidinis temperamento, pietatisque exemplo. Ab hostibus quatriduo Socii detenti sunt, ne ad alia Neophytorum oppida pergentes consilia sua præverterent. Sic Jesu-Marianum oppidum ante triennium fundatum, in quo hactenùs Socii sex mille & quinquaginta-septem Barbaros baptizaverant, longéq; plures in album Candidatorum retulerant, destructum est. Cujus reliquiæ aliò translatæ lugubrem recordationem usque adhuc florentissimæ quondam coloniæ, omnium animis, & præsertim meò (nam Jesu-Marianorum per aliquot annos curam gessi, geroque) repræsentant.

Socii omnibus opitulantur.

Duorum adolescentum pietas.

Castitas.

Numerus reductorum.

CAPUT XXXI.

Sâcti Christophori coloniæ devastatio.

DUABUS leucis aberat Sancti Christophori oppidum ab Jesu-Mariano, numerositate etiam famosum: nam quamvis non integrum biennium ab ejus fundatione non interceSisset, tamen in eo Societas bis mille & trecenta capita sacro Fonte immerserat, restabantque totidem Catechumeni & infantes suo tempore immergendi: ad quos cùm perveniSset fama invasionis, Augustinus Contreras, qui ibi solus curabat, multitudinem quantam maximam potuit, ad Sanctæ Annæ oppidum deducit. Vix in tuto erant, quando Mamaluci desertam coloniam invadunt, quam ut inanem vident, illico vicinitatem circum omnem explorant, villas depopulantur, è latebris eductis vincula injiciunt, more suo omnia hostiliter infestantes. Augustinus Contreras ad suum oppidum redire ausus, latrones adit, obsecratque, ne vellent filios in Christo abs se genitos, ceu pecora, abigere: sed, præter dicteria, & duos adolescentes infimis precibus impetratos, nihil recuperavit: Mamalucis ad Jesu-Mariani ruinas cum præda violenter se recipientibus.

Augustini Contrera sollicitudo.

CAPUT XXXII.

Sanctæ Annæ incolæ oppidum suum deserunt.

INTERIM Romerus mille & sexcentos Neophytos, partim ex Jesu-Marianis fugâ dilapSis, partim ex Sanctæ Annæ & Sancti Christophori aliisque oppidis raptim collectos, quos perditas res recuperandi desiderium, aut amittendi metus stimulabat, ad Sancti Christophori oppidum comitatur; quò etiam quatriduo, postquam eò venerant, centum & viginti Mamaluci, belli robur, cum mille & quingentis Turpicis advolavêre: qui prælio inito, latrocinandi usu & armorum genere feroces, quamvis in primo conflictu retroceSissent, nostris tandem Neophytis, inæqualibus armis pugnantibus, potiores fuere. Igitur eorum multis in captivitatem abactis, Romerus eò unde venerat, ad Sanctæ Annæ cum gentis reliquiis, retrogreditur. Sanctæ Annæ oppidum supra ter mille capita censebat, florebatque omni genere virtutum sub Josephi Oregii curâ, qui nongenta capita, peste paulò antè invasionem grassante, Sacramentis procurata sepelierat, suppleveratque vitâ functos novis acceSionibus Barbarorum, magno numero ei se excolendos tradentium. Id oppidum trans Igaïm etiam positum patebat prædonum injuriis, si suo loco remaneret: quare de eo retrahendo agitatum est. In his rebus dum sunt, Antonius Ruisius Sociorum Præfectus eò advolat, vocatisque in consilium vicinorum oppidorum Sociis, & Neophytorum primoribus, de summâ rei deliberat. Sententia plurimorum fuit, Jesu-Marianorum & Sancti Christophori reliquias cum Sanctæ Annæ municipiis cis Igaïm ad Nativitatis oppidum traducendas esse, ut fluvio, & aliarum coloniarum proximitate, numeroque se tuerentur. Postquam id magno

Neophyti infeliciter pugnant.

Antonii Ruisii cura.

tumultu factum est, cymbæ omnes ad portum unum sub terreo tumulo in formam castelli extemporaliter exstructo, eo fine retractæ sunt, ut & Neophyti ab hostibus fugientes accommodè Igaïm transmitterent, & ipsis prædonibus transcurrendi commoditas subtraheretur. Præterea à variis in locis fluvius, quà vadari poterat, milite firmatus est: & trans ipsum Igaïm insidiæ in adjacentibus nemoribus collocatæ sunt, unde in palantes latrones ex improviso effusi armati Neophyti, hostium non paucos, indemnes ipsi, interfecêre.

CAPUT XXXIII. Gesta post devastationem oppidorum narrantur.

Fama calamitatum augetur.

Caapienses, Caaroënsesque transmigrant.

Ab Paranensibus recipiuntur.

Auxilia quærentur.

Didacus Boroa hostibus se opponit.

Ad Regem scribit.

Littera miraculo servantur.

Numerus abactorum ab Mamalucis.

INTEREA ubique trepidabatur, Jesu-Marianis fugientibus, famam calamitatis ubique spargentibus, & in immensum augentibus: narrabant enim deleta esse cuncta Tapensis provinciæ oppida, hostes Urvaïcensibus imminere, pleroſque Patrum de medio crudeliter sublatos. Auxit metum Antonius Ruisius, cui ferebant cœlitùs revelatum fuisse, de novo fundata ad Urvaïcam oppida aliquando ab Mamalucorum furore loco motum iri; & ipse, audito, hostem per Tapensem regionem grassari, authoritate usus præceperat Sociis Urvaïcensibus, ut igne oppidis injecto, gentem omnem versùs Paranam in tutum reciperent. Quod mandatum statim artipientes Caasapaminienses, templo suo domibusque concrematis, effusâ fugâ (quamvis hostis quadraginta leucis abesset) ad Paranam se contulêre. Hos sequuti Caaroënses, patrium etiam solum, incêso oppido, deseruêre. Et jam Caapienses, Caasapaguaçuensesque fugere incœptârant, cùm Didaci Boroæ Provincialis mandata perferuntur, jubentis, ne se quis loco moveret, antequàm ipse coram rem totam perspexisset. Acceperat is invasionis nuncium in itinere ex Assumptionis urbe ad Paranam veniens, quò dum pervênit, mille & quingentis Caasapaminiensium capitibus ad desertam concrematamque patriam redire renuentibus occurrit, quos omnes Itapuanis commendavit. Paululùm progressus obviàm habuit Caaroënses, quos ad reliquas Paranæ colonias remisit, donec maturè de reædificandis tutiori in loco oppidis consultaretur. His rebus intento trepidum nuncium adfertur, Josephum Oregium fugitivos Neophytos comitantem in desertis locis errore viæ perditum fuisse. Triduum hæc fama anxios tenuit, quoadusque nunciatum est comparuisse. Ex itinere, Provincialis à Paraquariæ Prætore auxilia postulans, pro responso accepit, ab iisdem Mamalucis Itatinenses ex adversa parte etiam vexari, nec è Reipublicæ bono videri, si copiolæ paucorum civium in tot loca distraherentur. Prætoris Argentei fluvii filius, militiæ Hispanæ præpositus, alias res causatus, & Civitas Sancti Joannis, auxilia etiam denegavêre. Didacus Boroa externorum subsidiorum spe dejectus, mirabili celeritate ad Tapensem provinciam properat, dispalatos hinc inde Neophytos in unum cogit, fortissimorumque Barbarorum ex variis oppidis haberi delectum imperat: quorum in comitatu trans Igaïm ire ausus est, eo fine, ut saltem metu injecto prædonum audacia infringeretur. Sed elapsis cum præda hostibus, in destructis oppidis nihil nisi cadavera virorum fœminarumque crudelitate oppressorum, & in Jesu-Mariani templi ruinis altare fœdè conspurcatum reperit. Humatis corporibus, invasionis seriem exquisitis litteris ad Regem Catholicum rescripsit. Quæ litteræ, ducentis ab Lusitania leucis summâ perfidiâ in mare projectæ, miraculo ad littus Ulisipponense postmodùm repertæ, Regique traditæ sunt: cum æquali Sociorum laude, & prædonum infamia. Secundùm id, destructorum oppidorum incolas in Caaroënsem, Caasapaminiensemque agrum cum Sacerdotibus transmisit, ibi tamdiu in desertis villis nutriendos, donec commoditas restituendæ rei appareret. In hac depopulatione viginti-quinque millia partim Neophytorum, Catechumenorumque ab Sociis reductorum, partim Ethnicorum eorumdem curæ destinatorum, ab Mamalucis in Brasiliam abacta fuisse (ut mortuos in itinere taceam) satis constat. Sic Tapensis provinciæ Socii spem promovendæ rei ultra Igaïm amisêre, & metum alterius jacturæ altè concepêre, non diu pòst ad novos luctus calamum meum citaturæ.

HISTORIÆ PROVINCIÆ PARAQUARIÆ SOCIETATIS JESU

LIBER DUODECIMUS.

DESTIS Cordubam infestare pergens, utilissimorum Sociorum capita demessuit. Januario mense Cæsar Gratianus, Bovini in Appuliâ natus, præcipuum Collegii Academici ornamentum & deliciæ, ad plures transiit. Hunc Inigus Guevara, Bovini Dux, Societati pepererat, qui optimæ spei clientem Societatis Provinciali commendare infra dignitatem suam non est arbitratus. Tyrocinio & Philosophiæ curriculo Neapoli feliciter emenso, post Constantinopolitanam expeditionem frustra ambitam, in Paraquariam mitti meruit. Cordubæ Tucumanorum litteris divinis excultus, triennio Aristotelis artes, decennio Theologiam, summâ cum laude docuit. Quamquàm nemini dubium erat, eum violenter Magistrali cathedræ affixum: adeò dissimulare non poterat inflammata desideria Apostolicarum missionum ad Indos. Sed Provinciæ Moderatores hominem litteratissimum, & virtutum Religiosarum exemplar, constanter in Academiâ detinebant, exemplo, voce, industriâ, juvenibus nostris maximè profuturum. Frustrata magnarum missionum vota compensabat brevibus ad suburbanos Indorum pagos excursionibus & urbicis laboribus: peste grassante omnibus aderat, Indos, Æthiopes, & Hispanos juvans, quo in opere lethali contracto morbo, magno omnium dolore elatus est. Nec minor jactura fuit in Blasio Gutieres, disparis conditionis homine. Castellanus is erat, & ætate grandior in Americam navigans, Torribii, Limensis Archiepiscopi servitio se addixerat: quo morte sublato, Alfonso Riberæ Prætori adhærens, ad Chilense regnum se contulerat, in cujus regni metropoli Divi Ignatii exercitiis excultus, in Societatem nostram admissus est. Cordubæ per viginti annos, summâ omnium approbatione, valetudinarii curam exercuit. Vir omnium virtutum, egregiâ præsertim caritate inflammabatur. Domesticis æquè ac externis aderat, ad infima quæque & sordida officia devolvebatur, è quibus sordibus tantam sibi claritudinem conciliavit, ut pro sancto ab omnibus celebraretur. Sancti Xaverii æmulus, apostthematis pus non semel (uti supra narratum est) ore expressit. Indum hominem, ipsa spurcitie fœdiorem, & ex ulcere tantam mephytim exhalantem, ut è cubiculo alterum Socium fœtore intolerabili pænè exanimatum extruderet, non tantùm ipse sustinuit, sed etiam emplastrum turpi sanie conspurcatum, nullâ stomachi commotione, ori admovit. Religiosum hominem è Divi Dominici familiâ fœdo morbo laborantem curans, contagione ægritudinem ipse contraxit, adeò tetram, ut per plures deinceps annos fermè semper ulcerosis carcinomatibus ejus corpus, ingenti cum dolore, fœdaretur. Nec tamen desistebat ab ordinariis operis, quoad lue affectis serviens, ex afflicto corporis domicilio meliore sui parte eluctaretur.

CAPUT I. De Cæsaris Gratiani & Blasii Gutieres virtutibus.

1637.

Cæsar Gratianus Constantinopolitanam missionem ambit,

Et ad Indos mitti.

Blasius Gutieres in Americam navigat.

Valetudinarii curam exercet.

Pus ore exprimit.

ADULTO jam anno, comitiis Provincialibus Cordubæ habitis, Franciscus Diastanius in Procuratorem eligitur. Episcopus Tucumanensis, Melchior Maldonatus, ad Provincialem & Patres congregatos datis litteris, diœcesis suæ statum multis verbis deplorans, rogavit, vellent in se suscipere curam Indorum Tucumanensium omni ope destitutorum. Ad quod præstandum, amplissimâ potestate instruxit Sacerdotes omnes ab ipso Provinciali eligendos. Præterea alteras litteras

CAPUT II. Cordubæ comitia Provincialia celebrantur.

planè

planè honorificas, Regi Catholico inscriptas, & ab Francisco Diastanio Madritum deferendas, misit, quarum compendium hîc attexere non pigebit. *Philippe Rex Catholice, Regia Tua Majestas, missis ad decessorem meum litteris petiit, ut ad Te distinctè perscriberetur, quantâ Tucumanienses Diœcesis idoneorum Religiosorum inopiâ laboret, ut eâ cognitâ de remedio provideatur. Cui mandato non difficulter satisfaciam, quòd è quatuor Tucumaniæ partibus, tres ipse per me lustraverim. Tucumania tota quadringentas leucas complexa, octo Hispanorum oppida, & aliquot terrarum tractus multis Neophytorum millibus frequentes, habet; quorum Neophytorum magna pars, deficientibus Sacerdotibus, nuncio Christianæ Religioni remisso, ad avitos mores rediit. Alias etiam terras amplectitur multis Ethnicorum millibus constantes. Quod ad Neophytos pacatos attinet, octo omninò regiones sunt Sacerdotibus carentes, sine spe aliquando habendi: nam cùm singulis Hispanorum urbibus singuli fermè tantùm Sacerdotes præsint, quanta sit reliquorum locorum incuria, facilis conjectatio est. Omnibus adesse ipse unus non possum: unde fit, ut multorum animæ, Christi Sanguine redemptæ, Tibi & mihi, ô Rex Catholice, commissæ, ad inferos demergantur. Nonnulli quidem Sacerdotes aliquot in locis præsunt Neophytis, sed magnam partem ad tantum munus inidonei. Aliorum Religiosorum virorum Ordines ob paucitatem vix sibi & choro pro instituto suo sufficiunt. Quare in his regionibus unica IESV Societas est, in quam, Tuam, ô Rex, meamq; conscientiam exoneremus. In comperto est, IESV Socios diu noctuq; in salutem Hispanorum atque Indorum in urbibus invigilare; nuper verò à Patribus Cordubæ congregatis Majestatis Tuæ nomine interposito postulavi, ut seligantur Socii idonei ad Chaquensem provinciam non armis ferreis, sed gladio verbi Divini iterum tentandam; simulq; emittantur ex urbibus excursores, qui pagos Indorum, villas Hispanorum, majori numero rus, quàm urbes incolentium, sacris destitutorum adeant. Quamvis verò Provincialis vereatur, ne ob id eadem Socii patiantur, quæ in Paraquaria; nihilominus spondet ex omnibus Collegiis emittendos Socios, totam Tucumaniam pervagaturos. Quod nequaquam præstare poterunt, nisi evacuentur Collegia. Quocirca Majestatem Tuam per Sanguinem Christi supplex rogo, ut quadraginta Socios Procuratori in Hispaniam propediem navigaturo, pro mea Diœcesi concedas, quos ego sumptibus meis advocarem, ni Episcopatûs mei censuum tenuitas officeret.* Hæc Episcopus Maldonatus. Iisdem Comitiis Provincialibus decreta Chaquensis expeditio: & Antonius Ruisius, Guairaniæ & Tapensis provinciæ depopulationis spectator, in Hispaniam eo fine navigare jussus est, ut Francisco Diastanio Romanâ procuratione occupato, apud Regem Catholicum, Senatumque Regium, afflictæ Paraquariæ statum, Mamalucorum ferociam, periculumque ulterioris damni referret: quo, quia imposterùm carituri sumus, lubet reliqua ad ejus vitam spectantia carptim enarrare, ne tanto homini, de nostra Paraquaria meritissimo, injurius videar, & simul rebus instituto meo servientibus consulam.

Littera Episcopi Tucumanienſis.

Tucumaniæ ſtatus.

Chaquenſis miſſio decernitur.

CAPUT III.

De reliquâ Antonii Ruisii vitâ.

ANTONIUS Ruisius cum Francisco Diastanio è portu Boni-aëris solvens, felici navigatione Januariensem Brasiliæ portum paulò pòst tenuit. Semestri spatio ibi commoratus, ausus est, non sine Divino nutu, in Mamalucos coloniarum nostrarum destructores, eorumque fautores, pro concione invehere, optimo successu: aliquot mortalibus ad restituendos captivos rationum vi permotis. Ibidem authentica instrumenta, Mamalucorum invasiones damnantia, ab Brasiliæ Magistratibus accepit, magno usui futura apud Regem Catholicum, Indorũ jus curaturo. In Lusitaniam navigans, classiarios inter se dissidentes, & tantùm non armis dissidium dirimentes, authoritate compescuit. Ulisippone Madritum pergens, in morbum periculosum incidit, à quo Divi Ignatii ope convaluisse creditus est. Madriti Philippum Quartum Regem Catholicum, solitum compati Indorum calamitatibus, faventissimum habuit: qui lecto querelarum, quas adferebat, contra Mamalucos libello, ex Senatibus Regiis Castellanæ & Lusitanæ coronæ delectum integerrimorum virorum haberi voluit, apud quos Ruisius, serie invasionum relatâ, de remediis tantorum malorum ageret. Porrò postulatorum summa hæc fermè fuit. Juberet Rex legem, anno hujus sæculi undecimo Ulisippone latam, quâ

Ruiſius in Braſiliam navigat:

Et in Europam.

Ab D. Ignatio ſanatur.

Apud Regem rem Indorum agit.

prohibebantur

prohibebantur Indi mancipia fieri, servati. Peteretut ab Pontifice maximo confirmari diplomata Pauli III. & Clementis VIII. idem prohibentia. Vellet Rex harum legum infractores ab Inquisitoribus causarum Fidei coërceri, & captivos Indos patriæ suæ restitui; Mamalucos verò tantorum malorum reos castigari: aliaque complura Ruisius addidit, quæ pleraque Rex longissimo prudentissimoque comprobavit diplomate, indubiè lectoribus non sine tanti Regis laude placituro, & hîc ad longum describeretur. Summam tantùm ejus accipe. *Quia*, inquit Rex, *Guairaniæ oppida Societatis IESV operâ constructa, abactis fermè triginta capitum millibus, Mamaluci destruxère, & continuato furore Tapensem Provinciam infestare, Urvaicæ imminentes, incœperint, captivos contra jus gentium, & sancita Regia, pro mancipiis vendentes, habentésve. Nos enormia facta debitis pœnis vindicare & imposterùm coërcere volentes, Sancimus eas excursiones Mamalucorum injustas esse, & Divinis Regiisq; legibus planè contrarias, nec exerceri posse potuisseve, sine Christianæ Religionis dedecore. Quapropter ejusmodi delictorum punitionem ad Inquisitorum Fidei tribunal pertinere declarantes, Mandamus, Indos omnes ab Mamalucis abactos libertate rursum donari; reos pro læsæ Majestatis perduellibus habitos, bonis omnibus & capite multari.* Aliaque decrevit Rege Catholico dignissima. Præterea impetravit Ruisius, Indos omnes Societatis labore per Paranam, Guairaniam, Urvaicam, Tapensemque Provincias reductos, ab privatorum hominum servitiis liberos, Regi Catholico fieri vectigales; & de novo ad fidem conversos, ante vigesimum suscepti Baptismi annum, Regi tributum pendere non debere. Madriti vocabularium, artem & Catechesim, linguâ Guaranicâ, abse composita, magno emolumento excudi mandavit. Fœminam Deo sacram, ab tribus dæmonum legionibus infestam, legitimis precibus pristino statui restituit. Hominem primarium Atheismi tenebris offuscatum, avitæ Religionis splendori redditum, ad Christianè mortem obeundam dispositi. In aula Regis, principum favorem promeritus, quidquid voluit, facilè ad finem perduxit. Confectis negotiis Ulisipponem contendens, in Americam soluturus, triste nuncium accepit de iterata Mamalucorum invasione, Januariensi tumultu, Paulopolitanorum Patrum expulsione, Neophytorumque nostrorum depopulatione, à me suo loco narrandis. Quocirca Madritum repetens, ab Rege Catholico novas litteras impetravit, quibus urgentiora remedia Prætoribus Regiis, Magistratibusque, ad defendendos Neophytos nostros imperabantur: atque his instructus, Hispali solvens, in Peruviam navigavit. Limam appulsus, Proregis favorem adeptus, fecit, ut pleraque Regis Catholici sancita, ad Magistratus locales delata, pro conditione temporum vim haberent. Limæ detentus, ad lites contra Societatem Paraquariensem exortas, componendas, per aliquot annos magno adjumento fuit. In Tucumaniam redux, à Provinciali per litteras rogatus, ut Limam negotiorum ergò repeteret, confectis in itu & reditu mille leucis, iter relegit, ibique imposterùm Paraquariæ res apud Proreges & alios Magistratus procuravit: donec anno hujus sæculi quinquagesimo-secundo, ætatis septuagesimo, magnâ Sanctitatis famâ, moreretur. Defuncto efferendo Prorex Peruviæ, & Senatores Regii succollavêre. Nec defuêre post ejus mortem portenta, pii hominis Sanctitatem testantia. Petrus Urracus, ex Mercenariorum Ordine vir præstans, & alter non-nemo, recèns defuncti animam in Cœlum, non sine gloria volantem, perspexisse se testati sunt.

Philippi IV. diplomatis summa.

Ruisius multa ab Rege impetrat.

Guaranicè scribit.

Fœminam ab dæmone liberat.

In Americam renavigat.

Moritur.

CAPUT IV.

De Antonii Ruisii virtutibus & quibusdam memorabilibus.

PERSÆPE ab Christo ad dirigendas vitæ actiones documenta accepit. Multa de statu Beatorum, Dei attributis, & aliis Mysteriis, non sine Divini amoris incremento, didicit. Reginæ Cœlorum tantùm non familiaris fuit; adeò sæpè ægrotanti, mœrenti, aliqua agenti, ab dæmonibus afflicto, perplexo, ardua meditanti, sanitatem, solatium, præsidium, consilium, & magnos animos contulit. Sanctum Ignatium bis medicum, & semel censorem, expertus est: nam dum æger, nudato crure, parùm modestè decumberet, & Christus eum invisens, præsenti Divo Ignatio, dixisset. Hic, inquit, de tua Societate est, ô Ignati. Respondit Ignatius: si de mea Societate est, cur non modestiùs cubat? quo dicto ostentum evanuit. Si quis sigillatim Divinas illustrationes, si ostenta cœlestia, si monita ejus spiritualia,

Ruisius ab Divo Ignatio reprehenditur.

si quoties intus loquentem Deum modo quodam mirabili audierit, si cõscientiarum nebulas ab eo serenatas, si stupendos orationis effectus, & alia hujusmodi referre velit, finem dicendi non faciet: quod quia ab instituta brevitate aberrat, lectorem ad Franciscum Xarque, tanti viri elegantissimum copiosissimumque Panigyristam, remitto. Illud non omiserim, tantam æstimationem apud omnes ordines nostrum Antonium consequutum fuisse, ut eum Rex Catholicus plus vicies clementer ad colloquium admiserit. In aula Regis Catholici, & Peruviæ Proregis, Principum virorum & omnium ordinum favores indeptus est. Episcopum Cusquensem, luculentum laudatorem habuit, dicere solitum, Ruisii sanctitatem non inter ordinarias reponendas esse. Episcopus Guamangensis, ut ad diœcesim suam utilissimum hominem pertraheret, quadringentorum aureorum censum pro adornanda ad Ethnicos missione obtulit. Paraquariæ denique Societas tantum se ei debere fatetur, quantum ex ejus fama, virtutibus, factis heroïcis, laboribus Apostolicis, fundatione tot oppidorum, laudis consequuta est. Atque hi cœlestium mortaliumque favores, non suprà hominis virtutes erant: nam in eo eminebat erga Deum & homines amor singularis, quo non tantùm possideri, sed diu noctuque inflammari videbatur. Hic amor expressit libellum, quem ilicem amoris vocat, magnorum in America virorum authoritate comprobatum. Hoc eodem actus amoris stimulo magnarum rerum conatus, spreto quovis labore & periculo, ad exitum perduxit. Eo in Guairania præsidente, decem Neophytorum coloniæ constructæ sunt. Privatus ipse aliis construendis utilem operam navavit. Aliò traductas commodioribus in locis reædificavit. Nullum non movit lapidem, quo cultum templorum, numerum Neophytorum, miserorum commoda, & Sociorum in tantis calamitatibus solatia augeret. Limæ cùm didicisset, dona sibi cœlitùs non data fuisse, ad aulicos & principes mundanos procurandos, se totum Indorum servitio dedicavit. Quoad per studium Divinæ gloriæ salutisque alienæ licebat, hominum consuetudinem fugitans, cum Deo in Divinis colloquiis diurnum nocturnumque tempus terebat. Aliquoties Angelum Custodem præsentem sensit, monentem ut se ad orandum Deum accingeret. Gossipinâ veste malè tinctâ & simplici indutus ibat. Cœlitùs didicit, paupertatis perfectorum hominum eminentiam in eo consistere, ut quis sensualibus deliciis, etiam licitis, corpus & animum privet: igitur quamvis supernè immissas illecebras admittebat, ne Deo inurbanus videretur, tamen inter perfectæ paupertatis gradus reponebat, velle carere spiritualibus illis oblectamentis. Castitatem planè Angelicam coluit, adeò ut etiam somnians, ope Divinâ adjutus, de spurco dæmone victor evaderet. Mulierem sibi clam insidiantem innocenter revisens, Angeli monitu cognitis ejus insidiis, abs se asperis verbis repulit. Ad puellam ægram evocatus, nunquàm adduci potuit, ut suprà ulcus precando manus imponeret, quòd cœlitùs didicisset sub herba illa pietatis latere stygium anguem. Hùc referri potest facinus illud heroïcum, à me suprà relatum, quo ad retundendos carnis motus morsicandum se formicis præbuit. Exercitiis Divi Ignatii reformare se volens, unum duósve panes inferebat: quos, nullo alio adhibito cibo, non consumebat. Sed hæc ad futura tempora magis pertinent. Igitur stylum retraho.

Regis Catholici favorem meretur.

Ejus in Deũ amor.

Paupertas.

Castitas.

CAPUT V.

Sancti Joachimi oppidũ destruitur.

PRo Antonio Ruisio in Europam amandato, Didacus Alfarus, vir ætate florens & animo vegetus, pro ut difficillimæ provinciæ status postulabat, Sociis Paranensibus, Urvaicensibus, Tapensibusque præficitur. In quibus regionibus multæ res adversæ contigêre: quarum ordine prima fuit Sancti Joachimi in Tapensi Provinciâ coloniæ desertio: de quâ ad Urvaicam transportandâ, utpote latrociniis maximè obnoxiâ, dum Socii agitant, multiplicibus difficultatibus se implicuêre, Barbaris transmigrationem execrantibus, aut aliò, quàm quò destinabantur, diffluentibus, & non unis in necem Sociorum intentis: eoque tandem reducta res est, ut cremari oppidum consultò debuerit, quò subtractâ vivendi commoditate, Neophyti seriò ad transmigrandum adjicerent animum. Multi, Christophoro Arenâ adnitente, ad Caasapaguaçuenses & alios populos transiêre. Alii, de-

Pericula Sociorum.

ducentibus

ducentibus Joanne Suario, Franciſco Ximenio, & Petro Romero, Thereſianis ſe adjunxêre. Supervenientibus verò novis tumultibus, coaleſcere alibi oppidum non potuit, adeoque tertio fundationis anno eſſe deſiit: municipibus ad varias partes magnâ ex parte tranſlatis, aut ad latibula dilapſis, aut denique ab hoſtibus abactis. Sexcentas Barbarorum familias in eo oppido Societas in album retulerat, ex quo numero magna pars cicurata Chriſto jam per Baptiſmum nomen dederat.

CAPUT VI. Sanctæ Thereſiæ colonia ab Mamalucis vaſtatur.

SED longè major clades accepta eſt ex novâ depopulatione Mamalucorum, Divæ Thereſiæ ſedem crudeliter invadentium. Id oppidum quatuor capitum millibus tum conſtabat. Verùm longè plures mortales peſte ſublatos eò loci Socii reduxerant. Nam quadriennio non integro quater mille quingenta & quadraginta-quinque capita baptizaverant; confluebantque adhuc undique Religionis ergò Ethnici, & ſpes proxima erat; præter Viſitationis inchoatam coloniam, alia oppida ad Tebiquarim & alios fluvios ponendi: cùm ducenti & ſexaginta Mamaluci, numeroſis Tupicorum aliorumque Indorum ſtipati cohortibus, ſub finem anni, ex improviſo in oppidum irrumpentes, res ſummo labore partas ſpesque ampliſſimas diſturbavêre: Thereſiani numero, armis, & viribus impares, latronibus ſine prælio magnâ ex parte ſe tradidêre. Pauci fugâ ſalutem quæſiêre: traditis vincula paſſim injiciebantur; reliqui, ne rebellare auderent, metu & continuato labore ab latronibus coërcebantur; Franciſco Ximenio & Joanne Salas, oppidi fundatoribus, filios Chriſto ab ſe genitos nequicquàm redimere contendentibus. Ipſo Nativitatis Domini feſto die prædones, templum cum cereis accenſis, quaſi hominum piiſſimos ad ſacra audienda progreſſos, Franciſcus Ximenius pro concione arguere auſus, præter dicteria nihil retulit. Solebat Joannes Salas mihi narrare, tantum ſe ex jacturâ carorum filiorum dolorem concepiſſe, ut ne buccellam quidem cibi, conſtrictis mœrore faucibus, deglutire poſſet. Duobus ex tanto numero adoleſcentibus Sacrificii adminiſtris ægrè impetratis, Socii deſperatâ reliquorum ſalute, amiſsâ aut defoſsâ ſupellectile, per immenſam ſeptuaginta leucarum ſolitudinem ad Urvaïcam profecti, paſſim mœſtitiam redintegravêre, occurſu quorumdam Thereſianorum fugâ elapſorum, quos Ximenius ſummâ curâ coactos, & ad Paranam deductos, poſt varios caſus Itapuanis adjunxit: ubi Chriſtianâ prorſus caritate excepti, auctâ urbanitate, piè admodùm hactenùs perſeverant. In hujus oppidi deſtructione illud accidit ſingulare, quòd ſuperiori anno ibidem decimâ-octavâ Decembris imago Beatæ Virginis, oculo, quo Braſiliam reſpiciebat, ubertim fleverit: cùmque ſequenti anno, eodem die & menſe recurrente, Thereſiani à prædonibus Braſilis oppreſſi fuerint, nemini dubium fuit, eas lachrymas optimæ Matris, fuiſſe velut compatientis eorum calamitatibus, qui per fidem nuper in Filii ſui filios adoptati fuerant. Interea Viſitationis inchoatum oppidum Thereſianis ſubcenſitum, ſolâ trepidatione diſſolutum eſt: & cæteræ Tapenſis Provinciæ coloniæ eamdem fortunam formidantes, aut fugam, aut bellum adornabant.

Numerus baptiſmorum.

Mamalucorum hypocriſis.

Oſtentum.

Viſitationis oppidi vaſtatio.

CAPUT VII. Per Tapenſem Provinciam variè turbatur.

SANCTÆ Annæ oppidani trans Igaïm poſiti, audito alteram Mamalucorum phalangem haud procul abeſſe, non expectato Patrum conſilio, diſpalati, quaquà metus amórve libertatis impellebat, effundebantur. Paſſimque reliquorum oppidorum incolæ JESU Socios, doctores ſuos, proditionis inſimulabant, palam dictitantes, eo fine ab iis oppida magna conſtrui, ut ſpecie Religionis in unum coactos Mamalucis traderent. *Hactenus*, inquiebant, *nos & Majores noſtri patrios fontes bibimus, ab Europæorum metu per tot retro annos ſecuri. Poſt adventum verò Patrum nihil niſi vincula, exilia, mortes, concatenata bella, tranſmigrationes, & hujuſmodi ſexcenta audimus.* Augebat ſuſpiciones malevolentia Mamalucorum, qui ut nos in invidiam traherent, Neophytis noſtris aſſerebant, ſe cum Patribus colludere: eadem eſſe ſua & Societatis conſilia, in id intenta, ut reductos populos ſibi proderent. Paſſim itaque Neophyti diffidentiam oſtendebant magis, quàm amorem: adeò ut Guaïraniam in Tapenſi Provinciâ adumbratam jure diceres. Non uno in loco de mactandis Doctoribus ſuis Tapenſes agitavêre. Auguſtinus

Socii proditionis inſimulantur.

Ad necem deſtinantur.

Augustini Contrera periculum.

Contreras in Sanctæ Annæ oppido, à feroci Casiquio, his suspicionibus depravato, intentatam mortem vix evasit. Didacus Alfarus Tapensia oppida pro munere inspiciens, & Neophytos ad vertendum solum metu novæ depopulationis animans, à plerisque amicè quidem auditus est; sed Araricani, amore patriæ sanum consilium detestantes, stolidè responderunt, Mamalucis tradituros se potiùs, quàm ad Urvaïcam transmigrarent. Dicto addidêre pervicaciam, multis ad latibula dilapsis, ausisque altare portatile, & Sacrificii conficiendi instrumenta omnia, quibus Didacus Alfarus in desertis locis utebatur, per insidias furibundè diripere, direptaque sacrilegè inter se dividere. Alia de causa Josephum Cataldinum Sancti Josephi coloniæ Dux tantùm non oppressit. Is jam Christianus pro pellice fovebat mulierem, quæ legis Divinæ amore percita, & turpitudinem exosa, Cataldino adnitente, alteri Neophyto legitimè desponsata est, tanta cum indignatione spurci Ducis, ut fremens frendensque, tractâ in partes numerosâ clientûm manu, ostentatis armis Cataldino minari necem ausus fuerit. Quam ille sic sprevit, ut flexis genibus nudaret pectus, vulnus excepturus potiùs, quàm à proposito desisteret. Et quia idem Petro Romero, eodem fermè successu, minax etiam fuerat, operâ Sociorum fidorumque Neophytorum in exilium deportatus, tandem resipuit. Sed in plerisque locis punire delicta non audebant Patres, ne exacerbatos omninò perderent. Omnia itaque turbulenta erant, depopulationis metu, & suspicionum veneno plerorumque animis aut corruptis, aut abalienatis.

Araricanorum perversum consilium.

Josephus Cataldinus vix necem evasit.

Et Petrus Romerus.

CAPUT VIII.

Gesta apud Urvaïcenses narrantur.

Nec quietiùs jisdem de causis in Urvaïcensis Provinciæ finibus agebatur. Caasapaminienses, qui metu belli concussi ad Paranam concesserant, depositâ patriæ repetendæ spe, tertio ab Itapuano oppido lapide, ad littus Paranæ templo & ædibus Itapuanorum ope ædificatis, novam sedem, retento Purificationis Virgineæ titulo, posuere. Caaroënses eâdem de causâ, Lauretanis & Ignatianis Neophytis auxiliantibus, eodem in littore novi etiam oppidi fundamenta jecere. Caasapaguaçuenses, Caapiensesque, continuatis tumultibus magna ex parte disparati, & à Mamalucis diminuti, negotium Patribus facessivêre: quorum præcipua cura erat in continendis fovendisque destructorum oppidorum in prima depopulatione reliquiis, plerorumque animis amore patriæ, & exilii servitutisque metu in diversa tractis, trahentibúsve. Inter has tamen turbas multi Barbari ad partes Christi accedebant, constatque ex authenticis libris in Piratinensi oppido ducentos & octodecim; in Sancti Xaverii colonia duos supra ducentos; apud Ibitiraquanos centum & septuaginta; apud Mbororeënses centum & quinque; apud Iguasuanos centum & quinquaginta; ex Caaroënsibus octingentos & viginti-octo; ex Araricanis quingentos & septuaginta-octo; in Sancti Michaëlis colonia trecentos & octoginta-quatuor; in Sancti Josephi templo trecentos & septuaginta; ex Theresianis septingentos & nonaginta; ex Itapuanis centum & quindecim; ex Caasapaminiensibus nonaginta-novem; ex Sanctorum Cosmæ & Damiani incolis plures admodùm, & ex aliis oppidis, præsertim ex transmigrantibus, ingenti numero ab Sociis fuisse baptizatos.

Caasapaminienses & Caaroënses ad Paranam oppidum ædificant.

Baptizatorum numerus.

CAPUT IX.

Nicolaus Enartius moritur & laudatur.

Hic etiam annus Itatinensi provinciæ maximè luctuosus fuit, tum ob Mamalucorum invasiones, oppida ab Societate facta etiam infestantium; tum ob elatum Nicolaum Enartium, hominem Apostolicis functionibus aptissimum. Is solus, uti in superioris anni rebus narratum est, post mortem Didaci Rançonierii, apud Itatinenses centum ab Assumptionis urbe leucis abjunctos, è gravi morbo convalescens remanserat, inque eum viribus defectum incubuerat duarum coloniarum onus, adeò ponderosum, ut sub illo fatiscens, antequàm è Paraquaria rediret Justus Vansurkius, sine Sacerdotis & Sacramentorum subsidiis occubuerit. Certum est nullú illo meliùs in hac provincia Xaverianam mortem adumbrasse. Ob quam mortem, & singulares planè virtutes, commendationem apud posteros amplissimam meretur: sed more meo tanti hominis laudes ad pauca capita restringam. Nicolaus Enartius Tulli in Lotharingia nobilissimis parentibus natus, ubi primam pueri-

Nicolai Enartii patria.

tiam

tiam liberalibus litteris imbuit, equestribus disciplinis informandum totum se tradidit: donec sæcularis aulæ strepitum fastidiens, sensit se intus sollicitari ad statum Religiosum capessendum. Ignorans verò quem ex Ordinibus præeligeret, implorată Reginæ Cœlorum ope, cognovit eam esse Dei voluntatem, ut se Societati Jesu manciparet: quam per quinquennium ambiens, semper repulsam tulit à Provinciali, verente, ne ejus parentes Religioni nostræ negotium facesserent. Elapso quinquennio, Provincialis tantæ constantiæ infringendæ impar, nequicquàm reclamantibus parentibus, & omnem lapidem ad everberandum filium moventibus, in Societatem admisit. Mater ejus ex mœrore per plures dies ab omni cibo abstinuit. Immoto ad hæc Nicolao, minas & illecebras patris, matrisque artes, prudenti suffugio eludente. Infimis precibus in ordinem coadjutorum rerum externarum adscribi postulans, jussus est inter scholasticos mereri. Nondùm expleto Theologiæ curriculo, Indorum desiderio inflammatus, quiescere non potuit, donec missionem ab Vitelleſco Generali impetraret. Impetratam cùm interturbare Francicæ Societatis Jesu Provinciæ primores conarentur, hominem nobilitate, virtute & ingenio florentem, ægrè abs se ablegari ferentes, eâdem constantiâ, quâ obstacula Religionis amoverat, pervicit. Ex itinere Carolum Lotharingum, Burdigalensis domûs præpositum, revisens, bona documenta Indicæ expeditionis ab antiquo hero accepit. Per Galliam, Hispaniam, & Lusitaniam multa præclaræ virtutis vestigia impressit. Animi demissione, caritate, & modestâ hilaritate, omnium animos sibi devinciens. In navigatione & in portu Boni aëris ægrorum curam ita gessit, ut omnium singularem commendationem adipiscceretur. Appulsus enixè statim postulavit ad Indos mitti. Nondùm expleto quadriennali Theologiæ curriculo, quatuor votorum professionis aliquando obtinendæ juri nuncium remittere voluit. Quo non impetrato, in Assumptionis urbe completis doctrinæ & virtutum experimentis, tandem in Guairaniam missus est. Devoratis Barbaricæ linguæ difficultatibus, utilissimam operam inter novos homines navavit. In Taïaobæ Antropophagorum regione elaborans, novellus tyro veteranorum Sociorum gloriam factis adæquavit. In famosâ illa Guairaniæ transmigratione tale de se specimen dedit, ut ad fundandam Itatinensem Provinciam mitti meruerit. In eâ Provinciâ oppidum Divo Josepho sacrum statim condidit, rexitque, donec à Mamalucis destrueretur: ab quorum injuriis, spreto non semel vitæ periculo, quotquot potuit Indos conservavit. Conservatos, reædificato alibi oppido, cum aliis Barbaris iterum reduxit. Quot ipse Ethnicos suâ manu baptizaverit, quoties ex antris & nemoribus sylvestres homines erutum iverit, quot pagos peste infectos adierit, non est facilè sigillatim enarrare. In Itatinensi regione quadriennio exacto, morbum adeò deformem contraxit, ut rupto interno aposthemate per immensum ulcus viscera apparerent. Nullus Sacerdos morienti aderat, summâ tamen animi pace mortem excepit. Morientem inviserunt aliquot Païaguæ Ethnici, Barbarorum ferociſſimi, quos miseratos ejus inopiam, pro ultimis cupediis tostæ viperæ frustum, usualem gentis cibum, ei obtulisse ferunt: quo recusato, se ad excipiendam mortem composuit. Die lethali in hæc verba prorupit. *Hæc lux*, inquit, *mihi ultima erit, nam id ab Deo Optimo Maximo impetravi:* mox Crucem amplexatus, pios animi affectus continuavit, donec sub vesperam exspiraret. Lectus mortualis nuda humus fuit, pauculis paleis contecta. Funus curavêre, sine Sacro, Neophyti, in sacello è luto & arundinibus confecto, vixque trium corporum capace. Solebat ipse Sociis narrare, Societatis ingressum, & navigationem ad Indos, sine affectu humano se suscepisse, & sperare utramque rem Superis fuisse gratam: quod ad reliquas vitæ suæ actiones attineret, vereri se, ne infructuosæ forent, quòd nimiis inter agendum afflueret animi deliciis, æterna præmia forsan frustraturis. In dura semper cubabat humo. Sæpè lineum indusium in regione calidissima subtrahebat: ne verò vanam gloriam inde capesseret, collare linteum thoraci assuebat. Carnem vix unquam inter Indos esitabat. Panem per sexennium ne oculis quidem libavit: si quid cupediarum aliundè mitteretur, sinebat potiùs corrumpi, quàm eas attingeret. Castitatem Angelicam inter Indos manu nudiores asperâ veste, verberatione, inediâ, & con-

Ad Religionem avocatio.

Navigatio.

Studia.

Opera Apostolica.

In ultimo morbo inopia.

Virtutes.

tinuâ prece, conservabat. Per Paranam navigans lodice suâ ægrum Neophytum aliquando involvit, reliquo & diuturno itinere in diurna veste somnum ipse capiens. Nihil eo pauperius, nihil Majorum jussis obtemperantius fingi poterat. Solitabat se offerre ad despicatissima quæque munia obeunda. Qualemcumque animi gravitatem læto ore dissimulabat, ab nullo mali remedium quærens, quàm ab Summo Numine in Venerabili Sacramento delitescente. Sublato Enartio, unus Justus Vansurkius diu Itatinensis provinciæ curam gessit, donec Vincentius Badia, vir strenuus, ei opitulatum iret.

CAPUT X. De rebus Cordubensium Sociorum.

1638.

Neophyti conversio.

E Cordubensi Collegio emissi Socii, bimestri spatio percursis ducentis leucis, ditionem omnem Cordubensem Riocensibus & Esterensibus obversam excoluêre, quamplurimis mortalibus omni ope destitutis per Baptismum & exhomologesim dæmoni ereptis. Inter quos notabilis fuit Barbari hominis, turpissimis sceleribus sacrilegiisque deturpati, ad meliorem vitam conversio: cui Christus somnianti se spectandum præbuit, & quòd sua & Sacerdotum consilia tamdiu sprevisset, post auditas accusationes tradidit dæmonibus puniendum. Cúmque nihil propiùs esset, quàm ut æternùm periret, ope & imploratu Angeli Custodis aliorumque Angelorum, post accepta ab infernalibus larvis multa verbera, in spem corrigendi vitam, sibi redditus est. Ne verò inane somnium putaretur, expergefactus diu sensit acceptarum plagarum dolorem: quo permotus, uno è Sacerdotibus nostris evocato, in Dei gratiam per Sacramentum rediit. Eadem in excursione repertus centenarius Indus, qui nec ante, nec post Baptismum, actualem noxam, quæ quidem animæ lethalis esset, commiserat. Cordubæ Tucumanorum denatus est Franciscus Puebla, in agro Cordubensi quondam in Hispania natus. Ulisippone pro Rege Catholico militiam olim exercuerat, & ad Chilense regnum translatus, Centurionis dignitate donatus, diu cum laude arma tractaverat: donec recusato in aliis Religiosorum Ordinibus, quem offerebant, Sacerdotis gradu, nobiliorem militiam ambiens, Societati Jesu coadjutoris sorte contentus nomen daret. Expleto tyrocinio, per plures deinde annos litteras formare pueros docuit: his exercitiis tantam adeptus Dei familiaritatem, & virtutum copiam, ut inter eximiæ Religiositatis viros computari mereatur. Alterum funus fuit Gabriel Britto, Villaricæ in Guairania ante viginti-sex annos natus, de quo, præter illustres virtutes, illud singulare narratur, quod cùm Sacerdotium, litteris utcumque excultus, adire in Societate posset, post aliquot Religionis annos infimis precibus inter coadjutores temporales mereri impetrârit.

Neophyti centenarii innocentia.

Francisci Pueblæ mors.

Et Gabrielis Brittonis.

CAPUT XI. Variæ excursiones per Tucumaniam factæ.

Barbara gentis mores.

ERiocensi Collegio ad Indos Pasipamæ vallis incolas, proximè elapsis annis rebelles, sed jam Hispanorum virtute domitos, fructuosè excursum est. Inde Socii gradum fecêre ad excolendos septem Barbarorum pagos, Londinensi nuper reædificatæ urbi subcensitos; collectaque non contemnendâ animarum messe, ad barbarissimam nationem penetravêre, nullo planè proventu: nam gens quotidianâ ebrietate ac superstitionibus ad insaniam corrupta, sanis consiliis nullum locum dare voluit. Solent hi homines (ut etiam antiqua Roma in hac Barbarie præficas suas agnoscat) conducere Indas mortuorum suorum laudatrices. Defunctorum oculos non claudunt, sed aperiunt, persuasi mortuos indigere oculis apertis, ne aberrent in via, quâ ad alteram terram deliciis affluentem pergant. Eodem ducti errore, electissimam eorum supellectilem, & ciborum affatim, propè cadaver collocant, ornatumque vestibus non sepeliunt; sed super terram eminenti in sarcophago componunt. Recenti ferarum sanguine ad fœcunditatem impetrandam nascentes fruges superstitiosè aspergunt. Ariolorum suasu autumant se statim morituros, si nostros Sacerdotes audierint: quare ab iis, tanquàm à præsenti veneno, cùm abhorreant, non mirandum est nostros Patres eò delatos nullum fructum percepisse. Sancti Michaëlis Socii peste afflatis, spreto vitæ periculo, salubriter adfuêre; & ad remota loca excurrentes, magnam utilitatem percepêre. Solito more, Esterensis Collegii sacri piscatores ex fluminibus Salso & Dulci multos homines, jacto Sacra-

mentorum

mentorum reticulo, eduxêre. Totam deniqûe Tucumaniam labore & fructu fermè pari è Collegiis emissi Sacerdotes nostri, Tucumanensis Episcopi votis obsecundantes, & ab ipso facultate amplissimâ instructi, lustravêre. Quamquàm cæteris antecellebat zelus Gasparis Osorii, clarissimo Martyrio, uti videbimus, præludentis: qui ad Chaquensem provinciam gradum facturus, Ocloïas hoc anno oppido feliciter inclusit.

CAPUT XII. Apud Ocloïas oppidum conditur.

OCLOÏARUM gens in Peruviæ & Tucumaniæ finibus Cucuisensis Hispanorum oppidi ditione clauditur. Eos olim Franciscani Patres, Episcopi missu, ad Fidem sollicitarant, & alterius Ordinis Religiosus eorum aliquot cursim baptizaverat: sed jam à multis retrò annis Ethnici æquè ac Neophyti, dæmoni mancipati, antiquo more sparsim sine Sacris & Sacerdotibus vivebant, dolebantque omnes miserrimæ gentis sortem: Ochoïa in primis potens Cantaber, cui Ocloïæ commendati erant, remedium postulabat ab Gaspare Osorio, in spem Chaquensis Provinciæ intento: constabat enim per Ocloïarum fines Chaquenses aditi posse. Capto expeditionis consilio, Osorius ipse & Ignatius Medina è Cucuisensi urbe egressi, per abrupta montium iter facientes, tandem ad Ocloïas penetravêre. De quorum conditione factâ indagine, reperêre pacatæ indolis homines esse, Ariolorumque osores, & solo Christianorum Sacerdotum defectu avitis erroribus implicitos: nec dubium videri, si nostrorum Mysteriorum magistros nanciscerentur, partibus Christi omnes adhæsuros. In Sicaïaënsi primo regionis pago, gentis primoribus conciliatis, multos salutaribus undis expiavêre. In aliis locis centum infantes, & adultæ gentis quamplurimos, Christianos fecere. Exinde Osorius ad Guisparas, & Medina ad Guarcontes delati, propensos Barbarorum animos habuêre. Inde per Homoguacarum terras non sine utilitate regressi, Medina profligatam nimiis laboribus valetudinem refecturus, Salram delatus est; sed Osorius, curatis per Quadragesimam Cucuiçensibus, Ocloïas cum Antonio Ripario Societatis Sacerdote repetens, omnem industriam in id intendit, ut gentem per viculos sparsam in unum locum, commodiùs tradendæ Catecheseos ergò, reduceret. Re divulgatâ, finitimi Casiquii, transmigrationem professi, undecimo ab Cucuiçensi urbe lapide sedem ponere cœpêre, quibus pedetentim inreriores populi Sociorum invitatu accedentes, constructo templo, ædes suas in formam oppidi, magnâ Hispanorum approbatione, erexêre. Sic sexcenti Ocloïæ, susceptо Baptismo, magnâ Sociorum curâ Christianum jugum subiêre: quos interjecto tempore Osorius Ignatio Medinæ, pristinæ valetudini restituto, ex Majorum præscripto, regendos instruendosque commendavit.

Ocloïarum conditio.

CAPUT XIII. Divi Caroli & SS. Apostolorum Petri & Pauli oppida à Mamalucis destruuntur.

MENSE Januario trepidum nuncium allatum est, Mamalucorum Tupicorumque numerosas cohortes per Caamum & Caaguam, Ethnicorum terras Societatis laboribus destinatas, iter habere: iis in animo esse, abactis Ethnicis, bipartitò Urvaicenses, Tapensesque colonias aggredi, & gradu facto totum Paranam corrumpere. Igitur ad arma clamatum est: Didaco Alfaro, Sociorum omnium præfecto, ad justam defensionem omnium oppidorum populos animante. Ex singulis coloniis delectu habito, ad Apostolorum Urvaicæ coloniam, quò hostis tendere videbatur, conditum est: cujus coloniæ incolæ, concepto medullitùs metu, ad sylvestria latibula, desertâ imbelli turbâ, confugêre. Quâ re cognitâ, aliorum Neophytorum auxiliariorum turmæ, suis viribus diffisi, inordinatim retrocessêre. Interim imminebat hostis imbelli Apostolicorum turbæ, cùm Theresianis reliquiis in fugam effusæ, quam indubiè abegisset, nî Didaci Alfari diligentiâ ad alteram fluminis partem transportatâ, qualemcumque tutelam reperisset. Hâc prædâ frustrati hostes, in Apostolorum & Sancti Caroli oppida vicinasque villas delati, Caapiensium, Caasapaguaçuensiumque quamplurimis vincula injecêre, duabus coloniis unâ depopulatione cum grandi animarum jactura vastatis. In Sancti Caroli oppido Societas septem circiter annorum spatio bis mille septingentos & triginta-septem adultos, necnon mille & sexcentos infantes: in Apostolorum verò colonia pari

Numerus baptizatorum.

temporis

temporis ſpatio quinquies mille octingentos & quadraginta-quin que adultæ infantilisque ætatis mortales, uti ex authenticis libris conſtat, ſummo labore ritè lotos, Chriſtianis nominibus inſigniverat. Sed ex tot mortalibus vix tertia pars ad alia oppida rurſum reducta, adhuc triſtiſſimæ calamitatis memoriam, mihi, inter eorum aliquos, dum hæc ſcribo, viventi, jugiter renovat.

CAPUT XIV. Poſt iterata pugnam Neophyti oppida deſerunt.

VASTATIS his oppidis, in Caaroënſem Caaſapaminienſemque agrum vis latronum incubuit. Utriuſque regionis incolæ in altera depopulatione ad Paranam tranſmigraverant: in quorum locum, reædificatis utcumque oppidis, Tapenſium coloniarum reliquiæ ſucceſſerant, ad quas tutandas mille & quingenti Neophyti cum armis ex variis locis evocati, Caaroënſi in agro hoſtibus ſe oppoſuêre. Prælio facto, multis ex utraque parte vulneratis, & aliquot occiſis, antequàm debellarentur, nonnulli Neophyti terrore inſtigante fugientes, tanquàm ſi victoria ab Mamalucis ſtaret, more gentis, in ſignum deditionis Caaroënſe oppidum incendêre. Igne conſpecto, & incendii causâ cognitâ, conſternati pueri fœminæque ampliſimam commiſerationis materiam præbuêre. Pacata plebe, Socii ad locum redintegratæ pugnæ pergentes, ſpreto mortis periculo, vulneratis opem tulêre. Miſerabilis ubique rerum facies erat, ſeu moribundorum clamores, ſeu latronum rabiem ſpectares. Neutri parti victoria ſtetit: utriſque poſt prælium ad ſua ſe recipientibus. Sequenti die imbellis turba è Caaroënſibus ruinis & imminenti periculo educta, ad Caaſapaguaçuenſem coloniam ſexto lapide diſtantem, Sociorum curâ, tranſducta eſt; quem in locum milites noſtri ſeſe retrahentes, de ſumma rei dum conſultant, aliquot è Parana Neophytorum centuriæ in auxilium advenêre, admodùm opportunè: nam mox hoſtis ordinatâ acie ſeſe oſtentavit. Ad pugnam deſcenſuros Neophytus militari dignitate inter ſuos eminens, compoſitis verbis populares alloquens, monuit, ne certamen inirent avito more, ſed Chriſtianorum ritu. Pondus verba habuêre; nam ubi ipſe in genua ſe provolvit; milites noſtri exemplum ſequuti, nomen Dei magnâ voce invocavêre; Neophyti omnes ante prælium expiati, Catechumeni ſalutaribus aquis abluti, & multi cereis, piacularium Agnorum ſignis, tanquàm ſacris ſamuletis, donati ſunt. Mille & quingenti è noſtris pugnam occœpêre, tanto ardore, ut momento temporis militaria ſigna diripuerint, & luculentâ prædâ potiti, hoſtes retrocedere coactos, ad proximum nemus abegerint. Qui ad ſolitos dolos devoluti, ubi ſe palamentis munivêre, noctu, ut crederentur fugiſſe, ignibus extinctis, ſummum ſilentium tenuêre. Quâ ſpecie decepti Neophyti, ad prædandum in eorum munitionem ire auſi, incautæ temeritatis pœnam luêrunt: nam hoſtes ex improviſo exploſis bombardis, uno è præcipuis occiſo, & aliquot vulneratis, cæteros fugavêre; qui inopinato metu conſternati, perſuaderi deinde non potuêre, ut hoſti reſiſterent. Sed effuſâ fugâ, plerique non ante conſtitêre, quàm ad Piratinienſem agrum pervenirent. Reliqui, Didaco Alfaro adnitente, eòdem conceſſere. Sic hoſtes, ſummo Sociorum dolore, Caaſapaminienſi & Caaroënſi regione potiti ſunt: ubi hactenùs Societas ſuprà novem millia Barbarorum ad humanitatem Fidemque reduxerat. In hoc felices, quòd plerique ad Paranam (uti ſuprà planum factum eſt) reædificatis oppidis, antiquum Religionis decus tutioribus in locis adhuc conſervent.

Neophyti feliciter pugnant.

Mamalucorum dolus.

CAPUT XV. Variâ fortunâ pugnatur, & Divi Nicolai oppidum cis Urvaïcam retrahitur.

EX quinque oppidis Urvaïcenſis Provinciæ trans ipſum Urvaïcam poſitis, unum Piratinienſe ſtabat. Ex quo oppido, utpote hoſtibus expoſito, Didacus Alfarus cis ipſum flumen imbellem turbam admodùm opportuno tempore retraxit: nam non plures dies interceſſerant, cùm exploratores nunciavêre, Mamalucos ulteriori prædæ intentos, inter Caaſapaminienſem & Caaroënſem agrum adhuc verſari. Plerique Neophytorum, poſt nuperrimum conflictum, rati hoſtes in Braſiliam abiviſſe, poſitâ belli curâ, oppida ſua repetierant, quos revocare difficile erat: raptim tamen armati circiter mille Barbari primis Mamalucorum impetibus ſeſe oppoſuêre, donec auxilia contraherentur: quinque horas pugna tenuit, æquato fermè damno, octoginta ex utraque parte vulneratis, pauculisque deſideratis.

Dirempto primo prælio, hostes viam, quâ nostris incedendum erat, cuspidibus stravêre, indubiè nocituris, nî dolum excubiæ eventilassent. Deinde ad alias insidias devoluti, comptam ornatamque mulierem, tanquàm tubicinem emisêre, lenociniiis exoraturam Neophytorum nostrorum primores, ut armis positis se Mamalucis traderent. Sed explosæ etiam sunt muliebres insidiæ, non sine militari Neophytorum joco, hostibus ducem fœminam exprobrantium. Paulò antequàm hæc gererentur, Gabriël Chemombeus, præstigiator ille famosus, tractis secum aliquot Neophytis, ad Mamalucos transfugerat, optabatque novos Dominos insigni facinore sibi devincire: in quam rem intentus, consciis hostibus, ausus est proditor, quasi facti pœnitens, ad nostros redire: sed cùm clam ad defectionem Neophytorum nostrorum primores sollicitaret, vincula induere jussus, iteratæ perfidiæ pœnas luit, & aliquando resipuit. Eventilatis dolis, ad vim iterum hostes processêre, ordinatisque copiis dextrum cornu Neophytorum, cui Nicolaus Nienguirus, bello & pace bonus, præerat, ferociter invasêre: quibus facilè nostri poterant, adunatis viribus, resistere, nî novi hominis, in sinistro cornu copias ducentis, malevolentia intercessisset. Is Nienguiro, quòd se ad pellicem abigendam adegisset, offensus, cognito adversum cornu periclitari, auxilium, ut fertur, submittere renuit, cum hâc voce. *Videamus*, inquit, *num Nienguirus tam bonus sit Mamalucis resistere, quàm pellices abigere.* Quâ proditione peractâ, Nienguirus viribus impar, paulatim retrocedens, victoriam latronibus concedere coactus est: & nostri, effusâ fugâ, non priùs constitêre, quam Urvaicam transmitterent. Hostes Divi Nicolai oppido potiti, trans fluvium ire non ausi, in Caasapaminiensem agrum captivos abegêre. Sic Piratinensis colonia insigni templo, & Neophytorum numero conspicua, ubi hactenùs aliquot capitum millia Societas ad Fidem reduxerat, cis ipsum Urvaicam, paulò infra Divi Xaverii oppidum retracta, novas ædes templumque reædificare coacta est.

Gabriël Chemombeus transfuga.

Divi Nicolai oppidum describitur.

CAPUT XVI. Mamaluci ab Neophytis fugâtur.

His peractis, Paranensium & Urvaïcensium primores, junctis consiliis, & viribus, tantas, quantas hactenùs nunquàm copias, ad ipsum Urvaicam contraxêre, eo fine, ut aut prædam recuperarent, aut hostibus, si Urvaicam pervaderent, resisterent. Transmisso fluvio, ubi ad Piratiniense desertum oppidum primæ cohortes pervenêre, in ipso templo litteras ab Mamalucis exaratas reperêre, plenas virulentis in Socios nostros opprobriis. Quibus spretis Neophyti, cognito, hostes Brasiliam repetere, duplicatis itineribus, non ante quievêre, quàm in eorum conspectum venirent. Primis diebus vario eventu præliatum est, sed semper majori hostium, quàm nostrorum damno. Mamaluci ad nostros terrendos, occisum in bello Neophytum brachiis truncum, patenti in loco suspendêre. Nostri è contra Mamalucum eâdem infamiâ affecêre. Cujus in vestibus reperta scheda fuerat, his fermè verbis inscripta. *Qui me gestabit, nec ab hostibus occidetur, nec ab judicibus ad mortem condemnabitur, nec inexpiatus mori poterit; morientiq; aderit Regina Cœlorum.* Sed ut fallentis dæmonis fuêre promissa, sic eventus ab authore non aberravit. In hoc rerum cardine mille & quingenti Neophyti, Petro Romero comitante, in auxilium adproperantes, tam hostium conatus infregêre, quàm nostros animavêre: qui ubi tantisper curavêre corpora, tanto impetu, cum aliis Neophytis, in Mamalucos fugam respectantes invecti sunt, ut momento temporis magnum damnum intulerint; debellatumque fuisset, nî hostes munimentis ex palatione ante factis se sepsissent. Unde eos Neophyti, subtractâ aliquamdiu commoditate, & novis sepimentis erectis, ad prælium eduxêre: quod utrimque æquali vulneratorum occisorumque numero, sed majori nostrorum consternatione commissum est. His in rebus dum sunt, undecim Hispanorum, ducentis leucis è portu Boni-aëris à Prætore missorum, adventu, hostes penitùs animos despondere; nam ubi eorum operâ quater mille & quingenti Neophyti ordinatam in aciem explicati sunt, tantus horror latronibus incussus est, ut, desperatâ victoriâ, fugâque, ad infimas preces dilapsi, conditiones pacis sibi dari postulârint. Impetrato colloquio, Didacus Alfarus, asperis verbis castigatâ præteritâ crudelitate, ex præscripto Boni-

Tapensium auxilia,

Et Hispanorum.

Mamaluci dimittuntur.

aëris Episcopi, anathema in eos contorsit; jussosque jurare nec se, nec alios factionis suæ homines, ad Neophytorum oppida infestanda aliquando venturos, non sine Neophytorum indignatione, adnitente totis viribus Hispano ductore, impunitos dimisit. Fugatis tantis hostibus, Didacus Alfarus latissimè excurrit in laudes Sociorum, diu noctuque pro incolumitate gregis sibi commissi cruentæ mortis periculo sese exponentium, vulneratorum animos & corpora curantium, cibos sibi & vestes pro nutriendis vestiendisque hominum miserrimis detrahentium. Quæ quisque sigillatim hac in re fecerit, ne singulos appellem, speramus pro dignitate scripta esse in libro vitæ. Dimissis copiis, aliæ Mamalucorum cohortes trans Igaïm destructorum oppidorum reliquias prædabundæ colligebant, imminebantque aliis coloniis, indubiè eorum furori obnoxiis, nî Provincialis, recèns è Tucumaniâ adveniens, per Paranam & Urvaïcam nova Neophytorum contrahere jussisset auxilia, quorum fortitudine repressis hostibus, utcumque Tapensis res restituta est. Juvit Neophytos Ethnici Casiquii fidelitas, qui à Mamalucis captus, ausus est pio dolo, quasi ad nostros seducendos pergere vellet, impetratâ veniâ, ad nos venire. Cujus indicio, Tupicorum cohors sub Duce Mamaluco oppressa est. Sed quamvis res sic sese haberet, satis apparebat Tapensia oppida, sexaginta circiter leucis ab Urvaicensibus sejuncta, libidini Mamalucorum patere, nî de efficaci remedio provideretur. Cui rei consultandæ Provincialis Sociorum conventum indixit: è quo consilio sic discessum, ut non ambigeretur, Tapenses omnes perituros, si suo loco remanerent.

Sociorum labores commendantur.

Neophyti fidelitas.

CAPUT XVII. Tapensis Provinciæ transmigrationis initium.

TRANSMIGRATIONE sancitâ, Didacus Boroa Provincialis votum vovit Domino, nihil eorum se omissurum, quæ ad transportandam gentem conducere existimaret: & Socii omnes in eandem rem intenti, industriam, vires & consilium conferebant. Cùm verò de loco, quò tot oppida transveherentur, ageretur, visum est Patribus inter Urvaicam & Paranam situanda esse. Hi enim fluvii in eâ parte, in quâ pleræque Neophytorum coloniæ sitæ sunt, exiguo quatuordecim leucarum intervallo divaricantur, sperabantque Socii vicinitate, & tantis fluminibus, quasi ingentibus fossis nemoribusque intercepta oppida facilius ab latronum insultibus defendi posse. Porrò in Tapensi Provinciâ, uti supra demonstratum est, Societas decem oppida fundaverat, è quibus, quatuor pænè bello sublatis, sex adhuc magna ex parte supererant, quæ simul transportare non erat facile, renitentibus Neophytorum Catechumenorumque quamplurimis, patrium solum, etiam cum libertatis amittendæ metu, certo longinquoque exilio præferentibus. Pedetentim tamen res difficillima ad exitum deducta est. Initium transmigrationis sumptum ab aliquot Sanctorum Cosmæ & Damiani colonorum centuriis, quos reluctantes impulit nuncium de vicinitate Mamalucorum, & authoritas Provincialis, Sociorumque, multis verbis demonstrantium, omnes indubiè perituros, nî sana & præsentia consilia capesserent. Injecto itaque in patrias ædes igne, inflammatoque oppido, ne spes repetendæ patriæ aliquando reviviscceret, comitantibus aliquot Sociis, hilariter viam occœpêre. Sed in trajectu Tapensium montium, labore deterriti, plerique aliò dilapsi fuissent, nî egregia Christophori Arenæ industria intercessisset. Is faciliori semitâ montes transmiserat, cùm cognovit Indos, quos ducebat, aliis tramitibus progressos, inter inaccessas saxorum asperitates hæsisse, obfirmato animo ultrà non progrediendi, & more Majorum in vicinis sylvis sementem faciendi; ad quos pergere ausus, pænè animam exhalavit: nam identidem transvadandi erant umbilico tenus torrentes, & superandæ annosis arboribus spinetisque impeditissimæ rupium crepidines: accedebat tempestas pluviosa tonitruis fulgetrisque formidabilis; necnon solitudo inter passim occurrentia ferarum spelæa horribilis; & super has res sollicitudo metusque amittendi gregis, urgente Christi caritate pænè intolerabilis. Noctu suspenderat è duabus arboribus lectulum pensilem, ad aliquam quietem capiendam: sed ventus unam ex arboribus eradicatam, in ipsum deturbavit, indubiè periturum, nî, protegente Cælo, ictus cadentis arboris inter duos ramos hominem excepisset. Pauculi comites tot difficultatibus exacerbati,

Decem oppida Tapensia.

SS. Cosmæ & Damiani incolæ transmigrant.

Christophoro Arena adjuvante.

Christophori Arenæ labores.

Patrem,

Patrem, tanquàm malorum suorum causam, fugillantes, acerbis minacibusque verbis identidem proscindebant, indubiè in violentum factum prorupturi, nî Cœlum exacerbatos utcumque mitigasset. Optabat Christophorus, pænè jam exanimatus, mori; sed mox recurrente erga tot animas Christi sanguine redemptas amore, majoribus etiam cruciatibus sese offerens, exertis qualibuscumque viribus, ad quæsita latibula penetravit: non sine magno animarum lucro; nam plures infantes, adultosque in ultima ægritudine baptizatos, ad Cœlos transmisit. Transfugis verò omnibus dicendi vi persuasit, ut se sequerentur. Ubi ad plana venêre, cum inedia ad fœdas escas adigente certandum fuit. Transmisso verò Urvaicâ, sycophantarum ludibriis dementati, ultrà progredi pertinaciter renuêre, palam objectantes, se è patria à Patribus Societatis eo fine educi, ut Hispanis pro mancipiis traderentur. Nihil diu profuêre Sociorum obsecrationes, donec in sycophantas animadverteretur. Per tantos labores tandem ad alterum Paranæ littus, inter Lauretanam & Purificatæ Virginis colonias, deducti, vicinorum populorum operâ constructo templo, retento Sanctorum Cosmæ & Damiani titulo, oppidum reædificavêre: ad quod incolendum deserti oppidi reliquiæ, Adriano Formoso & Joanne Sasatello ductoribus, per easdem fermè difficultates eductæ sunt. Ex hoc oppido, præter nonagintaquinque pueros, ducenti & duo adulti, Christo per Baptismum, hoc anno, accessere.

CAPUT XVIII. Tapensis transmigratio continuatur.

SED longè difficilior fuit Araricanorum, seu Nativitatis Virgineæ oppidanorum, transmigratio. Hi superioribus mensibus, partim rebellârant, partim latronum periculis se subtrahentes, transmisso Urvaicâ, medio inter Mariæ Majoris & Divi Xaverii colonias intervallo, novas sedes posuerant. Qui rebellaverant, sylvis patriis se tutantes, ferociter Sociorum consiliis reluctabantur, donec transmigratione sancitâ, tutelæ diffidentes, Provinciali se sisterent, præteritæ diffidentiæ veniam postulantes. Quâ non ægrè impetratâ, eò deducti sunt, ubi eorum populares sementem fecerant. Eo in loco novum oppidum (cui ego aliquando per triennium opellam meam contuli) sub nomine Principum Apostolorum fundatum est. Porrò ex Araricanis hoc anno quadringentos & quinque, magna ex parte adultos, Societas Christianis addidit. Eadem fermè fuit Divæ Annæ incolarum fortuna, nam quòd trans Igaïm positi essent, adventu Mamalucorum hinc inde dispersi, oppidum suum partim deseruerant, partim avitis sylvis se abdiderant. Ad hos Augustinus Contreras missus, quingenta fermè capita collegit, quæ aliis juncta, tantum numerum confecêre, quantus sufficit ad justum oppidum reædificandum; quod ad Urvaïcæ primùm, deinde ad Paranæ littus positum, hactenùs feliciter perseverat. Itaquatiani Sancti Josephi incolæ etiam quàm alii ferociùs reluctati sunt. Tandem tamen, adnitentibus Petro Romero & Josepho Cataldino, ab iis impetratum, ut vellent transmigrare: quibus ad novam sedem ponendam inter Corporis Christi & Sancti Caroli colonias sylvæ Paranenses designatæ sunt. Nec parva felicitas fuit inter tot turbas, præter nonaginta-novem infantes, sexaginta & unum suprà ducentos adultos, potuisse sacro Fonte lavari. Dum hæc aguntur, Sancti Thomæ incolæ (apud quos, dum hæc molior, dego) inflammato oppido, partim tertâ, partim secundo ibicuito, & adverso Urvaïcâ, ductoribus præsertim Ludovico Ernotio & Emmanuële Bertotio, ad ipsum Urvaïcam, decimo-quarto infrà Conceptionis oppidum lapide, constructis ædibus, feliciùs quàm alii consedêre: nam quamvis sub initium transmigrationis auxilia vicinarum coloniarum eis defuerint, tamen procedente tempore, ob vastitatem adjacentium camporum pecori alendo & seminibus jaciendis idoneorum, multas commoditates præ aliis percepêre: adeò ut, etiam dum hæc scribo, post tot rerum & temporum adversitates, quater mille capita computentur. Ex hac gente, hoc de quo scribimus anno, quadringenta & octoginta capita Christi partibus addita sunt. Sancti Michaëlis colonos Didacus Boroa Provincialis è patriis sedibus, cum aliarum coloniarum reliquiis, ad Urvaïcam transmigraturos, in quibus ter mille & quadringenta capita censebantur, eduxit, & aliquousque deduxit: donec, transmissis montibus, ad plana perveniret. Inde enim ad præcedentes turmas juvandas, duplicatis itineribus progressus, more Ducis, omnibus consilio, incita-

Araricani transmigrât.

Oppidum fundant,

Et Sanctæ Annæ incolæ.

Item Itaquatiani,

Et Sancti Thomæ incolæ.

Necnon colonus Divi Michaëlis.

mento &, ubi opus erat, indutâ qualicumque severitatis personâ, adfuit. Sancti Michaëlis incolæ, paulò suprà Conceptionis Immaculatæ coloniam, sedem novam fixêre, quorum hoc anno ducenti & nonaginta-quinque adulti, & octoginta-novem infantes, loti sunt. Ex Theresianis Itapuam translatis septingenti & nonaginta capita, ut aliorum oppidorum proventum sileam, Christiana facta sunt.

CAPUT XIX. Transmigrationis difficultates describuntur.

QUID porrò in itinere sexaginta septuagintáve leucarum, per sterilem solitudinem, in deducendis tot mortalibus omnium rerum egentissimis, Socii toleraverint, quia in omnibus ferè paria sunt, sigillatim enarrare supersedeo. Passim videre erat Socios ipsos infantibus succollare, qualescumque ciborum cupedias sibi demere, filios, quos in Christo genuerant, omnibus officiis procurare. Satis constat, his adjumentis duodecim circiter capitum millia sine gravi damno, desideratis in viâ pauculis, partim ad Paranam, partim ad Urvaïcam concessisse. Quò ubi pervenêre Socii, longè majori labore oppida reædificavêre, quam olim in Tapensi Provinciâ construxerant. Præterea ad sementem tot mortalibus faciendam de novo, deturbatæ sylvæ, semina ingenti difficultate conquisita, boves magnis expensis coëmpti, templa & ædificia constructa, aliaque præstita sunt, quæ reformandis coloniis opportuna videbantur. Post transmigrationem Augustinus Contreras, trans Igaïm delatus, in destructorum oppidorum ruinis circiter trecentas familias, partim Ethnicorum, partim Neophytorum, collegit, non sine capitis periculo: nam cujusdam Neophyti temeritate, quasi clam cum Mamalucis colluderet, apud primores gentis suspiciosus redditus fuit. Sed Contreras sycophantæ calumnias explodens, rursum congregatam gentem, proditionis metu disparatam, prosperè conciliavit, reduxitque. Interim Provincialis animum adjecit ad eorum populorum reliquias componendas, quæ ante sesquiannum Mamalucorum furorem evitantes, in Caaroënsi & Caasapaminiensi tractu constiterant: itaque rem ordinavit, ut JESU-Marianorum partem Ibitiraquanis adjungeret, alteram verò partem cum Sancti Christophori, Sancti Caroli, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, residuis capitibus, trans Urvaicam, paulò supra Sancti Michaëlis oppidum collocarent: ubi ædibus & templo constructis, sub nomine Sanctorum Martyrum Japoniæ (apud quos ego, quamvis tantâ exercitatione indignissimus, per multos annos elaboravi) hactenùs feliciter persistunt.

Oppida reædificantur.

Trecenta familiæ reducuntur.

Reliquiæ transmigratorum oppido includuntur.

CAPUT XX. Neophytis Europæa arma conceduntur.

INTER hæc Didacus Boroa Provincialis, ab Paranæ & Urvaïcæ Casiquiis rogatur, ut vellet imposterùm consulere tot miserorum capitibus, furori hostium expositissimis, nisi bombardæ ferreæ concederentur: *Nam quomodò*, inquiebant, *nos nudi contra armatos ferratosq;, aut suffulta vestimenta gerentes, præliabimur? quomodò nos arundineis sagittis, quorum ferè inutilis ictus est, tuebimur; si hostes ex longinquo sclopetis ignem plumbumq; vomentibus, nos invadunt? dentur nobis æqualia arma, & promemus animos hostibus pares; ostendemusq;, tantam nobis inesse vim ad defendendum uxores filiosq; nostros, quanta Mamalucis ad mancipia conquirenda cupiditas inest.* Hæc Barbari. Sed longè graviores causæ movebant Provincialem, ut vellet conquirere indefensæ genti æqualia Mamalucis arma: nam satis apparebat nusquam hostes quieturos, donec omnem Americam Australem Indis evacuassent, timendumque erat, ni obviam iretur, ne, ruptâ aliquando inter Lusitanos & Hispanos pace, in Peruviam ipsam infesta arma inferrent. Quare cùm ex Hispaniâ magnorum virorum, Regias partes agentium, litteras recepisset, quibus monebatur, remedio miserrimæ gentis & futuris rebus prævideret; omnem deinceps modum adhibuit, quo sclopeta impetraret. Quamvis igitur Prætores Regii civilesque Magistratus obtenderent, nullis adhuc Indis ob periculum rebellionis in Americâ concessum fuisse bombardarum usum, tamen perpensis rerum momentis, tandem in sententiam Provincialis pedibus manibusque euntes eas concessêre. Quam facultatem Senatus Chuquisacensis Regius, & adnitente Antonio Ruisio, amplissimo diplomate Rex Catholicus, magno Americæ Australis bono adprobavit. Igitur statim coëmptæ confectæque bombardæ, eâ lege Neophytis permissæ sunt, ut ur-

Causæ concedendi.

gente

gente bello iis uterentur; pacis verò tempore, tumultuum vitandorum ergò, sub serâ servarentur, & hactenùs multa commoda tempore belli percepta esse reperio: certumque est, latrones non ita ut ante fuisse grassatos. Atque, ut sua cuique laus constet, nemini dubium fuit, Didaci Boroæ Provincialis zelo, authoritati, consilio, laboribusque, Tapensium & Urvaicensium libertatem magnâ ex parte deberi, sine quo Indi nec transmigrationi assensissent, nec arma ad eos imposterùm defendendos impetrata fuissent.

Utilitas concessorum armorum.

CAPUT XXI. Post transmigrationem fugitivorum receptacula indagantur.

POST QUAM Provincialis abiit, & exploratores nunciavêre, Mamalucos cum prædâ in Brasiliam revertisse, Didacus Alfarus delectu fidissimorum Neophyrum habito, aliquot Socios ad destructorum trans Urvaicam oppidorum ruinas, Tapensemque Provinciam, destinavit, indagaturos omnia fugitivorum receptacula, dispersasque luporum metu oves ad ovile Christi postliminiò reducturos. Primi movêre Franciscus Ximenius & Philippus Viverus. Hic in Caasapaguaçuensi, Caapiensique regione persistens, bis vix mortem evitavit, intentatam ab Indis, suspicione corruptis; quos noster Philippus reconciliatos cum aliis mortalibus Christi partibus addidit. Ximenius ad Sanctæ Theresiæ destructum oppidum cum Antonio Bernal coadjutore ausus progredi, qualemcumque animarum messem invênit; nam vetulos vetulasque, pro inutilibus ab Mamalucis derelictos, è latebris eduxit, factâque vicinorum nemorum indagine, aliquot capita, tanquam post copiosam messem, pauculas spicas, magno animi gaudio collegit, & ad Philippum Viverum rediens, utriusque regionis segetem, trecentis animarum manipulis constantem, ad Itapuanum oppidum ambo reduxêre. In hac expeditione notabilis fuit Emmanuëlis Neophyti, Sociorum comitis, caritas, qui sæpè per plura milliaria ægros in humeros sublatos boni Pastoris exemplo portavit. Trimestri elapso iidem excursores eòdem se conferentes, nuncio de Mamalucorum regressu accepto, ultra Caaroënsem regionem progredi non potuêrè; unde sexaginta capita è latibulis eruta ad Christi caulas retraxêre. Interjecto tempore Franciscus Ximenius, Petrus Mola, & Gaspar Serquiera, versus Tapenses montes delati, confectis in itu & reditu centum circiter leucis, cum prædâ octoginta Barbarorum redière.

Trecenti reducuntur.

Item sexaginta.

Et octoginta.

CAPUT XXII. Expeditio ad sylvestres Paranæ populos.

SUB id tempus memoratur etiam Antonii Palermi ad superioris Paranæ sylvestres populos expeditio, ad quos non facilis erat aditus, quòd longissimo tractu, intactis sylvis, ingentibus saxis, & præcipitio tutarentur. Postquàm tamen Palermus octoginta circiter Neophytis comitatus, post octiduanam navigationem, ad proxima Mondaï in Paranam se exonerantis loca cymbas applicuit, omnem deinceps curam ad superandum præcipitium, viamque per spississimum nemus sternendam, adhibuit: quo in opere octo diebus positis, indagationi Indorum deinceps ipse insudavit. Post septimum indagationis diem, indicio latibulorum accepto, primo conatu duo tantùm Barbari in manus venêre, qui statim Neophytis spopondêre, si se viæ duces sequerentur, fore ut frequentes homines reperirent; quò dum nostri incautè pergunt, illorum unus, lethaliter ex insidiis confossus, interiit. Interim cæteros Ethnicorum pagos fama de Palermi consilio pervadens, pleroque ad fugam perpulit: adeò ut ex magno numero centum solummodò & quinquaginta capita se Antonio Palermo tradiderint, è quibus statim ipse quinquaginta septem infantes sacris aquis immersit, cui tantilla præda pænè lethalis fuit. Nam repentè orta tempestas Paranam adeò fœdè perturbavit, ut plerique autumarent, omnibus pereundum esse. Barbari Ethnici, corporibus salvandis intenti, in postremis animarum curam stolidè ponebant, & quia defectu Catecheseos Baptismo non idonei erant, Palermus, spreto propriæ vitæ periculo, altâ voce pronunciabat nostræ Fidei Mysteria; nec audiebatur à Barbaris, metu mortis pænè exanimatis. Cùm verò Palermi navigiolum jamjam submergendum, crescentibus fluctibus, crederetur, Indi duo, & puer unus metu submersionis, ut fit, eum ita brachiis illigârunt, ut omnem modum sese liberandi subtraherent: quo in periculo dum versatur, eximiâ

Neophytus maclatur.

Antonius Palermus plures infantes baptizat.

Naufragatur.

fortitudine Neophyti cymbam per fluctus mari similes, navigio pænè submerso admovêre; in quam descendens Palermus, ad littus applicuit, cæteris natatione, aut aliis adminiculis, è naufragio sese eripientibus. In littore Ethnica mulier, viperæ morsu lethaliter saucia, nostris Mysteriis imbuta, ad Cœlos, ut spes est, post susceptum Baptismum, evolavit. Reliquos ad oppidum Christianis moribus & Sacramentis instruendos Palermus reduxit.

CAPUT XXIII. Itatinenses variis calamitatibus afflictantur.

APUD Itatinenses etiam cuncta turbabantur, Mamalucis, ceu amphibia animalia solent, fluvios terrasque omnes infestantibus. Duo oppida in ea regione ab Societate posita, propter concatenata mala, suis temporibus denarrata, diu nutaverant; quibus accessit hac tempestate novus belli metus ab prædonibus illatus, ausis iterum, prætergresso Paranâ, ad proxima Paraquariæ loca sese effundere. Et jam abegerant Neophytorum nostrorum manipulos, indubiè parem cum cæteris fortunam experturos, nî Sociorum vigilans cura eorum conatus infregisset, & Cœlum manifestis pœnis animadvertisset in latrones, quorum plurimos fulmina cineravêre, morbi exanimavêre, flumina hausêre, tygrides devoravêre; adeò ut perpauci tantis malis superstites, prædâ spoliati, Brasiliam reviserint. Dum Pater Justus Vansurkius, ab Vincentio Badia Socio optimo in subsidium misso adjutus, unum è duobus oppidis in meliorem locum transferre contendit, pænè mortem invênit, intentatam ab Casiquio minaci vultu in eum arma moliente. Defensio Vansurkii fuit, nudatum pectus ferire volenti opponere; quâ constantiâ ferocientis impetus retusus est. Igitur ambo Socii utrumque oppidum utcumque reformavêre. Sed, si vera volumus noscere, belli metus, pestis, indoles Barbarorum, aëris inclementia, fames, & aliorum series malorum, omnia rursum mox deformavêre, aliquam stabilitatem habitura, cùm sequenti anno auxiliares Socii eò penetrabunt.

Mamaluci puniuntur.

Justi Vansurkii periculum.

CAPUT XXIV. Socii per Tucumaniam fructuosè excurrunt. 1639.

AB Cordubensibus Sociis ad fluvios, quos Primi, Secundi, Tertii & Quarti nominè, ab situ nuncupant, solitâ utilitate excursum est. His in locis reperti multi Neophyti, dæmonum spectris vexati. Unus inter alios, dæmone succubo utens, narravit Sacerdoti nostro, per viginti nefandæ turpitudinis annos, nihil se ab infami Adonide, multa licet promittente, præter vilem ex lana togam accepisse. Factâ exhomologesi, ad partes liberalioris Domini transiit. Idem Socius desertis in locis reperit quindecim Ethnicorum casas, ex corio confectas, apud quos Christi imaginem manu prætendens, de genibus adeò porenter verba fecit, ut omnes, adorato Deo, baptizari postulârint: infantes sacro Fonte loti sunt; sed adultæ gentis capita in constantiæ experimentum differri debuere. Alio in tractu apud Hispanos graviter dissidentes concionans, ad impetrandam pluviam, siccissimis agris omninò necessariam, supplicationem instituit; quâ peractâ, ad auditores conversus, significavit non videri sibi Cœlum votis obsecundaturum, nî odia deponerent: odiis positis, indubiè postulata concessurum. Mirum dictu! postquàm frequentes coram Concionatore dextras & oscula, in signum redintegratæ amicitiæ, sibi præbuêre, sequenti nocte cœlum largiter pluit.

Quindecim Ethnicorum casæ ad Fidem sollicitantur.

CAPUT XXV. Ocloïarum oppidum traditur Franciscanis.

GASPAR Osorius, authoritate Episcopi, ad Chaquensem expeditionem viam sibi sternere volens, Ocloïarum oppidum ab se constructum, ex Majorum præscripto Ignatio Medinæ regendum tradiderat, perrexissetque in perficiendo opere Societas, nî ex inopinato Franciscani Patres reclamassent, dictitantes, ab Societate JESU in messem suam falcem immitti: id autem dicebant, quòd præteritis temporibus Ocloïas ad Fidem primi sollicitassent, eoque jus ad eos regendos prætenderent. Prætor & Episcopus Tucumanensis re cognitâ, ab Franciscanis postulavêre, ne se intempestivè interponerent Sociorum JESU consiliis; differrent tantisper, importunam interpellationem Chaquensi cupitissimæ expeditioni forrè nocituram; rebus in novâ Provinciâ stabilitis suum cuique jus ex æquo & bono mansurum. Verùm cùm tantorum virorum postulatis Franciscani Patres refragarentur, & litem ad Senatum Regium Archiepiscopumque referrent, Didacus Boroa

Provincia-

Provincialis, pacis amans, Ocloïas Societatis operâ ad oppidum reductos, incredibili Barbarorum dolore, ægerrimè se ab Sociorum curis expedientium, Franciscanis concessit.

CAPUT XXVI. Gaspar Osorius & Antonius Riparius ad Chaquensem Provinciam pergunt.

INTERIM Gaspar Osorius, & Antonius Riparius non ita pridem ex Italiâ advectus Societatis Sacerdos, Sebastiano Alarcanio Paraquariensi adolescente Religionis nostræ candidato comitante, per Ocloïas in Chaquensem Provinciam aditu frustra tentato, ad Cucuisensem urbem venerant, unde novo Provincialis mandato, & reculis ad conciliandos Barbaros instructi, iter sine viæ duce aliorsum tentavêre. Ibant ferè pedites per sylvas & invia saxeta, adeò difficulter, ut annosæ arbores & spineta passim deturbanda forent, quò progredi possent. Ex itinere Ripario in sylvis, tygridum & ferorum hominum insultibus obnoxiis, relicto, Osorius Cucuisensem urbem viæ ducem quæsiturus repetiit, quo reperto, aïens internâ quâdam vi impulsum, ne vellet tantisper differre expeditionem, reclamantibus Hispanis, rursum se dat in viam: & ipse Riparius obviis quibusque affirmabat se ad Martyrium properare. Ambo quotidiè summo mane in altari portatili faciebant: in itinere occursantes Indos Catechesi informabant, datis munusculis, quotquot poterant, sibi conciliabant, quorum aliqui è Palomorum gente, & ex alia natione, quos Hispani Labradillos, seu Pintadillos vocant, eis adhæsêre. Et quia viaticum post aliquot dierum iter deficere cœperat, Osorius Sebastianum Alarconium ad Cucuisensem urbem in comitatu Labradillorum remisit, qui, instigante dæmone, secundo ab discessu die, in Religionis odium, Alarconium fœdè trucidârunt, devoratisque, ut fertur, ejus carnibus, cranio in crudelitatis trophæum assumpto, ad locum, ubi Osorius Ripariusque pernoctabant, iterandi parricidii ergò, dissimulanter redière.

Sebastianus Alarconius ab Barbaris mactatur.

CAPUT XXVII. Gaspar Osorius & Antonius Ripárius trucidantur.

NON defuit qui de periculo necis utrumque admoneret, maluêre tamen eam religiosè præstolari, quàm fugere. *Veniant*, inquiebant, *& pro verbo Dei fideliter prædicato necem nobis rependant, futuram ad beatitudinem viam.* Intempesta nocte, parricidæ sarcinas, supra quas Socii somnum capiebant, & altare portatile, violenter diripiunt, quo signo inferendæ necis accepto, reliquum noctis inter preces & confirmandos mutuò animos piè transegêre. Sequenti mane ambos nomina JESU invocantes adoriuntur Barbari, & primo impetu Osorium clavâ prosternunt, secundo Riparium, & detruncata utriusque capita in victoriæ symbolum pro more gentis jactabundè efferunt. Sunt qui asserunt, ideò ab devorandis cadaveribus Antropophagos abstinuisse, quod assiduo religiosæ inediæ usu nimiùm macra forent. Dilapsis parricidis, Indi Patrum comites, defectu instrumentorum, non humavêre corpora, sed satis habuêre contra ferarum & avium rapinas, superpositis arborum ramis, tumulasse. Mox Saltam, Hispanorum urbem, redeuntes, seriem parricidii civibus narravêre: tum verò habita fides est amborum dictis, ante discessum obviis quibusque affirmantium, se ad Martyrium pergere. Saltenses cives utrique parentavêre, majori luctu, quàm pompâ, quam addidit in Tucumaniæ Metropoli Melchior Maldonatus Episcopus, solemni ritu justa persolvens, & per totam diœcesim idem fieri præcipiens. Sacer Panegyrista è Franciscanorum Ordine amplissimis titulis utrumque commendavit. Hieronymus Delgadillus, Theologiæ Magister, Ordinis Prædicatorum, coram ipso Episcopo pro concione Martyres appellavit. Episcopus ipse in seriem illatæ necis ritè inquiri jussit, satisque constat ambos ab Barbaris trucidatos, quòd Sacerdotes, & Christianæ legis doctores essent. Franciscus Guichius, Indus, affirmavit, ab duobus Palomis se didicisse, Gasparem Osorium, sacerdotali amictu & splendore cœlesti circumdatum, quotidie Barbaris in parricidii loco se ostentare, & decem circiter alterius factionis Indos ad visendum ostentum eò ire ausos animam exhalasse: parricidas verò omnes intra breve tempus sacrilegum scelus morte luisse. Sed ejusmodi titulos & portenta severiori examini relinquo, nam mei muneris est fideliter accepta, juxta authorum fidem, narrare, non asserere, quando ob levitatem testium non satis probantur.

Mors utriusque pretiosa habetur.

Ostentum.

CAPUT

CAPUT XXVIII. De Gaspare Osorio memorabilia.

GASPAR Osorius Valderavanus, quatuor vota ritè professus, nobili sanguine Villavegæ in Castella veteri natus, admodùm juvenis Societatem iniit. Religiosarum virtutum amans, castitatem planè Angelicam coluit. Rebus in arduis obedire assuetus, id assequutus est, ut usque ad mortem obediens fieret. Etiam dum Collegiorum Rectorem ageret, gossipinâ veste prodibat in publicum. Diu usus est galero malè interpolato, & suprema parte alutâ contecto. Vilia quæque munia obire, inter primas delicias reponebat. Brevem somnum, nunquàm nisi supra stratum ex cannis contextum, aut corium Sole duratum, capiebat. Cervicali lapideo etiam æger uti repertus est. Flagellis cuspidatis sæpè in corpusculum usque ad sanguinis profusionem sæviebat. Multoties inter arduos vitæ Apostolicæ labores cilicinam vestem induebat. In pervigiliis Beatæ Virginis, pane & aquâ contentus, ab cæteris obsoniis abstinebat. Ex quotidiana cum Deo familiaritate flammas concipiebat, quas in publicis privatisque colloquiis, magno fervore & animarum utilitate, spargebat; adeò ut aliquando vir gravis Dominicani Ordinis, auditâ ejus concione, ob fervidum dicendi modum, cum altâ voce Apostolum appellârit. Sanctitatis famam apud omnes collegerat, inde natam, quòd sui non negligens, omnium salutem intensissimè procuraret. Riocæ Rectoris officio fungens, factâ ad vallem fertilem excursione, plures mortales Baptismi, & aliorum Sacramentorum collatione, magno labore, ex dæmonis unguibus eripuit. Primus ipse Chaquensem provinciam ante aliquot annos tentavit, & iterum iterumque eam aggressus, non destitit, donec tertio conatu, illustris mortis palmam adipiscereturr. Novum idioma, pro subigenda Christi imperio Tobarum natione, didicit. Tonocotanâ linguâ, quantum sufficiebat ad instruendam gentem, utebatur. Quiscoam percalluit. Ocloïarum sermonem ad lexicon redegit. Quamvis de nulla re ardentiùs cum familiaribus ageret, quàm de procuranda animarum salute; tamen ubi sermo incidebat de adeunda Chaquensi provincia, totus igneus erat, & quandoque, quasi sui impos, ex abrupto coram Sociis subinde subsiliens, in has voces prorumpebat. *Sic sic*, inquiebat, *Chaquenses mei telis aliquando me impetent, sic clavâ percutient, sic membra discerpent.* Inter quas voces, & parricidarum imitamenta, glorioſæ palmæ adipiscendæ velut certus, cœlestibus liquescens deliciis, Cœlum vertice ferire sibi videbatur. His desideriis incensus ex Hispania venit, hæc vota per tot annos variis in muniis fovit, donec ætatis quadragesimo-primo, Religionis vigesimo-septimo, optatis potiretur.

Ejus religiosæ virtutes.

Afflictandi corporis studium.

Fervor.

Zelus animarum.

CAPUT XXIX. Antonii Ripani vita.

ANTONIUM verò Ripanium Casalmuranum in Cremonensi agro non ignobile oppidum feliciter genuit. A piis & honestis parentibus liberaliter educatus, suorum popularium amores ideò promeritus est, quòd nullus aliquando repertus sit, qui vel minimam noxam in eo annotarit. Nusquam eo præsente coætanei ausi sunt procax salaxque verbum effutire. In Societatem receptus, tantam adeptus est innocentis animi famam, ut passim de eo, quod olim de Divo Bonaventurâ, dictitarent, nempe talem videri, qualis esset, si Adam in eo non peccasset. Tyrocinio religiosè expleto, humaniores litteras partim Mediolani, partim Savonæ quadriennio docuit, discipulorum quàm plurimos Religiosis ordinibus adscripsit. Mediolani sacrarum litterarum studio vacans, subministrum egit. Ad Corsicam insulam ideò mitti cupiebat, quòd plerosque Socios ab hâc insulâ insalubritas aëris absterreret. Paraquariam Provinciam adeptus, quâvis datâ occasione, Martyrii desiderium expromebat: eò omnia religiosæ vitæ momenta, Corporis afflictationes, & Divorum Tutelarium suffragia, referebat. Animæ suæ curatoribus affirmare solebat, nihil se frustra ab amantissimo Magnæ Virginis sponso aliquando flagitasse; pronumque est credere, tanti Patroni meritis glorioſæ mortis occasionem eum impetrasse: certè propalabat, Divo Josepho adnitente, Chaquensem provinciam cœlitùs sibi fuisse assertam. Marcello Mastrillo, ad Orientem navigaturo, ideò charus in Europa fuit, quòd Franciscum Xaverium singulari affectu coleret. In navigatione Indica ejusdem Divi lipsanotheca in mare immersa, magno vectorum stupore, periculosam tempestatem sedasse credita est, in cujus

Antonii Ripani vita.

Innocentia.

Pietas.

Erga Divum Xaverium affectus.

beneficii

beneficii memoriam voto concepto, benefici Divi pervigilium sacrâ inediâ deinceps celebravit. Sextis feriis recurrentibus, Christi patientis memor, pane & aquâ contentus, ab cæteris cibis constanter abstinuit. Quoties Chaquensem provinciam nominari audiebat, aut labores pro animarum salute exanthlandos animo revolvebat, mens ejus insolitis deliciis perfundebatur, quas dissimulare impotens, in familiari congressu, magnâ verborum sinceritate, Sociis explicabat. Osorio & Ripario interfectis, multi Socii eandem provinciam ambierunt, tum demum perviam futuram, cùm cœlum aspiraverit.

CAPUT XXX. Joannis Cereçedæ & Gonsalvii Justæ virtutes.

SALTENSE Collegium Rectorem suum Joannem Cereçedam luxit, Apostolicis excursionibus, Asceticis institutis, Religiosis virtutibus, Tyronum diuturno magisterio, & morum innocentiâ, in primis commendandum. Mortui pedes venerabundi cives osculati, ejus reculas, tanquàm viri Sancti, ab nostris enixè postulavêre. Sed longè adhuc majori Sanctitatis famâ ibidem elatus est Gonsalvius Justæ, rerum externarum adjutor, ab Nierembergio inter illustres Societatis heroës jure meritissimo relatus. Olim è Gallecia, patria sua, in Americam navigans, per plures deinceps annos in Chilensi regno pro Rege Catholico militavit, nihil militis habens præter arma & generositatem; cætera Religioso viro persimilis. Quantum per militiæ leges licebat, sacris mysteriis, religiosis colloquiis, & concionibus aderat. Quadragesimo circiter ætatis anno è militia Regia in Societatem nostram transcriptus, religiosæ vitæ periodos omnes per viginti circiter annos constantissimè percurrit. Veste & calceis ad sui despicientiam utebatur vilissimis, maleque sartis. Nec mensam, nec cubile, nec sedile unquam habuit. Super obvia ligna sub dio, aut alibi, levissimum somnum carpebat. Nusquam adduci potuit, ut Sociis in triclinio assideret. Amotis mensis, ciborum reliquiis stans, tanquàm vilissimum mancipium, vescebatur. Ruri degens, quamvis corpus diuturnâ fossione fatigaret, præter panem & poma nihil edebat. Sed quod pænè fidem excedit, per octodecim continuos annos ab omni potu in mensa & extra mensam abstinuit, adeò constanti proposito, ut ne guttam quidem aquæ, ardente maximè in regione calidissima Sole, nec sanus, nec æger admiserit. Ne jusculum quidem sorbebat, contentus melonum aliorúmve pomorum cortices, aut alias amotarum mensarum quisquilias, rodere. In castigando corpore vehementissimus fuit. Ingenti ulceri, ad formam carcinomatis subinde in latere renascenti, non aliud remedium adhibebat, quàm candentis ferri, aut ferventis tegulæ, admotionem. Cùm verò per id ulcus costa putredine corrupta eminens perniciem minaretur, quasi nihil hæc pars corporis ad se pertineret, ferro rescindi inexperti mancipii manu jussit; perfecissetque incœptam carnificinam, ni fortuitò unus è nostris superveniens, certum vitæ periculum avertisset. Quidquid ab exercitiis manualibus nanciscebatur otii, exorando Deo, aut piorum librorum lectioni, flexis genibus, tribuebat. Aliquando cœlestis gloriæ species ei objecta est cum indicibili animi gaudio, inde orto, quòd interim vocem audierit, asserentem eum eâ gloriâ æternùm potiturum. Conscientiarum suarum curatori triduo ante mortem sanctè affirmavit, per multos dies visibili specie Christum, ejusque matrem, corporeis oculis coram spectasse. Nec hæc ostenta abludebant ab ejus vita, castitate, animi demissione, charitate, & cæteris virtutibus ornatissima: adeò ut hæc provincia inter præcipua sua decora Gonsalvium nostrum numeret. Ex Saltensi urbe solito fructu excursum est. Cucuisensis urbs, ab Emissariis Sociis exculta, honorariis litteris Provinciali gratias agens, oblatâ grandi pecuniâ, fundationem Collegii enixè postulavit: sed in præsentiarum abundè urbi, non admodùm populosæ, consultum iri visum est, si temporariis excursionibus adjuvaretur.

Gonsalvii Justæ patria.

Militia.

Abstinentia.

Gonsalvius per octodecim annos ab omni potu abstinet.

Corpus afflictat.

Cœlestes favores recipit.

Cucuisensis urbs Societatis sedem petit.

Non impetrat.

INTERIM Paranenses Urvaïcensesque Socii, partim recondendis oppidis, partim explorandis latronum consiliis, operam dabant. Et quia parum fidebant Neophytis, plerumque vanis metibus obnoxiis, aut non satis constantibus, Didacus Alfarus sic curas partitus est, ut bini Socii trans Urvaïcam mutatis vicibus delati, num quid hostile appareret, explorarent; & si quos errabundos Indos per campos

CAPUT XXXI Didacus Alfarus ab Mamalucis mactatur.

Socii exploratores.

Duorum adolescentum facinus heroicum.

& sylvas reperirent, ad oppida retraherent. Quo in munere Antonio Palermo & Philippo Vivero versantibus, Neophyti duo adolescentes, eorum comites, temerè progressi, in Mamalucorum insidias incidêre, à quibus vinculis onerati, inter captivos tamdiu gemuêre, quousque facinus ederent planè heroïcum. Quippe execrati miseram servitutis conditionem, collatis inter se capitibus, nocte omnibus somno sepultis, manus post terga revinctas igni admoverunt, tamdiu earum adustionem tolerantes, donec vincula, igne cremata, solverentur: quibus solutis, nocte silente, per nota viarum diverticula fugiendo, quatuordecim leucis emensis, Patribus se reddentes, magno auxilio fuêre ad cognoscenda latronum consilia. Paulò antequàm hæc gererentur, Paraquariensis Prætor Petrus Lugo litteras ab Rege Catholico receperat, significantes, eam demum mentem esse suam, ut totis viribus in defensionem Barbarorum ab Societate reductorum, & ab Mamalucis vexatorum, incumberet: commodumque acciderat, ut ipse Prætor cum quadraginta Hispanis Paranensia Neophytorum nostrorum oppida inspiceret. Igitur Prætor, adnitente Didaco Alfaro, tractis ad bellum Hispanis comitibus suis, quatuor Neophytorum nostrorum millia contrahit, quibuscum quantâ maximâ potuit celeritate in Caasapaminiensem agrum, ubi hostes degebant, proficiscitur. Eum sequebantur Didacus Alfarus, & aliquot Socii, pro more bellaturos animaturi, morientésve adjuturi: sperabantque omnes hostem facillimo negotio debellari posse, cùm res accidit funestissima. Postquàm enim Didacus Alfarus, omnium præfectus, subditos Socios, ne se temerè periculo exponerent, monuisset, & Neophytos in aliquot velitationibus ad justam defensionem animasset, ipse extra castra tanquàm explorabundus paululum progressus, ab Mamaluco, in insidiis collocato, glande plumbeâ transverberatus, interiit. Cognitâ ejus morte, Neophyti dilato luctu irâ perciti, in hostem totum impetum effudêre, non ante placabilem, quàm omnes profligarent. Hoc prælio Mamalucî Tupicique complures in manus venêre. Prætor Mamalucos ad se tractos, acrique sermone castigatos, interim dum de pœna tantorum scelerum deliberaretur, Neophytis tradidit custodiendos. Captivi omnes Indi hoc uno fuêre felices, quòd è dura corporum servitute in libertatem filiorum Dei asserti, & ad oppida reducti, parem cum victoribus, suscepto Baptismo, conditionem adepti sunt. Cadaver Alfari, succollantibus Indorum primoribus, non interrupto quattriduani itineris labore, ad Conceptionis Urvaïcæ oppidum delatum, solemni pompâ, non sine heroïci facinoris laude, ab Sociis sepultum est. Cæterùm multùm contulit ejus mors ad diluendas quorumdam Neophytorum suspiciones, in id adhuc intentorum, ut existimarent se ad oppida eo fine cogi, ut Mamalucis traderentur. Prætor captos Mamalucos ad Assumptionis urbem, octogesimo lapide distantem, duxit. In hoc non laudandus, quòd deinde indulgentissimè cum hominum facinorosissimis egerit. Nec defuêre qui putârunt, ob lentitudinem morbo correptum, ejusque domum fulminatam fuisse; qui quamvis latrones ad Argentei fluminis Prætorem, ut castigarentur, remiserit, factum tamen est, quorumdam mortalium favore, ut flagitiosissimi homines impunè in patriam dilaberentur.

Regis Catholici provida cura.

Bellum paratur.

Didaci Alfari mors.

Mamaluci vincuntur.

Captivi fiunt

Indi in libertatem vindicantur.

CAPUT XXXII. Didaci Alfari vita.

PORRÒ noster Didacus, Patre Francisco Alfaro in Panamensi Chuquisacensique Senatibus, & in Madritensi Rationum aulâ Senatore amplissimo natus, postquam Limæ primis litteris est imbutus, in Europam navigans, antequàm Societati nomen daret, liberalibus disciplinis Salmanticæ vacavit. Quarto Religionis anno, Apostolicorum laborum avidus, procurante Joanne Vianâ in Paraquariam faustis velis venit. Cordubæ Tucumanorum sacris studiis dans operam, dispositio ab Superis casu refrigescens, in se juvandorum Indorum desiderium renovavit; nam fluvium transmittens, cæcutientibus derepentè ex vertigine oculis, ob aquarum rapiditatem ex equo lapsus, cùm omnino submersus fuisset, nihilque propiùs esset, quàm ut suffocaretur, operâ Indi comitis sui ad littus extractus est: domum relatus, resumpto tantisper spiritu, in liberatorem oculos conjiciens, hæc verba protulit. *Quia*, inquit, *per Indum hominem Deus me à præsentissimâ corporis morte liberavit, sanctè promitto, quantum per majores meos licuerit, me totum Indorum saluti*

Studia.

Submersio.

impen-

impensurum. Voto addidit constantiam, nam post susceptum Sacerdotium, postquàm Collegii Cordubensis ministrum egisset, & maximè idoneus esset Philosophiæ Theologiæque tradendæ, summis tamen precibus missiones ad Indos Urvaicenses impetravit: apud quos eò usque utiliter perstitit, donec ab Limensibus Fidei Inquisitoribus per Paraquariam Inquisitionis commissarius legitimis tabulis renunciaretur. Quâ occasione ad regendum Assumptionis Collegium dimissus, corpore non animo ab suis Indis avulsus, quantum salvâ conscientiâ potuit, in eos ex bonis sui Collegii contulit. Rectoratu perfunctus, lachrymarum vi ab Majoribus suis extorsit iteratam ad Indos missionem: apud quos dum versatur, Urvaicensibus Paranensibusque Sociis præfectus, bonus Pastor animam suam quadragesimo ætatis anno pro ovibus suis posuit. Indi cadaver ejus in Conceptionis oppidum non sine lætitiæ ostentamentis, quasi adeptâ glorioſæ mortis coronâ decorum, induxere. Multi dubitavêre, num causa mortis sufficerit ad Martyrii palmam ei asserendam. Didacus Boroa Provincialis, singulari elucubratione citatis Doctorum placitis, Martyrem verè fuisse autumavit. Josephus Oregius ad suum Provincialem consolatoriam Epistolam scribens, ait, minimè dubium sibi videri Didacum Alfarum inter Martyres reponendum. Alegambe in Catalogo Societatis Martyrum recensens, asserit viros sapientissimos censuisse nequaquàm defuisse causam Martyrii: tutè tamen agit, dum judicium sedi Apostolicæ & Christi Vicario relinquit. Cui ego libens subscribo, præsertim cùm mearum partium sit rem fideliter narrare, non controversa definire. Liberiùs asseram, Didacum nostrum virum fuisse virtutum omnium, in quo nec prudentiam ad alios gubernandos, nec magnitudinem ad res arduas aggrediendum, nec Apostolici hominis dotes, jure quis posset desiderare. Commissarius sanctæ Inquisitionis factus, summâ integritate res Fidei tractavit. Peste grassante, diu noctuque nullo mortis metu Indis adfuit. Barbarorum idiomate admodùm tersè loquebatur. Ad insinuandam incultis hominibus pietatem suis manibus altaria concinnabat, templorum fabricis insistebat, & ab nullius operis vilitate abhorrebat. Immaculati Virginis Conceptûs prærogativam ex suâ parte tueri sollicitus, noctem aliquando egit pervigilem in describendâ cubitalibus litteris compluries eâ Epigraphe: *MARIA sine peccato originali Concepta.* Quam Epigraphen singulorum Sociorum foribus affixit, ut eorumdem animis erga id mysterium pium affectum altè infigeret. Duobus ante mortem mensibus in familiari colloquio Sociis asseruit, videri sibi se aliquando crudeliter ab Mamalucis mactandum, quòd audito eorum nomine vi quâdam occultâ ad Indorum defensionem impelli se sentiret. Pridiè quàm mactaretur, ad Religiosum amicum scribens, *Vado*, inquit, *in hostes glande plumbeâ moriturus.*

Officia.

Necis honestæ commendatio.

Virtutes.

CAPUT XXXIII. Claudius Ruierius Alfari successor Neophytos ad Caracaras domandos mittit.

COGNITO parricidio, Didacus Boroa Provincialis quâ potuit celeritate ad Neophytorum oppida convolans, Didaco Alfaro in præfecturâ Sociorum Claudium Ruierium, unis Mutii Vitelleschi litteris designatum, & postea novis mandatis confirmatum, suffecit. De quo homine hæc pauca prælibare lubet. Is in Burgundiæ comitatu honestis parentibus natus, in Italiam, adultâ jam ætate, se contulit. Neapoli studiis excultus, quamvis ad magna natus esset, inter rerum domesticarum adjutores cooptari ambivit. Cùm altiorem gradum postulare juberetur, Sacerdos factus, dato priùs modesti, & fervidi ingenii specimine, inter Scholasticos Socios cum aliquot selectis adolescentibus, quos ipse Societati nostræ lucrifecerat, jam tricennis adlectus est. Antequàm in Societatem ingrederetur, Neapoli inter Marianos sodales merens, non recusavit per plateas concionem sæpè advocare: apud quam moribus, & famâ virtutum eloquentior, quàm verbis, utiliter dicebat. In Calabriam adhuc tyro missus, blandâ simplicique, & non ad pompam circumductâ oratione, frequentissimos mortales ad virtutem animavit. Sacramento multos expiavit: Sodalitium, quod adhuc cum ejus memoriâ perdurat, erexit. Tyrocinio ritè perfuncto, anno 1617 Paraquaria Provincia ritè decreta est, in qua se totum Indorum commodis, animarumque saluti quærendæ, ita devovit, ut laboribus nullis difficultatibusque pepercerit. Ad Paranam

Ruierii commendatio.

missus, quoties per montium viarumque prærupta properârit, quàm opima spolia dæmoni detraxerit, quo animo per loca invia, per impeditissima nemora, per immensas paludes, per occurrentia passim ferarum spelæa, per rupes, per mille discrimina, exiguo & pænè nullo viatico, cucurrerit: quot annis, pane, vino, & carne pænè deficientibus, vitam radicibus, & leguminibus sustentarit, nihil aliud tot laboribus quærens, quàm ut Indus converteretur ad Dominum, paucis scribere difficile foret: & speramus pro dignitate scripta esse in libro vitæ. Acaraïense & Iguasuanum oppida, ex reductione Indorum constructa, magnâ ex parte ei debentur. Transfugas, adito præsenti mortis periculo, postliminiò ad Christi caulas reduxit, Caaïguarum gentem rebus Christianis utcumque conciliavit. Guaïraniæ transmigratores magnâ ope juvit, & multa alia præstitit sparsim in hoc opere denarrata. Quæ opera condiebat excellenti planè virtutum delectu. Nam ita opus, & actionem externam, cum ardentissimo orandi studio semper conjungebat, ut alteri dumtaxat, non utrique simul, studuisse videretur. De genibus diurnum Sacerdotum pensum in templo quotidie persolvebat. Tribus horis integris manè ante Sacrum piis commentationibus & affectibus animum pascebat. Nullo die flagellationem acerrimam omittebat. Reliquum tempus in varias, studiosas, compositasque Divos colendi praxes ita diviserat, ut ne momentum quidem à pietate vacuum elabi sineret. Inter quæ exercitia mirabatur identidem, quâ homines vesaniâ capti, tantas Cælitum illecebras, quas ipse sentiebat, fluxis amarent deliciis posthabere, & fastiditis æternis voluptatibus, mentem inanitate pascere. Nec deerant Religiosissimo homini aliæ virtutes, difficillimis temporibus opportunæ. Statim ac regimini admotus est, ordinandis oppidis, & adornandis novis expeditionibus, operam navavit. Ejus missu Petrus Romerus selectam quadringentorum Neophytorum manum, Argentei fluminis Prætore postulante, ad Caracararum paludem, centum circiter leucis distantem, comitatus, egregiè se Reipublicæ commendavit. Hanc paludem quadraginta leucis longam Caracaræ, Capesaci, & Menepes, ferocissimi homines, partim Ethnici & sylvestres, partim in Sanctæ Annæ oppido educati, sed jam olim discordiarum furoribus agitati, desertâ Fide & urbanitate rebellando infidebant; unde in viatores involantes, quà terrâ, quà fluvio, prædam per incognitos meatus inter cannarum opacitatem & labyrintheos secessus abigebant; nec ita pridem eruptione factâ, templum Sanctæ Luciæ eremaverant; eóque se retraxerant Petri Spinosæ, Societatis nostræ Sacerdotis, mactatores. Denique diuturnâ impunitate insolentes omnia audebant. Nec facilis erat ad eos accessus, quippe palus unico ostio, ericetis & uligine obstruso, cum Parana continuatur: paludis verò interiora insulis natatilibus, ut in Belgio ad Audomarum, discriminantur; in quas exscendere ut periculosum advenis, sic indigenis securum perfugium est. Perrupêre tamen omnia ab Romero animati nostri Neophyti, reluctantesque Barbaros ex uliginosis locis eruentes, aliquot eorum trucidatis, vi ad deditionem plures coëgêre, captivis omnibus Joanni Garaïo Hispanorum Duci traditis, à quo Neophyti nostri magnâ laude mactati sunt. Hâc victoriâ factum, ut Sanctæ Luciæ oppidum utcumque restauraretur, viatores tutò per Paranam navigarent, & Hispanorum Indorumque municipia securitatem consequerentur. Dimissis copiis, Romerus centum & quinquaginta leucarum itinere ad portum Boni-aëris, Prætori Regio patrata narraturus, & alia negotia expeditus, perrexit.

Caracararum palus.

Insula natatiles.

Caracaræ vincuntur.

CAPUT XXXIV. Gesta in Assumptionis urbe narrantur.

Portentosa Gomesiæ curatio.

CIRCA ea tempora, Assumptionis urbis civium pietas in Cœlorum Reginam florebat, quam excitabat statua ejus perelegans in Partheniorum sacello decenter collocata, quæ quoties è loculo elata per urbem solemni pompâ circumferebatur, omnium animos & oculos penitùs rapiebat; durante in plures dies sensu pietatis, & optimâ Matre in Clientes suos beneficia spargente. Exemplum esto. Catharinæ Gomesiæ brachium viperæ morsu contractum, nequicquàm adhibitis remediis, omninò obstupuerat, & malum nullâ arte medicabile per viginti-quinque annos duraverat; adeò pertinaci dolore, ut quoties occurrerent tempestatum vicissitudines optima mulier acerbissimis cruciatibus afflictaretur; donec eo die, quo

institutâ supplicatione Virginis statua è sacello efferebatur, audito tympanorum campanarumque sonitu, in spem veniret recuperandæ sanitatis, si se ei commendaret. Nec spem fefellit eventus: nam postquàm rosarium, contactu Venerabilis Statuæ consecratum, uti optaverat, accepit, brachioque admovit, repentè dissolutis nervis, & mox confirmatis, pristinas vires recepit, non sine aggratulatione totius urbis, ad miraculum, legitimis tabulis authoritateque contestatum, stupentis. Infanti recèns nato ita cruribus pedes adhærebant, ut avelli nullà arte possent, sed oleum ante Statuam Virginis in pensili lampade ardens penitùs & subitò avulsit. Idem antidotum profuit mulieris fluido irremediabiliique ulceri persanando. Magdalena Figueroa, nobilis matrona, & Joannes Fernandes, peste ad extrema deducti, ubi portentoso oleo uncti sunt, sanitatem percepêre. Adolescens feroci ex equo casu pænè exanimatus, invocatâ ejusdem Virginis ope, conceptoque congregationis Partheniæ ineundæ desiderio, præter spem convaluit. Infans pro mortuo habitus, implorato pro eo tantæ Principis favore, supra spem etiam derepentè resumpsit animum: & alii alia beneficia extra naturæ ordinem consequuti creduntur. Imago Divi Ignatii puero lethaliter ægrotanti, & Indæ mulieri animam vix jam reciprocanti, saluti fuit. Domos duas totidem dæmones lemuresve infestissimas habebant, nec aliud gemino malo remedium repertum est, quàm imploratio nostri fundatoris. Ibidem magnam admirationem habuit supplicatio ab pueris instituta in memoriam Christi patientis. Ibant plerique longo ordine talari veste induti, cucullatique, unâ manu cruces, alterâ rosaria præferentes, per justa verò intervalla feretris imposita erant pueri Jesu statuæ Passionis Domini instrumenta ad vivum repræsentantes, omnibus civibus in gemitum effusissimis.

Et infantis.

Et aliorum.

Supplicatio pathetica.

INTEREA temporis Didacus Boroa Provincialis ad Itatinensem Provinciam Sociorum paucitate laborantem pervenerat, quam paucitatem suppleverat tribus eò missis Sociis, quorum adjumento duæ coloniæ restauratæ sunt: ad quam rem multùm contulit præsentia Provincialis, authoritate gentis primores donisque allicientis, & ad indagationem coram animantis. Inde in Paraquariam rediens, Pirapium fluvium, ripas suas latè prætergressum, crate ex cannis contextâ, non sine periculo transmisit: nam quamvis hæ cannæ cruribus humanis crassiores sint, & reticulatim colligatæ non facilè mergantur, quia tamen ob viriditatem graves erant, ubi pondus excepere, in fluvium primùm depressæ, & mox ab profluvio violenter tractæ, Provincialem in aquas toto fermè corpore submersum tamdiu rapuêre, quousque ab natandi peritis ad aliud littus impelleretur. Altero die alium fluvium longè majori discrimine transivit. His in regionibus in usu est, bovinum corium flexibili ligno marginatum in concavitatem formare, cui impositi viatores ab circumnatantibus Indis sustentantur, donec ex una ripâ in aliam transferantur. Provincialis uni eorum se committens, ubi ad medium fluminis pervênit, accedentibus pluribus, quàm par erat, natatoribus, marginem contingere officii ergò aventibus, officio pænè in perniciem verso, submersus est. Cucuisensem fluvium exundantem in cymba, ex corticibus arborum compaginata, transmisit. Nec majora fuêre pericula ab aquis, quàm à Païaguis, hominum ferocissimis, eas terras latrocinio & crudelitate perpetuò infestantibus, aut ab immensis paludibus, per quas nudatis fermè corporibus viatores non interrupto quadraginta leucarum tractu iter faciunt. Per hæc pericula, ducentis circiter in itu & reditu confectis leucis, Assumptionis urbem postliminiò tenuit. Quæ sigillatim volui semel narrare, ut ex unius itineratione quantas quotidie Socii, eas terras pervadentes, patiantur difficultates, conjectatio fiat.

CAPUT XXXV. Didacus Boroa Itatinẽsem regionem lustrat.

Itineris difficultas.

PROVINCIALIS Boroa secundo Paranâ delatus, Tucumaniæ Collegia magno nostrorum & Indorum bono inspexit. Inde per portum Boni-aëris adverso Urvaïca, emenso sexcentarum leucarum spatio, ad Neophytorum nostrorum oppida iter reflexit, ordinatisque utcumque rebus, ad novas expeditiones Sociorum animos inflammavit. Primi prodiêre, cum mille selectis Neophytis, Paulus Benna-

CAPUT XXXVI. Per Tapensem regionem excurritur.

1640.

vidius, Augustinus Contreras, Petrus Mola, & Michaël Gomes, eo fine ad Tapensem Provinciam missi, ut latebras omnes excurrerent, & Indos transmigrationis servitutisve metu absconditos eruerent. Sed post aliquot dierum iter, cognito per exploratores, non procul abesse Mamalucos, eò, unde venerant, retrocedere sunt coacti. Dilapsis latronibus, iidem Patres, cum pari fermè comitatu iter repetentes, morbis & tempestatibus afflictati, summa Tapensium montium cacumina pervadentes, ad Igaïm pervenêre: quo transvadato, ab Casiquio, se ultrò Patribus cum suis clientibus dedente, multorum latibula cognovêre: & indubiè magnam hominum prædam feciſſent, nî Barbaros corrupisset alter Casiquius, veteratoriæ nequitiæ peritissimus, qui pro Deo se venditans, execrando baptismo præstigiatoriæ artis candidatos initiabat, asserebatque abs se sic resecratos initiatósve, æquè tutos fore ab Mamalucorum latrociniis, ac Sociorum JESU excursionibus. Atque ut quamplurimos sibi obnoxios faceret, virgas dignitatis indices, pro ut à Patribus nostris fieri viderat, popularibus suis concedebat. In id monstrum, numerosa clientûm manu comitatum, Neophyti nostri ausi procedere, quòd hostiliter excíperentur, armis expeditis, adeò animosè involavêre, ut trecenta capita è dæmonis servitute erepta Christo asseruerint. In JESU-Marianis ruinis trecenta etiam capita, & alibi alia, in sortem filiorum Dei transiêre. In reditu per Caasapaguaçuensem agrum iter habentes, fœminam solitis Antropophagorum conviviis destinatam, & quinquaginta nefandorum convivatorum familias, magnâ felicitate abegêre, meliori convivio inter Dei filios aliquando pascendas. Hâc excursione mille & ducenta capita dæmoni erepta, ad Neophytorum oppida translata, Christianis Sacramentis expiata sunt.

Veterator Socios se opponit.

Vincitur.

Mille & ducenta capita reducuntur.

CAPUT XXXVII. Expeditio ad Iuiſenſes.

JOSEPHUS Domenecus, cum numeroso Neophytorum delectu, latebras omnes Iuiſenſis fluvii excutiens, plures ad Fidei lucem ex perditionis tenebris eduxit: non tamen sine notabili labore & periculo. Primo conatu quadraginta Barbari, partim fugitivi, partim Ethnici, in manus venêre; quos dum Domenecus excipere vult, pæne vitæ jacturam fecit. Is magnæ proceritatis arbores deturbatas, in modum cymbarum, ad usum transmittendi fluvii, cavari jusserat. Sed cavata illa ligna, ob viriditatem & nimiam crassitudinem oneris impatientia, ubi ad medium fluminis pervenêre, depressa primùm, & mox à profluente rapta, vectores omnes summo periculo exposuêre. Domenecum toto corpore aquis jam immersum, submersionis metu vestibus prehensum, aliquot infantes amplectebantur, quorum uno eo in periculo baptizato, Neophyti circumnatando rudes illas cymbas sublevare volentes, addito pondere magis submergebant. Tandem tamen per milliare integrum sic abrepti, summo labore ad alterum littus appulêre: ubi excussis littoralibus sylvis, multorum dierum indagine, grandi, sed incerto, animarum ad oppida reductarum numero saluti fuêre. Inde Domenecus capita Iuiſenſis fluvii petens, ad fines eorum Indorum pervênit, quos ideò Ceratos vocant, quòd capita sylvestri cerâ ita liniant, ut capillitium non appareat. Eodem tempore cum Didaco Suario Franciscus Ximenius ad Pineta excurrit. Etiam Sancti Josephi incolæ multos popularium ad caulas Christi è Tapensi provincia feliciter reduxêre. Sed suprà narratis excursionibus longè famosior fuit Urvaicensis missio.

Josephi Domeneci periculum.

Multi Barbari reducuntur.

Cerati.

CAPUT XXXVIII. Exploratur Urvaïcæ pars ſuperior.

URVAÏCÆ inferioris partis accolas hactenùs Socii oppidis incluserant; sed intacta erat pars superior, ab Acaraguâ oppido ad centum leucas latissimè excurrens; narrabantque in eâ regione ex reductione Barbarorum multa de novo oppida construi posse. Ventitabant hi commercii ergò ad Neophytorum nostrorum colonias, quâ occasione Socii utentes, omni officiorum genere divincire sibi contendebant, quos Christo lucrari summoperè avebant. Verùm per multos annos frustra ceciderant omnia, perversitate gentis, & dæmonum invidiâ, optimis votis sese opponente. Magnum obstaculum etiam erat Niezuvius, Rochi Gonsalvii & Sociorum interfector, qui eò olim fugiens, gentem omnem corruperat: Qualiscumque tamen spes hoc anno affulsit rei benè gerendæ, occasione discordia-

Occasio expeditionis.

rum

rum inter eos populos ortarum, quorum una factio, ab hostibus suis sibi timens, per nuncios auxilium ab Acaraguanis Neophytis nostris petitum cùm misisset, ab Sociis benevolè excepti, non sine spe auxiliorum dimissi sunt. Aderat Prouincialis, dum hæc gererentur; qui in omnem aditum dilatandi Christiani imperii intentus, delectu Sociorum & Neophytorum habito, summâ celeritate expeditionem adornari jussit. Potissima accelerandæ rei causa erat timor, ne Mamaluci his populis devictis per eam partem (uti deinde fecêre) Neophytos nostros invaderent. Volebat ipse Provincialis eò ire; sed Patres dissuasêre, aïentes non videri è totius Provinciæ bono, si tanto se discrimini exponeret. Quia verò difficillima expeditio hominem peritum exigebat, Claudius Ruiërius, comitantibus quatuor Sociis, eò missus est, cum mandatis, ut perspecto rerum statu, relictis in ea regione aliquot Sociis, novorum oppidorum fundamenta jaceret. Iter fuit adverso flumine ingentibus saxis impeditissimum: præterea viatici parcitas, pluviosa tempestas, & adventitiæ aquæ, non patum Sociorum desideria retardavêre. Pervicêre tamen omnia obstacula, donec ad primos Ethnicorum vicos pervenirent: quorum facilè princeps erat Mburva, tantæ authoritatis Casiquius, ut Mamaluci ejus terras non alio quàm regni nomine designare olim solerent. Mburuæ filius Tataëndius, cognito & non approbato Sociorum adventu, cum numerosa Ethnicorum armatorum manu obviam factus, hostilem animum statim exprometis, imperat, ut retrocederent. Quo non impetratò, percitus furore, adverso flumine renavigans, populares suos quanto numero potuit, ad excipiendos hostiliter Neophytos, in aliorum auxilium vocatos, armari jubet; adventantesque tantâ procacitate excepit, ut palam jactitaret violentas se manus injecturum Patribus & Neophytis, ni reverterentur. Comites verò ejus vociferabantur, vinum jam confectum esse, quo eorum funera solemni convivio celebrarent. Quibus verbis irritati Neophyti, arma expedientes, tanto impetu in pervicaces involavêre, ut plerosque, non sine sanguine, ad fugam compulerint. Trecenti tantùm in manus venêre, qui ad oppida nostra & Fidem Christi traducti, aliquod solatium infelicis expeditionis fecêre. Nec feliciùs res acta est in Calchaquinensi bello.

Claudius Ruierius expeditioni præficitur.

Mburva.

Tataëndii ferocia.

Trecenti reducuntur.

SINISTRAM adversi Paranæ ripam Calchaquini insident, in tygrium & leonum præliis innutriti, vicinis æquè Indorum populis ac Hispanis infesti, terrorem longè lateque ferociâ, quàm numero, formidabiliores spargebant. Sed præsertim Sanctæ Fidei Hispanorum urbi infensi erant, in quorum villas & pecora quotidiè grassabantur, post rapinas, trucidationes, ac incendia, nullo, quàm ferocitatis jure, quidquid lubebat, ab civibus exigentes: adeò ut non tam vexata quàm oppressa civitas videretur. Ad hos domandos, Boni-aëris Prætor quantam potuit Hispanorum amicorumque Indorum manum cùm contraxisset, sexcentos etiam Neophytos ex novis Societatis oppidis in subsidium ad se mitti postulavit. Nam superiori anno expugnata Caracararum palus, Neophytorum nostrorum ope spem fecerat, Calchaquinos rebelles per eosdem vinci posse. Petrus Romerus & Alfonsus Arias, Socii impigri, jussu majorum milites comitati, ardua quæque in itu & reditu per plusquam trecentarum leucarum iter perpessi sunt. Tanto subsidio lætus Prætor, explicatas copias in hostium fines invexit. Verùm ipse Belgici belli quàm Barbari peritior, opportuni consilii negligens, omnia ad legitimæ militiæ rigidam normam exigebat: existimabatque fore, ut Barbari ordinatam in aciem prodirent, pugnarentque. Sed hi, exploratis nostris viribus, more suo, arundinetis inaccessibilibus se passim tutantes, nostros milites fame & morâ fatigavêre, Prætorisque militiæ artes barbaris moribus elusêre. Inter has moras tamen trecenta circiter capita hostium in manus Neophytorum nostrorum venêre, quorum plerique Prætori traditi, qualecumque rei malè gestæ solamen attulêre. Nec nostro Romero opima præda defuit. Orabat ipse, pro more, intempestâ nocte Deum sub dio genibus flexis, quem cùm eâdem horâ tribus noctibus continuis perspexisset miles Hispanus, qui animam totis triginta annis nullo Sacramento expiari curaverat, sensit se moveri ad meliorem frugem; quare noctis beneficio usus, immenso doloris sensu externis

CAPUT XXXIX. De Calchaquinensi bello.

Calchaquinorum mores.

Prætoris artes bellica elusa.

Trecenti capti.

Hispani hominis conversio.

signis

signis expresso, præteritæ vitæ scelera confessione eluit. Dimissis copiis, iterum Romerus ad Boni-aëris portum perrexit, unde postliminiò rediens, arma multa pro defensione Neophytorum ab Magistratibus impetrata, ad nova Urvaicæ & Paranæ oppida destinavit.

CAPUT XL. De residuis rebus ad Paranam & Urvaïcam gestis.

AD Paranam & Urvaïcam, magnâ Sociorum curâ, transmigratorum coloniæ reædificabantur, in quarum templa, solemni pompâ, Provincialis Venerabile Sacramentum intulit. In Divi Ignatii ad Paraquarium oppido Petrus Bosquerus & Philippus Viverus, quòd suo officio fungentes impudicos aliquorum mores castigarent, in nonnullorum offensionem incurrêre; qui collatis capitibus de utroque mactando consilia agitantes, primùm ausi sunt Philippo Vivero cum cibo venenum præbere, à cujus cibi maxima parte nauseabundus abstinens, mortem, sed non morbum, evitavit. Bosquero verò in ipso Sacrosanctæ Missæ Sacrificio toxicum cum vino datum est, indubiè lethale futurum, nî optimus Pater, conspecto noti liquoris turbido colore, colari jussisset. Indicio utriusque maleficii accepto, in reos delictum fassos paternè animadversum est. Mulier, libertatis avitæ cupida, binos Neophytos, lenociniis seductos, è Sanctæ Annæ novo oppido in patriam secum abducens, in itinere ab feris discerpta interiit. Eâdem pœnâ multatus, in altero Divi Ignatii ad Paranam oppido, puer Missæ Sacrificio festo die adesse renuens. Ex Sancti Josephi incolis unus Dominico die serviliter in agro laborans, viperæ morsu, post expiatum scelus, animam exhalavit. Adolescens æger Sacerdoti nostro ad se accersito narravit, à fœdissimis dæmonibus per somnium in foveam, ignes evomentem, protractum fuisse, & cùm nihil propius esset, quàm ut in eam protruderetur, ab formosissimo juvene fuisse liberatum, aïente, Dei misericordiâ id beneficium collatum fuisse, ne æternùm periret. Interrogatus à Patre, num sibi conscius esset lethalis culpæ? cùm negando respondisset, diligenti factâ præteritæ vitæ indagine, repertum est, eum non fuisse baptizatum, quòd putavisset aspersionem aquæ benedictæ, ante solemne Sacrum diebus Dominicis usurpari solitam, ad Baptismum sibi sufficisse: baptizatus animi quietem, morum compositionem, & corporis valetudinem recepit. Parthenius Sodalis, inter Conceptionis oppidanos Christianis moribus diu excellens, propriarum deinde virtutum æstimator nimius, eò superbiæ devênit, ut ab Sodalitio expelli debuerit; quo præsidio destitutus, projecto, quod ante gestare solebat, rosario, nemus ingrediens, laqueo, ut ex indiciis creditum est, sibi gulam fregit. Provincialis post inspectionem utriusque fluvii, computans Baptismos à Patribus turbatissimis temporibus factos, reperit sex mille & quadringentos mortales ab Paranensibus Sociis, & ab Urvaïcensibus quinquies mille & ducentos, sacro Fonte fuisse immersos. Ordinatis denique rebus, anno ad finem vergente, ad portum Boni-aëris renavigavit, Franciscum Diastanium, è procuratione Romana reducem, tandem excepturus. Cujus ego Procuratoris rationes, pro colophone rerum sub Didaco Boroa gestarum, non illibenter expendam.

Venenum.

Impietas castigata.

Adolescens salubriter baptizatur.

Parthenius Sodalis punitur.

CAPUT XLI. De procuratione Francisci Diastanii.

FRANCISCUS Diastanius, expeditis Madriti plerisque negotiis, ubi Romam appulit, facilè ab Mutio Vitelleschi Generali delectum Sociorum per Provincias fieri impetravit: Romana, Neapolitana, Mediolanensis, Sardica, Flandrobelgica, Gallobelgica, Hispanicæ pleræque selectissimos concessêre. Urbanus Octavus, aliquot Diplomata ei tradi voluit, quorum uno potestatem faciebat Indis, Æthiopibus, Ibridisque, in his terris degentibus, ab Septuagesima, ut vocant, usque ad octavam diem post festum Corporis Christi, satisfaciendi Ecclesiastico præcepto, jubenti Christianos omnes in festo Paschatis communicare. Altero exagitabat abactores Indorum, vetans, ne quis quovis prætextu auderet aut Ethnicos, aut Neophytos in servitutem abigere, transgressoribus anathemate percussis. Corpus Divi Epimachi Martyris, eodem Pontifice concedente, accepit. Qui Pontifex, memor privatæ olim cum Josepho Oregio amicitiæ, non putavit ab Suprema in terris Potestate alienum, sacra dona, non sine testificatione voluntatis suæ, nominatim ei

Diplomata Pontificia.

Et Dona.

transmittere.

transmittere. Cardinalis Oregius idem officium germano suo amantissimo liberaliter etiam præstitit. Secundùm id, benè apprecante Pontifice, Diastanius in Hispaniam cum Italis Patribus renavigans, Madriti ab Rege Catholico facultatem conducendi navim & viaticum, pro triginta Sociis secum in Paraquariam transmissuris, accepit. Idem Rex, Regiâ planè pietate, decretum ab suo Indico Senatu fieri voluit, quo Mamalucos populationem Indorum facere prohibebat, jubebatque latrocinio aut bello captos patriæ, libertatique restitui, & populationis injustæ reos damnari. Tanto Regis favore instructus, convocatis ex Hispaniæ provinciis designatis Sociis planè optimis, Ulisipponem, flexo per Bœticam itinere, contendit: quò dudum jam appulerant sex Belgæ cum eo navigaturi. Hi è Dunkercano portu solventes, in Angliam mutato habitu transmiserant, narrabantque pænè se ab hæreticis pro Jesuitis fuisse agnitos, quòd assueti Religiosis moribus ægrè prophanorum hominum gestus fingerent. Auxit periculum datum indicium ab adolescente externo, & Angliæ pro Societate Præpositi Provincialis in Socios hospites munifica benevolentia. Is inter alia religiosa dona, Doroverniam Patribus transmissa, thecâ argenteâ atque eburneâ Hostias consecratas includi jusserat, communicatoque Summi Pontificis privilegio, facultatem iis fecerat, Venerabile Christi Corpus secum portandi, & in Hispanica navigatione id clam hæreticis sumendi. Summum id donum secum ferebat Antonius Vansurkius Flandrobelga, in quem antequàm è scapha in navim ascenderet, nocte intempestâ involavêre Dorovernici portûs custodes, aut pro talibus se fingentes, prætensaque regni consuetudine violenter reculas ejus omnes exploravêre. Quorum audacior unus argenteam thecam, Venerabile Christi Corpus continentem, è secreto loculo diripuit. Navim conscenderat Joannes Menesses, nobilis Lusitanus, Maderæ Insulæ quondam Prætor, Patribus notus; à quibus cùm cognovisset Sacrosanctum Christi Corpus in manibus hæretici hominis versari, pio furore excandescens, numerosam familiam suam, & Lusitanos vectores omnes armari jussit. Valuit ostentatio fortitudinis ad terrendos bellos illos venatores, è quibus Antonius noster, non indicatâ re, obseratam thecam recipiens, reculârum aliarum incurius navim conscendit: & cum Sociis, Augusto mense, Ulisipponem eo die tenuit, quo Nuncius Apostolicus regiam hanc urbem sacris interdixerat. Interdicti tempore, interim dum navis apparatur, ab Ulisipponensibus Patribus omni officiorum genere excepti, utilem operam tum civibus, tum remigibus contulêre. Franciscus Diastanius & Socii in pervigilio Purificatæ Virginis, quam in navigationis patronam elegerant, in altum vela verterunt. Octavo ab discessu die, nocte intempestâ, in Insulam, promontorio Viridi objectam, indubiè impegissent, ni nauta vigil, favente Virgine, periculum antevertisset: quo discusso, plerique Socii ignota de causa ægrotavêre, è quibus Joannes Soïer Gallobelga, & Antonius Vansurkius Flandrobelga, Sacerdotes, fatis concessere. Ille Malbodii natus, eminentis ingenii titulo in Societatem cooptatus, egregiæ pietatis specimine dato, Provinciam Indicam impetrârat, & Ulisippone quantus futurus esset, si in Indiam appelleret, notabili eventu ostenderat: res sic sese habuit. Joannes Menesses, nobilis ille Maderæ Prætor, ex Anglia navigans, cum nostro Soïerio amicitiam contraxerat, solebatque, postquàm Lusitaniam tenuit, è Collegio Ulisipponensi in villam suburbanam, solatii ergò, eum evocare. In ea villa versabatur etiam Centurio non infimæ notæ, cui quodam die in vicinum agrum egresso, Joannis Soïerii, Ulisippone tum degentis, species objecta est, piis gestibus ad pietatem animantis. Mirum dictu! ubi ea species evanuit, tales sensit Centurio interni doloris sensus, ut ob præteritæ vitæ delicta totus in lachrymas abiret. Cognitâ causâ, Joannes Menesses, ejusque mater, & numerosa familia, sensêre etiam desiderium peccata apud Soïerium deponendi, qui non diu pòst casu fortuito eò delatus, non tantùm Centurionem, sed etiam universam ejus clientelam familiamque ab totius vitæ delictis expiavit. Ulisippone quædam folia miraculum Virginis Foiënsis, & formulas colendæ MARIÆ, continentia typis mandavit. Causa acceleratæ mortis fuit Antimonium, liberaliùs, quàm par erat, pro

Regis Catholici liberalitas.

Pietas.

Belgarum Sociorum navigatio.

Periculum.

Consecrata hostia in manus hæreticorum devenium.

Et recipiuntur.

Ulisipponensium Sociorum caritas.

Joannes Soerii mors.

Ostentum.

Antonii Vansurkii labor.

remedio languidæ ægritudinis, ab inexpertâ manu ei infusum. Antonius verò Vansurkius Antuerpiensis, unus è septem germanis fratribus, qui Mechliniæ Societati nomen dedêre, omnium Sociorum lacrymas prometuit, inde expressas, quòd plerorumque opinio esset, neminem eo, ex tot Franciſci Diastanii Sociis, excellentioribus dotibus fuisse præditum. Modesti oris gravitas, loquendi suavitas, in consulendo prudentia, in agendo hilaris efficacitas, & delicatæ pietatis affectus, omnium amores conciliârant. Bruxellis humaniores litteras & Rhetoricam per plures annos docuerat. Lovanii quadriennalem Theologiæ cursum cum laude perfecerat. In patria summis viris par futurus, si non latêre in angulo novi Orbis, quàm in Belgii luce clarere maluisset. In ultimo agone interrogatus num ægrè moreretur, antequàm Justum Vansurkium germanum fratrem, in proxima Paraquaria laborantem, conspiceret; respondit se non unius amore fratris, cùm tot in Europa desereret, in Americam navigasse, libenterque abstenturum se totâ vitâ ab ejus conspectu in semota provinciæ parte, dummodò iis functionibus apud Indos occuparetur, quarum causâ venerat. Ipso Resurgentis Christi die corpus in mare projectum, communem lætitiam ingenti mœrore turbavit. Inter hæc funera plerique Socii morbo languebant, & maris tempestas adeò increverat, ut senes nautæ assererent se iratius mare nunquàm vidisse. Undarum furor navim versùs promontorium Bonæ-spei, ab Argentei fluminis ostio immenso intervallo, quamvis in eodem latitudinis gradu, abstractum impulit; & mox variante cursu ad idem ostium repulit. Sed quia non remittebat vis tempestatis, depositâ spe ante hyemem Boni-aëris portum tenendi, quod reliquum fuit, in Brasiliam vela sunt versa.

CAPUT XLII.
De turbis Januariensibus.

IN Januariensem portum defectissimis viribus appulsos Socios Petrus Mora, pro Generali Societatis Jesu Brasiliæ inspector, Josephus Acosta Collegii Rector, religiosâ planè caritate, & Emmanuël Sa, regionis Prætor, magnificè prorsus excepêre. Postquàm deferbuere mutua urbanitatis officia, Franciscus Diastanius, muneri suo intentus, de Pontificio diplomate contra Indorum abactores iniquosque retentores promulgando agens, quamvis omnia ordine fecerit, magnis se intricavit difficultatibus. Nam postquàm id in templo nostro præconis voce publicatum est, Mamaluci, quorum multi Januariensem agrum incolunt, & eorum fautores, adeò vehementer exacerbati sunt, ut Socii de vitâ periclitati fuerint: tumultuosi enim homines, adunatis consiliis, Collegii nostri diffractis foribus, in aream primùm irrumpentes, advenas probrosis nominibus appellatos ad mortem designavêre. Diastanio præsertim diplomatis authori infesti: patrassentque forsitan multiplex scelus, ni Prætor in templum tumultuantem turbam artificiosè inducens, reverentiâ loci flagrantes animos utcumque compescuisset. Sequenti die, adnitente eodem Prætore, senatores Regii, viri patricii, & militiæ præfecti, necnon religiosorum hominum selectissimi, apud Carmelitanos convenientes, postquàm Petrus Mora & Franciscus Diastanius demonstravêre diploma Pontificium, ex legum formâ, cum facultate Nuncii Apostolici in Lusitaniâ degentis, atque Januariensis administratoris Ecclesiastici fuisse promulgatum; quamvis non ignorarent appellationem fore inutilem, tamen tumultuum vitandorum causâ authores ipsimet fuere, de diplomate Urbani VIII, ad ipsummet diplomatis authorem nominatim exprimendum, appellandi. Quorum sententiæ non ægrè annuentibus adversarum partium primoribus, sic in præsentiarum ab consessu discessum, ut arbitrarentur, prudentiâ Petri Moræ & Franciſci Diastanii difficillimum periculosissimumque negotium, qualemcumque exitum sortitum fuisse. Nec dubitatum, eam mentem Patribus injectam esse, ut vellent tempori se accommodare: postea enim certis authoribus cognitum est, quosdam Mamalucos in mortem Moræ & Diastanii, adeoque ipsius Prætoris, conjurasse, si in promulgandi diplomatis sententiâ perstitissent. Sic lis utrimque ad suprema tribunalia in Europam transmissa est, numquam decidenda; Mamalucis in Indorum perniciem sacra prophanaque jura pertinaci perfidiâ deridentibus.

Pontificium diploma promulgatum.

Mamaluci tumultuantur.

Utcumque comprimuntur.

CAPUT XLIII. In Sanctorum & Divi Pauli oppidis perniciosè turbatur.

DUM hæc in portu Januariensi agebantur, longè atrociora in Sanctorum oppido patrabantur, Ferdinandus Rodrigues loci Vicarius ex præscripto Petri Albornosii, Ecclesiastici per Januariensem tractum administratoris, eadem Diplomata in principe templo promulgârat: nemine audente contra hiscere, donec, inquieto quodam homine incentore, conspiratio in Vicarium conflaretur. Quâ conflatâ, cùm nonnemo improbato Diplomate Pontificio coram appellasset ad fiscum Regium, ab eodem Vicario anathemate percussus, signum tumultuosæ altercationis dedit. Conspiratores ergo, frustra implorato urbici Præfecti patrocinio in Vicarium facto impetu, ensibus in ejus pectus directis, incurrunt, protrusum interminatâ morte violenter proculcant, iram, quantam verbis exprimere non possum, inter templum & altare evomunt: immoto ad hæc Vicario, minas & enses pro asserendo Pontificis jure fortiter spernente. Cùm verò furibundi homines appellassent, & appellationem ab Vicario acceptari vellent; respondit, quantum in se esset, & jura permitterent, non illibenter admittere. Postulantes diploma Pontificium sibi tradi, ad Societatis domus præsidem remisit. Qui Præses, ad reprimendum tumultum, Sacerdotalibus vestibus indutus, in porticum subtegulanum prodiens, Christi corpore utrâque manu prætenso, gravi oratione adventantes monuit, ne vellent sibi perniciem & æternum dedecus creare; extremisque obsecrationibus postulavit, ut honore habito Æterni Patris Filio, ejus in terris Vicarii decretis, pro ut decebat, obtemperarent: ad quas voces seditiosi homines partim in genua provoluti, partim in pedes irreverenter erecti, confusis vociferationibus proclamârunt, præsentem Deum in Venerabili Sacramento se quidem adorare, sed ferre non posse bonis suis, ab eo, utpote Pontificii decreti defensore, per nefas privari. Inter quas deblaterationes audita vox est dicentis, exploderent sclopetum, & binâ glande transfoderent Sacerdotem. Reliqui tradi sibi Diploma tumultuosè flagitârunt, quo impetrato, & frustra petitâ ab Vicario censurarum absolutione, ad aliorum Religiosorum domos unanimiter concurrerunt, ubi ab rerum ignaris opinatum est tumultuantes non incurrisse in pœnas Diplomatis, quòd Pontifex Urbanus expressisset, Diploma publicari velle, si legitimum impedimentum non intercederet; satis verò causæ esse, in communi offensione, ne publicaretur: sed reverâ pallium obtendebant pravis consiliis, quæ etiam palliata satis sese exerebant. Porrò tumultuantes nihil crebrius in ore habebant, quàm Societatem ex oppido exigendam, ne Indorum libertati favens, ad incitas redigerentur. In Piratiningana verò Divi Pauli urbe, præcipua Mamalucorum sede, longè acerbior turbo Societatem involvit; nam præterquàm quòd paria hîc ac in Sanctorum oppido factitata sunt, illud etiam accessit vexationis, ut Socii è Collegio, atque adeò ex urbe, expulsi, in exilium transportarentur: æquali Mamalucorum opprobrio, ac Sociorum laude, quorum aliqui in Januariensem portum delati, seriem expulsionis cum omnium indignatione narravêre.

Tumultûs initium.

Vicarii constantia.

Venerabile Sacramentum tumultuantibus objectum.

E Divi Pauli oppido Societas JESU expellitur à Mamalucis.

CAPUT XLIV. Indorum defensores commendantur.

CÆTERÙM ut sua cuique laus in hoc negotio tribuatur, mihi commendanda videtur Prætoris Januariensis fortitudo, qui nihil moratus primum tumultuantium furorem, statim initio virgis publicè excipi jussit eum hominem, qui insolentiùs coram Venerabili Sacramento in Januariensis Collegii templo se gesserat. Nauclerum verò festo navis apparatu expulsionem Patrum è Collegio Paulopolitano nunciantem, quasi faustum nuncium adferret, torqueri mandavit. In Sanctorum oppido, domûs nostræ præpositus juridicè expostulatus, ut vellet promittere se nullum Pontificis mandatum injussu Magistratûs civilis imposterùm promulgaturum, respondit se & Socios, etiam cum mortis periculo, Pontificis Romani jussis obtemperaturos. Patres Paulopolitani Collegii exilium maluêre, quàm tantillum à veritate deflectere. Nec infimam laudem meruêre (ut taceam Franciscum Diastanium) Petrus Mora, Josephus Acosta & Januarienses Socii, frequentesque cives, pro asserendo Pontificis Diplomate, & Indorum defensione, capita sua cuivis periculo, Lusitanâ prorsus magnanimitate, objectantes. Sed in primis nominandi mihi erant Urbanus Octavus Decreti author, & Philippus Quartus Rex Catholicus,

Emmanuëlis Sa fortitudo.

Et Sanctorum domûs præsidis.

Et aliorum.

Urbani VIII. laus.

Et Philippi Quarti.

necnon Senatus Regius, qui tantam pestem Regiis planè & non unis litteris ad Prætores Indiarum missis, avertere ab Indis omni ope contenderunt. Profligassetque Rex optimus pernicioſſimum malum, punitis Mamalucis, nî rupta Lusitanos inter & Hispanos pax, tanti Regis pia consilia prævertisset. Sub finem anni quadragesimi, conjuratione factâ, Mamaluci, Pontificis Maximi & Regis Catholici Decreta contemnentes, copias in Neophytos nostros moturas collegêre. Quâ re cognitâ, Franciscus Diastanius discessum è Januariensi portu adproperavit. In cujus portûs Collegio tres & triginta Socios religiosissimâ prorsus liberalitate, per septem menses, Josephus Acosta Rector Siculus sumptibus suis aluit: qui rogatus, ut vellet rationem expensarum inire, ut aliquando Paraquariensis provincia satisfaceret; respondit, sex millia aureorum in Socios advenas expensa esse, & ne unum quidem obolum in mercedem velle; à Deo scilicet Optimo Maximo longè potiora, quàm à paupertate nostra, sibi jure merito promittens.

Mamalucorum pertinacia.

Januariensium Sociorum liberalitas.

CAPUT XLV.

Francisci Diastanii & subsidiariorum Sociorum appulsus.

FRANCISCUS Diastanius & Socii è Januariensi urbe solventes, vigesimo ab discessu die portum Boni-aëris, sub finem Novembris, feliciter tenuêre: ubi eos, solito more, Provincialis, non sine Neophytorum, ducentis leucis ad id evocatorum, tripudiis, religiosè excepit; hoc maximè lætus, quòd cognovisset in tanta nationum varietate (nam è Sardinia, Burgundia, Germania, Gallobelgica, Flandrobelgica, & ex variis Italiæ Hispaniæque provinciis, hic manipulus collectus erat) in longa navigatione hyemationeque ne minimum quidem nationale verbulum ab quoquam usurpatum fuisse; & reverà plerique tales erant, quales missiones Apostolicæ exigunt: nam si ingenium & virtutes spectes, nullus scholasticorum ex tanto numero fuit, qui non ad quatuor votorum professionem suo tempore admissus sit; magna Europæarum provinciarum laude, selectissimos Socios ad opus Evangelii abs se amandantium. Quamquàm unus & alter, ut fit, non defuêre, qui cæterorum gloriosis laboribus manum admovere renuentes, sensêre Divinam Nemesim. Nam Gregorius Figueroa, præcellentis adolescens ingenii, ob solutos mores ab Societate dimissus, paulò pòst in rixa ab Ibrida in Peruvia pugione confossus interiit; & Joannes Baptista Elecaldée Societatis catalogo etiam expunctus, decem diebus postquàm in clientelam prædivitis hominis popularis sui non absque spe divitiarum admissus est, fatis concessit. Meliorem finem sortiti sunt immaturâ morte sublati Joannes Ignatius Baisama Castellanus, Juris prudentiæ consultissimus, si prudentiam, sanctitatem, & doctrinam spectes, cum paucis comparandus; & Dominicus Martines, Beneventi in Italia natus, præfervidi homo ingenii, & omnia ad animarum lucra referentis. Necnon Jodocus Pacman Helvetus, non minùs solidissimâ in vita virtute, quàm morte in Æthiopibus peste afflatis juvandis contractâ, laudabilis. Cæteri verò pergunt in opere Apostolico spartam suam exornare, meliori calamo, quàm meo, materiam aliquando præbituri. Qui antequàm Cordubam transportarentur, novus Provincialis in Provinciam venit, cujus res priusquàm scribere aggrediar, hoc de Didaco Boroâ ejus decessore dictum velim: eum scilicet diu deinde superstitem tantam fuisse laudem in hac Provinciâ adeptum, quantam (si fundatorem excipias) nemo ante illum in omni genere virtutum consequutus fuerat. Nec dubium videtur inter illustres Societatis nostræ heroës locum aliquando sortiturum. Assiduo fermè, & nullo die interrupto, inter sacrificandum lachrymarum dono cœlitùs præditus fuit: ad carnis motus reprimendos, formicarum morsibus se objecit fodicandum: & tantam in corpore domando severitatem adhibuit, ut modum excedere putatus sit. Truxilli in Hispaniâ natus, parentes sortitus est nobiles, qui eâ severitate in pueri, & mox deinceps adolescentis, mores invigilavêre, ut jam senex Didacus noster dicere soleret: Moniales in claustris non arctiùs observari, quàm in pueritiâ adolescentiâque à piis parentibus fuisset custoditus. Frequentavit tamen optimos Magistros in scholis publicis, quarum scholarum, & templorum viis ipsi tantùm concessis, ab cæteris diverticulis constanter prohibebatur, ne corrupta inventus lectissimo virtutum omnium flosculo malignum vitiorum halitum afflaret. Latinitate

Quorundam Sociorum præcox fatum.

Didaci Boroæ commendatio.

laudabi-

laudabiliter instructus, ad studia Aristotelicæ professionis gradum fecit; donec anno hujus sæculi quinto in Societatem cooptatus, Ludovico Palmæ, exercitatissimo ascenticæ vitæ magistro, jam vicennis instruendus traderetur. Ex cujus disciplinâ talis prodiit, ut jure Palmarem tanti Magistri tyronem appellaveris. Et reverà magnus fuit, sive morum severitatem, sive Apostolicæ vitæ ardorem, sive prudentiam consideres: litteras humaniores Belmontanâ in urbe publicè docens, Joannem Castillium, postea in Paraquariensi Provinciâ clarissimâ nece defunctum, inter discipulos habuit. Cùm juvenis summis in Hispaniâ muneribus designaretur, anno hujus sæculi decimo in Paraquariam, multis votis ambitam, navigare maluit. Rebus agendis idoneus, in primâ ad Diaguitas expeditione adeò egregium Apostolici animi specimen dedit, ut eum Joannes Darius Xaverium abbreviatum appellârit. Quæ tantus vir per varias regiones ante Provincialatum factitârit, suis locis tradidi. Defunctus Provincialatu, per quadriennium Cordubensem Rectoratum gessit, & interjecto tempore, Assumptionis Collegio præpositus, religiosissimæ in pauperes et Indos liberalitatis exempla dedit. Posito Rectoratu, in memorabili illo Paraquariensis Collegii infortunio, ex urbe Assumptionis abire compulsus, diu in Europæi hominis villa, meliora tempora operiens, perstitit: donec postliminiò cum aliis restitutus, & ad missiones Paranæ Urvaicæque progressus, in emeritâ senectute, rursum Sociis, ad utrumque flumen elaborantibus, præesse juberetur. Deficientibus pænè viribus, apud Iguasuanos, abs se quodam reductos, aliquamdiu privatam vitam duxit, sed non otiosam: nam bonus senex assiduè excipiendis Neophytorum confessionibus, aut ægris, sede portatili vectus, invisendis, aut concionibus habendis, aut Socios per litteras animandis, aut defendendis Indis occupabatur. Sic occupatum morbus læthalis in Sancti Michaëlis ad Urvaïcam oppido inter pias animi affectiones intercepit. Plura scripsit de gestis clarorum Sociorum Paraquariensis Provinciæ, quæ mihi historiam scribenti magno adjumento fuere, quam nec silebo, ejus præsertim, & Francisci Diastanii authoritate & benevolentiâ permotum me fuisse, ut stylum scribendæ Paraquariensi accommodarem.

HISTORIÆ PROVINCIÆ PARAQUARIÆ SOCIETATIS JESU

LIBER DECIMUS-TERTIUS.

CAPUT I. Franciscus Lupercius statum suæ Provinciæ inspicit.

1641.

ACceptis Præpositi Generalis litteris, Franciscus Lupercius Curbanus, Limæ Theologiam profitens, ad regimen Provinciæ Paraquariæ capessendum Peruviam Tucumaniamque prætergressus, ubi ad portum Boni-aëris appulit, Didaci Boroæ decessoris sui, Francisci Diastanii, & subsidiariorum ex Europa Sociorum aspectu, ab septingentarum leucarum itineris fastidio luculenter est recreatus. Et quia multæ Oceani aquæ non extinxerant in novis advenis caritatis ignem, sed auxerant, primus ejus labor fuit, in sedandis aliquorum flammis, qui studiis nuncium remittere volentes, præproperè meditabantur animarum incendium, cum quibus partem itineris per desertam centum & amplius leucarum planitiem remensus, per campos speciem Collegii exhibuit. Vehebantur enim sex & triginta Socii magnis curribus, quos habebant noctu pro cubiculis, diu verò tentoria, pro templo triclinioque figebantur. Noctu progrediebantur Solis æstum devitantes, nihiloque seciùs, quàm in urbibus solet: per stata temporum intervalla, ad reli- religiosas exercitationes nolâ portatili ciebantur; Collegium rotatile diceres. Auspicatus fuit Cordubensibus tantorum hospitum adventus, pace Præsulem inter & Prætorem non sine operâ Provincialis sancitâ, qui advenis in suas classes distributis, de statu Provinciæ inquirens, hæc fermè reperit. Provinciam occupabant centum & octoginta circiter Socii. Octona Collegia apud Hispanos, & apud Indos duæ supra viginti sedes numerabantur. Quod ad operarios attinebat, omnes instituti sui memores nihil reputabant propriâ probitate pretiosius, & infra propriam probitatem nihil habebant carius, quàm aliis prodesse. Missiones ad remota loca ex singulis Collegiis hoc fermè modo instituebantur. Duo Patres uno curru vehebantur, quo & pro domo utebantur, & necessaria ad victum Sacrificiumque faciendum circumferebant. Dum ad pagum villámve pervenerant, convocatis incolis, sub erecto tentorio Sacris tradendis, & seminando Dei verbo, vacabant. In Collegiorum nostrorum templis Sacramentorum frequentissimus erat usus. Sacræ conciones utiles habebantur, Virginis Matris sodalitia augebantur, Urbibus & pagis miserum in modum infectis alacriter & promptè subveniebatur. Indorum ubique & Æthiopum cura præcipuè Sociis incumbebat; nullis ad id præstandum nominatim designatis; omnibus, etiam gravissimis Patribus, pro se glorioſum periculum deposcentibus. Omnium in nos, ob æstimationem utilitatis, magna propensio, & sicubi tenebras nostro nomini obducere invidi conarentur; illicò cognitæ probitatis radiis dissipabantur. Sed interim dum novus Provincialis in notitiam aditæ provinciæ incumbit, Socii ubique pro more magna moliri pergebant.

Subsidiarii Cordubam deducuntur.

Provincia donus.

Missionum modus.

Collegiorum exercitationes.

CAPUT II. Socii per Tucumaniã egregiè laborant.

Castitatis defensa.

BIs Cordubensis ditio ab excursoribus exculta est, non sine notabilium rerum successu. Eminentia seligam. Mulierem ad fluminis ripam linteas vestes abluentem perfrictæ frontis nebulo deperiit, & quia hanc vincere illecebris nequivit, vim inferre non dubitavit. Sed virago, repulsâ vi, hostem prostravit; qui à muliere se vinci dedignatus, exerto cultro humerum ejus percussit. Cultro verò illa è cruentis turpibusque manibus excusso, celeri fugâ victoriæ secu-

ritatem

ritatem quærens, spolium pudoris sponso candido & rubicundo oblatum venit. Impotente noxiâque verecundiâ sacrilegè celaverat jamdiu Sacerdotes nefanda quædam facinora vir impius, nec in animum inducebat se illa posse aliquando detegere. Cùmque ideo bona, quorum Christi beneficiò hæredes sumus, adipisci desperaret, præsentibus tantùm inhiabat. Coronabat se defloratarum virginum venereis rosis, & nullum matronarum pratum, quod non lubricè pertransiret, relinquebat. Et si quandoque sibi resisti sentiret, quominùs libidine destinatâ frueretur, dæmone pro lenone utebatur; cui, pro lenocinii mercede, animam nefariè despondebat. Hoc hominis monstrum unâ vice tantùm alloquutus è Patribus unus, reperit, cœlitùs immissâ cogitatione, velle resipiscere: audiit itaque reum scelera sua explicantem, tanto cum animi dolore, ut illi non dubitârit spem veniæ certam facere, & exemplis ostendere talia subinde permitti à Deo Optimo Maximo, ut patefaciat divitias bonitatis suæ. In Sancti Michaëlis urbe multi Æthiopes sub conditione reloti sunt; quorum unus interrogatus à nostris, num intellexisset quid secum factum fuisset, cùm Angolæ baptizaretur, respondit se nequaquàm intelligere potuisse, quòd aliâ quàm Angolanâ linguâ Sacerdotes uterentur: & sic non frustra denuò lotus est Æthiops. Currus, quo è nostris unus vehebatur, in spinetum sylvestre impegit, in quo Indum animam vix jam trahentem cùm reperisset, hominem solatus est spe potiundæ beatitudinis, ad quam indubiè invitari videbatur hoc non fortuito, sed à Superis disposito casu. Agnoscens æger Cœli beneficium, animam confessione purgavit, quam sub noctem ejusdem diei felicissimè benefactori suo reddidit. Eandem urbem, vicinaque loca infestabat infamis præstigiator, cui mos erat in obviis pagis museolo stramineo se includere, è quo quotquot eò loci aderant, suo quemque nomine, quamvis nullum nosset, compellebat, dictitans se à Deo missum, ut solatio mœstis foret, & dubiis consilio. Mentiebatur se grandinum & pluviæ patrem, suâque ope triticum maturescere, per se morbos creari, curarique. Quibus erratis ut irretiret simplices animos, in speciem sana quædam monita intermiscebat; amandum nempe esse Deum, preces fundendas, & hujusmodi similia: quam pietatem, si Superis placet, potitatione terminabat. Postremò amuleta mortifera contra morbos grandinemque distribuebat, omnibus auditoribus severè injungens, ne Patribus è Societate Jesu, quæ abs se facta dictaque fuerant, revelarent; alioquin pœnam loquacitatis luituros. Nostrorum tamen operâ plurimi, his incantationibus illaqueati, saniori timore perculsi, malum commercium abjurârunt, & peccata confessi, pernicioso homini se subtraxerunt. Ex hoc Collegio excursum ad pagos fructuosissimè, quod idem factitatum est ab aliis Collegiorum excursoribus, quarum excursionum nobilissimæ fuerunt ad Calchaquinos Abiponesque.

Vir effrænis domitus.

Æthiopes reloti.

Ægri fortuitò reperti felix mors.

Præstigiatoris artes elusæ.

CAPUT III.

Apud Calchaquinos sedes Societatis restituitur.

SANCITA pace inter Tucumanos Calchaquinosque, Philipppus Albornosius Ægidii Cardinalis frater, Tucumaniæ Præfectus, ab Didaco Boroâ Provinciali anno proximè elapso petierat, ut ad Calchaquinorum vallem Deo Regique Catholico conservandam Socii postliminiò mitterentur. Satis enim apparebat sine operâ Societatis diuturnam pacem esse non posse. Approbato Prætoris consilio, Didaci Botoæ jussu Ferdinandus Torreblanca, & Petrus Patricius, in Londinensium paludem lustratione degentes, per Diaguitas sanguine & linguâ Calchaquinis affines, in designatam provinciam ingredi statim tentarunt. Frustra tamen: nam omnes aditus aut Diaguitarum offensione, aut itinerum periculis, intercluſi erant: coactique sunt ad urbem Sancti Michaëlis venire, unde Lupercii, novi Provincialis, jussu, liberali commeatu instructi discedentes, Calchaquinam vallem per altissimos montes ingressi, à primoribus gentis grato præter spem animo excepti, omnia vallis loca peragrarunt. Quo peracto, narraturi quid apud Calchaquinos viderant, quæque spes affulgeret dilatandi Christiani imperii insperati, redierunt. Quos auditos Provincialis ad vallem remisit, cum mandatis ut alacres fundandis oppidis insisterent. Redeuntes excepêre Calchaquini alacriter, in loco opportuno extemporali opere sacellum erigentes. Sed dæmon trophæum in agro suo erigi

Socii ab Calchiquinis recipiuntur.

Sacella exstruunt.

non

non patiens, turbas excitavit, eò periculosiores, quò dissimulatiores. Nonnulli enim mortales, prætenso religionis velo, sed zelo imprudenti, aliâ viâ in vallem penetrantes, severitate Indos ita exacerbarunt, ut parum ab seditione abfuerint. Ii tamen motus eorum discessu sunt sedati. Alia tumultuum causa fuit, intempestiva & futilis quorumdam Riocensium expeditio, Casiquii Diaguitarum facilè principis oppidum sine mandato Regii præfecti invadentium. Quæ res ita commovit Calchaquinorum Diaquitis finitimorum Casiquium, ut rumor increbuerit per totam vallem, pacem inter Hispanos ruptam esse; ideoque arma expedienda; Socios Jesu de medio tollendos; omnem aditum hostibus intercludendum. Socii quid in hoc periculo agerent dubii, Rectorem Saltensem per nuncium de novarum rerum conditione certum faciunt, à quo acceptâ redeundi potestate Ferdinandus Torreblanca, dissimulatione usus, statim è valle abiit. Petrus verò Parricius, utriusque simul abitionem periculo non carere ratus, tantisper in statione mansit. At cùm discriminum fama pererebresceret, ostensione confidentiæ securitatem aliquantulam quærens, multos circum pagos solus obivit: aususque est Cumbicham Calchaquinorum potentissimum arma jam parantem, non sine fructu, monere, ne vellet paucorum hominum insolentiam communibus armis reprimere, & latrocinium bello vindicare. Sed cùm alia turbulentorum seditiosoruméque hominum cogitata spargerentur in vulgus, dissimulanter etiam è valle se proripiens, magnis itineribus Saltam petiit. Re cognitâ, Didacus Boroa, vices Provincialis in Paraquaria absentis gerens, monet ut vallem citissimè repeterent, ne interruptæ operæ damnum genti afferrent, & spem præscinderent pertinaciæ Calchaquinorum aliquando debellandæ. Non esse cur ad quemvis tumultûs ventum timeretur. Satis sciri Barbarorum furorem tam facilè sedari, quàm concitari, levemque ad eum evitandum declinationem sufficere: nullâ re ferociores & inamabiliores reddi impotentium hominum animos, quàm ostensâ suspicionis, diffidentiæ, & timoris umbrâ. His monitis cùm supervenissent nova Provincialis mandata, rursum se ad repetendam vallem accinxêre: sed ambo Tucumaniæ Prætoris decreto detenti sunt, verentis ne si à Calchaquinis occiderentur, cogeretur ipse in vindictam arma sumere, quæ satis occupanda forent Lusitanorum recenti rebellione. Verùm paulò pòst impetratâ ab novo Prætore potestate, & Ecclesiasticis Illustrissimi Tucumanensis Episcopi indultis instructi, sedatis Barbarorum animis, iidem Patres cum altero Socio in Calchaquinam vallem delati, non sine spe mansionis perpetuandæ, sedem sub Divi Caroli auspiciis, eodem quo anteà loco, restauravere.

E valle abeunt.

Ad vallem remittitur.

Sedem Sancti Caroli ædificant.

CAPUT IV.

Ex itinere ad Abipones Mataraní excoluntur.

NEc ignobilior fuit ad Abipones, nulli adhuc Sacerdoti pervios, per Mataranos expeditio. Hanc iniit Joannes Pastor, Esterensis Collegii Rector, cum alio Sacerdote, incensus desiderio imperii Christiani fines transgrediendi, novosque pervadendi: qui communicato cum Provinciali consilio, ex Tucumaniæ metropoli egressus, iter habuit per deserta hominibus loca, usque dum ingrederetur Mataranorum Indorum terras; quorum oppidum octoginta circiter leucis distabat unde discesserat. Matarana gens ebrietati dedita, circulares potitationes quotidie instituebat, aliis alios, partitis inter se diebus, in orbem invitantibus. Præter has quotidianas debacchationes, alias solemniores Matarani habebant, quas funerales vocabant, Majorum suorum impiis Manibus dedicatas, quorum mortis annuo revertente die, ab hæredibus convivium instruebatur, cujus præcipuum oblectamentum temulentia erat. Convivæ simul ac longo ordine convenerant, struthionem convivatori offerebant, quem præstantissima puella capiti impositum præferebat. Si contingeret eodem die ab uno plurimorum mortuorum memoriam celebrari, pro illorum numero tot struthiones eodem ritu mactabant, exhibebantque. Eidem convivatori quisque pro se munusculum tenebatur offerre, pacto interposito, ut aliis sua parentalia facientibus idem præstarent officium. Et ferè non aliæ inter eos sanguinolentiores insurgebant lites, quàm ab istius pacti fractione: cujus adimplendi obligatio, non tantùm ad præsentes, sed etiam ad eorum filios nepotesque hæreditariâ necessitate transibat. Peractis triduo funeralibus epulis, per horam

Mataranorum mores.

Parentandi modus.

integram

integram sibi coactas lacrymas eliciebant, quibus succedebant cachinni, choreæ, & debacchationes. Sed quod lacrymis dignum erat, gens iis moribus nomine Christiano gaudebat, referebatque parentum suorum doctrinam ad Alfonsum Barsenam & Petrum Agnascum, Socios verè Apostolicos. Sed jam Parochum habebant externum, nostris sacris initiatum, qui pueros liminaribus Christianæ Religionis undis abluebat, & ablutos instruebat; qui dum fiebant grandiores, à recto veritatis tramite ad avitæ perditionis latissimam viam deflectebant. Tonocotaná linguâ omnes utebantur: hanc commodè callebat socius Joannis Pastoris, qui illos privatis publicisque adhortationibus aggressus, effecit, ut plures peccata confiterentur, quod proximum miraculo visum est.

CAPUT V. Expeditio ad Abipones.

ALIQUOT diès apud Mataranos commorati Patres, iter suum ad Abipones, quorum fines sexaginta adhuc leucis aberant, prosequuti, comites habuêre Mataranorum Parochum, necnon præcipui nominis Casiquios, Indosque plures: nam quamvis hos inter & Abipones veteres belli causæ intercederent, sperabant tamen interpositâ Patrum authoritate pacem sanciri posse. Vix oppido egressis occurrerunt in spissa nemora, ferarum spelæis & tygrium vestigiis horrida, aliaque id genus passim cruentam mortem minitantia. Aculeatis arborum ramis facies identidem flagellabantur, & vestes lacerabantur. Aquæ penuriâ præcipuè difficilis, nam siccis immodico calore & labore faucibus nullus alius potus præbebatur, quàm pluviatilis aquæ, quæ dudum in obviis fossis imputruerat, potiusque erat narium tormentum, quàm oris refrigerium. Medio itinere emenso, horridam nemorum opacitatem, & aquæ caritatem, exceperunt paludes, quas fluvii Rubri per quinque omninò leucas facit exundatio. Tantarum aquarum transvadationis necessitate absterriti Matarani, eò unde venerant indubiè rediissent, ni Patres eos muneribus & rationibus ad constantiam animassent. Trajectis ægrè paludibus, per planiores dein campos iter fuit, donec tandem duabus ab Abiponia leucis tabernaculum fi: gerent. Eo in loco spem felicis exspectationis rursum interturbavit repentinus, sed non futilis comitum metus, qui cùm se numero paucos sine subsidii spe tam propè hostes multitudine sanguinolentiâque terribiles cernerent, fugam, dum adhuc integra esset, tanquàm unicum remedium, respectabant. Eorum tamen animis contra metum rursum obfirmatis, Joannes Pastor periculum in mora arbitratus, statim Socium cum duobus comitibus misit, exploraturum quà tutiùs Abiponiam ingrederentur. Paululùm progresso turma ducentorum equitum Abiponensium occurrit, ad quos, deliberatâ morte fortis, iter direxit. Appropinquantem Abipones, sese in duo cornua explicantes, notabili celeritate cinxêre. Nudi nudis equis insidebant, corpora proceri, lacertos lati, oculis mobilibus inconstantiam, & promissorum crinium negligenti cultu ferociam, præseferentes. Simul ac omnes oblongas sagittas collineârunt, sic illos fermè Tonocotaná Guaranaque linguâ Pater est alloquutus. *Meus in vos amor effecit, ô Abipones, ut tantis me itinerum armorumq; periculis objicerem: mortem non timeo, quam lubens, ut æternùm vivam, oppetam; tantùm rogo, ne maximum bonum, cujus vobis sum nuncius, pœnitendâ inconsideratione perdatis. Bellum ab inermi ne vereamini, quamvis enim omnia possim in Crucis virtute, quæ me confortat, & manum firmat, non tamen hoc telo veni lædere, sed sanare.* Barbari hâc benevolentiâ deliniti, arcu & sagittis in pacis symbolum demissis, cætera arma, pro more gentis, in terram jaciunt, Patrem venerabundi salutantes. Et cognito alium Patrem, ætate & meritis gravem, retrovenire, turmæ Dux illicò filium cum famulitio mittit. Adventantem primo in pago incolæ variis ludis exceperunt. Fœminæ pro festiva acclamatione clamoribus utebantur, quos oris crebrâ verberatione distinguebant. Finitâ aggratulatione, corium pro tapete in loco patenti, honoris ergò, straverunt; pro sedibus, arboris truncos. Vices benevolentiæ rependerunt Patres largitione hamorum, acicularum, acuum, granorumque vitreorum, quæ quibusvis metallis Abiponibus pretiosiora visa sunt: tum ad mensam itum sedilibus non absimilem, cibosque præbuerunt, qui citò etiam famelicis famem demerent: ne tamen oblatas escas sperni ægrè ferrent, vim sibi inferebant Socii, nau-

Via difficultas.

Sociorum comites absterriti.

Primus Abiponum occursus.

Socii hilariter excipiuntur.

Crucem erigunt.

Conditiones excipiuntur.

Templum extemporale exstruitur.

Socii revocantur.

scam simulatione vincentes. Sequenti die Crucem, quasi aditæ possessionis signum, erexerunt, & eo quo celebraverat Sacrum habitu Pater Rector, manu Crucem præferens, omnibus adorandam proposuit; Barbaris non ægrè ad venerabile signum genua flectentibus. Significanti verò se apud illos velle manere, ut Divina Mysteria explicaret, annuit Caliguila, gentis facilè princeps, quocum ad ejus oppidum trans fluvium Rubrum ambo profecti, communi gentis alacritate excepti sunt. Ubi cùm adventûs sui causam explicassent, idem Caliguila omnium nomine promisit, non prohibiturum se quominùs pueros suos Baptismo abluerent, templúmve more Christianorum erigerent, dummodò adolescentes non cogerentur manè & vespere ad templum ventitare, ne hoc otio ad bellum inepti fierent. Sed facilè persuasit Joannes Pastor, otium illud non futurum pueris inertiæ, Hispanorum exemplo, quorum filii, admodùm bellicosi, sine fortitudinis jactura sæpiùs in die scholas & templa frequentant. His acquiescens Caliguila, petiit, ut saltem pueri, arcu & sagittâ armati, templum ingredi permitterentur, & ne flagellatione castigarentur. Utrumque non difficulter concessum. Tum postulavêre omnes, ut si quis Casiquiorum Fidem Christianam profiteri vellet, liceret ei in summis montium cacuminibus, juxta monumenta suis Numinibus dicata, more Majorum sepeliri. Illud ob superstitionem fieri posse negatum est. Finito concilio, solemni pompâ ex ingenti palma, frendente licet dæmone, Crux erecta est, & doctrina Christiana explanata, quam tantillo tempore adeò feliciter assequuti fuerunt nonnulli Barbari, ut Mataranorum Patochus, palmam Patribus præripere volens, clam egerit de conferendo illis Baptismate. Quam rem subodoratus Pater Rector, eum unde venerat remisit. In cujus absentia templum ex stramine & luto extemporali opere excitavit; linguæ Abiponensis dictionarium scribere incœpit, pueros instruxit, & sperabatur fore, ut brevi magna multitudo converteretur ad Fidem, ni Provincialis jussu, ingenti cordis dolore, prædam, quam jam manu tenere videbatur, non tamen sine merito & laude, relinquere jussus fuisset: nam tota Paraquaria celebravit boni Pastoris animum, in emerita senectute laboriosissimam missionem aggredientis, & ex obedientia deserentis. Non eadem fuit ejus socii conditio, ideò mihi tacendi, quia constantiam in Societate non tenuit. Hujus autem gentis conversio operariorum inopiâ dilata est, de cujus moribus, quos ex Joanne Pastore didici, pauca hîc attexam.

CAPUT VI.

De Abiponum moribus.

Militiæ experimentum.

Abiponum Magnates.

UNIVERSIM Abipones staturâ pluscquam mediocri, æquâ membrorum proportione insignes, lacertosi, vultuosíque sunt. In æstate nudi incedunt, in hyeme corpora pellibus tegunt. Clavam collo suspendunt, & pharetram humeris. Lævâ arcum, dextrâ lanceam semper gerunt; coloribus in omnem formidinem, tygrium ad instar, integrum corpus commaculant; eosque maximè spectabiles reputant, qui plures corporis partes crudeliter perfoderint, iisque varias struthionum plumas indiderint, quas naribus, labrisque, & auribus inserunt, ac si illis vellent volare. Barba genti dedecori est, ideò cùm pubescunt lanuginem evellunt. Calvitiem sibi tanquàm ornamentum faciunt, jus nulli est nutriendæ cæsariei, nisi illi, qui hostem in bello, vel in duello interfecerit. Militiæ apud illos experimentum homicidium est; quod antequàm quis patrârit, militaribus insignibus non donatur. Suos etiam magnates habent, & heroës, ad cujus dignitatis apicem per crudelissimos gradus ascendunt: qui enim heroïs titulum ambit, suam fortitudinem immanissimorum tormentorum patientiâ aliis probet necesse est: suras, crura, brachia, linguam, & alias, quas honestiùs est silere, corporis partes, terebrant; deinde aspero lapide omnium membrorum cutem lacerando abradunt. Denique eâdem carnificinâ quinque è senioribus candidatum exercent, qui si vel tantillo gestu doloris sensum ostenderit, in Magnatum ordinem non admittitur. Si verò inter tormenta fortiter se gesserit, tum se suo in sanguine volutans, in signum lætitiæ, triumphanti similis, adeptæ dignitatis insignia recipit. Quo verò securiùs eum honorem nanciscantur à teneris unguiculis hujusmodi punctionibus abrasionibusque sese exercent. Unde passim videre est pueros, adolescen-

resque

tesque spinis aut aculeis linguam, labra, nares, aures, & membra alia, transfigentes, doloremque coacto risu dissimulantes. Hæc de viris. Fœminæ infra sinum grossis retibus se vestiunt, reliquum corpus vel pingunt, vel insertis lapillis discriminant, præcipuè ubera & faciem. Calvitiem sibi etiam faciunt. Occipitium novaculâ lapideâ aut arundineâ abradunt. In morte Casiquiorum suorum sibi omnes mutant nomina, & tristissimè diu noctuque ululantes, per mensem integrum jejunant. Jejunii apud Abipones lex hæc est: Pisces ne comedito, carnem quando & quantum lubet vorato. Binas proles tantùm educant, reliquas Atrei pluspuam crudelitate trucidant: rationem prolicidii reddunt, nam cùm Abipones bello latrocinioque assueti nullam sedem fixam habeant, ibique vivant, ubi storeas suas in formam oppidi erigunt; inde fit ut plures duabus prolibus, quarum unam circumferebat mater, alteram pater, ne in hostium manus deveniant, vivere non sinant: quòd si una, vel utraque proles pedibus suis sic incedat, ut bellum sequi possit, antequàm mater tertiò quartove pariat, tunc plures duabus non illibenter alunt. Multæ anus sagæ sunt, frequentissimumque exercent cum dæmone commercium. Hæ Patres subinde invitabant, inusitato aliis gentibus gestu, manus supinas harpagonum in morem crebriùs contrahentes, rugosoque risu faciem contorquentes, & nescio quid in gutture turbinantes, oreque sibilantes (nam sibilis sese etiam interloquuntur Abipones.) Vix tamen ullus ex hac compellatione fructus sperabatur; inveteratio enim, ut in corporibus, sic in animis, ægerrimè depellitur. Exemplo sit una, quæ morti proxima, cùm à Joanne Pastore rogaretur, ut se Baptismo ablui permitteret, aiens, si secus faceret indubiè perituram, & à dæmone æternùm cruciandam; respondit dæmonem non esse sibi formidini, quocum diu jam communicasset; Baptismum omninò abs se respui, quòd non ignoraret venenum præsentissimum esse: sic, re infectâ, ab infausto tugurio bonus Pater expulsus est. Non tamen cæterorum eadem conditio est, qui non fictâ benevolentiæ significatione Socios exceperunt, & Esterensem urbem repetentibus, Caliguilâ duce, per triginta leucas sese frequentissimi comites adjunxêre, cibosque ex continua venatione obtulerunt, unanimi consensu multis verbis postulantes, ne diu abesse vellent. Abiponibus adjacent Guamalcæ, aliæque gentes Christiani nominis ignaræ. Per Guamalcas brevissimum iter esse potest ad immensam Calchaquensem provinciam, quam Osorius & Riparius superioribus annis aliâ viâ pervadentes, suo sanguine consecrârunt.

Jejunium Abiponense.

Prolicidium.

Sagarum pertinacia.

Spes aliarum nationum cõvertẽdarum.

CAPUT VII. Mamaluci cum Neophitis infeliciter pugnant.

TANTIS rebus Tucumaniæ Sociis occupatis ad Urvaïcam omnia turbabantur. Cùm enim ingens bellum ab Mamalucis non tantùm parari, sed etiam moveri, nunciatum fuisset; non dubitatum quin illo Urvaïcenses, Paranensesque Neophyti impetendi essent. Ad arma itaque clamatum est, seditque sententia, utriusque fluminis vires quoquomodo esse jungendas, & communi consensu profligandum è finibus hostem; ut unâ clade multa bella conficerentur. Ad id ex omnibus oppidis selecta sunt quatuor Indorum millia, quibus arma data pro opportunitate loci, aliis fundâ, aliis arcu, avito gentis more succinctis. Trecentis capitibus sclopi concessi sunt. Vix convenerant ad Mbororeum oppidum, quod in Urvaicensis provinciæ finibus situm est, cùm animos (christiano ritu) & corpora militariter jubentur curare. Exploratores enim nunciaverant hostes abesse tantùm unius diei itinere, & trecentis omninò cymbis Acaraguaïam fluvium, qui se in Urvaicam exonerat, occupasse: quadringentos in his Mamalucos, belli robur, Tupicos verò bis mille & septingentos numerari. Accepto nuncio, dum pugna in semoto Urvaicæ sinu ordinatur à nostris, hostis numero fidens, certâque spe ingentis populationis conceptâ, secundo fluvio in nos primus movit. In quem Ignatius Abiaru, Mbororeënsium dux, quinque cymbas explorabundus educens, deliberatâ morte & causâ fretus, cùm commodè potuit, sic fertur hostes alloquutus. *Quo jure Christiani homines, suæ salutis obliti, ad alienam expugnandam ruerent? Num satis innocentis cruoris bibissent? Num sufficeret hactenus tot viduas & orphanos feciſſe? Si his non moverentur sacrilegi, saltem meminissent se cum his bellum gerere,*

Prima velitatio.

qui illos jam iteratò profligassent, qui mortem mallent, quàm infamem periculosamq; animis servitutem servire: suadelis desperarent bellum confici posse: nam se experimento didicisse, Mamalucos esse non tantùm Indis, sed Regi Deoq; perduelles. Pro aris & focis, pro salute filiorum & conjugum ad mortem usque dimicaturos, & Patres de Societate IESV institutores suos, quos ipsi nuperrimè ex patriis finibus exegissent, objectu corporum tutaturos. Sed hostes, verborum parci, ad pugnam omisso responso provocavêre, quam nostri Neophyti non detrectavêre. Initium pugnæ datum auspicatâ explosione majoris tormenti, cujus glande tres Mamalucorum cymbæ depressæ sunt, eo rempore quo Socii & in bellis multitudo in littore Sanctorum nomina publico ritu decurrentes, invocabant nomen Divi Xaverii: littorales sylvæ echo repercussæ reddebant Xaverii nomen, cujus auspiciis educta tota classis feliciter pugnavit. Desperatâ in fluvio victoriâ, hostibus potior pars exercitûs descendit in arenam, ubi nihilo infeliciùs pugnatum à nostris, qui hostem indubiè profligassent, nisi nox prælium dimisisset. Alibi etiam ab alterâ exercitûs parte repetitis vicibus prælatum est, sed ubique sine Neophytorum, & semper cum hostium jacturâ. Sub noctem receptui canere visum est, tum ut reficerentur corpora, tum vel maximè ne Neophyti victoriâ feroces prædandi libidine partam victoriam in tenebris temeritate corrumperent. Eo die è Neophytis (ne victoria phantastica videretur) tres desiderati sunt. Vix illuxerat sequens dies, cùm arma denuò capessunt: Mamalucos Tupicosque cingunt; incompositos ubique feriunt, indubiè paucis horis debellandos, ni obortæ tempestatis beneficio, sese hostes in adjacentes sylvas recepissent. Capris castris Neophyti fugientes insequuti, tandem sub noctem nemusculum ingressos assequuti sunt. Ibi obsessis crescebat magis rabies, quàm audacia. Nostris verò per nemoris spissitudinem, per rupium ardua inviaque, Mamalucos indagantes, eorum rabiem fortitudine cœlitùs datâ eludebant. Cominùs ubique, duellantium more, manus conferebantur: nam eminùs pugnare, locorum iniquitate prohibebantur. Prælium duabus horis post meridiem, iterata hostium fuga, distraxit; quos insequi longâ dimicatione fatigati victores nequivêre. Ex nostris tres cæsi, quadraginta vulnerati. Ex hostibus magna multitudo, præsertim Tupicorum, quorum plures certamini superstites, causati Mamalucorum crudelitatem & dominationis insolentiam, ad nos transfugêre.

Pugnatur.

Divi Xaverii auxilium.

Iterum pugnatur.

CAPUT VIII.

Post pugnã gesta narrantur.

HOSTES, populationis ad Urvaïcam faciendæ spe dejecti, ubi ex fugâ utcumque coaluerunt, communicato consilio, Indos Ethnicos divisis copiis aggressi sunt; quibus nihilo seciùs cessit latrocinium, quàm bellum. Indi enim, Theresiani oppidi reliquiæ, ad Tebiquarim fluvium, quò in superioribus depopulationibus confugerant, uni Mamalucorum manipulo se tradentes, solutis vinculis, imparatos aggressi noctu, magnam cædem fecêre; quâ patratâ, sese citatâ omnes fugâ Paranensibus Neophytis adjunctum venêre. Eodem tempore alter latronum manipulus ab Ethnicis ad internecionem deletus, & alii decẽ nefariæ depopulationis præstantissimi satellites, ab excursoribus cum suo decurione crudeliter occisi feruntur. Alia latronum turma fingens se ex Ignatii Abiaru Mbororeönsium ducis factione esse, multis ad amicum nomen se dedentibus libertatem ademit. Eâ fermè arte usi sunt, qui ad Caaguanos captivandos perrexêre: cùm enim finxissent in suo comitatu venire Patres de Societate, Christianæ legis doctores, multi Barbari Sociorum desiderio se eis tradidêre; sed pars potior contra vim & dolum se defendit. Mamalucorum plures ab Gualachis, Barbarorum ferocissimis, inhumanissimè etiam habiti sunt: nam ubi in casses suos inciderant, barbitio capillitioque avulso, pulpam è brachiis & suris, quâ vescebantur, detrahebant, corpora truncantes, & capita cæsorum perticis infixa, ad terrorem culminibus tuguriorum imponentes: Tupicorum plurimis eandem fortunam expertis. Nec portenta defuêre in latronum detestationem cœlitùs ostensa, nam multis in locis, ubi hostes castra metati aut præliati sunt, audiri dicuntur articulatæ voces, quasi sese invicem increpantium, & crimen in socios derivantium, quibus succedunt læsorum ululatus, armorum

Fugientes Mamaluci afflictãtur.

Ab Gualachis.

Portenta.

fragor,

fragor, prælíantium tumultus, & inconditi clamores, quales solent esse, quando post varium certamen confunduntur acies, & sese mutuò proterunt. Ex Brasilia certò nunciatum est Mamalucos in fuga & pugna desideratos centum & viginti, Tupicos ferè omnes. Sic ostendit Xaverius (nam huic Divo victoria post Deum debetur) non tantùm se Solem in Oriente oriri, sed & in Occidente feliciter occumbere. Cordubæ pro victoria gratiæ Deo Optimo Maximo actæ sunt, publico apparatu.

Numerus occisorum.

CAPUT IX.

Puellæ duæ ab Mamalucorum servitute se redimunt.

DIMISSIS copiis, cognito multos Ethnicos Neophytosque, Mamalucorum metu hinc inde dispalatos, non difficulter ad oppidum se reduci passuros, si invitarentur; nunciatumque esset plures ex illis Barbaris, quos ante prælium Mamaluci captivaverant, ab injustis Dominis nostratum coloniarum desiderio passim fugere; Mbororeënses Neophyti, quà terrâ, quà fluvio, manipulatim progressi, magnam hominum prædam variis per biennium integrum institutis excursionibus fecêre. Quibus in excursionibus multa contigêre memoratu digna: selectiora narrabo. Aliquantulam captivorum hinc inde contractorum turbam Mamalucorum manipulus in Brasiliam dum abigeret, una captivarum decimumquartum ætatis annum nondum egressa, injectâ cœlitùs flammâ, studio Christianæ professionis, nacta patrandi facinoris opportunitatem, navigiolum, quod in littore unicum erat, conscendit, solutoque anchorario fune in medium alvei, dissimulanter, quasi ludibunda, deduxit; quò dum pervênit, patentem fugam adorsa est. Id ut conspexêre Mamaluci, aliquamdiu stetêre, inopinatâ audaciâ attoniti: deinde admiratione in rabiem versâ, tela simul omnes in perfugam collineant; à fronte, à tergo, à latere impetebatur. Sed audax puella, per volantes Tupicorum sagittas, & plumbeam Mamalucorum grandinem, palmulis aquas, deficiente remo, flagellabat; alterum littus tenêre, & adeptum abradere, semper conata. Fremebant interim prædatores, & se à puella ludi, irritaque missilia volare indignabantur, nescii eam cœlesti clypeo protegi; neque enim aliunde crediderim conservatam tam imbellem fortitudinem. Cùm cernerent incassum esse vires, inauditam confidentiam & inter tot tela securitatem admirari cœperunt. Illa verò animo reputans quid evenisset tot Mamalucorum captivis, & quid sibi sub tali dominio expectandum, nam infra infame jugum & meretricium dedecus, nihil accidere posse noverat, fugam accelerabat, non magis tela, quàm dolosas laudes contemnens. E Mamalucorum oculis à profluente tandem abrepta, quietiùs navigavit: donec post aliquot leucas, ingenti Dei beneficio, in excursores Mbororeënses incurrit; à quibus benignè excepta, & ad oppidum deportata, post Catechesim interjecto tempore sacris undis ab ipso Francisco Lupercio Provinciali, oppida Neophytorum inspiciente, abluta, Barbaræ nomen sortita est. Nuptui paulò pòst data, spem fecit conjugium præclarâ ornandi virtute. Altera puella infidelis, undeviginti annos nata, in captivitate ad libidinem sollicitata, fortiter repugnavit, aiens, nolle se pudorem suum prosternere, quòd didicisset copulam non conjugalem illicitam esse. Cúmque nihil proficeret, piâ fallaciâ prædatorum manus sic effugit: cernens enim Mamalucos fame tantùm non perire, iis promisit, si se tantisper liberam dimitterent, quæsituram in sylvis radices pellendæ fami opportunissimas. Annuentibus Mamalucis, dolum in simplici barbaraque puella non verentibus, ad nemora intacta processit, ubi iis se latebris abdidit, unde nullâ deinde indagatione erui potuit: tandemque per viarum anfractus, & mille pericula, ad Mbororeum appulit, quo in oppido, rarâ prorsus felicitate, patrem suum matremque Fidem Christianam jam professos, inopinato concursu, pænè abs se abalienatos reperit; quorum postmodùm consilio veræ Religionis candidata baptismalem gratiam ambivit, & omnibus incolis aggratulantibus, obtinuit. Quatuor-decennis puella, triennis sororculæ constans bajula, post varia viarum discrimina è captivitate fugiens excursoribus nostris occurrit, quiutramque Baptismo initiandam ad Mbororeum deduxêre.

Puella generosa fuga.

Baptismus.

Puella pius dolus.

Felix cum parentibus occursus.

CAPUT X

Multi ex eâdem captivitate se liberant.

CENTUM & quindecim Ethnicorum capita Ignatius Abiaru ex communi dispersione unicâ in expeditione contraxerat, inter quos juvenis binarum sororum, quas ab Mamalucis abductas, & fratris sui, quem ab iisdem occisum, non sine probabili conjecturâ rebatur, jacturam inconsolabiliter lamentabatur. Is ubi ad Mbororeum oppidum pervenit, inter eos qui ad novorum hominum spectaculum ventitârant, ad littus majorem è sororibus ab aliis excursoribus alibi repertam invenit. Eodem planè die, supervenientibus aliis emissariis, inter redemptos fratrem repererunt, ingenti utrimque lætitiâ: vix ab hoc concursu tertia pars horæ effluxerat; cùm sororem natu minorem ex hostium unguibus ereptam in aliâ turbâ ventitare cernunt. Qui tum fuerit felicissimi quaternionis sensus, frustra est enarrare. Primatiæ nobilitatis Indus, & uxor cum filiolâ, Gualachorum Mamalucorumque metu, Christianæ professionis desiderio, ad Mbororeënses confugêre peroptantes, deficiente navigio, & frustra ad transmittendum Urvaïcam tentato vado, imminentibus licet hostibus, trajectionem aggredi natatione ausi sunt. Mater filiolum humeris gestabat, Indus utrumque succollatione sublevabat, donec ad medium fluminis progressi, defectissimis viribus, sese à profluente rapi sinerent, & indubiè periissent, ni Deus veræ religionis candidatos sanctioribus aquis reservasset. Cùm enim jam prope essent ut interirent, cymba, unde unde advecta, rectà ad pereuntes descendit, quam ascendentes facili negotio aliud littus tenuerunt: ubi alios quinque è popularibus suis ejusdem propositi repererunt: quibuscum ad Mbororeum navigando, quam quærebant libertatem, colla suavi Christi jugo submittentes, invenêre. Casiquii cujusdam, Mamalucorum metu in abditis sylvis degentis, uxor temerè sylvas ingressa, in tygridem multâ fame & rabie timendam inciderat, &, ut fit, immensis clamoribus timorem testata, maritum ad fugam, injecto metu, aliorsum impulerat, existimantem ab latronibus uxorem suam rapi. Interea uxor ad littus Urvaïcæ fugiendo progressa, inter urgentem feram & fluvium, tanquàm inter scillam & carybdim, deprehensa, dubitabat quid conducibilius sibi foret, an ab tygride cruentam mortem, an ab præterfluente fluvio suaviorem præstolari. Sed dubium diremit insultans fera, cujus primo impetu levi declinatione evitato, consilio in necessitatem verso, mulier in Urvaïcam ex alta crepidine præcipitem se dedit, natandoque ad scopulosam fluminis insulam pervênit; eo fermè temporis momento, quo illàc transibant nostri Mbororeënses, qui fœminam admittentes, ad oppidum revexerunt: paucis quàm appulerat interjectis diebus, maritus Urvaïcæ legens littora in aliam exploratorum turbam incidit, à quibus se non gravatè passus est eòdem deportari. Mbororeum ingredienti prima omnium uxor, utriusque cum inexplicabili voluptatis sensu, occurrit. Ad Acaraguaïæ littus captivam Indam, fatigatione morboque pænè enectam, cum trienni filiolo, inter cætera fugæ impedimenta Mamaluci reliquerant, quæ paucis pòst diebus miserabili fato concessit. Quid faceret triennis puer in vasta solitudine sine domo, sine victu, & solus? lacrymaretur? nullus aderat, qui consolaretur: matrem amplecteretur? sed quî mortua blandiretur? Dextellâ tamen os, oculosque matris identidem explorabat, delicias suas appellitans, & urgente fame ex emortuis uberibus lac, quod supererat, sugebat. Amore matris instigante, nec ipso fœtore ab cadavere abigi poterat: deficiente lacte, ut est sagax vivendi cupîdo, grana tritici Turcici hinc inde temerè sparsa rependo collegit, & vix natis dentibus trivit, vitam utcumque sustentans. O Dei prædestinantis ad gloriam opus singulare! duobus ab obitu matris diebus contigit, ut turma Apostolicorum venatorum illàc iter haberet, qui dum sedulò prædam indagant, puerum reperêre, putrido fœrentique matris cadaveri impositum, pænè jam emortuum: quo spectaculo nec lacrymas commiserationis, nec indignationis in tantæ crudelitatis authores continêre potuerunt. Sepultâ matre, puellulum ad Mbororeënses Socios detulerunt, ab quorum uno sanctificationis lavacro ablutus, quarto pòst mense, cœlestis civitatis jure à Deo donatus est. Non procul ab eodem Acaraguaïa Indam iidem reperêre, cui, quòd ultra progredi non posset, Mamalucorum crudelissimus crura ita cremaverat, ut ossa nuda apparerent. Hanc excursorum unus humeris delatam, Cœli viâ, quam

Felix parentum occursus.

Barbara Mulier feliciter in flumen se præcipitat.

Triennis puer à morte servatus.

Baptizatur.

sequenti die iniit, indicatâ, Sacerdos noster post catechesim Baptismo initiavit. Indus, inter suos primarius, ejusque uxor, filium septemdecim annorum, & septennem filiam, utriusque delicias, perdiderant, quos à Mamalucis abactos rebantur: sed dum infortunium suum domi nostræ lamentantur, adolescens cum litteris aliunde venit: atque is erat tristium parentum filius, qui ut patrem matremque vidit, & vicissim parentes filium agnovêre, in mutuos amplexus ruentes, ea lætitiæ signa dedêre, ut ad insolitas gestientium aggratulationes accurrerint omnes ferè Mbororei incolæ, & advenæ, inter quos filiola septennis reperta, quæ utrumque parentem & fratrem hianti ore, & expansis brachiolis unà omnes invitabat. Nihilo seciùs uterque parens & frater uno concursu, quaquà potuêre, puellulam amplexati gratias Deo non ingrati solverunt; idem facientibus Sociis pro renovato Sancti Eustachii exemplo. Felix etiam fuit duorum Indorum fortuna, qui à prædonibus ad pabulandum missi, eo usque progressi sunt, quò cymbam undequaque pertusam offenderent, quâ triginta leucas summâ felicitate emensi, auspicibus & suasoribus Mbororeënsibus, salutares aquas postulatum venêre, & obtinuêre. Juvenis, corporis formâ spectabilis, uxoris sortem, quam aut mortuam, aut captivam rebatur, inconsolabiliter deplorabat: sed dum Mbororeum unâ viâ pergeret, aliâ videt uxorem ventitare, ex quo occursu conjectari licet, quis fuerit amantissimorum conjugum sensus. Pluribus hujusmodi èventibus ad hunc annum pertinentibus, ne similium rerum narratione fastidium pariam, scribere supersedeo, satis feciisse ratus, si dixero Mbororeum oppidum inopinatis affinium consanguineorumq; occursibus, solemnibus plurimorum Baptismis, & crebris providentiæ Divinæ favoribus, fuisse festivum. Satis constat sexcenta capita, Mbororeënsium excursorum operâ, aut è dæmonum antiquo dominio, aut Mamalucorum captivitate, summo labore fuisse redempta. Eò verò processit quorumdam caritas, ut non dubitârint ægros, humeris impositos, viginti & triginta leucarum itinere, per scopulos & sylvas, ne animarum remedio carerent, reportare. Porrò plerosque suprà à me recensitos, suâ manu Franciscus Lupercius Provincialis ritè abluit, dum pro munere Paranæ & Urvaïcæ Socios inspectum venit.

Inopinatis parentum occursus.

Sexcenti redempti.

CAPUT XI

Franciscus Lupercius Paranam & Urvaïcam lustrat.

VENIENTI ad primum Paranæ oppidum Provinciali, honoris ergò ex plerisque coloniis occurrêre ducentæ Neophytorum cymbæ, festivo apparatu ludicram in fluvio pugnam instituentes, aliis interim in littore aut voce, aut variis Musicæ artis instrumentis, adventum ejus celebrantibus. In singula oppida per vias frondosis arcubus conspicuas, inter hilariorum ostentamenta inducebatur; tantâ gentis alacritate, propensioneque animorum, ut ubique Provincialis sibi aggratularetur, quòd contigisset oculis videre hoc opus dexteræ Excelsi, quæ ex lapidibus istis suscitârat tot filios Abrahæ. Neminem ipse indonatum dimittebat, grana vitrea, acus, aciculas, cultros, ferramenta, vestes acu pictas, & hujusmodi res novis hominibus gratissimas dividens. Templa ubique reperit nitida, cultuque conspicua. In plerisque oppidis infantes, & adultæ gentis homines quamplurimos, Christianis undis abluit; Patribus id ultrò volenti cupientique, in aliquot solamen dignitatis, plerumque ab Apostolicis his functionibus abstinêre coactæ, concedentibus. Et quia præter Provincialatûs officium jussus erat ab Mutio Vitelleschi Generali Visitatorem, ut vocamus, agere, viginti novorum oppidorum ad Paranam & Urvaïcam positorum res opportunis ordinationibus stabilivit. Singulis oppidis præerant bini Socii, distributum tempus in varias functiones, aliquoties à me relatas, habentes: summo manè, ubi per horam mente Deum oraverant, rem sacram faciebant, adstantibus incolarum plerisque: peracto Sacrificio, gentis primores Patribus se sistebant: quid ruri agendum: quæ terræ portio colenda, metendáve: quò iter suscipiendum: cui rei invigilandum: utrum piscatio, venatio, vel carnificina instituenda, exponebant: neque enim in his principiis quodlibet cuilibet licebat, nisi etiam institutoribus suis luberet. Singulis annis Socii, ex Regis Catholici indulto, Magistratum, dignitatesque splendidi nominis eligebant, quibus rebus paulatim gens nova ad politicam vitam formabatur. Porrò hi Neophyti,

Alacriter excipitur.

Sociorum exercitationes ordinationibus stabilit.

Sociorum officia.

oppido-

oppidorum in ſpeciem rectores, nihil novare, nihil punire, nihil ordinare, non expectato inſtructorum ſuorum decreto poterant: dici tamen vix poteſt, quàm adeptione umbratilis poteſtatis, & geſtatione officialium virgarum, gloriarentur. Omitto repetere quantos labores Socii pertulerint, vel hoſtium occurſu, vel caritate ciborum, vel itinerum aſſiduitate, vel mortis periculis; in quibus omnibus fortiter ferendis alter alteri piè invidebat; alter alterum inflammabat operibus, quæ potenter attraxiſſent totius Provinciæ Socios in partem laborum, niſi obedientiâ refrænati fuiſſent. Ab Sociis omnibus ad Urvaicam & Paranam ter mille & ducenta circiter capita hoc anno baptizata ſunt. De quorum Sociorum moribus cùm inquireret Provincialis, reperit Joſephum Cataldinum, & Simonem Maçetam, inter omnes opinione virtutis eminere, de quibus, in præſhamentum longioris hiſtoriæ, utrorumque meritis debitæ, hæc pauca accipe. Joſephus Cataldinus anno præteriti ſæculi ſeptuageſimo primo, Aprili menſe, Fabiani in Italiâ natus, Socoſſi in Baptiſmo, ob Virginis iconem vernaculâ linguâ ſic nuncupatam, & in patria piè cultam, nomen accepit. Quod nomen, Aſſumptâ Joſephi appellatione, in Religionis ingreſſu mutavit. Invocatâ Virginis ope, ab hernia, quam in matris alvo contraxerat, miraculosè liberatum fuiſſe, pii parentes credidêre. Sub matris cura, in ipſa pueritia, tantarum virtutum ſpecimina dedit, ut vix tredecennis ab Collegiatæ Eccleſiæ Canonicis ad ſuſtinendam perſonam vacantis officii, cui dignitas annexa erat, electus fuerit, quod in tantula ætate integerrimâ famâ præſtitit: donec jam Subdiaconus, ſtudiorum ergò, Romam concederet. Ubi poſt emenſum Philoſophiæ curriculum, in Theologiæ ſchola Mutium Vitelleſcum audivit. Sacerdos factus, Laureti in Æde Virginis primùm ad aras fecit. Subinde à Bergomatibus, Romæ degentibus, Xenodochio, & templo ſuæ nationis præpoſitus, impoſito oneri pares humeros ſuppoſuit. Trigeſimo ætatis anno ſenſit ſe ſollicitari ad ineundam Societatem. Votis potitus, adhuc tyro miſſionem Indicam ambivit, &, concedente Claudio Aquavivâ Generali, facilè impetravit. Didaco Torres Peruviæ Procuratori traditus, Hiſpali Religionis votis Societati ſe obligavit. In navigatione utiliſſimam operam nautis, & vectoribus navavit. Limam anno hujus ſæculi quarto appulſus, longinquis ad Indos excurſionibus deſtinatus, emensâ Peruviâ Tucumaniaque ſeptingentas omninò leucas terreſtri fluviatilique itinere confecit, antequàm ad Paraquariam perveniret; ubi longè plura egit, quàm quæ ſuis locis de illo narravimus. Tantus erat ejus in Deum amor, ut in vultu quoque amantis ardor efflorescceret. Nunquàm illum occaſio præterlabebatur benè merendi de proximo; quantò is vilior, tantò erat in illum propenſior. De ſe tam demiſsè contemptimque ſentiebat, ut ſe pro nihilo, & deteriorem nihilo duceret. Obedientiæ illius argumenta multoties ex eo excepta ſunt, dum ſemper volenti, ſemperque alacri, res maximè arduæ imperabantur. De odio corporis, ejusque afflictatione, ſatis dixero, ſi eum antiquis Anachoretis vitam ſimillimam in Guairania duxiſſe affirmavero. In qua regione, per pluſquàm viginti annos, panem ne oculis quidem libavit. Vino ferè ſemper abſtinuit. Farinâ ligneâ, fabis, radicibus, & hujuſmodi rebus, potuque aquæ inter ſummos calores, quotidianas vigilias, & humicubationes, vitam ſuſtentabat. Omitto cilicia, & flagella, quorum frequentem crepitum celare vicinos nequibat. Omitto cultum Venerabilis Sacramenti, MARIÆ, & Joſephi, necnon erga alios Divos venerationem: tanti viri, per plures annos mihi notiſſimi, laudibus ſatisfeciſſe ratus, ſi eum cum Illuſtribus Societatis noſtræ Heroibus in omni genere virtutum, & rerum inter Indos geſtarum magnitudine, comparavero, & aſſeruero non abs re Antonio Ruiſio Angeli Barbaros defendentis ſpecie viſum aliquando fuiſſe. Præſciviſſe eum mortis locum, & tempus, ab nonnullis, non vanis indiciis, conjectatum eſt. Paulò ante mortem, Majorum imperio adactus, affirmavit, ſe ſæpiùs corporeis oculis conſpexiſſe Chriſti manum, cum parte brachii albâ & ſacerdotali veſte, ſub medium Sacrificii, è calice exertam, & ab ea manu inexplicabiles delicias cum benedictione ſibi affuſas fuiſſe. Tantus vir ſub id fermè tempus Urvaicenſibus, Paranenſibusque Sociis præeſſe juſſus, ſanctiſſimis exemplis Apoſtolicum magiſtratū per plures deinceps annos honeſtavit.

Joſephi Cataldini vita.

Simoni

Simoni Maçetæ, individuo Cataldini socio, Castilentum, Atriensis ditionis non ignobile oppidum, patria fuit. Hectorem-Herculem pii & honesti parentes in Lustrali fonte nominari voluêre. Septenni, ob præcocis ingenii & pietatis maturitatem, Corporis Christi communio concessa est, quam deinceps etiam in pueritia octavo quoque die usurpavit. Eâ in ætatula multas horas ante Venerabile Sacramentum flexus inter preces ducebat. Prærereà per dies singulos, sive Divina fierent, sive concioni opera daretur, cum egregia quadam voluptate in templo perseverabat. Nec ablusêre adolescentiæ mores ab pueritiæ exercitationibus; adeò ut admirationi popularibus suis esset. Glande plumbeâ ex aberratione hominis in alterum bombardam explodentis crus transverberatum, quadrimestri spatio decubuit. Pro recuperata salute, JESU & MARIÆ gratias acturus, Lauretum concessit; unde pietatis augendæ firmissimum propositum retulit. Domum redux, assumpto in socium pio aliquo adolescente, spe adipiscendi Martyrium inflammatus, in Africam trajicere voluit: & jam aliquousque processerat, prosequutusque fuisset iter, nisi immaturum consilium, pii cujusdam Sacerdotis, apud quem peccata deponebat, monitu, in opportuniorem tempestivitatem distulisset. Ob immoderata exercitia pietatis mens ejus turbellis, seu scrupulis, diu vexata fuit: quam vexationem, adjuvante Numine, corporis afflictationibus redemit. Neapoli in Caroli Sangrii, Societatis nostræ Assistentis, sororis nobilissimæ matronæ domo honorarius cliens, diu tantâ opinione versatus est, ut inter litteraria studia omnium amorem venerationemque sibi conciliârit. Josepus Cataldinus, qui ejus conscientiæ quadraginta-quatuor omninò annis præfuit, memoriæ traditum reliquit, Maçetæ juveniles annos, si usurpata jejunia, & corporis afflictandi studium spectes, posse cum antiquorum Anachoretarum, & Divi Nicolai moribus, comparari. Subinde octo integros annos parcissimo pane & aquâ contentus, ab omni alio cibo immunis transegit, ita ut, ne corpori labem faceret, ab nimiis rigoribus refrænandus fuerit. Sacerdotio inauguratus, in Sodalitate Conceptæ sine Macula Virgini dedicata, diu cum eximia laude meruit; donec animum ad ineundum religiosum statum inclinaret. Mutius Vitelleschus, Neapolitanæ Provinciæ tum Moderator, in Societatem recepit; & ejus successor Antonius Spinellus, die Sanctis Simoni & Judæ sacro, in tyrocinium anno hujus sæculi sexto amandavit. Primo initæ Religionis die, ne quid antiquæ prophanitatis ei remaneret, positâ Herculis appellatione, Simonis nomen, incitamentum ad indipiscendas Apostolicas virtutes futurum, accepit. Admissus in contubernium, finem non faciebat osculandi Religiosæ domûs parietes, & pavimentum tritum à Sociis, agnoscens in beneficio vocationis infinitas bonitatis Divinæ misericordias; cui ne se minùs gratum præberet, conceptis privatim Religionis votis, se totum Dei nutibus & imperiis, mediante Virginum Reginâ, consecravit. Quotidie statis precibus Sanctissimam Trinitatem honorabat. Tempora diei noctisque distinxerat in varias Sanctorum colendorum formulas. Singulis horis variato modo Cœlorum Reginam venerabatur. Anno uno in tyrocinio exacto, in libamentum Apostolicatum missionum aliquot oppida Neapolitani regni cum alio Sacerdote tantâ famâ percurrit, ut Archiepiscopus Cardinalis Aquaviva continuationem missionis ab Neapolitano Provinciali postulârit. In cujus missionis reiteratione Maçeta omnes Societatis artes insigni urbanorum & rusticorum emolumento exprompsit. Inde redux, Neapolitana suburbia, multorum mensium labore, utilissimè excoluit. Aucto in his exercitiis longinquarum ad Indos expeditionum desiderio, eâ se cogitatione retardari sentiebat, quòd farina lignea & radices pro omni cibatu Missionariis Indicis esset: sed Deus, illustratâ ejus mente, technas esse dæmonis ostendit. Secundo tyrocinii anno ab Claudio Aquaviva, in Paraquariam provinciam proprio motu eum & alios Socios designante, Romam evocatus, gratias Deo egit, quòd ad cupitissimum munus amandaretur. Ex Italia Barcinonem navigans, ne latum quidem unguem, submersâ jam navis parte, ab naufragio abfuit. Cùm jam fermè de omnium vita conclamatum esset, Simon Maçeta, quamvis æger, è lectulo prosiliens, fœminam captivam & Ethnicam, inter vectores versantem adiit, & explicato mortis æternæ, ni Fidem Christianam amplecteretur, præsentissimo periculo, ita

De Simone Maçeta memorabilia.

permovit, ut Christiana fieri voluerit. Qua post debitam catechesim baptizatâ, tempestas quasi officio perfuncta quievit, & locum dedit vela explicandi. Barcinone terrestri itinere Madritum, & Madrito Hispalim petiit, ubi navi conscensâ, Regis Catholici expensis, felicissimè Boni-aëris portum tenuit. Interjecto tempore, Cordubam Tucumanorum concessit; unde, post concepta Societatis vota, ad Paraquariæ metropolim, linguæ Indicæ perdiscendæ ergò, proficisci jussus est; donec in Guairaniam tanta quanta narravimus per tot annos patraturus concederet. Ad Paranam translatus, post multos Apostolicorum laborum annos apoplectico morbo correptus, per quinque residuos vitæ annos lecto deinceps affixus est, incredibili patientiâ; nam toto eo tempore nec levissimum quiritatum emittere, aut aliquod fastidiosorum dolorum levamen optare, auditus est; noctes diesque in internis & ferventissimis cum Deo colloquiis (nam verba ne tertiare quidem poterat) transigebat. Dum quotidianâ fermè Corporis Christi sumptione reficiebatur, vultum suavissimis lacrymis perfundebat, & mens ejus Divino æstu calefacta ignes internos exteriùs prodebat; adeò ut è corpore exilire velle videretur. Per quinquaginta fermè annos in sylvestribus locis, & ab Hispanorum urbibus octoginta centúmve leucis dissitis, mirabili constantiâ perdurans, Indorum saluti insudavit; adeò nullo urbium desiderio, ut mihi olim asseruerit, voto se obligatum fuisse ad perseverandum totâ vitâ in media barbarie. Eum Antonius Ruisius tanquàm Angelum veste splendidâ & lucenti, bella Domini inter Indos bellantem, per visum spectare meruit. Aliquando Indos contra furibundum Europæum, ensem in Barbaros librantem, manuali Cruce defendit, donec largè cruentaretur. Quoties filios abs se Christo genitos, spretâ morte, tutatus fuerit, quoties in mediis sylvis pro eorum salute ad inusitatas hominibus escas adactus fuerit, quoties mortis periculum adierit, sigillatim enarrare infinitum foret. Totâ vitâ corporis & animi virginitatem planè Angelicam conservavit. Per viginti annos ne frustum quidem panis gustavit. Constanter ab vini potu abstinuit. Sale deficiente, diu herbis & leguminibus aquâ purâ coctis contentus fuit. In Inianensi colonia tritico turcico sub cinere cocto, nullo adhibito alio condimento, se sustentavit. Non semel prophetico spiritu futura prædixit. Ex ulceroso corpore odorem roseum aliquando exhalavit. Coram Josepho Cataldino, eum jam ex Apoplexia mutum invisente, & hortante ut pro beneficio missionis Indicæ solemnem Sanctorum Ambrosii & Augustini hymnum corde saltem percurreret, vocem exeruit, & cum illo totum hymnum, non sine aliorum stupore, articulatim pronunciavit. Cum eodem aliàs, Laudate Deum omnes gentes, & rosarium, alternatim recitavit: præter quas voces per quinquennium nullas alias edere auditus est. Vox omnium fuit, Simonem Maçetam inter eos reputari posse, quibus veneratio ob singulares virtutes & sanctitatis famam debetur. Indi ob æstimationem hominis res ab eo contrectatas, & etiam pulverem calceamentorum aquâ mixtum, morbis non semel optimo successu adhibuêre.

CAPUT XII. Ex Cordubensi Collegio utiliter excurritur. 1642.

ANNO millesimo sexcentesimo quadragesimo-secundo, bini Socii ad lustrandam Cordubensis ditionis partem ex urbe emissi, magnum operæ pretium reportavêre. Multis in locis fictæ per plures annos pænitudines, & pellicatus in legitimas nuptias commutati sunt. Multi conscientiæ pacem totius vitæ expiatione quæsierunt. Ferè omnes peccata duobus proximè elapsis annis commissa, quòd Sacerdotes defuissent, fassi sunt. Postquàm ad fluvium Quartum penetravêre, alter è Patribus de gentis moribus sic fermè ad unum ex amicis rescripsit. *Indi*, inquit, *Quarti fluminis accolæ, Pamparum, Guarporumq; Mendocinorum finibus objacent. Avitæ Idolorum superstitionis tenaces, vultus suos adsciticiis coloribus deturpant potiùs, quàm pingunt; vidui præsertim viduæq;. Res verè sacras execrantur, liminares nostræ Religionis præces, & decem Divinæ legis mandata, psittacorum adinstar deproperant. Multi cum dæmone paciscuntur. Radicibus incantatricibus in omne scelus necesq; abutuntur. Singulis pagis præest Archimagus, cui incumbit ægros invisere, è quorum corporibus fingit se corruptum sanguinem sugere: & ut id feciſſe videatur, putridum quid ore priùs aliunde haurit, quod, ubi ægras partes sugendo percurrerit, evo-*

De fluvii Quarti incolarum quorundam moribus.

mit, demptamq; sic morbi causam mentitur. Adonidis & Veneris artibus dedita gens est. Viri fœminas herbis plusquam Colchicis ad putida inventa alliciunt. Fœminæ præacutis & digitalibus spinis nares aliásve teneriores corporis partes pungunt, donec sibi copiosum sanguinem elicuerint. Quo in vasculo excepto, magicisq; pulviculis aspersо, extremam totius corporis cutem quasi rubricetâ intingunt, præsertim puellæ: & hoc purpurissо tam potenter lenocinantur, ut turpem victoriam ab aspectantibus ferè semper reportent. Crudelitas gentis plusquam barbara est: sæpiùs se viri ad singulare certamen provocant: duelli leges hæ sunt. Pilam lapideam in angulos decisam oblongo funi inserunt, diuq; rotant Monomachi, tum pedem pedi conserunt, & caput nudum ambo demittunt, ictum alternatim fronte excepturi, nisi alteruter primâ vibratione cadat. Qui prior ferit, is timidior debiliorq; reputatur; quamvis interdum unicâ rotatione antagonista prosternatur. Sic antequam primam percussionem faciant, diu Gallinaceorum in morem immoti persistunt. Victori inconditis clamoribus applaudunt spectatores. Læsus si vulnus curat, infamiæ notam incurrit. Aliud etiam roboris experimentum faciunt: nam sagittam per ventris cutem adigunt, &, ceu foret acus, longo post intervallo educunt. Duellātium modus.

Horum hominum aliquot ætate jam provectos, qui hæc scripsit, salutaribus aquis abluit. Matrimoniorum illegitimo ritu contractorum valori consuluit, præstigiosa instrumenta pluribus ademit, combussitque, Socio interim altero in perditos mores vehementer utiliterque declamante.

CAPUT XIII. Esterēsium Sociorum expeditiones.

EX Esterensi Collegio sacri piscatores retia sua projectum ivêre in aquas fluminis Salsi, ad cujus ripas duodeviginti Indorum pagi numerantur: & impleta ibi piscibus naviculâ, ad flumen Dulce properarunt. Piscationis Apostolicæ in utroque flumine fructus fuit, quater mille à peccatis absolvisse (quorum quarta pars totâ vitâ conceptum virus salubriter evomuit) Ducentos Baptismo ablutos, aliquos sub conditione relotos, centum paria matrimonio conjuncta fuisse. Ubi frequentes conciones habitæ sunt, multorum cum utilitate, præsertim puellæ Indæ Tucumanensis, quæ post auditum unum è nostris Patribus de castitatis bono publicè disserentem, animo firmiter destinavit tantæ virtutis divitias diligenti cautione, & si opus foret vi defendere; quod nihilo seciùs, quàm proposuit, præstitit: nam ab nebulone violenter ad scelus sollicitata restitit, & se potiùs fœdè laniari flagris, quàm Virginitatis thesaurum sibi adimi, permisit. Inde concionator nobilissimam prædam è dæmonum faucibus eripuit. Nam cùm argumentis evicisset, panem Angelorum esse præsentissimum antidotum contra Averni venenum, effecit ut quidam perditissimæ vitæ homo laudatam medicinam fœdissimo ulceri quæreret, qui fassus per multos annos succubo dæmone in quotidianam libidinem abusum se fuisse, ideoque jam diu salutis spem deposuisse; addidit, pro concione, illapso in mentem Divinæ legis radio inductum, ut flagitaret admitti ad mensam, quâ non ægrè post expiatas animæ sordes impetratâ, ne semel quidem deinceps ad turpe horrendumque commercium Infernalem puppum rediisse.

Castitas propugnata.

Eucharistiæ vis.

CAPUT XIV. Horatius Morellius moritur & laudatur.

IN Esterensis Collegii villâ Horatius Morellius vitam finivit Apostolicis laboribus glorioſam. Consentiæ in Calabriâ olim nobilibus ortus parentibus, Romæ adolescens laureâ utriusque juris jam donandus, Societatem iniit. Summam in eo lenitatem indolis, comitatemque agendi, jucunda oris suavitas & hilaritas perpetua condiebat, mirâ congredientium voluptate. Factum fictumque erat ipsi ingenium ad omnem exercitationem virtutis: in primis verò ad Apostolicarum missionum egregiam functionem. Septem annos integros apud Calchaquinos, Indorum pertinacissimos, posuit, summam in corpusculum severitatem exercens, nam tritico turcico, tuguriolo luteo, & humicubatione contentus, continuæ orationi intendebat, aut laboribus. Vix latum unguem eâ in regione ab Martyrio abfuit. Alias item variis ex Collegiis expeditiones pro bono animarum adorsus, iisdem virtutibus exornavit: glorioſæ necis & laborum avidissimus semper fuit: atque adeò ad suos Calchaquinos perpetuò anhelabat. Placuit tamen Divinæ bonitati hominem emeritum è villa Collegii, quam spiritualiter excolebat, ad cœ-

Horatii indoles.

Missiones.

Mors.

lestem Jerusalem placidè evocare. In ultimo agone rogatus num lubens moreretur: *Quidni*, inquit, *si mors est ad vitam aternam via?* atque hæc fuit ultima vox morientis.

CAPUT XV. In aliis Collegiis res gestæ narrantur.

Excursio ad Planos.

AB Riocensibus Sociis ad Planos fructuosè excursum est. Plani in minimè planis, & toto fermè anno nivibus opertis locis habitant. Ad eos itur per arduas montium juga: extremam corporum egestatem patiuntur, vix eorum aliqui tuguria habent, sub diò, aut in antris passim vivunt. Animarum indigentia periculosior illis, quàm corporum est: nam antequam Didacus Boroa eò Socios mitteret, quinque integris annis Sacrorum subsidio caruerant. Ex inculto hoc & vepribus horrente solo, multi lætæ segetis manipuli collecti sunt, adhibitâ gnaviter sacramentorum falce. Ex excusoribus unus accersitum miserat Indum hominem è tuguriolo aliquantum distante, ut eum Divinorum mysteriorum participem faceret: venit ille, sed nescio quâ de causâ, benè monenti reluctans, eò unde venerat cum peccatorum pondere rediit, in reditu equus, quo vehebatur, ac si continuati ponderis impatiens esset, insessorem excussit, quo casu miser sibi brachia & cura fregit, exemplo docturus periculosum esse contra Dei, per suos præcones vocantis, stimulos calcitrare.

Pertinax castigatur.

Mulier in peccato moritur.

Gravior etiam fuit Indæ mulieris casus, quæ postquàm turpissimis libidinibus diu fræna laxasset, nec se sineret aut conscientiæ morsicatione, aut cœlesti per verbi Divini præcones admonitione, ab effræni cursu sisti, tandem in ipsa peccati turpissima actione vitâ derepentè privata est; sceleris conscio ad meliora conversо. In Collegio Boni-aëris Rector injunxerat, ut toties quoties aliquid opis egeni flagitarent, illicò præberetur, nulliqúe oleum, vinum & triticum denegaretur.

Liberalitas Cœlitus repensa.

Quam liberalitatem rependit Deus novis beneficiis: nam cùm ex continuis largitionibus oleum, vinum, & triticum deficere cæpissent, movit quorundam civium animos, ut tantùm earum rerum ad Collegium mitterent, quantum œconomicis rationibus novisque largitionibus sufficeret.

Francisci Gonsales Pachoni vocatio.

Quibus accessit donatio novem millium aureorum facta ab Francisco Gonsales Pachono, paulò antè mortem in Societatem nostram recepto. In hoc portu, uti in universis hujus Provinciæ sedibus factitatur, solent Socii, maximi Jejunii tempore ingruente nocte, narratione alicujus patheticæ historiæ animos auditorum ad Dei timorem & voluntariam castigationem aliúmve pium affectum excitare; cui rei, curiositate magis, quàm pietate ductus, cùm interfuisset vir primarius, vidisseque puerum sexennio minorem, & alterum septennio non majorem, humeros suos flagellis scarificasse, non pueriliter: ita permotus est, ut assereret se sine pudore ferre non posse, pueros sexennes in innocentes humeros tam severè animadvertere, improbamque ipse cutem genialiter curare; ex eoque ad severiora converti cœpit.

Pueri exemplum utile.

Ibidem suspendio ærumnosissimæ vitæ, quam ducebat, finem quærere destinabat non-nemo, & jam resti collum innodârat, quando derepentè è loco, in quo violentam mortem sibi machinabatur, deturbatus, vidit ponè se Dei Matrem, cui quotidiè corollam ex rosario piè innectebat, eoque spectaculo recreatus, à proposito cessavit, & conceptum crimen apud nos purgatum venit.

Maria Virgo suspendium impedit.

Sed ab nimiùm seriis lubet tantisper animum avertere, & spectaculo ludorum pro instauratione primi nostræ Societatis sæculi institutorum tantisper accommodare.

CAPUT XVI. Ludi sæculares celebrantur in Hispanorũ urbibus.

Legitimè.

IN exornando primo Societatis sæculo Romani Socii toti mundo prævêre exemplo, Barberinorum munificentiâ & pietate. Europa sequenti anno Romam imitata, & forsan alicubi ad invidiam Dominæ suæ posteros excitavit pristinæ ostentatione virtutis. Nos tandem, mundi nuper noti incolæ, eadem sacra fecimus, non ideò illegitima, quia centesimo secundo anno post natam Societatem indicta. Nam ut eruditè annotant Chronologistæ, Sem post diluvium, cùm genuit Arphaxad, centum annorum fuisse dicitur, & tamen constat ex computatione temporum centum & duorum annorum fuisse. Binarium nempè, utpote minutum, in tanto numero non curavit Moïses, & nos etiam tanto authore silebimus,

atque

atque sine additamento binarii centenarium celebrasse dicemur, non quidem pari cum Roma majestate, non tanto sumptu quanto Hispania, minori ingenio & alacritate quàm Gallia, jejuniùs quàm Germania, minùs eruditè quàm Belgium; sed non minori pietate, non frigidiori voluntate, nec conatu dispari. Corduba, Provinciæ caput, octonos dies lucem Divo Ignatio sacram subsequentes celebrando centenario elegit, civibus propensissimis animis operas & apparatum conferentibus. Solemnis supplicantium ordo per plateas Holosericis vestibus, arcubus triumphalibus, & altaribus opiparis exornatas, processit. Concio habita ab Illustrissimo Tucumanensi Episcopo docta, & tota in laudem Societatis concinnata. Ex arte vibrati ignes. Columna in concursu quatuor platearum Divo Ignatio erecta, ex qua ipse cannâ missili ignem artificiosè in remotam hydram gigantemque ejaculabatur, pullulantem hæresim, & infidelitatem ab ipso victam docebat. Interloquutores in scenam producti. Festis ignibus coronata turris; ludi equestres instituti. Nec infima laus ingeniorum fuit, Orationibus & Poëmatibus nostræ Societatis laudes decantantium; quæ post sæculum, integra dicta est; quia ut juventus aquilæ toties renovata, in senio incorrupta, quia putrida membra semper resecuerat. Ideò in ore omnium maxima, quia professa est semper se esse minimam. Toti mundo nota, quia latère semper voluerat. Post infinita prælia victrix, quia bella Domini semper pugnaverat. Eò vegetior, quò proprii sanguinis prodiga magis. Eò doctior, quò liberaliùs doctrinam profuderat. Eò honoratior, quò constantiùs omnes honores respuerat. Hæreticorum terror, quia amica veritatis. Barbarorum amor, quia magistra humanitatis. Dæmonum odium, quia prædatrix animarum: & alia id genus Societatis singulares res complectentia. Collegium Boni-aëris etiam supplicationem instituit, qualis illo loco nulla antè nec cultu frequentiáve hominum, nec pietatis religionisque specie visa unquàm est celebrior. Et quia Societas nostra à Christi Corporis veneratione sumpsit incrementum, in hujus honorem ludi facti sunt, in quibus nihil ad apparatum desideratum est. Currus musici & triumphales per urbem ducti. Inter res ingeniosissimæ inventionis productas, una omnem exspectationem superavit. Pueri primæ Litteraturæ candidati, per decades distributi, Gigantomacho dæmoni ludibundè insultabant, fractas ipsius vires ab Divo Ignatio & ejus successoribus dictitantes. Idem præstabant Indi & Æthiopes circum specie ferocissimum dæmonem saltitantes, & ope Societatis imbellem factum concinentes. Nec alia Collegia officio suo defuêre, quæque pro se amorem erga Matrem suam ostendere conantia. Quin & sedes apud Indos positæ pro modulo sæculum nostrum celebrarunt.

Corduba præit exemplo.

Societatis encomia.

Collegii Boni-aëris pia exercitia.

CAPUT XVII.

Ab Indis Societatis primum sæculum etiam exornatum.

DIVI Francisci Xaverii colonia ad Urvaïcam posita festivitati dedit initium. Evocati ex omnibus Paranæ & Urvaïcæ oppidis Socii, & oppidorum primores, variis hilariorum imitamentis excepti sunt. Profestum celebre fuit decantatis melodicè vesperis; nox ignibus festivis claruit. Dies arcus triumphales, altaria extemporalia, multi generis choreas, & ludicras exercitationes ingeniosâ varietate vidit. Sacro-sancta Eucharistia diu sub umbellâ expositа patuit. Latinè & Guaranè declamatum planè eleganter. Pomeridiano tempore Mbororeënses advenæ comicam scenam dederunt, in quam Mamaluci consilia de depopulatione faciendâ agitantes, actu præliantes, ignominiosè cæsi, fugati, punitique inducti sunt. Interjecto tempore altera ad Urvaïcam Societatis colonia, pro centenario nostro ornando, coram iisdem utriusque fluminis advenis multa exhibuit lætitiæ singularis signa, inter quæ sexcentos omninò arcus, quales in triumphis fieri solent, excitavit, & ex hemicyclis res omnis generis in gratitudinis symbolum appenderunt. Ad Paranam eadem fuit Neophytorum erga Societatem institutricem suam gratitudo, coram evocatis Patribus & Indis ex variis oppidis, armilustrium institutum est. Choreæ à militibus habitæ, quorum singuli litteras singulas nominis Ignatii in clypeo præferentes, præcogitatâ felicitate anagrammaticè ejusdem titulos efficiebant. Post alia multa, sub noctem pugna navalis prælucentibus innumeris facibus exhibita, celebritatem inibi terminavit. Suam paulò pòst inchoavit

In S. Xaverii oppido.

Et alibi.

Itapua.

Incarnationis oppidum, ingeniosè sanè, & ad Indorum genium accomodatè. Ubi convenêre advenæ, drama statim datum, cujus argumentum celebrandi centenarii consilium fuit. Ex scena ad deambulationem itum, quæ spectacula præbuit non illaudatæ inventionis: nam ex improviso Polychronius Gygas, enormis magnitudinis, promissâ barbâ, & canâ cæsarie, centenarium repræsentans, centum secum pueros trahebat, variis coloribus pictos, multiplici dissimilitudine Societatis officia significantes, & in laudes Polychronii modulatim subinde prorumpentes. Aliquantulùm progressis, armentum centum boum, non sine symbolo, occurrit. Deinde per centum arcus triumphales, emblematis conspicuos, ad templum processum est; in cujus limine centum panes oblati sunt: ara princeps centum luminibus conspicua erat, & his omnibus præfixa Societatis centum encomia. Suprà templi valvas tres statuæ visebantur: media Societatem, collaterales Sapientiam, Pietatemque præseferebant, cum hac Epigraphe: *Centenaria Societas triumphat, Pietate duce, Sapientiâ comite.* Inter cætera, Latina Oratio omnium plausum consequuta est, cujus synopsis hæc fuit. Sex Generales Societatis laudati, prærogativa ejusdem & insignia facinora explicata; spolia de hæresi, infidelitate, & impietate reportata, ostensa; Christi in Societatem favores exhibiti. Ingens deinde currus triumphalis productus, quem sex monstra ducebant. Currui insidebant Societatis Heroës. Triumpho applaudebant Pontifices, Cæsares, Reges, populi, & etiam Cælites. Quatuor rotæ vota quatuor, aurigæ Generales, Societas veste candidâ puritatem intentionis ob quæsitam majorem Dei gloriam designans, in suprema currûs parte ferebatur: cui obviam, tanquàm sponsæ, processit Christus Matre comite. Finem drama imposuit felicitatis futuræ prognosticon. Hæc de ludis satis.

CAPUT XVIII. Conjugum felix transfugium.

AD Urvaïcam pergebant Mbororeënses, Christophoro Altamirano adnitente, utilitatem facere, multis è fugâ retractis, aut ad oppidum ex paganismo reductis. Inter alios multos non tacendus mihi est Mbororeënsis Indus, qui adhortante Niezuvio, insigni præstigiatore, & Rochi Gonsalvii necis machinatore, ab Christianâ religione ad avitos ritus transfugerat, uxore & liberis ad Niezuvium secum tractis. Niezuvius, ut perfugam indissolubiliter irretiret, multas pellices attribuerat, quibus ne pro libitu abuteretur, fecêre Mamalucorum incursiones, Niezuvianos asseclas continuò infestantes. Cùmque propè esset, ut ab prædonibus turpis desertor caperetur, septem vulneribus confossus, ex eorum manibus sese proripuit, & fugâ ad nos postliminiò directâ, salutem animi corporisque invenit. Tantæ felicitatis præcipua causa post Deum uxor fuit, quæ toto quinquennio, invito animo fugientem maritum comitata, nullo die omiserat globulos Marianos orando percurrere, Superûm Reginam flagitans, ne se, maritumque, sine Christianorum subsidiis ex hac vita migrare permitteret. Quod ut efficaciùs ab afflictorum Matre impetraret, spondebat se fidem maritalem servaturam; quod in tanta vivendi licentia non caret heroïcâ laude. Audita fuêre ab Misericordiæ Matre pia mulieris postulata, quæ ab Mamalucis toto anno investigata inveniri nusquàm potuit; & quamvis sæpè febricitaret, ferè semper tamen in periculis sentiebat cœlitùs sibi vires augeri, quibus in abdita sylvarum profugeret, latronum cupidinem eludens. Tandem post varios casus ad Mbororeum delata, & paulò pòst ultimis Sacramentis munita, non sine spe salutis animam exhalavit. Ante mortem Sociis affirmavit, ejus Sancti nomen schedulæ inscriptum, quòd antequàm cum marito fugeret, in sortem menstruam pro more Marianorum mancipiorum ex urna eduxerat, toto quinquennio tanquàm sacrum amuletum gestasse, & in quovis periculo deprompsisse, opemque ab Sancto petiisse, nunquàm frustrato eventu. Sed aliud subjicio multò memorabiliùs.

Barbaræ fœminæ pietas.

CAPUT XIX Duæ puellæ fugâ è captivitate elabuntur.

PERFIDA prædonum phalanx maximè reluctantes puellas sorores, tredecennem unam, alteram decennem, in servitutem trahebant. Illa, quòd fugam meditari videretur, flagris bis immaniter cæsa, colloque revincta, injustos dominos sequi coacta est; donec centum à patria leucis, cùm jam retrogredi non posse cre-

deretur,

deretur, vinculis soluta, ad escas sylvestres quærendas cum aliis captivis, deficiente viatico, ire permissa est. Puellæ hac specie libertatis inescatæ, & insuper infame servitium detestatæ, in mentem venit, benè se facturam, si de fugâ cogitaret. Unica sororcula inter prædones relicta conceptum fugæ desiderium perturbabat; dumque animo pensitaret quid sibi conducibilius foret, an sui solius libertas, an sororis in captivitate consortium; hanc videt ad pabulandum etiam emissam rectà ad se ventitare, communicatoque consilio, ambæ per ingentem inanemque centum leucarum solitudinem, tygribus & feris pænè tantùm perviam, densis nemoribus per intervalla horridam, adolescente uno utriusque nepote (qui se illis ita instigante Deo conjunctum venerat) comitante, fugam è vestigio arripuerunt. Noctu incedebant, nocturni horroris, quàm diurni caloris patientiores. Ab trito itinere consultò deflectebant, ne prædones vestigia sua relegentes è fuga revocarent. Solent Gualachi, Indorum ferociſſimi, per hæc deserta loca aut venando, aut latrocinando excurrere, quorum manus noctu silendo progredientes feliciter evasêre. Post pauculos dies radicibus ignotis & tenerioribus arborum foliis victitandum illis fuit. Post mensem integrum ad Urvaïcam tandem viribus defectiſſimi pervenêre, in cujus littore cymbam reperêre non multò magis quàm trium capacem, rimas undequaque agentem; quibus pingui limo obductis, sine remo & velo, sine gubernaculo & duce, se secundo flumine labi permisêre. Processerant aliquantulùm, quando alteram cymbam longè vident adverso fluvio totis remis ascendere, cujus gubernator ambarum sororum pater erat, qui paulò antequàm hæc contingerent cum uxore & filiis ex eadem servitute Mbororeum transfugerat, & gratiæ baptismalis factus particeps alios jam, ut ejusdem boni consortes fierent, cum Apostolicis excursoribus per diversa loca repentinus animarum indagator investigabat. Puellæ cymbam hanc Mamalucorum esse arbitrantes à fluminis cursu declinavêre, & manibus pro palmulis utentes, patris manus, quem maximè quæritabant, in littorales sylvas dilapsæ, evitavêre: Mbororeënsibus, & ambarum patre, diu quæsitâ prædâ frustratis, eò unde venerant redire coactis. Sed fugientes puellæ in alterum ejusdem consilii excursorum manipulum paulò pòst incurrêre, à quibus se non gravatè portari concedentes, eo temporis momento Mbororeum ingressæ sunt, quo earum pater ex utili licitaque piratica redibat: qui ut filias & nepotem vidit, agnovitque, uberrimè primùm flere, deinde carissimum ternionem expansis ulnis amplecti, tantâ teneritudine, tantaque gestientis animi significatione, cœpit, ut omnes incolas ad rei novitatem acciverit: inter quos utrarumque puellarum mater accurrens, nescia suæ felicitatis, ut coram se perspexit, quas sine dubitatione hostium prædam esse noverat, diu sibi credere noluit; donec palpans & oculos fricans, somniique suspicionem deponens, suprà quàm dici potest tenerrimè filias ab se genitas amplexa est. Nec fratres minori alacritate sorores exceperunt; omnibus simul insperatissimo occursu attonitis. Nostri Patres advenas ad templum doctrinâ & moribus Christianis imbutos, non diu pòst solemni pompâ Baptismo initiavêre. Denique parentes in grati animi testimonium carissima pignora MARIÆ Cœli Reginæ, afflictorum asylo, conceptis piisque verbis dedicavêre.

De fugâ deliberant.

Cymbam reperiunt.

Ab patre suo declinant.

Et ab matre sua agnoscuntur.

Baptizantur.

POTENS Urvaïcæ Casiquius Religioni Christianæ, adeoque Societati infensus, amicitiam cum prædonibus ideò iniverat, ut utrique noceret; & eò processerat odium, ut aliquoties perforârit navim, in qua navigabat, multis è popularibus suis per summam perfidiam prædonibus traditis. Mamaluci, injustæ utilitati velificantes, in incitamentum continuandæ perfidiæ hominem inani potestatis titulo totius Urvaïcæ, circumfluentiumque fluminum dominatorem, tradito ducali baculo, suâ, hoc est nullâ, authoritate, acclamavêre: qui umbratili dignitate ferox, per plures annos ingentibus damnis Neophytorum nostrorum finibus illatis, non parùm rem Mamalucorum auxit. Donec tandem, exigui perfidiæ pretii pertæsus, turpi amicitiæ nuncium remittens, cum fidissimis satellitibus fugam capesseret: è qua retractum, proditionisque suspicione insimulatum, & nequicquam antiqua servitia obtrudentem, Mamaluci obtruncârunt; dæmonum more, qui obsequia

CAPUT XX.
Neophytorum vexatores castigantur.

Perfidia præmium.

sibi

sibi ab mortalibus præstita acerbitate suppliciorum compensant. Cà siquius alter, protervâ calumniandi prurigine, & corporis enormissimâ mole famosus, jactantiâ, quâ etiam multùm pollebat, Patres nostros ad necem, & præstantissimas Christianorum fœminas ad libidinem, destinare solebat, affirmans se non quieturum quoadusque Urvaïcæ & Paranæ colonias evertisset. In cujus loquacitatis vindictam, Deo irato, tandem pœnas dedit: nam eo die, quo insolentissimè in nostros debacchatus fuerat, Mamaluci uxorem ejus crudeliter trucidârunt, & eodem fermè tempore dum nescio quid in sylvis agitat, crus sibi fregit. Ad inconditos læsi hominis clamores accurrêre Mbororëenses Indi, illàc iter facientes, qui indubiè sumpsissent de notissimo sycophanta supplicium, nî unus è Sociis, illàc quoque fortè permeans, vindices manus repressisset, docens malum bono à Christianis rependi debere. Jussit itaque hominem ad oppidum deferri, ubi cum Catechesi mansuetudine imbutus, ex lupo, Sacramentorum ope, ovis effectus est. Japeïvenses exploratores aliquot familias, nomen Christo daturas, in oppidum suum induxerunt. Neophytus adolescens Gualachum, ab tygride laceratum, in sylva Sacramentali aquâ legitimis verbis, quæ sæpiùs à Patribus dum sacristam ageret inaudierat, abluit: & pauculi alii ex eadem natione Fidem profitentes Baptismum meruerunt. Apud Paranenses & Urvaicenses, Socii hoc anno bis mille & septingenta circiter capita sacro Fonte immersêre.

Sycophanta pœna.

Bis mille & septingenti baptizantur.

CAPUT XXI. De Alfonso Nieto de Herrera. 1643.

CORDUBENSIS Collegii rem familiarem non parùm minuit infecti aëris intemperies, pecoribus æquè ac hominibus infesta, sed auxit Alfonsi Nieto de Herrerâ, variis in republicâ functi muneribus, in Societatem nostram admissio, qui septuagenario duobus annis minor, quadraginta post uxoris mortem diebus, donatis viginti millibus ducatorum, frater noster effectus est. Magnum momentum attulit tam sano consilio ejus nepos & hæres, nuper ex Europa advectus, qui cogitabundum senem adorsus, candidè aperuit, se institutæ navigationis pertæsum, pro adeptione bonorum adeò incertorum, impositerùm ad portum vela velle vertere, ad quem, æternorum spe, JESU Societas invitaret. Ad hæc, lacrymis obortis, in amplexum nepotis bonus senex ruens, & se eadem consilia agitare professus, unanimi consensu Societatem nostram illicò ambierunt, & obtinuerunt. Quamquàm altiùs ego arbitror petendam esse hujus vocationis originem. Nam ante annos plures, cùm noster Alfonsus honestissimum in republica locum tenens, ab nobili viro temerè alapâ percussus, non sine verborum injuria, fuisset, & Magistratus percussorem in tetrum carcerem plectendum duci jussisset, nihilque propiùs esset quàm ut deformaretur: Alfonsus Nietus, post spectatam domi nostræ in Cruce pro hostibus suis orantis effigiem, ita permotus est, ut in gemitus & lacrymas effusus, comitantibus pluribus civibus, ad carcerem convolârit, ubi ad hostis pedes provolutus, traditis in ejus manus litis adornatæ instrumentis, non ante destitit, quàm ab magistratu indemnitatem impetraret; palam professus, si quid multæ pecuniariæ pro delicto reus soluere juberetur, se pro eo soluturum. Vix domum se receperat, quando ad eum confluxêre gratulationis ergò Episcopus, & urbis primores, egregium factum prout merebatur in cœlum extollentes. Nec parcum fuit cœlum in cohonestando homine, & bonus JESUS creditus est ideò senem septuagenario proximum in Societatem suam vocasse, quòd se heroïcæ patientiæ imitatorem habuisset: & optimus vir perseveravit partum inter JESU Socios locum illustribus, virtutibus usque ad mortem exornare. Antequam Societati JESU se manciparet Divum Ignatium senserat beneficum. Infesti lemures susque deque domi ejus omnia habebant, lapidum iteratâ jactatione molestissimi, quorum importunitatis iocosè impatiens, è Divi Francisci familiâ Monachus, qui tum bono seni aderat consolator, inquietis geniis improperat parcitatem, identidem dicens, si lapides projicere vellent, tales demum essent, quales Cholcalensis in Peruviâ argentifodina, ducentas leucas dissita, pareret. Nec mora, ingentem lapidem argenteis venis & cortice varium, vi magnâ ejaculantur, non sine omnium stupore: ob id adhibitis sacro-sanctis Ecclesiæ imprecationibus, syngrapha tandem D. Ignatii

Heroïcum factum.

Cœlitus compensatum.

Lemures Divi Ignatii ope abacti.

infestæ

infestæ domûs parieti affixa est, optimo eventu, nam sub noctem incendium malitiâ lemurum domi excitatum civium diligentiâ sopitum est. Atque illud indicium fuit, perturbatores genios nusquam posthac auditos, majori igni cessisse. Alter civis eodem remedio lemures ab suâ domo ablegavit.

CAPUT XXII. De Collegii Cordubêns rebus.

CORDUBÆ novis ædificiis crevit domus. Sacellum privatis nostrorum usibus destinatum penicillo Belgico in eam elegantiam venit, quæ invidiam faciat Europæis; totum enim quantum est eleganti sacrarum imaginum serie vestitur, nisi quà columnis basibusque jaspidem aut varia marmora imitantibus, per justa intervalla distinguitur. Columnarum stilobatis subsunt sedilia, opere tornatili: tectum coloribus & auro conspicuum modicè fornicatum operis architectonicis sustentari videtur, arte opticâ oculos fallente. Altaris præcipua laus, cui insidet eminens ex ligno inaurato solium, decenter arcuatum, toreumaticis laboribus in concham apertum. Eâ sede solemni civium supplicantium concursu, nec non Episcopi, Ecclesiasticorumque frequentiâ, apparatu magnifico donata est imago Virginis Immaculatæ, peritissimi in Hispania sculptoris opus. Infra Virginis imaginem, in eleganti lypsanotheca, corpus Sancti Epimachi Martyris, huc urbani Octavi liberalitate nuper translatum, asservatur: infraque sacrum corpus opere continuato, loculo affabre facto, includitur Crux imagine Christi mortui nobilitatâ, quâ armatus in ultimo agone certavit Sanctus parens noster Ignatius, quæ Mutii Vitelleschi Generalis in hanc Provinciam perpetuum erit monumentum. Altera imago Virginis sine macula Conceptæ, solemni item pompâ in tyrocinii sacello collocata est, quæ ita rapuit sodalis partheni amores, ut coram illa castitatis florem Deo consecrarit, quem ne tangerent alii amores constantissimè hactenus prohibuit.

Sacellum domesticum.

Statua Immaculatæ Virginis.

Corpus Sancti Epimachi.

Crux Sancti Ignatii.

Altera imago Beatæ Virginis Immaculatæ.

CAPUT XXIII. De Joannis Dias Ocaniæ vitâ, & de missionibus.

INTER has pompas Joannis Dias Ocaniæ funus elatum est. Is magnâ olim parentum curâ educatus, octennis votum virginitatis, & paulò post Religionis aliquando ineundæ, singulari in Indiis exemplo, concepit. Religiosus factus vitam ad Sanctiorum virorum mores conformavit; hæreditariis bonis festum Divorum Ignatii & Xaverii, in numerum Sanctorum nuper relatorum, opiparè celebrari curavit; templum nostrum holosericis tapetibus totum quantum est vestivit, & multâ pretiosaque supellectile instruxit. Hierothecam Sanctissimo Sacramento asservando ex Hispaniâ magno sumptu advehi jussit: Collegium variis largitionibus juvit. In negotiosâ occupationum multitudine tranquillum quietæ cum Deo mentis otium semper habuit. Pauperes & indefensos contra potentiorum vim etiam cum periculo perdendæ æstimationis constanter defendit. Promissam virginitatem totâ vitâ conservavit, utilem virum, maturum cœlo immaturè anno ætatis & sæculi hujus quadragesimo-tertio maligna phthisis extulit. Collegii Cordubensis sacri excursores inter res hoc anno gestas narrabant senes abs se repertos, qui à tempore, quo Tucumanorum ditionem Hispani subjugaverant, nulli Sacerdoti delicta sua detexerant, divulgato Sociorum adventu ex antris prodibant, promissâ barbâ, & cæsarie intonsâ spectabiles, cæterà vermibus scatentes, & tabe pænè confecti; fœdiores tamen animarum putredine in malis inveterati, jumenta potiùs, quàm homines: sed homines & jumenta salvabis Domine. Socii, interprete usi, belluinis his hominibus anteactæ vitæ pertæsis nostra sacra contulêre: quibus magno solatio fuit occurrisse homini centenario, qui octoginta circiter annis inexpiatus, defectu Sacerdotum, vixerat, nullo tamen admisso gravi crimine; nam suâ conjuge contentus, nullius thorum, nullius bona appetiverat, rapueratque; & interrogatus ab uno è Sociis utrum Deum esse novisset? affirmavit. Rursum, utrum Deum aliquâ prece invocaret, respondit, se non alio cultu Deum adorare, quàm junctis manibus, & versùs Cœlum protensis, identidem inclâmando, Deus! Deus! Deus! nec aliam orandi formulam totâ vitâ aut se sciviſse, aut usurpasse: rogatus, ut id quod solebat, faceret, acquievit illicò, & manibus cancellatim junctis, oculisque in Cœlum directis, tantâ, ut apparebat, animi teneritudine Dei nomen iteravit, ut Patri lacrymas, sensumque pietatis, expresserit.

Pueri Virginitatem vovet.

Liberalitatem exercet.

Pauperes defendit.

Centenarii hominis innocentia.

CAPUT XXIV. Iter frustratur ad Chaquensem Provinciam.

Joannes Franciscus Oloris moritur.

Ignatius Medina in opus intendit.

Mataguaïæ conciliantur.

IN Collegio Sancti Michaëlis apud Tucumanos, relicto tantùm Sociis sui desiderio, nam cætera pauperrimus erat, fato præcoci ex mera caritate orto sublatus est Joannes Franciscus Oloris, prosapiâ nobilis, patriâ Navarrus, religione insignis, promissarum imprimis virtutum cultor, tam putus & albus, quàm nomen gentilitium. Animarum lucro indesinenter inhiavit. Ingarum linguam calluit, Tonocotanam missionis Chaquensis candidatus discebat: nam Socii sub idem tempus in Chaquensem provinciam intenti, magno ardore ad Apostolicos labores aspirabant. Ad quam provinciam ex propinquo explorandam, Ignatius Medina, Provincialis missu, Omaguacam contendit: unde Laurentium quemdam Indum, rerum agendarum satis peritum, tentatum misit Mataguarum animos, per quorum terras brevissimus erat in Chaquensem provinciam transitus. Porrò Mataguaïæ quatuor oppida habitant, quibus præsunt totidem Casiquii æquali fermè potestate. Eorum nobilissimo Laurentius muneribus Ignatii Medinæ nomine oblatis, explicatisque adventûs sui causis, effecit, ut vicinorum Casiquiorum conventus haberetur, in quo post varios utrimque jactos sermones, nemine reluctante, decrerum est, non tantùm Sociorum JESU adventum æqui bonique consulendum, sed etiam procurandum; & ut id commodissimè fieret, viæ compendium quærendum esse, iteráque Omaguacense communibus operis explanandum; rediret itaque Laurentius, & Ignatio Medinæ referret, dona & postulata Mataguais fuisse acceptissima, & ipsius adventum fore longè gratiorem; expectaret tantummodò dum sese peregrinæ aquæ in alveum recepissent, tum enim missurum se Omaguacam viarum duces, & commeatum; si Pater ferramenta secum adferret, rem gratam utilemque genti facturum. Sparso in vulgus Casiquiorum decreto, tanto plebs omnis exiliit gaudio, ut quaquà incederet, gratulationis ergò, Laurentio occurrerent. Anus, puellæque, hæ pudori conservando, illæ frigori pellendo, ut Patres vestiarias largitiones procurarent, postulabant. Denique proclivia omnia ad rem benè gerendam videbantur: sed ea res ultra spem non progressa est; nam operariis ad hanc simul & Calchaquinorum provinciam capessendam non sufficientibus, Provincialis adhibito seniorum Patrum consilio, revocato Ignatio Medinâ, decrevit Calchaquinorum missionem continuandam, & Chaquensem omittendam, quousque Generalis Præpositus mitteret gentem novam in novam messem.

Expeditio disturbatur.

CAPUT XXV. Apud Calchaquinos multa fiunt memoratu digna.

APUD Calchaquinos dæmon infensos Barbarorum animos in rem Christianam conservare satagebat, incolarum senioribus, quorum nutus apud juniores imperium est, generis humani hosti obstinatè applaudentibus. Gens omnis, præter avitas superstitiones, nihil studiosè obit: pueri, qui ad speciem pii probique sunt, ubi primùm se ad suos ex nostra disciplina receperint, ne umbrâ quidem probitatis reservatâ, ad perversos parentum suorum mores deflectunt; adeò verum est, cum bono bonus eris, & cum perverso perverteris. Magnates, ne linguam suam discant Socii, omni ope contendunt. Dæmon sacra profanis miscere assuetus, ut Christianorum nomina infidelium prolibus recenter natis sine Sacramento imponerentur, efficiebat, ut cùm adolevissent ignoraretur, utrum ritu Christiano nomen accepissent. Quæ omnia quamvis spem videantur adimere gentis aliquando convertendæ, tamen Apostolici viri considerantes Fidei propagationem humanâ æstimatione perpendi non debere, & ferè nunquàm sine ingenti labore constantiaque peragi: spe projectâ in eum, qui dat verbum Evangelizantibus virtute multa, læti & alacres per hæc deserta loca euntes, mittere pergebant semina sua, fructum datura in tempore suo. Ferdinandus Torreblanca Hualfinam Calchaquinis vicinam vallem, & oppidula Saltensi ditioni subdita lustrans, vix ullum reportavit operæ pretium, ob gentis perversitatem, inverecundis moribus & superstitioni pertinaciter inhærentis. Permisêre tamen Barbari in suis terris Cruces erigi, sacella excitari, Sacraque coram se fieri. Petrus Patricius Utimbæ potentissimi Casiquii terras adiens, non pauca benevolentiæ pignora recepit; nam ipsemet Utimba iter facienti, honoris ergò, obstacula viarum amovit, uxoris & filiorum alloquium permisit, & in ædicula abs se antè condita, demptis crinium redimiculis, Sacra facienti interfuit.

Pueri corrumpuntur.

Christianorum nomina dolosè imposita.

Sociorum constantia.

Utimba.

Cumbicha.

Cumbicha,

Cumbicha, potens alter Casiquius, cum comitatu Socios adiens, multa præstitit benevoli animi monumenta. Quamquàm, si vera volumus noscere, vix in præsentiarum sperabatur alius fructus, quàm qui ex infantium morientium Baptismo subinde percipiebatur. Ex Riocensi Collegio institutæ missio ad Palustres Indos non omninò inutilis fuit: nam, præter benè magnum expiatorum numerum, Barbarorum manipulus sacris undis ablutus est.

Infantes baptizati.

CAPUT XXVI. De vitâ & Morte Petri Marques.

AD Paranam eadem erat Sociorum industria, quæ superioribus annis in conservandis Neophytis, & Ethnicis reducendis, quorum hoc anno benè magnus numerus, non satis distinctè mihi notus, immersus est. In Sancti Josephi oppido immatura mors Patrem Petrum Marques Gallo-belgam, Insulis natum, ætate ac ingenio florentem, rapuit. Ante initam Societatem, præfecturam Ecclesiasticam, opimam sanè & honorificam, ab vito principe ultrò delatam, adire respuit. Expletis in Religione virtutum & studiorum experimentis, Græcas litteras & Rhetoricam Atrebati cum laude docuit. A teneris unguiculis ad heroica facinora aspiravit. Martyrium incredibili cupiditate animi ambiens, sæpiùs ad Majores suos suo sanguine inscriptas litteras dedit, quibus missionem Japonicam Indicamque flagitabat. Atque ut id ardentissimè faceret, non parvum incitamentum addidit ejus matris lectissimæ matronæ præsagium; quæ in ultimo agone, ex vehementi deliquio ut sibi reddita est, ad filium tum Societatis tyronem se revisentem conversa, in hæc verba prorupit: *Lubenter, fili mi, morior, quia cœlitùs didici te constanter in Societate victurum, & inter Anthropophagos moriturum.* Quæ Matris extrema verba in id quod optabat benigniùs contorquens, semper sibi persuasum habuit, vitam Martyrio inter Barbaros carnis humanæ voraces sibi esse finiendam: licet mater non cruentam, sed quamcumque mortem inter ejusmodi homines præsagiisset. Etiam Magnæ Matri MARIÆ carus fuit, à qua memoriæ tenacitatem obtinuisse creditus est; cùm enim quotidianum scholæ pensum memoriter ægrè posset antè reddere, ut semel instituit apud Cœli Reginam memoriæ fluxibilitatem posse sibi esse impedimento, ne in Societatem filii tanquàm litteris ineptus adoptaretur, tantam deinceps memoriæ felicitatem expertus est, ut, me teste, benè longam orationem, & unius horæ poëma abs se compositum, uno alteróve die memoriæ mandaret, & sine hæsitatione recitaret. Nec tanti beneficii aliquando vixit immemor: nam nulla de re magis, quàm de titulis & amoribus Marianis loquebatur, animoque revolvebat. Animi corporisque puritatem usque ad mortem conservavit, adeò ut graviori culpâ animæ innocentiam nunquàm maculasse asseruerit is, qui ipsius confessionem de tota vita in ultimo agone audierat. Quando de amplificando Dei regno sese loquendi occasio offerebat, câ contentione id præstabat, ut satis appareret in generoso pectore heroïcos ignes includi, quibus fovendis Sancti Francisci Xaverii memoriam, tanquàm flammarum Apostolicarum escam, frequenter adhibebat. A magnis viris in Belgio pro Sancto habebatur. Morbus lethalis lenta febris fuit, ex navigationis Indicæ incommodis medullitùs concepta, qui deinde adscivit biennalem dissenteriam. Animam efflaturus, non sine anxii animi significatione ait, quæ est ista mulier, quæ immiscet se nostris choris. Expelle illam, cúmque Socius baculum ac si mulierem vellet abigere prætendisset, addidit, benè habet; & veniam erratorum à præsentibus petens exspiravit. Paulò antè mortem, cognito inter quosdam Urvaïcenses Paranensesque Socios convenisse, ut superstites duodecim Sacra pro primo morientibus ex pacto facerent, ut inter illos adlegeretur obtinuerat, lætusque tanto suffragiorum augmento, è vita discesserat. Confœderati omnes pacto stetêre: sed unus Christophorus Altamiranus, Bororæi oppidi præfectus, quòd magnam cum moriente Patre pacti inæqualitatem concepisset, & quasi si illis non indigeret, pacta Sacrificia facere contempsit: non tamen impunè; nam importunus exactor mox adfuit. Igitur Christophoro sudores insoliti, & insomnia suboriuntur, fragor in templo quasi hominis pulpitum concutientis tectique summitatem evertentis auditur: altare detegitur, & interjectis diebus infestiora signa inquietudinis præbita, & pleraque repetitis vicibus, ne phantasiæ lusus vide-

Ejus patria.

Præsagium matris.

Impetrata ab Virgine memoria.

Petri Marques innocentia.

Morbus.

Pactum.

Apparitio.

retur, repetita sunt. Denique cùm bis in veste Jesuitica noster Petrus visendum se Christophoro Altamirano præbuisset, non antè quievit, quàm duodecim Sacra ipse peregisset. Quinque hebdomadas tenuit infestatio, ut scias innocentissimis etiam opinione nostrâ mortalibus, sæpè non deesse in altera vita quod plectant. Didacus Boroa Exprovincialis existimabat ideò lustralibus ignibus tamdiu castigatum, quòd nimiùm ferventer & minùs ordinatè ante absoluta studia mitti ad Indos, extortâ per importunitatem missione, voluerit. Ibidem etiam iconculam è quercu Beatæ Virginis Foïensis, à Petro Marques è Belgio allatam, solemni pompâ collocârunt indigenæ, cui adeò piè afficiuntur, ut non raros favores impetrare mereantur: certè quòd à peste generali his annis liberi fuerint, huic post Deum Virgini acceptum referunt, tam novo Orbi, quàm Belgio salutari.

Virginis Foiensis imago.

CAPUT XXVII. De rebus Urvaïcensibus.

IN Conceptionis colonia imagines Christi Crucifixi, & Virginis sine macula Conceptæ, necnon Principum Apostolorum, & Sanctæ Theresiæ sudârunt. Ad sinistri præsagii omen avertendum, octonis diebus Venerabile Sacramentum omnium adorationi exhibitum, & pio apparatu auspice MARIA incruentum Sacrificium oblatum est, quibus officiis devinctos putamus Cœlorum Principes: ab eo enim tempore nihil admodùm sinistri nunciatum est. In eodem oppido morte sublatus est Nicolaus Nienguirus Casiquius, domi belliqúe clarus; cui Tapensis Provincia cum adjacentibus populis, & Urvaicæ vastæ regiones, primam veri Dei notitiam debere se fatentur. Ipse unus tumultuantes Caaroënses ob Rochi Gonsalvii cædem compescuit, facinoris authoribus, ne graviora attentarent, sedatis. In periculosissimo cum Mamalucis prælio dexterum cornu duxit, & integrum servavit. Ad cæteras præclari Ducis dotes accedebat comitas tanta, & flectendis quibusque ingeniis dexteritas, nihil ut ejus imperio, tametsi de disciplina nihil remitteret, subditis posset esse optabilius. Ne præda Mamalucis fierent, transmigrationem Tapensibus persuasit. Transmigrantes largitionibus, & omni officiorum genere, sibi devinxit. Lepôrem in colloquiis, & non præmeditatos sales, honestos tamen, adhibebat; unde vulgò honestatis prototypus inter suos habebatur. Ad funus ejus frequentandum ex vicinis oppidis confluxêre aliquot Socii, & gentis primores. Encomiastes affirmavit Urvaicensis provinciæ subjectionem magna ex parte Nienguirio deberi.

Nicolaus Nienguirus laudatur.

In Sancti Thomæ oppido fame grassante, ut ostenderent Neophyti se nequaquàm de Divina providentia diffidere, per vias, quibus sacra supplicatio die Corporis Christi procedebat, triticum, legumina, & quidquid residui habebant, spargebant, ut hac profusione Divinam liberalitatem provocarent, quæ ab humana nequaquàm vinci se passa est; nam undeúnde venerit, exinde annona cœpit esse magis tolerabilis. Sparsum verò triticum sequentis anni abundantissimâ segete Superi rependerunt.

Cultores Eucharistiæ cælitùs adjuti.

CAPUT XXVIII. Franciscus Lupercius Itatinenses lustrat.

IN Itatinensi regione magna facta est seges animarum, sex generosissimis Sociis, duce Justo Vansurkio, in ea demetenda strenuè occupatis. Provincialis Lupercius fluviatili itinere per Païaguarum fines eò ire ausus, magno adjumento fuit ad conservanda jam parta, & ulteriora quærenda. Unum ex duobus oppidis, Sancto Benedicto antè dicatum, in meliorem locum translatum, deinceps Divo Ignatio consecratum est. Alterum ab Virgine Foiensi nuncupabatur. Ad varia Ethnicorum loca Vansurkius prædatum per multos anfractus pergêns, in remotissimis locis reperit pauculos mortales, qui ut Patrem cum comitibus conspexêre, rati ex iis esse, quorum primum studium est captivare Indorum corpora, ex ejus conspectu præcipiti fugâ sese proripuerunt. Horum unum, & deinde alterum assequùtus Pater, docuit se de eorum Societate esse, qui non corpora captivarent, ad animas donarent libertate. Quâ re cognitâ, Barbari in lætitiam effusi, narravêre Vansurkio, Alfonsum Batsenam olim ante quadraginta annos à se visum, & exinde Patres ex eadem Societate ab se optatum fuisse: nec distulerunt eum invitare ad condendum in suis terris oppidum, futurum affirmantes, ut ad famam Patris de Societate JESU vicini populi lubentissimis animis Christianæ legis jugo colla submitterent. Nec res inter

Justus Vansurkius fructuosè occurrit.

verba

verba ſtetit, nam fama latiùs ſerpens alios & alios Religionis Chriſtianæ cupidos allexit, in ſignum ſinceræ ſubmiſſionis capillitium deponentes. Tanta in ſpe dum verſatur Vanſurkius, ad Provincialem, Itatinenſes pro munere luſtrantem, falce in meſſe relictâ, properare coactus eſt. Poſt diſceſſum Provincialis ad eoſdem rediens, invenit auctos numero, & fundandæ coloniæ, Religionisque capeſſendæ avidiſsimos.

CAPUT XXIX. Expeditio ad Villaricanos.

ITATINENSIUM rebus attexam expeditionem ad Villaricanos iis adjacentes, Majorum juſſu ſuſceptam. Octoginta leucis Villarica aberat ab Aſſumptionis urbe, unde Socii diſceſſerant, in quo itinere perficiendo præcipuus labor fuit in lacu trium leucarum latitudinis ſuperando: in cujus trajectu Patres umbilico tenus innatabant aquis, pluviâ reliquum corpus madidante. Ubi deſertam Inſulam tenuêre, in medio lacu ſitam, duos dies madida in veſte perſtitêre, tygride crebris aſſultibus circuitionibusq; novos advenas territante. Aqua corruperat commeatum. Tellus nonniſi bufonibus, culicibusque aculeatis, importuniſſimè fodicantibus, ſcatebat. Præterea aër peſtilens & imber, omnia denique elementa conſpirare videbantur ut nobilem egregiæ virtutis materiam præberent. Lacu tranſmiſſo, in fluvium incidêre exundatione tumidum, nec ante tranabilem, quàm peregrinæ aquæ ſubſiderent: quo non ſine ingenti periculo tranſmiſſo, alios & alios reperêre trajectu difficillimos: per quos, Indis portatilem cymbulam natando ſuccollandoque dirigentibus, Aracaïam oppidum prætervecti, Villaricam tandem peſte infectam pervenêre. Ubi depromptis Apoſtolicorum virorum inſtrumentis omnibus, diu noctuque laborantes, multam utilitatem attulêre. Urbe curatâ, longè lateque ad ſubcenſitos pagos effuſi fructum collegêre amplum; donec Joſephus Domenecus lue afflatus ſuccumberet. In regno Valentiæ natus, à pueritiâ tam factus erat ad pios ſenſus gignendos, ut quoties inſignis pictor volebat pietatem alicujus Indigetis, aut Angeli pulchritudinem exprimere, non alio quàm Joſepho prototypo uteretur. Ante decimum-quartum ætatis annum in Societatem cooptatus, abſoluto curſu Philoſophico, in Paraquariam navigavit, ſtatimque inſtitit apud Provincialem, ut abs Theologicâ ſpeculatione liber ad Indos mitteretur. Quo impetrato, in Guairaniâ primùm, tum ad Urvaicam, denique in tranſportando, regendoque Purificatæ Virginis oppido ita ſe probavit, ut magnis muneribus capacem ſe probaret. Quare Superiores, facilitatis ſuæ pœnitentes, cùm in Patre Domeneco percepiſſent ingenii vim & animi prudentiam cuivis oneri capacem, non ſemel inſtitêrunt ut ſe, quamvis grandævum, tantiſper Theologicis ſpeculationibus exerceri permitteret, quò ad ſumma Societatis vota promoveri poſſet. Fruſtra tamen; nam animum ita intenderat in Indorum ſcopum, ut ab illo diverti nullo modo potuerit. In quibus juvandis ita conſtanter cucurrit, ut feliciſſimæ mortis palmam invenerit. De quâ morte ſic Sacerdos externus ad Aſſumptionis Rectôrem reſcripſit. *Vitam*, inquit, *finivit P. Ioſephus Domenecus piè ſanctèq;, Divi Pauli magnanimitatem in agone referens. Mortem ſuam præſagiit, & pio cum animi ſenſu præſtolatus eſt. Sacramentis à me munitus in tenerrimo amplexu Chriſti Cruci affixi, cælum ſubinde ſuaviter intuens, & IESVM nominans, animam exhalavit. Mortuus vivere videbatur, adeò mors nihil virum immutaverat propoſiti in vitâ tenacem. Multi reculas ab eo contrectatas pietatis ergò ambivêre.* Hæcille. Nec defuit, ut fertur, poſt mortem adeptæ felicitatis indicium. Sed hæc res non ſatis conſtat. Michaël Gomeſius cum morbo peſtifero diu colluctatus, mortem ter telo minitantem tandem eluſit, refectisque utcumque viribus, eò unde diſceſſerat, grandibus meritis onuſtus rediit.

Itineris difficultas.

Mors Joſephi Domeneci.

Ejus ſtudia

Miſſiones.

HISTORIÆ PROVINCIÆ PARAQUARIÆ SOCIETATIS JESU

LIBER DECIMUS-QUARTUS.

CAPUT I. De cõsecratione Episcopi Paraquariensis controvertitur.

INTER has res annus millesimus sexcentesimus quadragesimus-quartus vertebatur, controversiâ de consecratione Illustrissimi Domini Bernardini de Cardenas Episcopi Paraquariensis memorabilis: cui in Peruviâ versanti Philippi Quarti Regis Catholici litteræ dudum allatæ fuerant, quibus ad Paraquariensis Ecclesiæ Insulam, si accederent diplomata Summi Pontificis, evehendus nunciabatur. Grata fuerat electo Præsuli ea honoris exhibitio: angebat tamen hominem dilatio sacrorum diplomatum, quibus Summus Pontifex Regis voluntatem ratam habere solet, & extra ordinem concedere, ob Insularum in Indiis raritatem, ut electus præter morem ab uno tantum Episcopo consecretur. Moræ ergo impatiens, consiliorum suorum vires in id intenderat, utrum scilicet jure aliquo sibi liceret prævertere communem ordinem, & in tanto locorum intervallo Summi Pontificis mentem interpretari. Qua de re ab eo rogata sententiam, Academia nostra Cordubensis apud Tucumanos docto prudentique scripto responderat, id neutiquam ex sapientum virorum placitis, aut sacrorum Conciliorum Pontificumque decretis, aut Catholicorum usu licere. Sed currus ostentati honoris non audiit prudentis consilii habenas. Non exspectatis itaque Summi Pontificis litteris, ab uno tantùm Episcopo in Episcopum consecratus, ad Paraquariæ Ecclesiam se contulit, deditque locum ferventissimæ controversiæ, quæ ex partium allisu ignem expromens, per diversa loca scintillas sparsit utrique orbi spectabiles, & alteri calamo in multos annos calamitosæ historiæ materiam præbituras: nam ego, ne veritatem inquinem aut offendam, creperi negotii primordia & vexationum radices attingere satis habui; ab earum rerum narratione abstinere certus, quæ ex his radicibus ortæ per subsequentia tempora sese pernicialiter diffuderunt. Quamquàm non subterfugiam præcipuas calumnias in medium adducere, quæ hâc occasione ortæ, temporis decursu ad liquidum tandem deductæ sunt: conducibile enim est universas simul, & sicut inter se cohærent, non observatis temporibus conjungi, ut uno quasi intuitu perspectæ eam omnium animis imprimant opinionem, quam merentur. Postquàm ergò se prodidit novi Præsulis offensio, Societatis osores, repertâ opportunitate, antiquatas calumnias renovare, & novas non abnuenti obtrudere cœperunt; quarum palmaris fuit auri Urvaïcensis fabula, jam dudum explosa, & rursum eâ tempestate per utrumque Orbem disseminata. Verùm ut suo cuique authori & figulo sua figmenta attribuam, operæ pretium est fabulæ rotam revolvere, & ad terminum unde prodiit retroagere.

1644.

Cordubensis Academia censet non consecrandũ sine litteris Apostolicis.

Inde orta in Societatem Præsulis offensio.

CAPUT II. Societas reperti ad Urvaïcam auri falsò accusatur.

MULTIS retrò abhinc annis infimæ sortis homo Bonaventura Indus in portu Boni-aëris partim arbitrio suo, partim in religioso conventu diu inter domestica servitia educatus, ex animi inconstantia ad palabundos Ethnicos, & post varios casus ad Japeïviensem Urvaicæ Neophytorum nostrorum coloniam se contulit, unde simulatâ priùs aliquandiu pietate, alterius conjugem ad libidinem raptam abduxit. Sed è fuga retractus ad flagra, ne Neophytos exemplo corrumperet, ad portum Boni-aëris postliminiò remissus est, ubi, nescio quo instigatore, tam

Calumniæ author.

bellè

bellè peritéque de auro ab Societate JESU in Urvaïca invento fabulam exornavit, ut etiam cordatis hominibus impoſuerit. Narrabat enim conſtantiſſimè, ſe eruendo auro diu multumque ad Urvaicam inſudaſſe, tantamque vim coacervari, ut ſemimodius triduano tantùm labore auri probati minutalibus impleri ſoleret. Addebat ſibi, tam dulci re ineſcato, veniſſe ſemel in mentem, ut magnum auri pondus abs ſe repertum clam ad præcognitam fugam & privata commoda ſeponeret. Verùm talia meditantem ab conſcio ſodali apud Societatis Patres intentati furti inſimulatum, flagris & exilio facinoris ſuſpicionem ſe laiſſe. Cùm hæc palam affirmaret, ſitum & qualitates aurifodinarum tam ſcitè deſcribebat, compoſitéque mentiebatur, ut audientium animis pluſquàm veræ rei ſimilitudinem imprimeret: & jam plus æquo credebatur impoſtori, ſerpebatque latiùs pro vero figmentum: aſſerentibus præſertim nonnullis religioſis hominibus id neutiquam in dubiis reponi debere. Cùm Societati viſum eſt ſui purgandi viam quærere, tam diſſimulate & tacitè habere, id Neophytorum ſaluti, & ſuo decori pernicioſum, exiſtimabat. Legitimè ergo apud Judices conqueſta, evicit, ut res diligenter exploraretur. Nec defuêre magiſtratus ſuis partibus: & tandem re diu multumque examinatâ, nobiliſſimus vir Stephanus Avila, fluminis Argentei pro Rege Prætor, publicè pronunciauit, & ad Senatum Regium Madritum ſcripſit, famam quæ de Urvaicenſi auro circumferebatur, ab otioſis hominibus, & in Societatem offenſis, fictam propalatamque fuiſſe, proinde nullam fidem ei adhibendam. Sic figmentum authoritate publicâ aliquamdiu evanuit.

Calumnia legitimè expungitur.

CAPUT III.

Iterum iterumque inquiritur in aurum Urvaicenſe.

DONEC interjecto tempore impoſtor idem aureum mendacium iterum venditaret, & reſarciret malè textam ſuæ fabulæ telam. Europæis advenis, auri plerumque avidis, ingerebat hanc auream offam: & auſus etiam eſt Hyacintho de Laris, Sancti Jacobi generoſo Equiti, fluminis Argentei novo Prætori, eandem eſcam obtrudere. Crede, inquiebat, ô Prætor, oculato teſti, hiſce oculis vidi aurifodinas, & duas arces, quas in aurifodinarum præſidium Patres de Societate ad Urvaïcam conſtruxerunt, multo milite armiſque inſtructas. Novus Prætor, quamvis non omninò aſſentiretur impoſtori, cupiebat tamen vera eſſe, quæ de auro narrabat; nec apud ſe ſatis conſtituebat, utrùm hæc res plus veritatis, quàm figmenti haberet. In hoc inquietæ mentis æſtu poſito litteræ multæ ex Paraquaria adferuntur, quibus Paraquariæ Epiſcopus affirmabat certis indiciis compertum, aurifodinas ad Urvaicam eſſe. Enimverò exiliit gaudio impoſtor, videns adeò ſplendidè per illuſtriſſimum Præſulem exornari mendacium ſuum: & res à Prætore Hyacintho de Laris inter credibiles habita eſt: qui in auri ſpem jam dudum verſus, quàm celerrimè poteſt ad id negotium ſe expedit. Quadraginta igitur militibus ſtipatus, aſſumpto in aureæ, ſi Superis placet, fortunæ conſortium viro nobili Martino Vera, aurifodinæ in Peruvia Domino, necnon metallorum tentatore peritiſſimo, & Bonaventura auri indice ſe ſequi juſſo, adverſo Paranâ flumine (quod felix fauſtumque novo Jaſoni) iter ducentarum leucarum arripit. Bonaventura cauſæ ſuæ diffidens in itinere evanuit. Ob eam fugam Prætor ſpe diminutus, perrexit tamen, & in oppida ab Societate conſtructa magnificè inductus, diſſimulatâ adventûs ſui cauſâ, nihil per quatuor quos ſecum ducebat interpretes ab Indis clam inquirebat diligentiùs, quàm ubi aurum fabricaretur. Quâ re cognitâ, Franciſcus Diaſtanius, Sociorum Paranenſium Urvaicenſiumque præfectus, ſupplicem libellum ex juris norma obtulit, quo poſtulabat, ne ſecretò tantùm, ſed publicè, de aurifodinis inquireret, & ſcriptis ad Epiſcopum, & Prætorem Paraquarienſem litteris, per citatum tabellarium diem legitimè diceret, auri Urvaicenſis, ſi qui eſſent, indicibus, aut palinodiam canerent: è re enim Societatis fore, ſi ſemel ad liquidum reduceretur calumnia, & criminis ſuſpicione tanti teſtis authoritate liberaretur. Prætor laudato conſilio, utrumque non illibenter præſtitit; & interim dum reſponſum præſtolatur, è Parana ad Urvaicam ſe conferens mandat militibus, ut nullum lapidem non moveant ad eruendum è latebris aurum; qui primus inveniſſet cohorti militum præficiendum, & veſte ſplendidâ, necnon ducentis Philippæis, abs ſe donandum ſpondet Non

Hyacinthus de Laris in ſpem venit auri reperiendi.

Creſcit ſpes novis indiciis.

Calumnia author fugit.

Sedulò in aurum indagatur.

defuêre

Indagatores falsâ spe ab Adolescentulo trahuntur.

defuêre partibus suis & tantis spebus milites, tantumque fecêre perscrutando, investigando, indagando, ut fabam repererint: adolescens namque in Mbororeo ad Urvaicam oppido inventus, qui affirmaret se, cùm puer esset, à patre suo dudum mortuo ad aurifodinas deductum, rectéque scire locum, & eò perrecturum, si qui se sequi vellent. Enimverò exultare miles, qui primus tantæ rei indicium acceperat, ad Prætorem pergere, Centurionis insignia postulare, promissa exigere, sibi, Prætori, Reip. & Regi Catholico de tanta fortuna gratulari. Sed Prætor, re examinatâ, titubare adolescentem reperit, & indicium firmitate carere: nam vix quinque annorum puer parentem amiserat, fierique non poterat, ut tantillæ ætatulæ infans, præsertim Barbarus, quæ gleba, quis lapis auro scareret, discerneret. Tamen ne negligentia sibi & Societati aliquando fraudi esset, voluit ut eò duceretur adolescens, quò se duci à parente suo olim affirmabat. Sed difficillimo itinere Martinus Vera & sex milites eò missi, re multùm diligenterque exploratâ nihil ex immenso labore consequuti sunt, quàm ut commilitonum in se dicteria, & lepidos sales, provocarent. Quippe rudis adolescens, quid aurum differret à ferro, quid saxum ab adamante, nondum noverat; & pro auro cochlearum affatim, limacumque splendidas domos, infantiæ suæ crepundia, hominibus talium rerum non admodùm avidis ostendit. Ex frustrata spe exarsêre militum animi in nebulonem, unis patibulo affigendum, aliis auribus & naso truncum, popularium ludibrio exponendum decernentibus. Vicit tamen Societatis sententia, hanc ruditatem levi supplicio, ut cum pueris fieri solet, multandam affirmantis: expediebatque adolescentem vivere, ut, re exigente, temeritatis suæ amplissimus testis esse posset.

CAPUT IV.

Calumniæ author pœnodiam canit, & castigatur.

DUM hæc agerentur, è Paraquaria, omnium expectatione citiùs, cursor cum litterarum fasciculo rediens, variâ spe omnium animos suspendit. Prætor, moræ impatiens, traditas Paraquariensis Præfecti litteras reserat, quibus asserebat de Urvaicensi auro multa se ex fama audivisse, sed hactenùs nullum inventum à se esse, qui id vidisse, aut certis indiciis comperisse, affirmaret. Exinde Paraquariensis Episcopi litterarum ceram explicans, in omnibus verbis hæsit; nam referebat initio se de Urvaïcensi auro certum quid indicaturum. Ubi verò ad eam partem litterarum descendit, in qua sperabat auri indicium daturum, reperit amaram facetiam; nempe qui quæreret aurum, Societatem JESU ex Parana & Urvaica expelleret, nullam rem fore magis auream. Enimverò his perlectis irâ exarsit Prætor, & offensos in nostrum Ordinem otiosorum hominum animos, credulitatemque suam incusans, ægerrimè ferebat tantum iter à se susceptum pro re pulcherrimo Ordini indecora. Quamquàm Societas gaudebat rem ad liquidum deduci, quamvis dubii nihil jam subesse videretur, tamen adhuc Prætorem angebat scrupulus de fuga Bonaventuræ, auri Urvaicensis primo indice; & Societas, ut omni criminationis suspicione absolveretur, optabat hominem in manus venire. In his rebus dum sunt, quis credat? nuncium adfertur, Bonaventuram ad Japeivensem Urvaicæ coloniam errabundum venisse, & in potestate esse: nec plures dies intercessêre, cùm eum vinculis oneratum stitêre Prætori. Sed Prætor, ut liberè diceret, vincula demi jubet, benignéque hominem affatus: Age, inquit, ô Bonaventura, ut tuæ & meæ fortunæ fabricator sis, Urvaicense aurum tamdiu & toties à te deprædicatum indica; si id facis, omnia summa, etiam suprà tuam conditionem, à me expecta. Ille in Prætorem intentus, pernegat se aliquando de auro Urvaicensi cuiquam quidquam loquutum. Jocari desine, inquit Prætor, in re seria: ad Urvaicam stamus: dic quo loco sitæ sint arces milite & armis ad aurifodinarum præsidium ab Societate instructæ, quas mihi tu tam distinctè delineasti, ac si Mediolanensis arcis munimenta omnia aliquando vidisses? Non jocor, inquit, ô Prætor, sed seriò affirmo, me nec de his arcibus quidquam scire, nec in mentem mihi aliquando venisse, ut dicerem aurum, aut auri umbram, ad Urvaicam esse: de arcibus verò nec per somnium quidem cogitavi. Mentiris impostor, subintulit irâ plenus Prætor, tu mihi centies, tu aliis millies aurum illud obtrusisti. Si quid tale dixerim, inquit nebulo, meâ in ebrietate positi fuerûnt deliria. Enimverò Prætor toto corpore excandescês sycophantam vinciri,

Calumniæ author in manus venit.

Examinatur.

Negat se indicium dedisse.

equuleoque

equuleoque suspendi jubet, & acriter torqueri. Sed per summa tormenta nihil expressum aliud, quàm quod verum affirmaret, cùm negaret se quid de phantastico Urvaicensi auro referre. Ergo, inquit Prætor, capite lues calumniam. Jamque destinabatur ad ultimum supplicium, quando Socii, Ducis sui memores pro hostibus suis orantis, à Prætore postulant, ut mitiùs plecteretur. Non evasit tamen cruentam ducentorum verberum flagellationem, & extra provinciam perpetuum exilium. Atque hæc fuit aureæ fabulæ catastrophe, quæ utrùm plus detrimenti, quàm veræ laudis, Societati attulerit, prudens Lector dispiciet.

Torquetur.

Castigatur.

CAPUT V.

Duo Senatres Regii rursum in aurum inquirunt.

SED quamvis in America, eo maximè quo retuli modo, expuncta calumnia fuerit: in Europa tamen, quò cupitissimi auri fama volaverat, adhuc vigebat. Nonnulli enim Societatis osores, quòd coram ausi non sunt, litteris ad Senatum Regium datis, auri Urvaicensis ab Societate reperti indices se professi fuerant, arbitrati forsan calumniam ob intervalla locorum nusquàm ad liquidum reductum iri. Sed secus, quàm cogitaverant, accidit. Nam postquàm Senatûs Regii jussu, Garabitus Senator Regius reperit accusationem firmitate carere, delatores ipsos ultrò se mentitos fuisse fassos, partim grandi pecuniâ, partim exilio multavit. Sed quia Garabitus coram ad designata Urvaicæ loca non descendisset, & ideò malè sartam telam sycophantæ retexuissent, rursumque Societatem de reperto ad Urvaicam auro apud Regem accusassent, tandem Senatus Regius cum severissimis mandatis Joannem Ulasquium Valverdium Senatorem Regium, auctum inspectoris Regii titulo, & Paraquariensis Præturæ dignitate, fastidioso negotio finem impositurum è Peruvia mitti procuravit: qui evocatis ad se veteribus recentibusque auri Urvaicensis delatoribus, secumque cum selecta militum cohorte tractis, ad Urvaicam contendit; ubi examinatis omnium calumniatorum libellis, cùm nihil de auro se rescisse, & aut aliorum suasu, aut suâ sponte mentitos scripto dictoque coram Senatore, legitimisque testibus professi fuissent, & nihil propius esset, quàm ut deformarentur; rursum Societas intercessit, rogans ut mitiùs in eos animadverteretur. Igitur Joannes Ulasquius pro potestate sententiam de auro Urvaicensi pronuncians, delatoribus grandi pecuniâ multatis, Societatis famam restituit. Quam sententiam Limæ typis impressam, & per utrumque Orbem divulgatam, postquàm ex authenticis instrumentis Rex Catholicus cognovit, laudatâ Societate, quòd pro vexatoribus suis intercessisset, suarum partium esse dixit, in hujusmodi quadruplatores severiùs animadvertere, ne pœnæ levitas bono publico fraudi esset. Sic Urvaicensis auri fabula post vigesimum pænè ab origine annum æquali Societatis laude, ac impostorum infamiâ, ex utroque Orbe exposa est; simulque ruit in Socios non Hispanos contorta calumnia, adeò vehemens, ut parùm abfuerit, quin omnes, cum insigni dehonestamento, è Paranensibus Urvaicensibusque missionibus in Europam postliminiò transportarentur.

Garabitus Senator punit auri delatores.

Joannes Vlasquius auri delatores ad Urvaicam convocat.

Convictos mendacii grandi pecuniâ multat.

CAPUT VI.

Criminatio de misso extra Americam Urvaïcensi auro exploditur.

ADDIDERANT enim aureæ fabulæ propagatores gravissimam criminationem: scilicet ab Patribus Societatis non Hispanis in Urvaïcæ littore erutum aurum, ad Brigantinum & Gallum, Hispani tum nominis hostes, transmitti, indeque fieri, ut Gallia tamdiu ferociret, & bellum in Catholici Regis perniciem continuaret. Adumbratum veri specie mendacium est: nam narrabat nonnemo, audivisse se cùm in Belgio militaret, & cingeret cum Regio milite Picardiæ urbem, hostilem exercitum ex dejectum & tristem derepentè exiliisse gaudio, ut satis appareret inexpectato quodam subsidio ad novas spes exarsisse, cumque Hispani duces causam investigarent, ab exploratoribus compertum, tantam auri vim ex aula Gallica exercitui transmissam, quanta sufficeret ad stipendia militi liberalitet solvenda, & bellum novo nervo confirmandum. Cùm verò ulteriùs inquireretur unde tanta vis auri Gallo suppeteret? incertis authoribus per exercitum divulgatum, aurum illud Americanum esse, clam per proditionem ex Urvaica Gallo submissum. Sed subruto aureæ fabulæ fundamento, suaptè etiam cecidit superposita transmissi per proditionem auri sycophantiæ moles: adeò nullo Religiosissimorum virorum

Fama mendax auri fabulosi.

dedecore, ut eâ occasione potiùs excursum sit in singulorum laudes. Et profectò apud omnes constabat, quàm sine probro jam inde à prima fundatæ Provinciæ origine usque adhuc, selectissimi externarum nationum homines religioni amplificandæ operam suam navassent. Nec ignorabatur in hâc Australi plagâ, pleraſque Ethnicorum regiones per eos homines primùm aditas & utilissimè adjutas, multaque oppida ex reductione Barbarorum pro augendo Catholici Regis dominio fundata fuisse: perguntque superstites, spreta Hispanorum urbium commoditate, non contemnendo Christianæ Reipublicæ bono decessorum suorum vestigia premere, nihil satius habentes, quàm si per bonam & malam famam, quamplurimas Ethnicorum animas Christi sanguine redemptas, ideóque quovis auro pretiosiores, è dæmonum tyrannide in libertatem filiorum Dei, & Regis Catholici servitium suavissimum asserant: hoc nempe semper malè habuit habebitque dæmonem, eos homines acerbissimè insectari solitum, quos suis partibus infensiores esse cognoverit.

Sociorum non Hispanorum laudes.

Animarum æstimatio.

CAPUT VII.

Calumnia de impeditis ab Societate Regiis vectigalibus expungitur.

AD quos exturbandos, præter phantastici auri machinam, id etiam dæmon adhibuit, ut per fautores suos spargeret in vulgus, & Magistratibus obtruderet, ab externis hominibus instillari Neophytis affectum Regio ærario minùs utilem; sed & illud fortiter everberatum est per Senatorem Regium Joannem Ulasquium Valverdium, qui post inspecta Regis nomine Paranæ & Urvaïcæ oppida, disertis verbis ad Regem Catholicum scripsit, ex omnibus Societatis Religiosis ad Paranam & Urvaicam elaborantibus nullos abs se repertos fuisse, qui propensioribus animis de tributo ab Neophytis Regi persolvendo agerent: quamquàm non omiserim dicere eam calumniam non in solos externos, sed & in omnes Paranæ & Urvaicæ: ut vocamus, Missionarios fuisse projaculatam. Nonnulli enim servitio Indorum inhiantes, Societatem Paraquariensem apud supremos Magistratus absoluti in Neophytos dominii sine fine accusabant, exinde occasione sumptâ, quòd Neophyti per tot annos post susceptam Fidem, nec Regi tributum solverent, nec Hispanis servirent. Sed illa criminatio hominum erat Societatis integritatem, & Regis Catholici Christianam planè prudentiam ignorantium, aut ignorare se simulantium: res enim, uti mox referam, sic sese habet. Cùm multorum annorum experimento constet, Barbaros nullâ re absterreri magis, quàm si Europæis hominibus personali, ut vocant, servitio se noverint mancipandos, Societas communicato cum Magistratibus & Præsulibus consilio, cognito Barbarorum genio, cautè admodùm eorum terras invadunt, propositaque solummodò Religionis & erga Hispanum Regem obsequii causa, à nulla re cavent magis, quàm ne Barbari in suspicionem veniant se aliquando privatis hominibus servituros: aliquantulùm verò cicuratis persuadent Socii, conducibile ipsis fore, si Hispanis mercede se conducant, & aliquod tributum Regi Catholico solvant, cujus armis & authoritate ab hostibus suis defendantur, & cujus sumptibus veræ legis Doctores ex Europa transportantur, alunturque. Quas prudentiæ leges Rex Catholicus approbans, illud etiam addidit, ut Neophytos omnes per decennium, ab uniuscujusque ad Fidem conversione computandum, amplissimo Diplomate ab quovis tributo liberaret. Et quia illud temporis spatium nondum satis expolitis hominibus sufficere visum est, aliud decennium ita indulsit, ut Neophytorum nullus ante vigesimum conversionis annum tributum pendere cogatur: mavult enim Rex Catholicus æterno animarum lucro Christi gazas, quàm ærarium suum ære perituro, ditescere; dignum ratus Catholico & Regio animo beneficiis Barbaros ad fidem Christianam allicere, non oneribus ab ea capessenda absterrere. Prætereà Rex non ignorabat Paranenses Urvaicensesque Neophytos continuis insultibus ab Mamalucis hactenùs vexatos, è patrio solo expulsos, pleroſque in duram servitutem redactos fuisse; reliquos verò, militum more, ad propulsandum hostem vivere, ideóque prudenter hactenùs tributum non exegit ab eis, quibus aut auxilia, aut stipendia debebantur. Quæ prudentiæ placita pessundantes Societatis calumniatores, in Neophytos nostros, quasi Reipublicæ inutiles, non cessabant perstrepere, & per speciem boni publici privata commoda,

Socii externi tributo favent.

Philippi IV. Regia liberalitas.

Sociorum prudentia.

Philippi IV. in Indos amor.

Ejus Religionis amplificandæ studium.

& Indorum servitiâ quærere. Sed tandem calumnia, & otiosorum hominum importuna cupiditas, utcumque quievit. Nam Neophyti omnes Paranenses Urvaïcensesque aliquantulam pacem adepti, post condita oppida, & templa erecta, expleto indulti Regii utroque decennio, post censum ab Regio Senatore factum, lubenter Regi Catholico tributum se soluturos spopondere.

Indi Urvaïcenses Paranenseſq; tributum ſolvunt.

CAPUT VIII. De utilitate Sociorum Europæorum.

HUjus calumniæ additamentum fuit, persuadere voluisse Regi Catholico, Religiosos Societatis, ærarii Regii expensis inutiliter ex Europâ in Paraquariam transportari, aliúque. Hoc nempe etiam angit dæmonem, quòd tot præstantes viri ex Academiarum Europæarum luce, & virtutum religiosarum palæstris, tanquam generosissimi milites selecti, ad se ex antiquâ possessione deturbandum, & ad præliandum bella Domini, veniant. Verùm hujus calumniæ fabricatori abundè mihi satisfeciſſe hoc volumine videor, tot nationes Regi Catholico per Europæos Socios solâ Cruce armatos subditas; tot regiones sudoribus & sanguine consecratas; tot hominum millia ad partes Christi translata enarrando. Sed Vivat Rex Catholicus, qui quamvis gravissimis bellis implicitus, in summâ ærarii publici penuriâ memor nominis sui, glorioſas expensas facit in mittendis ex Europâ, nutriendisque his, sine quibus (abſit verbo invidia) pietas ex his Australibus Americæ regionibus exularet; tot millia Barbarorum aut adhuc gemerent sub dæmonum jugo, aut dentibus rapacium luporum paterent. Attamen otiosi homines, instigante dæmone, ne quid inexpertum ad vexandos expellendosque Socios Paraquarienses relinquerent, ausi sunt eo nomine apud summos Magistratus sugillare, quasi non sanam doctrinam, & hæresim sapientem, Neophytis instillarent.

Philippus Quartus Rex Catholicus laudatur.

CAPUT IX. Alia Sicophantia de traductione Catecheseos diluitur.

CUM verò probrosissimæ accusationis causa indagaretur, nullam aliam dabant adversarii, quàm quòd Societas in reddendis Guaïranicè Dei & Dei Filii, necnon Dei Matris nominibus, uteretur verbis à linguâ Barbarorum depromptis in suâ ethymologia fœdæ significationis, præstigiatoribusque olim attributis. Sed non perfunctoriè se ab his technis extricavit Societas, oppositque eorum verborum ab se usurpatorum, per integrum sæculum constantem usum, ab summis & expertissimis hominibus nunquam improbatum. Josephum Anchietam, virum patratis miraculis clarum, qui linguæ Brasilicæ idioma, ab Guairanicâ paucis dialectis tantùm differentis, apprimè calluit, eo modo quo Socii Paraquarienses Deum & Dei Filium, necnon Dei Matrem Guairanicè nominant, Brasilicè etiam appellare: Episcopos Paraquariæ omnes, viros clarissimos, Dominicanos, Mercenarios, & Franciscanos, qui in Paraquariâ ante Societatis adventum glorioſissimè in reducendis Indis insudârunt, iisdem, quibus postea Societas, verbis usos fuisse. Sanctissimum virum illum Ludovicum Bolaños, Americæ, Seraphicique Ordinis novum sidus, qui duarum Synodorum Provincialium jussu Christianam doctrinam feliciter traduxit, revisitque, non alia adhibuisse verba in explicandis prædictis nominibus, quàm ea, quæ Societas usurpat. Quare cùm Concilium Limense ab Summo Pontifice approbatum præceperit, ab catechistis ea verba adhiberi in explicandâ doctrinâ Christianâ, quibus diœcesales Synodi uti præcepissent, concluſum est, aut eas Synodos, & Episcopos, & omnem retrò antiquitatem, clarissimosque Religiosorum Ordinum viros & Inquisitores Fidei Brasilicæ traductionis censores, hæresis esse damnandos, vel Societatem absolvendam. Sic in calumniæ authores vertit infamia.

Authores Guairanicæ Catechoſeos traductionis.

CAPUT X. Societatis de conſecratione ſua doctrina.

NEC infeliciorem exitum habuit infamatio, quæ Paraquarienses Socios apud summa tribunalia, & in publicis privatisque congressibus, tanquàm schismaticos traducebat: nam cùm id ideò fieret, quòd Societas sententiam rogata respondisset Episcopo, sine litteris Apostolicis consecrato, nullum jus esse ad Episcopatum: accedente postea Summi Pontificis judicio id idem sentientis; scilicet nullam jurisdictionem Episcopum sic consecratum habuisse determinantis, facilè omni-

bus persuasum est, quàm non schismaticè; sed cum Summo Pontifice consentiens Paraquariensis Societas sententiam dixisset. Verùm antequàm hæ calumniæ ad liquidum deducerentur, quæ interim turbamenta Episcopum Paraquariensem cum Societate commiserint, ut immatura historiæ, ad sua tempora lubentiùs remittam, quàm intricatissimo labyrintho me involvam.

CAPUT XI. De Sociis Cordubensibus.

Joannes Pastor Procurator.

Petri Herrera missio.

Franciscî Cordubæ inquieta vita.

Marci Antonii Dejotari virtutes.

INTER quas turbas Societas, more suo, per amplissimas regiones Apostolicis exercitationibus insudabat. Cordubæ habita Congregatio provincialis in Procuratorem Romam iturum elegit Joannem Pastorem, virum, in quem concurrebant agendi dexteritas, annorum & officiorum cum laude transactorum authoritas, & ab antiquis ad Indos excursionibus; nuperrimáque ad Abipones expeditione, claritudo. Petrus Herrera cum socio, Cordubâ per amplissimum tractum emissus, quater mille capita, magna ex parte Barbarorum Æthiopumque, hinc inde longo inter se intervallo dispalatorum, exhomologesi expiavit: septem & septuaginta capita Baptismo tinxit: vagabundam nationem Baptismum postulantem spe aluit postulatis fruituram, si se vellet ad fixum locum, fundato oppido, reducere; renuentem, tanquàm adhuc Evangelio ineptam, Deo commendavit, qui novit maturum tempus unicuique negotio. Cordubense Collegium duos Sacerdotes extulit, disparibus meritis, posteritati transmittendos. Nam Franciscus Corduba Aragonensis, quatuor olim vota professus, in provecta ætate sibi nimiùm ob qualecumque concionandi talentum tribuens, sensu pietatis pedetentim exuto, externos homines in partem inquietorum consiliorum adsciscere sæpè ausus, adeò gravem se æqualibus, majoribusque præbuit, ut domestico carcere includi debuerit; è quo fugâ in Peruviam elapsus, postquàm aliquamdiu Chuquisacæ Senatûs Regii Præsidi, & nostris hominibus imposuisset, Cordubam postliminiò retractus, diligentiúsque custoditus, tandem factorum pœnitens in carcere quietiori fato, quàm vitâ, decessit. At Marcus Antonius Dejotarus, Salæ in regno Neapolitano olim natus, quatuor etiam vota professus, æquabili innoxiæ vitæ tenore, magno Hispanorum Indorumque proventu, quorum linguam callebat, ab ipsa Provinciæ fundatione Societatem illustravit. Cordubæ Indorum Sodalitatem primus instituit. In Esterensi urbe Tucumaniæ principe primus etiam convictui præfuit. Regimen aliquot Collegiorum oblatum constanter & religiosè adire respuit. Graves calumnias ab hominibus, sua vitia carpi non ferentibus, in se projaculatas, patientis silentii clypeo, innocentiam manifestante Deo, indemnis excepit. Quinque solidas horas mentalibus precibus quotidie impendebat: ex quo fonte virtutes omnes Religioso viro conducibiles acquisivit. Ejus cadaver omnium Ordinum Prælati, & primores urbis honorificè extulêre, magno præsertim fœminarum luctu, diuturno conscientiarum suarum directori parentantium.

CAPUT XII. Res gestæ per varia loca carptim narrantur.

Pium desiderium prægnantis.

Baltazaris Alegriæ infelix exitus.

E COLLEGIO Boni-aëris emissarii Socii aliquot baptizavêre, avitumque morem quibusdam Neophytis superstitiosè usurpatum, parentum suorum ossa circumferendi, dempsêre: aliáque præstitêre ab Apostolicis hominibus factitari solita. Inda mulier prægnans, in ultimo agone ideò se illibenter mori vociferabatur, quòd antè sex menses concepta proles in sua alvo sine Baptismo obitura esset. Grata fuit Deo mulieris fides, & desiderium salvandæ prolis: nam ubi illa expiravit, inciso leviter cadavere, viva proles caput exeruit, & post Baptismum expirans, pro cunis & tumulo sollicitæ parentis alvum habuit. Esterenses Socii longè latéque excurrentes, præter alias expiationes, multis adultæ infantilisque ætatis capitibus Baptismum contulêre: Riocensis Collegii excursoribus interim domi forisque egregiè etiam elaborantibus. Ea in urbe res accidit memorabilis. Baltazar Alegria juvenis Hispanus, Ibridâ muliere in lascivos amores dudum abusus, nullis humanis Divinisque terroribus ab turpi consortio abstrahi se sinebat, quinimò postquàm pellex cœlesti fulmine pænè exanimata fuit, pergebat renuentem, & anteactæ vitæ seriò pœnitentem, blanditiis, minis, inflictisque verberibus, identidem sollicitare; nec destitit, donec reluctantem in proximam sylvam raperet. Ubi exerto priùs

pugione

pugione in has voces prorupit: *Ex hoc*, inquit, *loco nos ambos tandem dæmon abripiet:* quo dicto, nudatam arbori alligavit, detractisque equi habenis fœminam laniare cœpit; sed vix sex plagas inflixerat, cùm infelix Baltazar viribus repentè destitutus, JESUM sceleris sui Judicem inclamans, animam exhalavit: cadaver statim à morte fœdum in modum intumescens horrori fuit: spectatoribus omnibus ad præteritæ vitæ pœnitentiam feliciter permotis. In Sancti Michaëlis urbe, Æthiops pro Christiano habitus, in ultimo vitæ certamine exhomologesi apud unum è nostris ad se evocatum expiari voluit, quâ confessione, ut arbitrabatur, legitime peractâ, ab sensibus alienatus vidit sibi offerti speciem Reginæ cœlorum duobus Angelis comitatæ, splendore planè cælesti, obviam quasi in placido itinere ultrò occurrentis, sciscitantisque quò demum pergeret: Æthiops candidè respondit, se ad cœlum pergere beatitudine donandum; sed Virgo negavit id fieri posse, quòd nulli non baptizato cœlum pateret. Porrò retrocedere renuentem blandè iterum compellat Virgo, spondens missurum se qui eum iterum accerseret optato cælo fruiturum, postquam ab JESU Socio Æthiopum instructore Baptismum percepisset, & mox comitibus imperavit, ut ad corpus reducerentur. Æthiops sibi restitutus, facto diligenti examine, repertus est verè olim Baptismum non suscepisse. Igitur adhibitâ priùs catechesi, non frustra lotus, post duas horas moriens ad promissa loca, ut spes est, evolavit. Sacri animarum excursores, ex hâc sede ad Barbarorum terras delati, magorum technas ab Patrum doctrinâ Indigenas deterrentium, & avitis idololatriæ spurcitiæque viriis implicantium, multipliciter dissolverunt. In Calchaquinâ valle aliqua affulsit spes convertendæ gentis: igitur quamvis Socii ob præteritam tot annorum Calchaquinorum pervicaciam, ab baptizandis abstinuissent, tamen sub id tempus trecentos fermè infantes sacro Fonte immersêre; sperantes fore, ut adultorum pertinacia, adjuvante Deo, & Sociorum stabili sede, aliquando infringeretur. Bis tota vallis ab Ferdinando Terreblanca & Patricio, Sociis impigris, aliquo cum operæ pretio lustrata est. Pullares, Tagingastæ, & Gualfines, extra vallem etiam aditi, sedem Societatis postulavêre; sed dilatis flagitantium votis Societas satis habuit interjecto tempore secundam sedem in valle Calchaquinâ ponere, ex qua eos populos solitis excursionibus procuraret.

Æthiops de suscipiendo Baptismo monetur.

Trecenti infantes baptizati.

Pullares sedem Societatis postulant.

AD Urvaïcam Socii mille circiter & ducentis capitibus sacras aquas infudêre. Nec longè minor fuit in Paranæ oppidis Baptizatorum numerus, pergebantque Neophyti utrobique probatissimis facinoribus Christiani nominis adeptum decus conservare. Unum è multis (si modò ad hunc annum pertinet) seligam. In mulierem, sacri epuli inprimis avidam, rusticatum euntem, ausus lascivus juvenis involare, & repræsentato loci secreto ad illicitam voluptatem compellare, repulsam tulit. Illa enim nec animi fortitudine, nec corporis viribus defecta, quamvis sinistrâ infantem gestatet, prætensâ in invasorem dexterâ, clarâ voce determinatoque tuendæ castimoniæ aut subeundæ mortis proposito, clamat passuram se potiùs strangulari, aut sanguinem sibi hauriri, quàm ut impuris tactibus suæ viduitati labeculam inferri permitteret: horrendum esse & detestandum asserens corpus prostituere, quod superiori die (nam pridie communicaverat) Christi Corpori pervium fuisset; desisteret itaque suum hospitem lacessere, & contra pectus Deo plenum insurgere, succensamque stygio igne flammam Eucharistici cibi reverentiâ reprimeret. Hæc cùm diceret, omni adhibitâ vi contra juvenem reluctabatur, qui ex frustratione effrænati impetûs in rabiem actus, fremens frendensque celeri cursu primam sylvam petit, & ex ea ramum plicatilem arripit, quem in laqueum adaptatum, in collum fœminæ casti propositi tenacis injicit, & constanter affirmantem se nequaquàm permissuram, ut pectus Christi præsentiâ honoratum impudicis amplexibus violetur, strangulat; & infantem quem illa moriens arctissimè stringebat, continuato furore, materno sinu ereptum, terræque allisum, ceu Herodis lanista enecat, mox utrumque corpus, ne scelus detegatur, eodem in loco sepelit. Sed diu latêre nunquàm potuit ingens scelus, nec parvo pulvere tegi

CAPUT XIII. Mulier vidua pro servandâ castitate mactatur.

Infans necatur.

fortitudinis gloria: dum moritur, oritur virtus, & scelus ex sepulchro suâ se enormitate prodit. Ex indiciis igitur detectum facinus, Socios ad laudem pudoris heroïcâ morte propugnati, & ad pœnam crudelitatis impotenter perpetratæ, excivit.

CAPUT XIV. Apud Itatinenses in Foïensi oppido graviter turbatur.

IN Foïensi Itatinorum coloniâ gravitet turbatum est, indigenis Patrum detrectare imperium, & tumultuari, Nianduabuzuvio duce, palam ausis. In quorum pervicaciam Socii invecti, præter vulgi dicteria & potentûm minas, plagas etiam retulere. Nam Borobebeus, Nianduabuzuvii nepos, Dominicum Munnoam, contumeliosis verbis priùs ab nescio quo affectum, impacto fuste in facie, & alter Christophorum Arenas in capite vulneravit. Vincentium verò Badiam, tumultuosa facinora exprobrantem, Nianduabuzuvius ipse probrosis verbis perstrinxit, addens se mores ab majoribus suis derivatos ad posteros velle transmittere. Nantabagua, alter Nianduabuzuvii nepos, quòd virgam dignitatis insigne in inverecundiæ pœnam unus è Sociis sibi ademisset, barbarum in modum excandescens, publicâ in templo concione perturbatâ, populares suos ad defectionem sollicitans, Patrum doctrinam, utpote Majorum suorum moribus adversam, detestatus, effecit, ut auditores omnes Concionatorem desererent. Exinde jussa Patrum, labefactatâ authoritate, nullum apud plebem pondus habebant: summis æquè ac infimis ludibrio erant: Sacris nullus honor habebatur, sacrilegis hominibus omnia profanantibus: servitium domesticum Patribus omne ademptum, caventibus Casiquiis, ne quis etiam Sacrum facientibus adesset. Inter has turbas, quasi in vindictam Sociorum, efferata tygris Neophytos undecim, Ethnicos tres, equos viginti, boves aliquot suffocavit: immotis ad hos terrores Tareënsibus, & nihil de sua ferocia remittentibus; donec Socii blanditias & minas frustra experti, severioribus remediis arreptis, Nianduabuzuvium cum filio & binis nepotibus, è Foïensi oppido dissimulanter extractos, ad Japeïviensem ultimam Urvaicæ coloniam, ducentis leucis distantem, ne facilis esset regressus, in exilium transportari curarent. Amotis capitibus, alia rerum facies in Itatinis visa est. Templum anteà semper vacuum magno concursu frequentari cœptum, catervatim ad catechesim, concionem, & Sacrum audiendum, tantâ promptitudine ventitabant, quanta sperari posset ab maximè piis hominibus. Certamen jam erat inter primores, quis filios templi servitio devoveret. Infames choreæ, meretricii amores, uxorum pluralitates, & ritus Barbarorum aviti, penitùs ablegati; in quorum locum successerunt virtutis amor, obsequium erga institutores, æstimatio rerum sacrarum, denique quæque optima: adeò nempe efficax est in utramque partem capitum conditio, qualitates in subjecta membra perniciosè aut utiliter instillantium. Multi Ethnici moribus Nianduabuzuvii antè absterriti, cognito illius exilio, reduci se ad oppidum permisêre. Satis constat circa id tempus in Foïensi oppido trecentis & quinquaginta adultæ ætatis capitibus, & triginta supra centum infantibus, salutares aquas infusas fuisse. In Sancti Ignatii colonia, præter magnum parvulorum numerum, sexaginta catechumeni Christo per Baptismum accessêre, cæteris, pro more, defectu Catecheseos, in aliud tempus dilatis. Barbari variarum nationum turmatim ad Virginis Foïensis oppidum ventitantes, spem fecêre novarum victoriarum. Sed super omnes exhilaravêre Socios aliquot Ethnici, aliud Paraquarii fluminis littus hactenùs à Christianis Sacerdotibus intactum habitantes, qui nunciatum venêre ob Guaicurærorum vicinitatem bellis continuis obnoxiam, multis suorum popularium in animo esse, desertis patriis sedibus, ad proxima Foïensi coloniæ loca transmigrare. Præterea Guairamina, Paraliquini Guiraporum facilè principis nepos, ad Socios veniens, supra manuum & pedum articulos, pro more gentis, enumeratis nationibus, quæ cis & trans flumen Paraquarium sunt, accendit virorum Apostolicorum desideria Christiani imperii fines ultrà Paraquarium producendi.

Dominicus Munnoa & Christophorus Arenas vulnera accipiunt.

Socii ludibrio habentur.

Tygris multos devorat.

Nianduabuzuvius exulat.

Itatinenses convertuntur.

Ethnici reducuntur.

Spes propagandæ fidei.

CAPUT XV. Petrus Romerus ultra

HACTENÙS Itatinenses Socii ob diminutum operarum numerum, Mamalucorum invasiones, Neophytorumque turbas, cis Paraquarium se conti-

nuerant.

nuerant. Sed jam pace domi utcumque sancitâ, & aucto Sociorum numero, summoperè desiderabant trans Paraquarium facem Evangelicam inferre: multorum enim relatu cognoverant, eam terram, quæ inter Itatinos & Peruviam, ingenti centum & quinquaginta leucarum tractu in longum variâ latitudine extenditur, frequentissimam esse Barbarorum pagis, nondum Christianam legem professis: sperabantque, plura oppida in ea Americæ parte fundari posse, si se eò Societas intromitteret. Porrò difficilis erat hæc Provincia, Ariolorum & Apostatarum fæce passim infesta; exigebatque hominem expertum æquè ac magnanimum. Quamobrem Franciscus Lupercius Provincialis, cùm è præteritis facinoribus tanto oneri parem Petrum Romerum cognovisset, per litteras eum monet, ut quamprimùm capesseret Itatinensem provinciam, & trans Paraquarium fluvium produceret imperii Christiani fines. Is ex Assumptionis urbe, in qua Collegium Vicariâ potestate regebat, abiens, superatis fœdissimis paludibus & ericetis, ubi provinciam suam tenuit, adhibitis in consilium Patribus, & Neophytorum primoribus, statim egit, num quid in præsentiarum obstaret, quin ultra Paraquarium fluvium Christianæ leges promulgarentur? Ex quo consilio sic discessum, ut omnes existimarent, rem tot annis & tantis votis expetitam non ultra esse differendam. Quare Romerus, assumptis in socios Justo Vansurkio, diu Itatinensi missioni cum laude præfecto, & Matthæo Fernandio, Societatis candidato, necnon ex utroque Neophytorum nostrorum oppido fidelissimis capitibus, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo-quinto se dat in viam, transmissoque per Paiaguarum, ferocissimorum hominum, fines Paraquario, duodevigesimo ab discessu die primos Barbarorum pagos ingressus, reperit plerosque Societatis famâ præoccupatos, ab Christiana lege non admodùm abhorrere: volebatque abundantioris messis desiderio ultra pergere; sed tum ab Sociis, tum ab incolis absterritus est, affirmantibus optima principia corruptum iri, si se præcipitaret.

Paraquariũ facem Evangelicam infert. 1645.

Terra trans Paraquarium.

Petrus Romerus expeditioni præponitur.

Ab Indis benevolè recipitur.

OB id Romerus, ampliori spe dilatâ, in primis pagis hæret, apud Curupaïum, magni nominis Casiquium, sedem fixit: quò cùm convenissent è propinquis locis multi mortales, futuri oppidi aream designat, ædiculam Divæ Barbaræ, à Francisco Lupercio Provinciali in patronam novæ provinciæ designatæ, dedicat, erectâque solemni ritu Cruce, nostræ Religionis initia apud frequentes Barbaros explicat. Qui quia ostenderent, superstitione relictâ, Patribus instruendos se velle tradere, omni ope apud Majores suos contendendum putavit, ne tantæ rei promovendæ auxilia opportuna deessent. Quapropter ad Franciscum Lupercium Provincialem litteras dat, postulans, ut quotquot posset Sacerdotes, periculorum contemptores, laborum amatores, gloriæ Divinæ amplificandæ cupidos, animarum Christo lucrandarum avidos, suum in subsidium quamprimùm mitteret, non defuturam magnis animis materiam: sperare enim se totam eam regionem, quæ inter Tucumaniam, Peruviam, & Paraquariam, immenso prope intervallo concluditur, devictis ferocissimis nationibus, pulso dæmone, Christo posse subjugari. His peractis, comites Neophytos omnes, sex solummodò apud se retentis, ad vetera oppida remittit: Justum Vansurkium abs se cum mandatis amandat, ut ab Lauretano Sobrino, Collegii Assumptionis Rectore, ducentis leucis distante, instrumenta ad fundandum oppidum idonea instanter peteret. Interim verò dum subsidia præstolatur, negotium suum apud Superos urgens, continuis precibus orabat, ne stygiis artibus tantæ spes corrumperentur. Si ab oratione discederet, in id maximè intendebat, ut vicini, remotique populi, ad sequendas Christi partes adjicerent animum.

CAPUT XVI.
Petrus Romerus Divæ Barbaræ oppidi fundamenta jacit.

Subsidiatios petit.

Vansurkium in Paraquariam amandat.

FORTE sub id tempus, Martio vel Aprili mense, eò loci aderat cum suo nepote ex remotis locis commercii ergò advena Ethnicus, quem Romerus diserte de mysteriis nostris edoctum, liberaliterque donatum, multis verbis rogavit, ut Christi partibus populares suos conciliare vellet: si id faceret, summam gratiam apud se initurum. Guiraqueraïus (id advenæ nomen erat) roganti in speciem assentiens, summâ dissimulatione, ita ab Rometo discessit, ut suos ad

CAPUT XVII.
Barbari in necem Petri Romeri & Sociorum conjurant.

Guiraqueraius proditor.

novum

novum oppidum, atque adeò ad Fidem Christi, invitare velle videretur. Sed is, suoptè ingenio ferox & subdolus, in patriam redux, nihil satius habuit, quàm si populares suos in Christianæ legis præconem acerrimè exacerbaret. Igitur quamvis plerique Societatis famâ allecti haud ægrè nuncium acciperent, tamen multi offensionem ostenderunt, præsertim hi, qui è Foïensi coloniâ, deserta Fide, aut ex Peruviæ finibus, majoris libertatis spe, ad Ethnicos transfugerant: inter quos eminebat Mboroſenius, apud Mamalucos quondam captivus, sed jam fugâ elapsus, concubinarum multiplicitate infamis, & ariolandi arte pro Deo se venditans, qui si oppida conderentur, phantasticæ divinitati suæ timens, sic circumjacentes populos in Romerum exasperasse fertur. In confinio, inquit, summæ miseriæ felicitatisque versamur, ô Sodales: utramvis nova religio vel admissa, vel repulsa nobis concedet; in quam partem inclinabimur, declivis est via. Novæ religionis Sacerdotes, transmisso Paraquario, in viciniâ sedem jam fixêre, quorum institutum est munusculis animos palabundorum allicere, allectos novis superstitionibus initiare, initiatos ad oppida reducere. Reductis verò severas leges imponunt, pluralitatem uxorum vetantes, & gentis etiam primores ad unam vetulam adigentes. Vino se ingurgitare, trucidare, pervagari, lubidines facere, apud novæ legis Magistros omninò vetitum est. Sed ne verba vobis dare videar, animum advertite in Nianduabuzuvium, Itatinensium facilè principem, irremediabili exilio levissimam culpam cum suis asseclis luentem. Conferte, si lubet, eam miseriam cum nostra, & avorum nostrorum libertate, qua quidquid lubebat, impunitis licebat, & disturbate periculosa principia, ne tempore, & advenarum industriâ, fine remedio malum corroboretur. In exemplo sint tot Neophyti, ab Societatis hominibus quasi indagine inclusi, qui quamvis jugum excutere jam vellent, minimè possent; nam ubi nova religio animos mortalium fascinârit, corpora miserabili servitute simul illaqueentur necesse est. Sed remedium in manibus versatur, mali scilicet caput amputandum, ne pullulet. Morte luat temeritatis pœnam advena Sacerdos, ut severitatis exemplo alii ab audacia absterreantur. Hanc orationem excepit Guiraqueraii proditoris debacchatio, atram irarum bilem & impietatis venenum in Societatem evomentis, Christianæque Religionis onera in immensum extollentis, donec conspiratio conflaretur.

Mboroſenius conſpirat.

Mboroſenii oratio.

CAPUT XVIII. Petrus Romerus, Matthæus Fernandius & Gonſalvius Neophytus machantur.

CONFLATA conjuratione, Tucambius expeditionis dux, Guiraqueraio proditore in Socium assumpto, quadraginta sicarios armat, & ac si se suosque advenæ Sacerdoti Baptismi ergò traditum iret, dissimulanter iter capessit. Romerus contrà, longè alia consilia volvens animo, cum summa cura excolebat Christianæ Religionis candidatos. Quod ab ea re otii erat, Divinis meditationibus impendens, Superos precibus fatigabat, ne prospera principia dæmonis odio disturbarentur. Hæc agitanti res mira accidit: nam sacerdotale pensum persolvere volenti visum Romero est, precum Breviarium sanguine madere. Quâ re perspectâ ad Neophytos comites conversus: *Superi*, inquit, *de eruenta morte hoc prodigio fortè nos admonent.* Cui subintulit Gonsalvius, è Tareënsibus Neophytis unus: *Quidquid sit de aliis, ego sanè non tergiversabor, & vitam animamq; Christo lubenter impendam.* Nec inane fuit præsagium: nam nondiu pòst Tucambius, sicariorum dux, per dissimulationem, ne præda elaberetur è manibus, per certos homines Romero nunciat, se non procul oppido abesse, altero die cum numerosa suorum manu disciplinæ Christianæ ergò eò perventurum. Non defuit, qui tunc Romerum de necis periculo moneret. Altero die summo mane, nescio quæ anus cursu multùm anhelans iteratò nunciavit, Barbaros ex remotis locis sicariorum more pictos non procul abesse, si se suamque vitam amaret, fugâ periculum præverteret. Contrà ille felicem se futurum aiebat, si suâ morte Christi Fidem testari, & barbaram gentis impietatem sanguine expugnare posset. Itaque quamvis vacuo ferè in oppido, plerisque ad rusticationem dilapsis, versaretur, adduci non potuit ut fugeret; quin Gonsalvium Neophytum arma ad reprimendam vim expedire meditantem repressit, monens non nocendi, sed benefaciendi ergò, periculis se insinuasse.

Oſtentum.

Tucambius ſicariorum Dux.

Mox

Mox, Christi exemplo, proditori & sicariis obviam factus, quà per se, quà per Matthæum Fernandium, sui adventûs causas explicat, rogans, ne vocantem Deum renuerent, corrumperentque occasionem sese è dæmonum servitute in libertatem filiorum Dei asserendi. Denique largè pro more donatos, ad curanda corpora, interim dum Sacrum perageret, tantisper dimittit. Sed eo ad aram pergente, Tucambius ratus destinatæ necis securitatem in præcipitatione esse, ferali voce tortori dat signum invasionis, qui immanem clavam rotans, nostrum Heroëm, piè JESUM inclamantem, victimam in incruenti Sacrificii vicem futuram, tribus ictibus contrito capite ferociter prosternit. In tortorem indignatus nescio quis loci municeps Ethnicus Romeri auditor, in has voces erupit. *Quis*, inquit, *te dementavit furor, ut crudelis esse velis advenæ nulli hactenùs nocivo, & omnium salutem optanti?* Cui subintulêre sicarii. *Et te, & tuos in admissi Sacerdotis pœnam mactabimus; nam si Sacerdotem apud vos habere placeat, ab nobis procul abesse lubitum est.* Inter hos tumultus Gonsalvius Neophytus, quem suprà pro Christo mortem optasse demonstravimus, & qui eodem die votum renovaverat, quasi ad prohibendam vim accurrens, sagittâ transfixus interiit. Quo occiso, cuneatim Matthæum Fernandium Romeri socium invadunt, mactantque. Is Donatus erat, & in spem Societatis obtinendæ, quam ei tres Provinciales in mortis articulo concessuros spoponderant, nostris hominibus adhærens catechesi tradendæ, Apostolicis in expeditionibus per multos annos Indis utilem admodùm operam navârat, donec privilegio suo usus, in ipsa morte noster factus, Societatem nostram heroïcâ virtute illustraret. Interea Petrum Romerum fuso multo sanguine adhuc palpitantem, & vix animam jam reciprocantem, Ethnica anus ex quadam animi pietate, quà immania vulnera hiabant, calidâ aquâ fovebat, si fortè refocillatus respiraret; sed sicarii fœminæ pietatem amoventes, ceu tygrides, ad relictam prædam redeunt, dissecto ventre viscera rimantur, linguam evellunt, digitos truncant, guttur abscindunt, donec animam efflâsse constaret. Diceres dæmonem per ministros suos in viscera misericordiæ, & in manum illam tot oppidorum fundatione claram, tot millium Barbarorum Baptismo lassatam, necnon in guttur & linguam, organa prædicati Evangelii, quasi membrorum sibi infensorum delectu habito rabiem exercere voluisse.

Romerum invadit.

Catechumeni fidelitas.

Gonsalvius trucidatur,

Et Matthæus Fernandius.

Petrus Romerus variè torquetur.

Moritur.

PARRICIDIO additum sacrilegium: direpta sacra profanaque supellex, parricidis in prædam cessit; qui antequàm dilaberentur, præcisos Romeri digitos in ventris hiatum ex quadam superstitione immisêre, autumantes id valere ad vindictam prohibendam. Sed quomodò se vindicaret is, qui ultrò sanguinem & vitam profuderat in opere caritatis, cujus meritis factum arbitramur, ut milites Hispani, à Prætore Paraquariensi immissi, adventitiis aquis præcluderentur, ne pœnam de parricidis sumerent. Inter tumultum, quinque superstites Neophyti Romeri comites fugâ elapsi, ad suos incolumes omnes, nisi quod unus vulnus acceperat, rediêre, qui magno adjumento fuêre, causas, & seriem parricidii sedulò & ritè indagantibus. Quamquàm Guiraqueraius proditor non dissimulaverat, sacræ doctrinæ odio, & avitæ superstitionis retinendæ desiderio, graviter se, suosque, præsertim Mborosenium, advenæ Sacerdotis adventum, & ulteriora promovendæ rei consilia, graviter tulisse. Quam rem sic se habuisse, sex Sacerdotes Itatinensibus præfecti, testium fidem sequuti, scripto dictoque jurati affirmavêre. Dilapsis fugâ parricidis, loci municipes, ex rusticatione reduces, mirum quantum, cognito multiplici scelere, indoluêre. Compositis cadaveribus, viri, fœminæque, pro more gentis, jussis per vices ululatibus, rursumque intercalari & horribili silentio, funera prosequuti terræ mandavêre, donec septimo post mense ipsimet Ethnici, Petri Romeri & sociorum ossa, distinctis lipsanothecis inclusa, solatii & honoris ergò, ad Itatinenses Patres transferrent; qui auditâ Romeri morte, cum suis Neophytis, mixto lætitiæ & doloris sensu, inter lacrymas festum campanarum & vocum sonitum edidêre. Idem præstitêre Paraquarienses Socii, & cives, templaque omnia. Nec Tucumanenses officio suo defuêre, omnibus clarissimum Heroëm debitis encomiis prosequentibus.

CAPUT XIX. Gesta post Petri Romeri necem.

Vindicta disturbatur.

Causa illata mortis inquiritur.

Cadavera componuntur.

CAPUT XX. Petri Romeri vitæ series.

Pueritia.

Studia.

Ad religionem vocatio.

In Paraquariam appulsus.

Vota.

Missiones.

PORRÒ Petrus Romerus, Hispali in Bœtica honesto loco natus, pænè infans cum parentibus in Occidentalem Indiam transmisit. Ibi puero res mira accidit: nam in rapido flumine navigans, cùm abreptâ aquæ impetu cymbâ conto ipse in profluente, auxilii & natandi expers, adhæsisset, repentè in ripam, nullo homine juvante, delatus est, Superis, ut piè credendum est, pueri corpus ab submersione servantibus, qui tot animas ex æterno naufragio erepturus erat. Joanni Ladradæ, Carthaginis in America Episcopo, pio castoque è Sancti Dominici familia viro, à parentibus traditus, ita inter ephœbos juventam transegit, ut nihil antiquius haberet, quàm optimi Præsulis mores in se transformare. Apud nostros homines non magis latinitate, quàm Religiosæ vitæ desiderio imbutus, Societatem nostram ambivit, jam tum ostendens, spreto Americano auro, animarum saluti se totum velle impendere. In eam spem Didaco Torres, primo Paraquariæ Provinciali designato, in Quitensi regno adhærens, ad celebrem Americæ isthmum navigavit, rursumque cum eodem obverso in mari navim conscendit, denique longissimo itinere probatus, in ipsa navigatione Societati se, multorum mortalium bono, anno hujus sæculi septimo, ætatis vigesimo-tertio, mancipavit. Tyroni Didacus Torres optionem dedit, ut si vellet, in Quitensi provincia rebus jam constitutis pacatisque frueretur; vel si in Paraquariam secum ire mallet, sciret plusquàm sesquimille leucarum intervallo, per infesta ferocissimis hominibus loca, per montes frigoribus & altitudine terribiles, per paludes torrentesque, eundum esse; & dum eò perventum esset, summam rerum inopiam in infinita prope locorum vastitate sustinendam. Verùm hæc terriculamenta juvenem Christi Crucisque amatorem invitârunt magis, quàm retinuerunt: itaque nihil in deliberatione cunctatus, mediæ virtutis impatiens, arduam provinciam, in qua heroïcorum facinorum materia sufficeret, eligens, Limam Peruviæ metropolim contendit: unde in novam provinciam cum primis fundatoribus per Chilense regnum amissus, Cordubæ Tucumanorum tyrocinium continuaturus, peragratâ fermè totâ Meridionali Americâ, constitit. Ibi primus Paraquariensium Sociorum ritè religiosa vota concepit, confectoque per compendium studiorum curriculo, cùm se Majoribus suis probasset, sacris initiatus, ad Guaicuræos amandatus, difficillima in palæstra Apostolicæ exercitationis rudimentum felicissimè posuit: continuavitque deinceps per totos fermè quatuor & triginta annos varias Indorum provincias percurrere, tanto successu, quanto opus fuit ad adipiscendam viri planè Apostolici famam.

CAPUT XXI. De Petri Romeri oratione, mortificatione & obedientia.

Orandi assiduitas.

Efficacitas.

Afflictandi corporis studium.

QUAMVIS verò continui per tot annos labores, itinera, navigationes, ærumnæ, pericula, quibus Romeri vitæ partes omnes nexu quodam concatenatæ, nullum culturæ mentis otium reliquisse videantur; tamen si quis enucleatiùs perpenderit potentiarum internarum ornatum, ita se is perpoliendæ animæ dedisse putabitur, ac si nihil egisset exterius. Præcipuum mentis cultum ab orandi studio semper quæsivit. Quotidie intempestâ nocte è somno surgens tres quatuórve horas in Divinis colloquiis impendebat. Huic exercitio succedebat Sacrificium: Sacrificio per alteram horam continuato, pro communicato sibi Corpore & Sanguine Christi gratiarum actio. Porrò diuturnum hoc orandi pensum sibi impositum, nulla defatigatio, itinera nulla, labores nulli interturbabant, satis ut appareret Divinam familiaritatem ei in summis deliciis esse, quam tanta constantia consectaretur. A Divino colloquio recedenti, sæpè vel nolenti erumpebant ignita verba, sensum animi in salutem animarum plerumque intenti prodentia; unde facilè quivis conficiebat, apud Superos suam & cæterorum causam perinde agere. Profectò quàm esset hujus eloquentiæ peritus, qua Deus ipse impugnatur, testantur tot Barbaris impetratæ salutis argumenta, adeò ut Romero Deus ipse identidem insusurrasse videatur: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Corporis quoque afflictandi studium in Romero fuit eximium. Satis constat per triginta annos in rete pensili, aut humi, sine linteis, sine culcitra, nocturnam in veste diurna quietem cepisse, quam singulis noctibus quatuor horis terminabat. Cupediarum osor, cibi potionisque modum naturali necessitate finiebat: vini usu

perpetuò

perpetuò sibi interdixit. Præter imperatam statis tẽporibus ab Ecclesia esuritionem, multoties jejunium, nullo obsonio ad aquæ potum & panis esum adhibito, usurpabat. Quotidie severâ verberatione in se animadvertebat. Sæpè latera nuda laminis inter se concatenatis, quas aculei ferrati & mutices asperabant, constringebat; torrido sub cœlo, intolerabili pænè tormento, præsertim si corpus sanguineum vividumque, quale Romeri erat, nancisceretur. His artibus Virginitatem, quam precibus à Deo assiduè flagitabat, totâ vitâ integram conservavit. Addebat oculorum modestiam, membrorum compositionem, morum gravitatem, cum mulieribus severitatem, quibus munimentis vim & insidias dæmonis feliciter eludebat. Mulier effrons pudicitiam ejus periclitari ausa, repulsam cum dedecore passa est. Quâ victoriâ dæmon exacerbatus, rursum tentavit ejus constantiam, sed Veneris telis impenetrabilem reperit. Jam de obedientia Apostolici viri promptum cuique erit, etiam silente me, æstimare, qui tot leucarum millia per tot regiones emensa, tot res pro salute animarum ab ipso præclarè factas jussu majorum, ad calculum reduxerit. Nemo deprehendisset imperata enervantem; nemo rerum jussarum causas curiosè indagantem. Nec minus fiduciæ erat superioribus in imperando, quàm Romero promptitudinis in obsequendo: ejus rei vel illud documentum est, quòd res arduas ei uni semper imponerent. Testantur id Guaicuræi ter aditi, Paranenses toties exculti, Jarosii tentati, Japeïvienses ad Fidem reducti, Caasapaminienses & Urvaïcenses baptizati, Tapensis Provincia tot oppidis aucta, Mamaluci fugati, tot oppida in tutiora loca transportata, Itatinenses compositi, Imperium denique Christianum ultra Paraquarium amnem productum. Num prosperum eventum res imperatæ habituræ essent, nihil pensi habebat: suarum partium esse ratus jussa fideliter exequi, & exitum Deo permittere. Sociis admiratione attonitis, quòd tanto nisu linguæ Guaicuræorum perdiscendæ nullâ fermè spe gentis aliquando convertendæ insisteret, per litteras respondit, quamvis certò sciret suâ operâ Guaicuræorum neminem convertendum, tamen se lubentissimè linguæ eorum discendæ reliquam vitam impensurum, eâ se cogitatione consolans, quòd Deus exigat à nobis obedientiam & conatum, non rerum eventum.

Virginitas.

Obedientia.

Anacephaleosis operum.

CAPUT XXII. De cæteris Petri Romeri virtutibus.

EJus animi demissio in omni vitæ parte eminuit. Sub initia aditæ Societatis solertissimè cavit, necubi æstimari ab Sociis ulla in re posset; quòd ut assequeretur, occulta negligentiæ probra propalabat, exaggerabatque in triclinio. Domi si quid officii despicatum esset, promptiùs, quàm alii detrectaverant, arripiebat. In itineribus famulorum vicem obiens jumenta componebat, onera deponebat, cibos curabat. Nec verò in facilibus tantùm demissionem hanc exercuit, arduis sese etiam per eam ingerere ausus est. Studiis Theologicis Cordubæ Tucumanorum non sine laude tum operam dabat, cùm plures Barbarorum provinciæ Societati primùm demandarentur. Laborabatur operarum penuriâ, quam ut suppleret Romerus, studiorum cursum, atque adeò spem suprremi gradûs per quatuor solemnia vota in Societatem obtinendi, abrumpi sibi ambivit. Quo facto, per omnem vitam humiliter de suo ingenio sentiendi omnibus ansam præbuit. Quod quàm arduum sit, clarius est, quàm ut à me lucem expectet. E diverso, quàm laudum suarum osor contemptorque, tam patiens convitiorum & injuriarum, si quæ per temporum iniquitatem contingerent, constanter fuit. Quemdam Prætorem in se fulminantem tacendo repressit. Boni-aëris Gubernatorem, ob defensionem Indorum verbis & baculo minacem, eâdem immobilitate refrænavit. Barbarorum nondum domitorum pervicaciam mirabili animi trãquillitate mansuefecit. Alapam ab furibundo homine sibi impactam non aliter vindicavit, quàm alteram maxillam præbendo: rupem verberari diceres. Jam verò de caritate ejus erga proximos, quis satis dicat? Annuentibus Majoribus voto se adstrinxit, inter Indos totam vitam positurum, & mancipii loco se illis futurum, ut quoscumque posset in libertatem filiorum Dei assereret. Nec inter verba stetêre vota: factis meliùs amavit, quàm verbis: nam, ceu servus emptitius foret, singulorum bono inserviebat: nihil tam vile, tam abjectum, probrosúmve erat, quod non pro turpissimi capitis salute

Demissio animi.

Patientia.

Caritas.

lubens amplecteretur. Terram aratro proscindebat, ligna & aquam humeris comportabat, corporibus medebatur, armenta curabat, gossipium & aliarum rerum semina terræ mandabat: denique ad infima quæque descendebat, quando ea officia corporum animarumque salus postulabat. Quoties ipse naufragium fecerit, non est pronum numerare; adeò ut in proverbium abierit: Rometus naufragans. Quoties ipse ab equis non benè domitis excussus non sine vulnere: quoties ardentissimo sub Sole anhelus: quoties in fluminum transvadatione præcipitio proximus, inter paludes & arundineta implicitus: quoties à Barbaris, tygribus, viperis vitæ discrimen adierit, dicere supersedeo, adeò ut temerarius fuisse videri posset, nisi temeritatis opinionem egregiâ in Deum fiduciâ correxisset. Si de eo periculis subtrahendo cogitarent alii, ipse è contrario, ne id fieret, omnem adhibebat industriam: quâ de re insignes ipsius ad suos Provinciales reperio litterarum epilogos. Instar multorum sit. *Scias velim, mi Pater, nullis discriminibus me terreri, lubenterq; libertate amissâ captivum inter Guaïcuræos Barbarorum vitam me victurum, ut Barbaros Christo lucrifaciam: nam si IESVS meus pro ipsis mortuus est, quid ego humilis homuncio formidare debeo?* Hæc ille. Ubique vitæ suæ contemptor communis fortitudinis excessit modum; ubique eodem animi ardore perduravit. Inflammatum sacro ardore pectus per colloquia & conciones mirè ostendit. Sub Quadragesimi jejunii dies ultimos, ad confertam multitudinem de Christo spinis coronato verba faciens, insolito igne correptus, horrentem sentibus coronam capiti suo utrâque manu ita adpressit, ut se largiter cruentaret, non sine eximio animorum sensu. Porrò ne recensitæ virtutes merito suo carerent, erga Deum caritate illis pretium dabat: caritatem denique palmari morte terminavit. Sublato Romero, suffectus est in regimine Itatinensium Justus Vansurkius, sub quo sequentibus temporibus multa factitata sunt æternis monumentis dignissima.

Zebus animarum.

CAPUT XXIII.

Joannes Eugenius Valtodanus moritur & laudatur.

AD Paranam & Urvaïcam Socii bis mille & amplius capita sacris undis immersêre. Itapuæ vivere desiit Eugenius Valtodanus, Benedicti Valtodani in supremo senatu senatoris planè eximii nepos: à quo Proregi Peruviam petenti in aulicum honorarium traditus, cùm nihil mediocre ab tanti heri benevolentiâ sperare posset, spretis amplissimis spebus, in spem rerum æternarum Societati nostræ se mancipavit. Quâ re cognita, avunculus mirum quantum exanduit, ægerrimè præsertim ferens, nepotem carissimum in ultimo coadjutorum gradu militare debere: & mox litteris ad Societatis Generalem datis postulat, ut imperet eum sacerdotio saltem honestari. Nec abnuit Claudius Aquaviva. Sed Eugenius noster, gradu suo contentus, sacrum honorem non admisit. Posito Limæ tyrocinio, in Tucumaniam missus, etiam ante fundatam Provinciam, primis Sociis egregiam operam navavit, & perseveravit per quinquaginta fermè annos in his Australibus regionibus, tot & tantis virtutibus innocentiam suam, quam nullo peccato mortali totâ vitâ maculavit, ornare, ut viri graves cum illustribus nostræ Societatis coadjutoribus eum conferri posse censuerint. Sub devexam ætatem pascendis ovium gregibus ad vestiendum Neophytos nostros manu nudiores præpositus, in eo officio usque annum ætatis octogesimum magnâ omnium ædificatione perstitit. Certumque est, optimum senem plus veræ laudis ac commendationis in ovibus pascendis indeptum, quàm si avunculi senatoris, & Peruviæ Proregis fulcimentis, ad quascumque novi orbis divitias ac dignitates admotus fuisset: & profectò pro contemptis terrenis honoribus cœlum habuit favorabile: nam dum antecinerales dies Sancti Michaëlis in Tucumania urbis cives solitis ineptiis perturbarent, & solus noster Valtodanus Venerabile Sacramentum positis reverenter genibus in templo nostro adoraret, corporeis oculis videre meruit venientem ad se Christum Dominum, in talari & cruenta veste Crucem humeris gestantem, ac tantùm non rursus sub onere fatiscentem; quem cùm ingenuâ simplicitate interrogasset, quò tandem tanto labore pergeret? respondit bonus JESUS, aliquantulæ quietis ergò se ad templum nostrum divertisse, quòd in reliqua urbe nullum locum suis rebus accommodatum, bacchanalibus ubique petstrepentibus, repe-

In Indiam navigat.

Societatem ingreditur.

Inter Indos laborat.

Innocentiam conservat.

Pastorem ovium agit.

Christum spectare videtur.

risset

risset; quo dicto, famulum suum incredibili primùm dolore, deinde gaudio perfundens, videri desiit. Quo ostento Provincia Paraquariensis incomparabili favore obstrictam, & supra merita tanti principis judicio hospitioque honestatam, se sensit.

CAPUT XXIV. Provinciæ status.

PORRO sub id tempus in hac Provincia ducenti circiter Socii novem Collegia & viginti quatuor sedes apud Indos occupabant, domi forisque utiles. Ex centum sacerdotio initiatis, pauci admodùm Hispanis procurandis, quadripartitis Æthiopum, Indorum, & Hispanorum virorum juvenumque sodalitatibus regendis, necnon litterarum magisterio, atque solitis collegarum ministeriis gnaviter occupabantur: plerisque inter Indos degentibus, aut è Collegiis per certa temporum intervalla emissis, & longè latéque Apostolico more excurrentibus: adeò ut Claudius Aquaviva, hujus Provinciæ author, opinione non falsus sit, dum existimavit, Paraquariensi Provinciæ splendorem quidem urbium defuturum, sed eum defectum compensatum iri frequentibus ad Barbaros excursionibus: quod sanè ab prima fundatione usque ad hæc tempora ita evênit, ut jure merito Paraquariam Missionariorum Provinciam nuncupare possis. Quamquàm non negarim novarum expeditionum cursum aliquousque retardatum, ob infestationem Mamalucorum, & penuriam Sociorum rebus conservandis vix sufficientium. Quæ penuria subsequenti tempore ob creditas calumniatorum fabellas crevit, retentis in Europa optatissimis Sociorum subsidiis, eóque frustratis numerosioribus Barbarorum conversionibus, tum multiplicandis, cùm benignum nobis sidus affulserit. Et sanè his, de quibus scribimus annis, non unis in locis affulgebat spes usque ad nostra tempora continuata dilatandi Christiani imperii; inflammante præsertim Sociorum animos trans Paraquarium & in Chaquensis provinciæ aditu recenter fuso sanguine, & aventibus plerisque grandibus Heroum vestigiis pedem infigere. Nec abnuebant, quantum per inopiam operariorum licebat, Franciscus Lupercius Provincialis, paulò pòst è Paraquaria ad Peruviæ Societatem moderandam evocatus, quantæcumque expeditionis urgendæ capax, & Joannes-Baptista Ferrufinus Italus, ejus successor, placidi quidem vir ingenii, sed in causa lucrandarum animarum plus satis incalescentis. Quibus incentoribus quamvis nova oppida fundari non potuerint, Socii tamen quanto numero potuêre, Barbaros, per latissimas regiones dispalatos, ad Christi ovile reducebant, reductosque pascebant, magno semper rei Christianæ incremento. Præerat hoc anno Urvaïcensibus Paranensibusque Sociis Josephus Cataldinus, Franciscum Diastanium successorem mox habiturus, tantam laudem promeritus, quantam ei peperêre per medium fermè sæculum inter Barbaros continuati labores, & virtutes planè Apostolicæ. Eminebant inter tres & quadraginta Sacerdotes ei subcenturiatos Simon Maçeta, Claudius Ruïerius, Paulus Bennavidius, Didacus Salazarius, Josephus Oregius, Petrus Mola & Franciscus Cespedes, non ita pridem defuncti, grande nomen in continuatione Annalium cum superstitibus sortituri. Sublato verò nuper Petro Romero, sex Itatinenses Socii, duce Justo Vansurkio Mansilla, in ulteriores palmas intendebant, quas non diu pòst suppeditavêre Mamaluci prædones, interfecto crudeliter in defensione sui ovilis Alfonso Ariâ, excelsi viro animi, multisque victoriis decoro: & vexato supra modum Christophoro Arenâ, qui post Itatinensis regionis devastationem, & violentam à prædonibus detentionem, morbo ob dissipatos Neophytos ex mœrore, ut creditum est, contracto, tantùm non in oculis meis satis ad Urvaïcam piè concessit, sepultusque ad Didaci Alfari, Rochi Gonsalvii, & sociorum latus; ut qui propè ad Martyrii gloriam accesserat, Heroïbus jungeretur. Socios in Calchaquina valle degentes regebat Ferdinandus Torreblanca, majori labore, quàm fructu; pervicacissimâ gente avitos mores ejurare renuente. Nihilominùs persistebat Societas duabus in sedibus malignum hunc agrum excolere, obstinationem Barbarorum Christianâ constantiâ everberare omni ope contendens. In Collegiis florebant emeriti senes Didacus Boroa, Franciscus Vasquius Truxillius, Christophorus à Torre, & alii præstantes viri, à quorum laudibus, quamvis defuncti sint, mihi

erit abstinendum, ne antevertam tempora, resque alteri volumini destinatas malignè deflorem. Et longè potiori jure commendationi superstitum (contentus eorum facta suis temporibus pro more narrasse) superfedebo, non nescius vivam virtutem semper suis laudatoribus facessere negotium, & longè securiùs laudari eos, quorum merita in tuto versantur. Asserere tamen non verebor, omnibus Paraquariensibus Sociis virtute nihil carius esse, & infra propriam virtutem nihil antiquius habere, quàm omni hominum generi prodesse. Instigante eos, post Majorem Dei gloriam, Regis Catholici munificentiâ, minimam hanc provinciam non interruptis favoribus prosequentis, nullisque sumptibus parcentis, quò idonei propagatores fidei ex Europa hùc mittantur, & missi alantur, vestiantur, defendantur, rebusque omnibus procurentur. Et sanè ex grati animi desiderio, omnibus lætitiis exiliêre Paraquarienses Socii, quando ipsis compertum fuit, Societatem nostram vniversam in octavis Comitiis suis generalibus decrevisse, indicenda esse suffragia pro Rege Catholico, eique nomine Congregationis agendas gratias, ob magnos sumptus, quos fecit, facitque in dies in Indicis Missionibus. Quâ etiam gratitudine ductus Andreas Rada Paraquariæ nostræ, ut vocamus, Visitator, præter quotidianas in Sacris omnibus apprecationes, & menstrua sacrificia pro Catholica Majestate ab singulis Missionariis litari solita, nuperrimè injunxit in cunctis hujus provinciæ sedibus, post invocationem Sanctorum, quotidie pro Regis Catholici incolumitate preces esse fundendas; omnique modo adnitendum, ut Regiæ munificentiæ pro nostra parvitate correspondeamus. Quibus in votis quiescere gestit calamus, antè Deum precatus, ut Philippo Magno, in præmium propagatæ & conservatæ ubique Fidei, necnon procuratæ tot mortalibus salutis, post diutissimum in terris imperium, Regnum interminabile concedat.

FINIS.

INDEX RERVM.

A

ABIPONES ad Christi Fidem sollicitantur. lib. 13. cap. 5. Socios Jesu benevolè excipiunt. *Ibidem.* Eorum mores, c. 6. Militiæ experimenta. *ib.* Magnates, *ibidem.* Jejunia, *ibidem.* Prolicidia. *Ibidem.*

Acaraguæ fluminis accolæ Jesu Socios admittunt. l. 9 c. 26. Oppidum condunt. *ibid.* Baptizantur. *ibid.*

Acarasi fluvii potatores Socios Jesu expetunt, l. 7. c. 16. Oppidum ædificant. *ibid.* Reducuntur. *ibid.* Ab tygribus infestantur. *ibid.* Guairaniæ transmigratores juvant. l. 10. c. 5. Ipsi transmigrant. c. 29.

Aconguica vallis excolitur. l. 4. c. 6.

Adrianus Formosus SS. Cosmæ & Damiani coloniam incipit. l. 11. c. 9. Magnum Barbarorum numerum sacro Fonte lavat. l. 11. c. 9. & 11.

Adrianus Knudius Crespus ad Paranam mittitur. l. 8. c. 21. Itapuanos docet. *ibid.* Sexcentos baptizat. l. 10. c. 30. Et quingentos, l. 11. c. 4. & aliàs longè plures. *alibi.* Barbaros ad Fidem sollicitat. l. 10. c. 13.

Æthiopum Baptismi controvertuntur, l. 6. c. 23. Multi baptizantur. *ibid.* & lib. 4. c. 1, & *alibi.*

Aganamon Purenorum dux pellices frustra repetit. l. 4. c. 19. Paci in speciem studet. *ibid.* Bechium, Arandam & Montalvum mactat. l. 4. c. 21.

Agnes à Leone Mendoçinæ Societatis sedi benefacit. l. 4. c. 22.

Alexander Faia Mendoçæ Sociis primus præest. l. 3. c. 23.

Alexander Septimus Horatii Bechii familiam sanguine attingit. l. 4. c. 23.

Alfonsus Aragona multos Barbaros reducit. l. 6. c. 20. Peste afflatos juvat. c. 27. Sancti Nicolai oppidum fundat. l. 7. c. 30. Et plures Barbaros congregat. *ibid.* Ad necem quæritur, l. 8. c. 3. Fugere recusat. *ibid.* Ad fugam invitus compellitur. *ibid.* Ejus patria. l. 9. c. 3. Animi demissio, *ibid.* Virginitas, *ibid.* Virtutes. *ibidem.* Eminentia sanctitatis. *ibid.* Sepultura. *ibid.*

Alfonsus Barsenâ in Tucumaniam venit. l. 11. c. 24. Saltam, Estecum & Tucumaniæ metropolim Apostolicè excolit. l. 11. c. 24. & 25. Sex millia & sexcétos in Estecensi ditione baptizat. l. 11. c. 26. Et multos in Cordubensi tracto. c. 27. Item ibidem aliquot millia. c. 29. Extremam famem patitur. *ibidem.* Portentosè transportatur. c. 30. Salsi fluminis accolas excolit. c. 31. Multos sacro Fonte abluit. *ibid.* Alibi sexcentos Christianos facit. c. 39. Et ex Lullis bis mille & sexcentos. *ibid.* Et integri oppidi incolas. *ibid.* Tucumaniam universam lustrat. *ibid.* Zelum animarum egregiè prodit. *ibid.* Et obediendi studium. c. 40. Linguas Barbarorum devorat. *ibid.* Mataranos instruit & baptizat. c. 42. Multas aliaslinguas discit. c. 43. Calchaquinos pacificat. c. 38. Infantes eorum baptizat. *ibid.* Sociis in Assumptionis urbe præficitur. l. 2. c. 1. Cura obtemperandi. c. 4. Pueros docendi munus commendat. c. 3. Malignâ aurâ afflatur. c. 5. In Peruviam revocatur. c. 11. Viginti-quinque millia in Tucumaniâ baptizat. *ib.* Ingæ hæredem sacro Fonte abluit. *ibid.* Peruviæ Apostolus nuncupatur. *ibid.* Dæmonem contemnit, *ibid.* Abigit, *ibid.* Vaticinatur, *ibid.* Undecim linguis loquitur *ibid.* Statua pueri Jesu ei se sistit, *ibid.* Moritur, *ibid.* Apparet. *ibid.*

Alfonsus Nietus Herrera ad Societatem cum nepote vocatur. l. 13. c. 20. Eam hæredem facit. *ibid.* Ab heroïco facto laudatur. *ibid.*

Alfonsus Ovalle Societati dat nomen. l. 6. c. 2. Constanter vocationem suam defendit. *ibid.* Laudatur. *ibid.*

Alfonsus Ribera Belgico bello clarus fit Prætor Chilensis. l. 4. c. 25. Laudatur. *ibid.* Offendit Regem, Chilensi præfecturâ mulctatur. *ibid.* Tucumaniæ præficitur. *ibid.* Iterum Chilensi præturæ restituitur. l. 4. c. 6. Reprehensus se corrigit. l. 4. c. 10. Moritur. l. 6. c. 7.

Alfonsus Riquelmius Ipanecnses debellat. l. 1. c. 13.

Alfonsus Rodericius Guaicuræos instruit. l. 7. c. 8. Oppidi Fundationem apud Caaroënses adjuvat. l. 8. c. 21. Mactatur. c. 22. Ejus cadaver deformatur. c. 24. Comburitur. *ibid.* Alfonsi virtutes. c. 35.

Alfonsus Sandovallius de Æthiopum Baptismis dubitat. l. 6. c. 23. Dubium ad Archiepiscopum Hispalitanum refert. *ibid.*

Alfonsus Truenus Mercenarius primus religionem in Tucumaniam infert, l. 1. c. 20.

B. Aloysius Gonzaga inter Beatos relatus celebratur. l. 6. c. 3.

Alvarus Nunius nobilitate, & dotibus clarus, fit Paraquariensis Prætor. l. 1. c. 13. Terrâ marique in provinciam proficiscitur. *ibid.* Americæ interiora explorat. c. 14. Cum administris Regiis dissidet. *ibid* In Europam transportatur. *ibidem.* Ab Carolo Quinto honoratur. *ibid.* Fit Consul Hispalensis. *ibid.*

Alvarus Ramon occiditur. l. 1. c. 3.

Amazones Americanæ. l. 10. c. 19.

America dividitur. l. 1. c. 1. Subjugatur. *ibidem.* In Fide instruitur, *ibid.* Describitur, l. 3. c. 1. An antiquis nota? l. 1. c. 21. De ejus primis incolis. *ibid.*

Andalgales excoluntur. l. 4. c. 6.

Andreas Agricola multos baptizat l. 6. c. 24.

Andreas Gallegus Guairaniæ transmigratores juvat. l. 10. c. 5.

Andreas Garabitus in aurum Urvaicense inquirit. l. 14. c. 5. Falsos delatores punit. *ibid.*

Andreas Jordanus moritur, & laudatur. l. 10. c. 24.

Andreas Valera Apoſtolicè excurrit, l. 10. c. 2. Fluviorum Salſi & Dulcis accolas inſtruit. l. 11. c. 1.
Angelo Cuſtode invocato, vulnus portentosè ſanatur. l. 10. c. 22.
Angol urbs Chileni regni à rebellibus capitur. l. 2. c. 10.
Aniangara in Ducem eligitur, l. 3. c. 23. pugnat. *ibidem.*
S. Annæ Apuppennenſis oppidum conditur, l. 5. c. 6. Franciſcanis traditur. *ibid.*
S. Annæ Tapenſis oppidum fundatur, l. 10. c. 34. Ex parte deſtruitur, l. 11. c. 31. Tranſmigrat. l. 12. c. 18.
Annæ Sanabriæ in Societatem affectus. l. 4. c. 35.
Antonius Barberinus primum Sæculum noſtrum ornat. l. 13. c. 16.
Antonius Bernal Barbaros vagabundos indagat. l. 12. c. 21. Joannis Caſtillii cadaver recuperat. l. 8. c. 31. Immaculatæ Virginis numiſmatis ope indemnis in prælio ſervatur, l. 11. c. 30.
Antonius Maçerus Quimilpæ rupes & Catamarcanam vallem excolit. l. 9. c. 34.
Antonius Moranta Guaïcuræos inſtruit, l. 4. c. 27. & l. 5. c. 18. Multa patitur & agit. *ibid.* Apud eoſdem egregiè laborat. l. 6. c. 9.
S. Antonii oppidum primùm conſtruitur, l. 8. c. 40. A Mamalucis vaſtatur. l. 9. c. 14.
Antonius Palermus ad Urvaicenſes mittitur, l. 8. c. 21 Sylveſtres Paranæ populos indagat, l. 12. c. 22. Reducit, *ibid.* Naufragatur, *ibid.* Plures infantes baptizat, *ibid.* Unus ex ejus comitibus mactatur. *ibid.*
Antonius Riparius ad Chaqueenſem Provinciam pergit, l. 12. c. 26. A Barbaris trucidatur, *ibid.* Honoratur, *ibid.* Ejus patria, *ibid.* Innocentia, *ibid.* Multiplex pietas, *ibid.* Erga Divos Joſephum & Xaverium affectus. *ibid.*
Antonius Ruiſius Montoia Limæ naſcitur, l. 4. c. 11. Puer cælitùs illuſtratur, *ibid.* Mariam Virginem piè colit, *ibid.* Corpus caſtigat, *ibid.* De vitæ ſtatu deliberat, *ibid.* Nebulonem & ſcurram agit. *ibid.* Carcere & exilio multatur, *ibid.* Oſtento terretur, l. 4. c. 12. Militiam cogitat. *ibid.* Voce cæleſti ad pœnitentiam animatur, *ibid.* Reſipiſcit, *ibid.* Ad Indorum curam vocatur, *ibid.* Studia reſumit, *ibid.* Severam & piam vitam agit, *ibid.* Societatem ingreditur, *ibid.* Paraquariæ divinitùs deſtinatur, *ibid.* Oſtentis cæleſtibus recreatur, *ibid.* Paranapanæi, Pirapi & aliorum fluviorum pagos ad Fidem ſollicitat, lib. 4. c. 13. Multos baptizat, lib. 5. c. 8. In Guairaniâ multa agit memoratu digna, l. 5. c. 17. Heroïco facto caſtitatem conſervat, *ibid.* Utiliter per Guairaniam excurrit, l. 6. c. 3. Guairaniæ Sociis præeſſe jubetur, l. 7. c. 10. Apud Ibitirambetanos Divi Xaverii coloniæ fundamenta ponit, l. 7. c. 11. Ad mortem quæritur, *ibid.* Fortiter agit, *ibid.* Ad Taiaobæ terras pervadit. l. 7. c. 12. Ad necem deſtinatur, *ibid.* Septem ejus comites mactantur, *ibid.* Apud Tucutienſes Sancti Joſephi oppidum condere incipit, l. 7. c. 20. Divum Raphaëlem propitium habet, *ibid.* Sylvas excutit, *ibid.* Iter per intactas Sylvas cum vitæ periculo aperit, c. 21. Taiaobæ populos adit. l. 8. c. 8. Oppidi fundamenta jacit, *ibid.* Taiaobæ filios baptizat, *ibid.* Taiaobæ terras iterum aggreditur, l. 8. c. 12. Oppidum reædificat, *ibid.* Septem Archangelis dedicat, *ibid.* Ab dæmone vexatur, *ibid.* Oſtentis confirmatur, *ibid.* Multos baptizat, *ibid.* Campeſtres Guairaniæ populos tentat, l. 8. c. 13. Se retrahit, *ibidem.* Gualachos excolit, l. 8. c. 37. Baptizat, *ibid.* Guiraveram utcumque conciliat. lib. 8. c. 28. Conceptionis oppidi fundamenta deſignat, *ibid.* Sancti Antonii coloniam ponere incipit, l. 9. c. 10. Loquacia Ariolorum cadavera venerationi ſubducit, c. 20. In Guairaniæ tranſmigratione ſollicitè agit, c. 45. Ad Itatinenſes ſocios mittit, l. 9. c. 48. Guairaniæ tranſmigratores egregiè juvat, l. 10. c. 5. Eis duo oppida reædificat. c. 7. Graves calumnias domi patitur, c. 28. Silet & vindicatur, *ibid.* Ab Virgine Mariâ ſanatur. *ibid.* Paranenſibus, Urvaicenſibus & Tapenſibus Sociis præficitur. l. 11. c. 29. In Europam navigat, l. 12. c. 3. Ab Divo Ignatio valetudini reſtituitur, *ibid.* Apud Regem Catholicum rem Indorum agit, *ibid.* Diploma Regium impetrat, *ibid.* Et multa alia, *ibid.* Guairanicè ſcribit, *ibidem.* Fœminam ab dæmone liberat, *ibid.* In Americam renavigat, *ibid.* Limæ, Paraquariæ Provinciæ rem procurat, *ibid.* Moritur, *ibid.* Honorificè ſepelitur, *ibid.* In vita ab Divo Ignatio reprehenditur, l. 12. c. 4. Regis Catholici & magnorum virorum favorem meretur, *ibid.* Scribit de Dei amore, *ibid.* De ejus virtutibus. *ibid.*
Antonius Vanſurkius Manſilla in navigatione moritur, l. 12. c. 41. Et laudatur. *ibid.*
Antonius Vivar Sancti Jacobi ditionem Apoſtolicè excolit. l. 3. c. 9.
Antropophagorum crudelitas, l. 7. c. 23. Cerimoniæ. l. 8. c. 11.
Ao amphibium animal. l. 10. c. 9.
Apemondus in Simonem Maçetam cõjurat. l. 9. c. 11.
Apicabiis Socios Jesu expetit, l. 9. c. 28. Oppidi fundamenta deſignat, *ibid.* Oppidum fundat. c. 35.
Arapizanduvius Caſiquius Chriſtianæ legis doctores expetit, & impetrat, l. 3. c. 33. Ad Ethnicos tranſit, l. 5. c. 15. Denuò reducitur, *ibidem.* Reſipiſcit, *ibid.* Auxilia Sociis adproperat. l. 8. c. 32
Araricani oppidum fundant, l. 10. c. 33. Religioni Chriſtianæ conciliantur, *ibid.* Octingentas familias colligunt, *ibid.* Pervertuntur, l. 12. c. 7. Iterum convertuntur, & tranſmigrant. l. 12. c. 18.
Araucana ſedes ponitur, l. 3. c. 14. & ſtabilitur. l. 4. c. 24.
Araucani ad oppida reducuntur, l. 3. c. 16. Iterum diſparantur, *ibid.* Excoli prohibentur. *ibid.* Rurſum excoluntur, *ibid.* Multi baptizantur, *ibid.* & l. 6. c. 22. Araucanorum militum fortitudo. l. 3. c. 15. Numeroſitas, *ibid.* Mores. *ibid.*
Areguatus in Alfonſum Rodericium involat. l. 8. c. 25.
Argentei fluminis primus repertor. l. 1. c. 2. Nominis origo, c. 6. Et iterum, l. 5. c. 3. Magnitudo, *ibid.* Oſtium. *ibid.*

Assumptionis arx ponitur, l. 1. c. 9. In urbem erigitur, l. 1. c. 11. Urbs Socios JESV benevolè recipit, c. 32. Excolitur, *ibid.* Societatis sedem postulat. l. 2. c. 3. Ei templum ædificat. c. 5. Socios retinere conatur, c 22. Iterum recipit, *ibid.*

Assumptionis oppidum apud Iuisenses conditur. l. 8. c. 20.

Assumptionis colonia apud Acaraguaïenses Societas ponit. l. 9. c. 26.

Aticaïe in Guairaniæ Socios conspirat. l. 4. c. 14. Maracanam in partes trahere contendit. *ibidem.* Resipiscit, *ibid.* Iterum corrumpitur, *ibid.* Et infeliciter moritur. *ibid.*

Aurum Urvaïcense Chimæricum. l. 14. c. 2. *& sequentibus.* Aurum in os Valdiviæ infusum. l. 1. c. 9.

Aveneira convertitur. l. 5. c. 16. Oppidi fundamenta ponit. *ibid.*

Augustinus Contreras in Guairaniam mittitur, l. 8. c. 40. Divi Christophori coloniæ primus præest. l. 11. c. 6. Quater mille capita & sexcenta reducit. *ibid.* Vitæ periculum adit, l. 12. c. 7. Ad latrones pergit, l. 11. c. 31. Tapenses transmigrantes juvat, l. 12. c. 18. Oppidum reædificat, *ibid.* Ad Tapensem Provinciam pergit. c. 36. A Mamalucis impeditur, *ibid.* Ad expeditionem iterum se accingit, *ibid.* Multos Barbaros reducit, *ibid.* Trecentas familias recolligit. l. 12. c. 19. Mamalucos detegit. l. 7. c. 9. c. 16,

Augustini Villazæ Apostolici labores. l. 7. c. 6.

Abstinentia, *ibid.* Pericula, *ibid.* Ad Chunos navigatio. *ibid.*

Author benè precatur Regibus Catholicis, l. 1. c. 22.

B

BAABA Gonsalvii & Roderici cadavera recuperat. l. 8. c. 26.

Baguæ ad Fidem sollicitantur. l. 7. c. 35.

Baltazaris Alegriæ infelix exitus. l. 14. c. 12.

Baltazar Penia primus Societatem in Chilenum regnum invehit, l. 1. c. 45. Ejus laus. *ibid.*

Baltazaris Pliegi heroicum facinus divinitùs compensatum, l. 6. c. 2.

Baltazar Senia Guarambaræos instruit, l. 4. c. 31. Moritur, *ibid.* Cadaver ejus honoratur, *ibidem.* Laudatur. *ibid.*

D. Barbaræ oppidi fundamenta, l. 14. c. 16.

Barbara mulier pudorem defendens cum suo infante mactatur. l. 14. c. 13.

Barbaræ mulieris patientis exemplum singulare. l. 6. c. 13. Continentiæ, l. 8. c. 7. Castitatis. l. 10. c. 13.

Barbaræ gentis mores. l. 12. c. 11.

Barbarorum in Societatem amor. lib. 7. cap. 4. Apophthegmata. l. 9. c. 6.

Bartholomæus Bracamontius occiditur. l. 1. c. 7.

Bartholomæus Peres Paraquariæ provincialatum cum Æthiopicis Episcopatibus comparat. l. 1. c. 2.

Bernardus Centurio ad flumen Argenteum navigat. l. 1. c. 6.

Belgarum Sociorum navigatio, l. 12. c. 41. Pericula. *ibid.*

Besar lapis. l. 3. c. 10.

D. Blasius Hispanis favet, l. 1. c. 9. In protectorem eligitur. *ibid.*

Blasphemus castigatus. lib. 11. c. 12.

Blasius Gutieres Valetudinarii curâ exercet. l. 12. c. 1. Pus ore exprimit. *ibid.* Moritur, *ibid.* Laudatur. *ibid.*

Bocarata Socios JESV expetit, l. 9. c. 28. Oppidi fundamenta ponit. *ibid.*

Bonæ-spei Societatis domus stabilitur Regis Catholici munificentiâ. l. 4. c. 24.

Boni-aëris arcis fundatio, l. 1. c. 7. Nominis origo, *ibid.* Destructio. l. 1. c. 10.

Boni-aëris urbis situs. l. 1. c. 16. Fundatio, l. 3. c. 12. Ditio. *ibid.*

Boni-aëris Societatis sedes ponitur. l. 3. c. 12. Nutat, *ibid.* Stabilitur, *ibid.* Sæculum nostrum celebrat, l. 13. c. 16. Ob liberalitatem compensatur. l. 13. c. 15.

Borbonii militum infortunium. l. 1. c. 8.

Bororæum oppidum à Mamalucis infestatur, l. 1. c. 8. Defenditur. *ibid.*

Bororcënses multos à captivitate liberant. l. 13. c. 10. *item* c. 17. *&* c. 18.

Borosenius in Petrum Romerum & socios conjurat. l. 14 c. 17. Ejus oratio. *ibid.*

Boum multiplicatio notabilis. l. 4. c. 2.

Burgensis socii ad Indias memorabilis vocatio. l. 3. c. 6.

C.

CAaïguarum mores. l. 9. c. 24. Agilitas. *ibid.* Prælia, *ibid.* Ferocitas. *ibid* Baptismus. l. 9. c. 25. Et ad eos iteratæ missiones. *ibid.* Qualiscumque cicuratio. l. 9. c. 38. Nonnullorum conversio l. 10. c. 30.

Caapienses Socios JESU petunt. l. 9. c. 28. Oppidi fundamenta ponunt. *ibid.* Ædificant. cap. 35. Transmigrant. l. 11. c. 33.

Caaroënses utcumque conciliantur. l. 8. c. 19. Oppidum fundant. l. 8. c. 21. In Socios conjurant. c. 22. Gonsalvium & Rodericium mactant. c. 23. Eorum cadavera deformant. c. 24. Comburunt. *ibid.* Sacra prophanant, *ibid.* Catechumenum mactant. *ibid.* Petrum Romerum ad necem quærunt, c. 27. Fugantur, *ibid.* Castigantur. l. 8. c. 32. Resipiscunt. l. 9. c. 7. Socios iterum recipiunt. *ibid.* Oppidum restaurant, l. 9. c. 8. Transmigrant. l. 11. c. 33. Oppidum suum ad Paranam reædificant. l. 12. c. 8.

Caasapaguaçuenses Socios JESV expetunt, l. 9. c. 28. Oppidi fundamenta designant, *ibid.* Fundant, c. 35. Excoluntur, l. 10. c. 13. Bello perturbantur, l. 11. c. 33. Abiguntur, l. 12. c. 13. Transmigrant. *ibid.*

Caasapaminienses reducuntur. l. 8. c. 4. Oppidum fundant. *ibid.* Gonsalvii & Rodericii corpora recuperant. l. 8. c. 26. Petrum Romerum præliando defendunt. c. 27. Laudantur, *ibid.* Transmigrant. l. 11. c. 33. Oppidum suum ad Paranam reædificant. l. 12. c. 18.

Cabure in Socios conjurat. l. 8. c. 22. Impœnitens laqueo vitam finit. c. 32.

Cæsar Gavoti miles primus Tucumaniam detegit. l. 1. c. 20. Cæsarum regio ab ipso dicta fabulosa. *ibid.*
Cæsar Gratianus peste afflatos juvat. lib. 12. c. 1. Constantinopolitanam missionem ambit. *ibid.* Paraquarienſem impetrat, *ibid.* Moritur, *ibid.* Laudatur. *ibid.*
Calchaquini moribus Barbari, l. 1. c. 38. Pacificantur, l. 3. c. 27. Diuturno labore excoluntur, *ibid.* Sedem Societatis admittunt, l. 5. c. 22. Eorum mores describuntur, c. 23. Rebellant, l. 9. c. 23. Conjurant, *ibid.* Iterum rebellant, l. 10. c. 2. Societas eos deserit, l. 7. c. 2. Societatem iterum admittunt, l. 13. c. 3. Tumultuantur, *ibid.* Sedantur, *ibid.* Sedem Societati ædificant. *ibid.* Christianorum nomina dolosè filiis imponunt. *ibid.* Pertinaciter agunt, *ibid.* Secundam Societatis sedem ponunt. l. 14, c. 12.
Candiræus Pipirium mactat. l. 6. c. 29.
Capaïani rebellant, l. 10. c. 12. Pacificantur. *ibid.*
Capesaci rebellant, l. 12. c. 33. Vincuntur. *ibidem.*
Caliguila Abiponum Casiquius Socios JESV recipit. l. 13. c. 5.
Carabucensis Crucis origo. l. 6. c. 4. Veneratio. *ibid.*
Caracaræ dolosè Hispanos in auxilium vocant, l. 1. c. 9. Crudeliter mactant. *ibid.* Vincuntur, *ibid.* rebellant, l. 12. c. 33. Superantur, *ibid.* Eorum palus, *ibid.* Insulæ natatiles. *ibid.*
Caraichure Socios JESV enixè petit, l. 11. c. 6, impetrat, *ibid.* Baptizatur. *ibid.*
D. Caroli Boromæi sedes apud Calchaquinos consecratur, l. 5. c. 22. Item oppidum apud Urvaïcenses eidem consecratur, l. 9 c. 35. Destruitur, & aliò transfertur. l. 12. c. 13.
Carolus Dubrinus Caroli Quinti Collactaneus, l. 1. c. 6.
Carolus Quintus Sebastianum Gavotum ad detegendam Australem Americam mittit, l. 1. c. 2. Diploma facit primis Paraquariæ colonis favorabile, l. 1. c. 10. Novos colonos in Paraquariam submittit, l. 1. c. 13. Joannem Sanabriam Paraquariæ Prætorem constituit. l. 1. c. 15. Episcopum Paraquarienſibus procurat. l. 1. c. 22. Ejus liberalitas erga Paraquarienses commendatur. *ibid.*
Carupe in Socios conjurat, l. 8. c. 22. Necem Gonsalvii & Rodericii mandat, c. 23. Petrum Romerum ad necem quærit, c. 27. Repellitur, *ibid.* Baptizatur, l. 8. c. 32. Laqueo vitam finit. *ibid.*
Castri & Quiniones Archiepiscopi Hispalensis de Æthiopum Baptismis sententia. l. 6. c. 23.
Catararana vallis Chilensis regni, l. 4. c. 18. Ejus incolæ cum Valdiviâ colloquuntur, *ibidem.* Pacem acceptant, *ibidem.* Constanter agunt. l. 4. c. 24.
Caurana vallis excurritur. l. 6. c. 2.
Cerati Indi. l. 12. c. 37.
Chaquensium regio, l. 8. c. 15. Numerus, *ibidem.* Superstitio, *ibid.* Cultura, *ibid.* Frustra tentatur, l. 12. c. 12. & cap. 26. Et rursum. l 13. c. 23.
Charuæ Alvatum Ramonem occidunt, l. 1. c. 4. Versus portum Boni-aëris vagantur, lib. 4. c. 1. Ad Fidem sollicitantur. l. 7. c. 35.
Gabriël Chemombeus conjurationem in Franciscum Cespedes conflat, l. 11. c. 16. Detegitur, *ibid.* In exilium transportatur, *ibid.* Transfugit, l. 12. c. 15. Pœnam luit, *ibid.* Resipiscit, *ibid.*
Chileni regni situs, l. 1. c. 17. Coloni, *ibid.* Amœnitas, l. 1. c. 18. Fertilitas, *ibid.* Divitiæ, *ibid.* Terræ motus, *ibid.* Status, *ibid.* Montes, l. 3. c. 10. Sacerdotes, l. 4. c. 19. Chilenorum rebellio, l. 2. c. 10. *& seqq.* A Paraquaria separatio, & in Viceprovinciam Societatis erectio, l. 7. c. 24. Status & laus, *ibid.* Et iterum laus, l. 4. c. 4.
Chileni regni primi de Societate excultores, lib. 1. c. 45. Tempestate vexantur, *ibid* Liberantur, *ibid.* Lemures fugant, *ibid.*
Chilenorum Sociorum labores, l. 2. c. 10, & l. 6. c. 2. Constantia in laboribus, l. 6. c. 22.
Chilan, urbs Chileni regni, capitur, l. 2. c. 10.
Chiloë insula describitur, l. 3. c. 18. Sedem Societatis recipit, *ibid.*
Chiloënsium Indorum mores, l. 3. c. 18. Pietas, *ibid.* Conversio, *ibid.* Baptismi, *ibid.*
Chiloënsis Archipelagus describitur, l. 4. c. 5, excolitur, *ibid.* Insulani baptizantur, *ibid.* Apud eos Societatis sedes stabilitur, c. 24. Chiloënses insulas Socii excolunt, l. 6. c. 8. Octoginta sacella in iis excitant, *ibid.*
Chiquiti Christianæ legis Doctores expetunt, l. 8. c. 37.
Chiriguanarum natio ad Fidem sollicitatur, l. 2. c. 23. Et iterum, l 8. c. 1. Iterumque tentatur, *ibid.* Chiriguanarum origo, l. 11. c. 2, mores, *ibid.* numerus, *ibid.* pertinacia, *ibid.*
Christi imago sudat, l. 10. c. 20. Christi patientis supplicatio, l. 12. c. 34.
Christophorus Altamiranus Barbaricæ linguæ peritissimus, l. 9. c. 26, Acaraïguaensium diuturnus magister, *ibid.* oppidum apud eos condit, *ibid.* multos reducit, *ibid.* peste afflatos juvat, l. 10. c. 14, plures baptizat, *ibid.* Acaraguaïensium ducem & alios sacro Fonte lavat, lib. 11. cap. 4, rem ad Bororeum strenuè agit, lib. 13. c. 10, multos à captivitate Mamalucorum retrahi curat, l. 13. c. 10. Item, lib. 13. c. 17, & c. 18, ab defuncti Manibus inquietatur, l. 13. c. 25.
Christophorus Arenas apud Tapenses Apostolicè laborat, l. 11. c. 5, multos baptizat, c. 6, mulierem pro mortua habitam Christianis aquis lavat, *ibid.* vitæ periculum adit, l. 12. c. 5, Transmigrantes juvat, c. 17, vulneratur, lib. 14. c. 14, ludibrio habetur, *ibid.*
Sancti Christophori colonia conditur, lib. 11. c. 5, devastatur, c. 31.
Christophorus Deodatus multa millia baptizat, lib. 4. cap. 4.
Christophorus Mendoça Incarnationis oppidum in Guairania fundat, l. 7. c. 22, ad necem designatur, *ibid.* machinationem detegit, *ibid.* ad Mamalucos de officio monendos pergit, l. 8. c. 39, vulneratur, *ibid.* Neophytos aliquot è captivitate liberat, *ibid.* Ariolorum cadavera veneratione sub. ducit, l. 9. c. 20, quamplurimos Barbaros re-

ducit, l. 9. c. 40, Guairaniæ transmigratores non sine vitæ periculo juvat, l. 9 c. 42, apud Tapenses Sancti Michaëlis oppidi fundamenta ponit, l. 10 c. 10, quamplures Barbaros congregat, & baptizat, c. 13; Indos captivos in libertatem asserit, l. 1. c. 19; Tebiquaris fluminis accolas & Caaguas ad Fidem sollicitat, c. 20; Ibiaënsium regionem percurrit, *ibid.* ab Ibiaënsibus iteratâ crudelitate mactatur, c. 21; à dæmone timetur, l. 11. c. 23. Ejus patria, *ibid.* nobilitas, *ibid.* sepultura, l. 11. c. 22.

Christophorus Torres egregiam operam apud Calchaquinos navat, l. 6 c. 18; adit vitæ periculum, *ibid.* Villaricanæ sedis initia promovet, l. 7. c. 33.

Chunorum regio aditur, l. 6. c. 9; describitur, *ibid.* Eorum aliqui baptizantur, *ibid.* Iterum excoluntur, l. 7. c. 6.

Chuquisaca urbs Peruviæ, l. 8. c. 1.

Chuquisacensis senatus Societati favet, l. 4. c. 10.

Claudius Aquaviva Socios è Brasilia advectos Peruviæ regimini subjicit, l. 2. c. 1. Societatem Paraquariæ restituit, l. 2. c. 29; jus Provinciæ ei concedit, l. 3. c. 2; mutat prudenter in tempore consilium, *ibid.* cælitùs illustratur, *ibid.* Didacum Torres æstimat, & amat, l. 3. c. 6; Provincia Paraquaria eum pro parente habet, lib. 3. cap. 8; ultrò Socios in Paraquariam mittit, l. 3. cap. 11; Servitii Personalis jus examinari jubet, l. 3. c. 21.

Claudius Ruierius Acaraïense oppidum fundat, l. 7. c. 16; Nativitati Virginis Mariæ dedicat, *ibid.* multa patitur, & agit, *ibid.* Quaracipucutium necem intentantem terret, *ibid.* multos Ethnicos reducit, *ibid.* initia Mariæ Majoris oppidi ponit, & promovet, l. 7. c. 20; constanter agit, *ibid.* multos baptizat, *ibid.* Iguasuanos à fuga retrahit, l. 9. c. 5; multos sacro Fonte abluit, *ibid.* Caaiguas curare satagit, l. 9. c. 38; Urvaicensibus Paranensibusque Sociis præficitur, lib. 12. c. 33; laudatur, *ibid.* Neophytos adversus Caracaras mittit, *ibid.* superiorem Urvaicæ partem non sine vitæ periculo explorat, l. 12. c. 38; multos reducit, *ibid.* Neophytos ad domandos Calchaquinos mittit, l. 12. c. 39.

Clemens Octavus benevolentiam erga Societatem ostendit, l. 3. c. 6; Didaco Torres favet, *ibid.* Carabucensis Crucis fructum æstimat, l. 6. c. 4.

Colla Tupa Guarcaris Ingæ moderator lapidem notabilem adorari jubet, l. 6 c. 4.

Conceptionis civitas ad flumen Rubrum excolitur, l. 1. c. 10. & l. 3. c. 28.

Conceptionis urbs apud Chilenos principalis Societatis sedem recipit, l. 4. c. 24; jure Collegii donatam, l. 5. c. 20.

Conceptionis oppidum Societas ad Urvaicam fundat, l. 6. c. 15.

Conceptionis coloniam Societas apud Gualachos ædificare incipit, l. 8. c. 37.

Congregatio prima provincialis, l. 3. c. 10.

Conotome vallis excolitur, l. 3. c. 13.

Coquimbensis urbis fundatio, l. 1. c. 17.

Cordubensis urbs fundatur, l. 2. c. 15; Societatem Jesu recipit, *ibid.* Templum condit, *ibidem.* Ejus ditio excolitur, *ibid.* Cordubensis sedes vexatur, l. 3. c. 24; divinitùs juvatur, *ibidem*; constanter agit, *ibid.* in Provinciæ caput erigitur, l. 4. c. 4; ferventer domi forisque se gerit, *ibid.* Cordubenses Socii utiliter excurrunt, l. 6. c. 1; l. 12. c. 24; & l. 9 c. 1; Pampas & Guarpos utiliter adeunt, l. 12. c. 11; fluviorum Tertii & Quarti accolas excolunt, *ibid.* sæculares ludos celebrant, c. 10; Sancti Epimachi corpus honorificè collocant, c. 21; item Immaculatæ Virginis statuas, *ibid.* sacellum domesticum ornant, *ibid.* censent Episcopum sine lateris Apostolicis non consecrandum, l. 14. c. 13.

Cordubense seminarium erigitur, l. 4. c. 26.

Cordubensis Tyrocinii institutio, l. 3.

Corporis Christi arx construitur, l. 1. c. 8.

Corporis Christi oppidum Societas ad Paranam fundat, l. 6. c. 28.

Corporis Christi supplicatio, l. 10. c. 13.

SS. Cosmæ & Damiani oppidi designatio, l. 10. c. 37; progressus, l. 11. c. 7; incolarum Baptismus, *ibid.* transmigratio, l. 13 c. 18.

Crux Barbaris pro azylo erigitur, l. 1. c. 20. Crucis piè conspectæ efficacitas, l. 2. c. 15. Crucis triumphus, l. 5. c. 6; vis, c. 26.

Cucuisenses excoluntur, l. 2. c. 9; Societatis sedem petunt, l. 12. c. 30; non impetrant, *ibid.*

Cuioënses Indi doctrinâ Christianâ imbuuntur, l. 3 c. 23. Eorum mores describuntur, *ibid.* Multi ad Fidem convertuntur, *ibid.* Iterata ad eos excursio, *ibid.* & l. 7. c. 15. Iterum describuntur, *ibid.*

Curitus Gualachorum Dux Jesu Socios expetit, l. 8. c. 37; differtur, *ibid.*

Curuba vulnus lethale accipit, l. 9. c. 16; baptizatur, *ibid.* moritur. *ibid.*

Cuscum Peruviæ civitas, l. 3. c. 4.

D.

Dæmon potator & declamator, l. 7. c. 15. Dæmonum invidia, l. 2. c. 6.

Diaguitæ utcumque concil antur, lib. 2. cap. 16; multa eorum oppida baptizantur, *ibid.* & *seqq.* conspirant in Socios, l. 2. c. 19; ad necem quærunt, *ibid.* sedantur, *ibid.*

Didacus Alfarus ad Paranenses mittitur, l. 7. c. 27; parricidis se opponit, l. 8. c. 31; vitæ periculum adit, *ibid.* Paranensibus, Urvaicensibus & Tapensibus Sociis præficitur, l. 12. c. 5; non sine periculo Tapensibus transmigrationem suadet, l. 12. c. 7; à Mamalucis mactatur, l. 12. c. 31. Ejus patria, l. 12. c. 32; studia, *ibid.* officia, *ibid.* multiplex pietas, *ibid.* necis honestæ commendatio, *ibid.*

Didacus Almagrus primus in Chilense regnum irrumpit, l. 1. c. 17.

Didacus Alvares de Paz Tucumaniæ Viceprovincialis designatur, l. 3. c. 2.

Didacus Boroa ad portum Boni-aëris appellit, l. 4. c. 1; Diaguitas pacificat, l. 4. c. 6; excolit, *ibid.* item Guassanos, Malleos, Huachasses & Andalgales, *ibid.* Guarambaræos instruit, c. 31; Itapuani oppidi fundationi insistit, l. 5. c. 5; à Barbaro insultatur, l. 5. c. 15; à gravi calumnia vindicatur,

vindicatur, *ibid.* Paranensibus Sociis præfectus Acaraïense oppidum fundat, l. 7. c. 16; zelum animarum prodit, l. 7. c. 9; post varia tentamenta apud Iguasuanos oppidum fundat, l. 7. c. 29; multos baptizat, *ibid.* Assumptionis Collegii Rector adversus patricidas auxilia adproperat, l. 8. c. 32; Gonsalvii & sociorum vitam scribit, c. 33; ad oppidum fundandum Tabativienses sollicitat, l. 9. c. 9; fit Provincialis, l. 11. c. 1; Tucumaniam Apostolicè lustrat, *ibid.* Socios ad Chiriguanas mittit, l. 11. c. 2; Paranam inspicit, c. 4; Urvaïcæ oppida percurrit, c. 5; Cismontanas Tapensis Provinciæ colonias adit, l. 11. c. 5; inchoatum Visitationis oppidum Sociis commendat, *ibid.* ad colonias trans Igaim positas pergit, c. 5; Sancti Christophori oppido Socios imponit, *ibid.* colonias cis Igaim positas perspicit, c. 7; octingentos adultos baptizat, *ibid.* litteris Regi Catholico inscriptis Societatem defendit, c. 2. 5; Neophytos animat, c. 33; perturbatos sistit, *ibid.* Tapensis provinciæ transmigrationem decernit, l. 12. c. 16; juvat transmigrantes, lib. 12. c. 18; transmigratorum oppida reædificari jubet, l. 12. c. 19, arma Neophytis dari procurat, cap. 20; Ocloïarum oppidum Franciscanis tradit, c. 25; Itatinensem provinciam lustrat, c. 35; superiorem Urvaïcæ partem explorari curat, cap. 38; ob virtutes posteritati commendatur, l. 12. c. 45.

Didacus Castañeda multos baptizat, lib. 5. c. 10.

Didacus Gongora Prætor Socios benevolè recipit, l. 6. c. 16.

Didacus Gonsalos Holguinus Socios mari è Peruvia advehit, l. 3. c. 8; in Assumptionis Collegio vexatur, l. 4. c. 26; laudatur, *ibid.* Ejus mors, l. 5. c. 21; patria, *ibid.* munia, *ibid.* severitas, integritas, *ibid.* linguæ peritia, *ibid.*

Didacus Ludovicus Oliveira diploma facit Sociis favorabile, l. 9. c. 29.

Didacus Mendoça cum Barbaris pugnat, l. 1. c. 7; mactatur, *ibid.*

Didacus Montalvanus ab Aganamone occiditur, lib. 4. c. 21. Ejus patria, lib. 4. c. 23; abstinentia, *ibid.* cadaver à muscis & avibus intactum, *ibid.*

Didacus Negron Prætor Divi Ignatii Beatificationem celebrat, lib. 4. c. 3; laudatur, lib. 5. c. 4.

Didacus Nieza Regi Catholico se subdit, l. 7. c. 31; largè donatur, *ibid.*

Didacus Ribeirus moritur & laudatur. lib. 10. c. 24.

Didacus Salazarius in Guairaniam mittitur, l. 6. c. 13; Apostolicè excurrit, *ibid.* constanter agit, l. 7. c. 12; necem vix evitat, c. 33; Gualachis præfectus multa patitur, l. 9. c. 22; à Gualachis impetitur, *ibid.* in tutum se recipit, *ibid.* Guairaniæ transmigratores juvat, l. 9. c. 42; & lib. 10. cap. 5.

Didacus Torres fit primus Paraquariæ Provincialis, l. 3. c. 2. Ejus patria, parentes, castitas, tyrocinium & studia, c. 3. Julide Rector conversioni Indorum dat operam, c. 4; Procurator Indorum renunciatur, *ibid.* Cusci Rector Societatis æmulos coërcet, *ibid.* suum derisorem hercle jubet, *ibid.* Collegio Quitensi præpositus tumultuantes Regi conciliat, c. 5; Regis Catholici litteras recipit; *ibid.* Potosino Collegio præest, *ibidem.* Peruviæ Provincialis secretarium agit, *ibid.* pro provincia Peruana Procurator in Europam mittitur, c. 6; Regi Catholico gratus multa impetrat, *ibid.* ossa Martini Gutierez recuperat, *ibid.* Clementi Octavo, & Claudio Aquavivæ carus est, *ibid.* Divi Ignatii cubiculum primus ornat, *ibid.* Federici Borromæi Cardinalis gratiam meretur, *ibid.* ab Lermeo Duce benevolè excipitur, *ibid.* multa ab Rege impetrat, *ibid.* in Americam renavigat, *ibid.* Quitensem provinciam fundat, l. 3. c. 7; ad fundandam provinciam Paraquariensem proficiscitur, c. 8; ab Episcopo cum Sociis benevolè excipitur, c. 9; Sancti Jacobi sedem stabilit, *ibid.* tyrocinium Cordubæ instituit, *ibid.* primam Congregationem cogit, c. 10; Boni-aëris sedem inchoari jubet, c. 12; Lauretana sacella fieri imperat, c. 13; Societatis domicilium Arauci ponit, c. 14; Socios ad Chiloënses mittit, c. 18; servitium personale exigitat, c. 21; Mendoçinam sedem inchoat, c. 22; Socios ad Cuioënses destinat, c. 23; sedem Esterensem pro tempore deserit, c. 25; in Sancti Michaëlis urbe sedem Societatis erigit, c. 26; Socios Calchaquinis præficit, Conceptionis urbem excolit, c. 28; Paranæ, Guairaniæ, & Guaicuræorum curam suscipit, c. 29; ad fundandum Ignatianum oppidum Socios amandat, c. 33; alios in Guairaniam, c. 31; & alios Guaicuræis domandis præficit, c. 34; Boni-aëris sedem stabilit, l. 4. c. 1; Sanctæ Fidei urbem domicilio occupat, c. 2; Divorum Ignatii & Xaverii Beatificationem celebrat, c. 3; Cordubam in provinciæ caput constituit, c. 4; Seminarium Chilense erigit, *ibid.* ad Chiloënses insulas Socios navigare jubet, c. 5; Socios ad pacificandos Diaguitas concedit, c. 6; Guaicuræorum Ducis filium baptizat, *ibid.* sedem Esterensem restituit, *ibid.* in Chilensi regno vexatur, c. 25; Tucumaniam Paraquariamque lustrat, c. 26; Seminarium Cordubense erigit, *ibid.* MARIAM Virginem populorum debellatricem appellat, *ibid.* Guaicuræos adit, c. 27; Utcumque donis conciliat, c. 27; Comitia provincialia cogit, c. 38. Ejus provincialatûs anacephaleosis, c. 38, *& seqq.* fit Rector Cordubensis, l. 5 c. 1; Procurat Æthiopum Baptismos sub conditione conferri, l. 6. c. 23; ostento animatur, *ibid.* & alios animat, *ibid.* Peruviam repetit, l. 8. c. 1; multos Æthiopes baptizat, & baptizari curat, *ibid.* Chuquisacæ utilem operam navat, *ibid.* Chiriguanarum expeditionem procurat, *ibid.* multa agit memoratu digna, *ibid.* moritur, *ibid.* laudatur, *ibid.* sepelitur, *ibid.*

Didacus Vasaurus morjens à dæmone vexatur, l. 9. c. 3.

Didacus Vega ob liberalitatem commendatur, l. 7. c. 31, & l. 9. c. 29.

Diluvium Americanis quomodò notum, lib. 1. c. 21.
Dominicanus Sacerdos Societati favet, l. 1. c. 32; Dominicani Heroicum facinus, lib. 2. cap. 10; Dominicani Beatificationem Beati Ignatii magno affectu celebrant, l. 4. c. 3; Socios hospitaliter recipiunt, l. 1.
Dominicus Gonsales per Cuioënsium regionem latè excurrit, lib. 7. cap. 15; moritur, & laudatur, *ibid.*
Dominicus Irala Oïolæ substituitur, l. 1 c. 9; fit Paraquariæ Prætor, c. 10; Assumptionis urbem fundat, c. 11; terram latè explorat, cap. 13; iterum Præfecturâ Paraquarienſi potitur, c. 15; Americæ Australis interiora lustrat, *ibid.* Et multa agit memoratu digna, *ibid. & seqq.*
Dominicus Martines moritur, l. 12. c. 45.
Dominicus Munioa vulneratur, lib. 14. cap. 14; ludibrio habetur, *ibid.*
Dulcis Tucumaniæ fluvius, l. 10, c. 1.

E.

EDMUNDI Campiani piæ memoriæ Seminarium Chilense dedicatur, l. 4. c. 4.
Emmanuël Bertotus Sancti Thomæ oppidi initia juvat, l. 10. c. 11; multos Barbaros reducit, *ibid.* & c. 31; æger ipse peste afflatis adest, l. 11. c. 5; plures sacro Fonte abluit, c. 7; Tapenses transmigrantes adjuvat, l. 12. c. 18.
Emmanuël Cabrera ad Societatem vocatur, l. 7. c. 25; sua Societati largitur, *ibid.*
Emmanuël Capralis Alpoimus Sociorum interfectores castigat, l. 8. c. 32.
Emmanuël Fonseca fasciculum litterarum aperit, l. 4. c. 25; Apostatarum legibus petitur, *ibid.* ab Senatu & Episcopo defenditur, *ibid.* Apostata declaratur, *ibid.* ab Societate dimittitur, *ibidem.*
Emmanuël Frias templum Chilense condit, lib. 2. c. 10.
Emmanuël Ortega à piratis in mare projicitur, & liberatur, l. 1. c. 28, in Cordubensi tractu Apostolicè elaborat, c. 29; miraculosè transportatur, c. 30; Paraquariam excolit, c. 33; multos baptizat, *ibid.* & c. 34, 35. & l. 2 c. 13; Guairatiam utiliter procurat, l. 1. c. 34, & l. 2. c. 4; ad necem destinatur, l. 2. c. 4; ejus comites mactantur, *ibid.* duo oppida fundat, *ibid.* aquarum diluvio intercipitur, l. 2. c. 13; heroicum facinus perpetrat, *ibid.* spinâ transfigitur, *ibid.* Sanctæ Inquisitionis carceri mancipatur, c. 23; ab sacris suspenditur, *ibid.* absolvitur, *ibid.* honoratur, *ibid.* Chiriguanis Christo lucrandis præficitur, *ibid.* moritur & laudatur, *ibid.*
Emmanuël Sa Correa tumultum Januarienſem sedat, l. 12. c. 42; fortiter agit, *ibid.*
Divi Epimachi corpus honorificè collocatur, lib. 13. cap. 21.
Escuriale templum Salomonicè constructum, lib. 1. cap. 22.
Estecum urbs fundatur, l. 5. c. 20; Societatem JESU recipit, *ibid.* templum dedicat, l. 6. c. 17; terræ motu concutitur, l. 10 c. 1; peste afflictatur, l. 11, c. 11; Estecense Collegium dissolvitur, *ibid.*
Esterenses Socii utiliter excurrunt, l. 9. c. 1, l. 12. c. 10, & 45, l. 13. c. 13.
Esterensis sedes deseritur, l. 3. c. 25; rursum acceptatur, l. 4. c. 10.
Esterensis convictus dissolvitur, l. 11. c. 11.
Eucharistiæ fides dubitanti asseritur, lib. 7. c. 14; Eucharistiam indignè participans castigatur, l. 9. c. 1; Eucharistiæ vis, l. 13. c. 13; ejus cultores adjuti, l 13. c. 26; æstimatio, l. 9. c. 9.
Europæ Societatis provinciæ laudantur, lib. 12. cap. 45.
Extremæ-unctionis vis, l. 9. c. 37; Extrema-unctio corpori salutaris, l. 10, c. 13.

F.

FAMATINA vallis rebellat, lib. 10. cap. 2; pacificatur, *ibid.*
Federici Cardinalis Boromæi munificentia commendatur, l. 3. c. 6, & l. 5. c. 19.
Ferdinandus Aguilera Chilenum regnum excolit, l. 1. c. 45.
Ferdinandi Ariæ Senatoris Limensis beneficentia, lib. 3. c. 8.
Ferdinandus Arias Paraquariensis Prætor sollicitè agit, l. 3. c. 33; Beatificationem Divi Ignatii celebrat, l. 4. c. 3; Sanctæ Fidei sedem adjuvat, l. 4. c. 2; terram pro templi fabrica bajulat, *ibid.* à prudentia civili & militari commendatur, l. 4. c. 35; multa beneficia Societati præstat, *ibidem*; Urvaicam armis subjugare destinat, l. 5. c. 13; à consilio avertitur, *ibidem.*
Ferdinandus Monroius in Tucumaniam venit, l. 2. c. 13; Lullos excolit, c. 20; Peruviam repetit, laudatur, c. 32.
Ferdinandus Rodrigues Diploma Pontificis fortiter promulgat, l. 12, c. 43.
Ferdinandus Saias vitæ periculum adit, l. 7. c. 37.
Ferdinandi Talaverani Chilensis Senatoris pietas, l. 3. c. 13 & ejus filiarum, *ibid.*
Ferdinandus Torreblanca à Calchaquinis benevolè recipitur, l. 13. c. 31 sacella constituit, *ibid.* è valle abit, *ibid.* ad vallem revertitur, *ibid.* Sancti Caroli sedem constituit, *ibid.* Hualfinam vallem excurrit, l. 13. c. 24; strenuè apud Calchaquinos laborat, *ibid.* infantes baptizat, *ibid.* bis Calchaquinorum vallem lustrat, lib. 14. cap. 12; Pullates, Taguingastas & Hualfines adit, *ibid.*
Ferdinandus Trecus benevolè primos Societatis Socios recipit, l. 3. c. 9; Societatem Esterensi urbi restitui curat, l. 4. c. 10; & laudat, *ibid.* Seminarium Cordubense Societati tradit, l. 4. c. 26; Esterensis Collegii fundandi spem facit, *ibid.* multa Societati donat, *ibid.* Ejus in Societatem affectus, l. 4. c. 35; virtutes, *ibid.* mores, *ibid.* testamentum, *ibid.* mors, *ibid.* sepultura *ibid.*
Sanctæ Fidei urbis fundatio, l. 4. c. 2; indigenarum mores, *ibid.* Societatis sedes, *ibid.*

Flandrobelgicæ Societatis provinciæ laus, l. 11. c. 28.
Foïensis Virginis statua ad cultum exposita, l. 13. c. 26. Foïense oppidum à Foïensi Virgine nuncupatum, l. 13. c. 27; tumultuatur, l. 14, c. 14; sedatur, *ibid.*
Franciscani Patres aliquot oppida fundant, l. 3. c. 28; laudantur. *ibid.*
Franciscus Aguirre Tucumaniæ metropolim fundat, l. 1. c. 20; Tucumaniam recipit, *ibid.*
Franciscus Alfarus laudatur, l. 4. c. 5; servitium personale exagitat, *ibid.* & c. 9; leges scribit Indis utiles, l. 4. c. 10; Provincias Societati excolendas assignat, l. 4. c. 9; Societatem Estensi urbi restitui curat, l. 4. c. 10; de vestigiis Sancti Thomæ testatur, l. 6. c. 4.
Franciscus Angulus Tucumaniæ missioni præficitur, l. 1. c. 24; fit commissarius Sanctæ Inquisitionis, *ibid.* Saltam & Estecum excolit, *ibid.* in Tucumaniæ metropoli egregiè laborat, c. 25; multos baptizat, *ibid.* & c. 27; Frontones adit, cap. 41; Peruviam repetit, l. 2. c. 32; laudatur, *ibid.*
Franciscus à Sancto Martino ad Barbaros mittitur, l. 3. c. 26; metu ad insaniam redigitur, *ibid.* constantiam in Societate non tenet, *ibid.*
Franciscus à Valle primus Boni-aëris sedi præficitur, l. 3 c. 12; calumniam gravem patitur, l. 4 c. 26, liberatur, *ibid.* egregium facinus in adolescentia perpetrat, l. 10. c. 4; bonam operam Indis navat, *ibid.* moritur, *ibid.* laudatur, *ibid.*
Franciscus Cespedes ad necem quæritur, l. 11. c. 15; periculo subducitur, *ibid.*
Franciscus Cespedes Prætor Boni-aëris Urvaïcæ explorationem urget, l. 7. c. 3; Societati oppida condendi facultatem concedit, *ibid.* Hispanos milites Neophytorum oppidis præficit, *ibidem*, revocat, *ibid.*
Franciscus Diastanius in Guairaniam mittitur, l. 5. c. 19; Sancti Xaverii oppido præficitur, l. 7. c. 21; multos reducit, & baptizat, *ibid.* vitæ periculum inter Antropophagos adit, l. 7. c. 23; Gualachos excolit, & peste afflatos baptizat, l. 8 c. 37; Conceptionis oppidum fundat, *ibid.* mechanica exercet, *ibid.* Sancti Thomæ oppidum construit, c. 41; frustra Jesu-Marianis succurrere tentat, l. 9. c. 17; indicium Incarnationis oppidi perversionis accipit, l. 9. c. 20; Ariolorum cadavera venerationi subducit, *ibid.* Neophytos in Paraquaria defendit, c. 33; & apud Senatum Chuquisacensem, *ibid.* ad Chiriguanas excurrit, l. 8. c. 1; Antropophagorum factionem in Tapensi provincia detegit, l. 11. c. 24; Neophytos ad prælium animat, *ibid.* Indos apud Senatum defensum iterum it, c. 25; Procurator provinciæ eligitur, l. 12. c. 2; Diplomata à Pontifice Urbano Octavo impetrat, l 12. c. 41; Regis Catholici liberalitatem experitur, *ibid.* subsidiarios cogit, *ibid.* ab Ulisipponensibus Patribus cum Sociis benevolè excipitur; *ibid.* & ab Januariensibus, l. 12. c. 42; Diploma Pontificium promulgari curat, *ibid.* tumultuantes sedat, *ibidem*; subsidiarios Socios in portum Boni-aëris invehit, *ibid.*
Franciscus Gomesius ad Araucanos mittitur, l. 4. c. 4; primus Estecensi sedi præest, l. 5. c. 20.
Franciscus Gonsales Pachon ante mortem Societati mancipatur, l. 13. c. 15; Societatem hæredem facit, *ibid.*
Franciscus Hurtadus milites in bello Calchaquino comitatur, l. 10. c. 2; Famatinæ vallis & aliorum populorum pacificationi studet, *ibid.*
Franciscus Lupercius Curbanus Limæ Theologiam docet, l. 13. c. 1; fit Paraquariensis Provincialis, *ibid.* ad Calchaquinam vallem Socios mittit, c. 3; sedem ibidem restitui curat, *ibid.* Paranenses & Urvaïcenses lustrat, l. 13. c. 11; Sociorum rem ordinationibus stabilit, *ibid.* multos baptizat, *ib.* ultra Paraquarium Socios mittit, l. 14. cap. 14 Divæ Barbaræ oppidum erigi jubet, *ibid.*
Franciscus Mendoça Paraquariæ Proprætorem agit, l. 1. c. 15; capite minuitur, *ibid.* vindictæ Divinæ exemplum dat singulare, *ibid.*
Franciscus Molina egregiam Barbaris dat operam, l. 10. c. 13; mechanica utiliter exercet, *ibid.*
Franciscus Puebla moritur & laudatur, l. 12. c. 10.
Franciscus Ricardus varios Ethnicos ad Fidem sollicitat, l. 7. c. 35.
Franciscus Sausedus Sancti Michaëlis sedi multa donat, l. 4. c. 26; fit Episcopus Chilensis, *ibid.*
Franciscus Vasquius dela Mota Gabriëlis Vasquii non indignus nepos, l. 3. c. 8; inter primos Provinciæ fundatores venit, *ibid.* postea Provincialis, *ibid.*
Franciscus Vasquius Truxillius Procurator Provinciæ subsidiarios Socios in portum Boni-aëris inducit, l. 6. c. 29; à Paulo Quinto bonam precationem accipit, *ibid.* fit Provincialis, l. 9. c. 1; Caaroënses adit, c. 7; eorum oppidum restituit, *ibid.* S. Francisci Xaverii oppidi fundamenta ponit, c. 9; Acaraguaïenses spe oppidi alit, *ibid.* Guairaniam per præcipitium petit, c. 40; Sancti Francisci coloniæ ruinam perspicit, *ib.* Tarobæ populis transmigrationem imperat, l. 9. c. 41; Societati Episcopum Paraquariensem conciliat, l. 10. c. 28. Ejus munia, c. 39; virtutes, *ibid.* mors, *ibid.*
Franciscus Vergara Paraquariæ Prætor, l. 1. c. 15.
Franciscus Victoria primus Tucumaniæ Episcopus, l. 1. c. 23; ostento Episcopali dignitati designatur, *ibid.* Societatem è Brasilia & Peruvia in Tucumaniam primus vocat, *ibid.* amanter recipit, *ibid.*
Franciscus Vilagra multa bella perficit, l. 1. c. 17.
D. Francisci inter Beatos relati honores, l. 4. c. 3; & inter Sanctos, l. 7. c. 3. Ejus oppidum apud Ibitirambetanos fundatur, l. 7. c. 11: Item apud Jaguaraitienses, l. 7. c. 35: Item apud Tabativienses, l. 9 c. 9. Ejusdem Reliquiæ Caaiguis salutares, l. 9. c. 38. Neophytis prælientibus favet, l. 13. c. 7. Eo invocato vulnus portentosè sanatur, l. 10. c. 22.
Franciscus Ximenius Tapenses ad Fidem sollicitat, l. 10. c. 12; Sanctæ Theresiæ oppidi fundamenta ponit, l. 10 c. 35; Divi Joachimi coloniæ initia juvat, c. 36; magnam Barbarorum multitudinem sacro Fonte lavat, l. 11. c. 5; ad Tebiquarim & alios fluvios excurrit, l. 11. c. 7; multos re-

ducit, *ibid.* Visitationis inchoatū oppidum auget, *ibid.* frustra Mamaluços ad pietatem hortatur. l. 12. c. 6; transmigratorum reliquias indagat, c. 21.
Frontones describuntur, l. 1. c. 41; excoluntur, *ibid.* aliquot Hispanos mactant, c. 44; rebellant, *ibid.* Frontonum misera conditio, l. 3. c. 28.

G.

Gabriel Brito moritur & laudatur, l. 12 c. 10.
Gabriël Chemombe in necem Francisci Cespedes conjurat, l. 11. c. 16; in exilium mittitur, *ibid.* ad Mamalucos transfugit, lib. 12. cap. 15; pœnas luit, *ibid.* resipiscit, *ibid.*
Gabriël Perlinus Judicem conservatorem imprudenter creat, l. 6. c. 16; offendit, *ibid.* castigatur, *ibid.* vitam religiosè peragit, & finit, *ibid.* quadringentos baptizat, l. 7. c. 1.
Gabriël Vega Chilenum regnum excolit, l. 1. c. 45; moritur, *ibid.* laudatur, *ibid.*
Garcia Hurtadus Mendoça Chilenum regnum recipit, l. 1. c. 17; Osornum ædificat, *ibid.* Mendoça urbs de ejus nomine ponitur, *ibid.*
Garcia Medina facellum Ignatio nondum indigeti ponit, l. 3. c. 26; Societatem ad Sancti Michaëlis urbem accersit, *ibid.* feliciter moritur, *ibid.*
Gaspar Caravacalius Mercenarius primus in Tucumaniam religionem introducit. l. 1. c. 20.
Gaspar Cerqueira Abipones ad fidem sollicitat. l. 12. c. 21; In Societate constantiam non tenet. l. 13. c. 6.
Gaspar Fernandes in Chiloënsibus insulis Apostolicè laborat. l. 7. c. 16; non sine vitæ periculo. *ibid.*
Gaspar Montoius Omaguacis Christo lucrandis insistit. l. 2. c. 6; Multos baptizat, *ibid.* Piltipiconem religioni Christianæ conciliat. c. 7; Omaguacas pacificat. *ibid.* Apostolicè excurrit. c. 8; Saltenses excolit. l. 2. c. 14; Ad Diaguitas proficiscitur. c. 16; Necis discrimen adit. c. 19; Plurimos sacro fonte lavat. *ibid.* Intrepidum se ostendit. *ibid.*
Gaspar Osorius Chaquensem provinciam adit. l. 8. c. 15; Incolas allicit. *ibid.* Idiomata discit. *ibid.* Oppida fundanda designat, *ibid.* Apud Tobas oppidi fundamenta jacit, *ibid.* Chaquenses exiguo fructu excolit. l. 9. c. 2; Ab Tobis benevolè excipitur, *ibid.* In suspicionem trahitur, *ib.* Afflictatur, *ibid.* Ocloïas oppido includit. l. 12. c. 12; Guispiras adit, *ibid.* Cucuisenses instruit. *ibid.* Ad Chaquenses iterum pergit. l. 12. c. 26; A Barbaris trucidatur. c. 27; Ejus patria. c. 28; Virtutes, *ibid.* Fervor, *ibid.* Cadaver insepultum, *ibid.* Ostentum. c. 27.
Gaspar Sobrinus in Hispaniam legatur. l. 4. c. 25. Et iterum procurator eò navigat. l. 7. c. 38; Subsidiarios Socios adducit, l. 8. c. 16; Chilensis Vice-provincialis designatur, c. 18; Limensis Rector fit, *ibid.* Et Provincialis Quitensis, *ibid.* Ejus patria, *ibid.* Parentes, *ibid.* Educatio, *ibid.* Itinera, *ibid.* Virtutes, *ibid.*
Glaucurana vallis excurritur. l. 6. c. 2.
Gonsalvii Juste patria. l. 12. c. 3; Militia, *ibidem.* Afflictandi corporis studium, *ibid.* Cœlestes favores, *ibid.* Mors. *ibid.*
Gonsalvius Neophytus cum Petro Romero trucidatur, l. 10. c. 18. Ejus fidelitas. *ibid.*
Gregorius XV. jus Academiæ Collegiis Cordubensis & Sancti Jacobi concedit. l. 6 c. 30.
Gregorii Figueroæ funestus exitus. l. 12. c. 32.
Guaicuræi quoad mores describuntur. l. 3. c. 37; Utcumque curantur, lib. 38; Novilunium colunt, l. 4. c. 27; Largè donantur, *ibidem.* Utcumque conciliantur, *ibid.* Eorum Ducis filius fit Christianus, l. 4 c. 8; In morte tantùm baptizantur, *ibid.* Baptismum putant esse lethalem, l. 5. c. 9. Eorum Dux sacro Fonte abluitur, l. 6. c. 19; Deseruntur. l. 7. c. 34.
Guaicuritiorum mores, l. 3. c. 37; Iter faciendi modus. *ibid.*
Guairaniæ urbes, l. 1. c. 16; Descriptio, l. 3. c. 30. Sacrorum penuria, *ibid.* Præcipitium, l. 7. c. 32. Rupes notabilis, c. 33; Transmigratio, l. 9. c. 42. *& seqq.*
Gualachi moribus Barbari Socios Jesv expetunt, l. 8. c. 37; Oppidum fundant, *ibid.* Reducuntur, *ibid.* Guairaniæ transmigratores mactant, l. 9. c. 42; In Salazarium insurgunt, c. 43; Spoliant, *ibid.* Mamalucos trucidant. l. 13. c. 8.
Gualanus Sancti Michaëlis urbem obsidet. lib. 3. c. 26.
Gualfines excoluntur. l. 14. c. 12.
Guadacoles rebellant, l. 10, c. 2. Pacificantur. *ibid.*
Guarambaræ expeditionis initium, progressus & finis, l. 4. c. 31; Guarambaræorum miseria. *ib.* Fuga, *ibid.* Erga instructores pietas. *ibid.*
Guaranorum mores, l. 4. c. 11; Matrimonia, l. 10. c. 11.
Guarcontes instruuntur. l. 12. c. 12
Guarpi ad Fidem sollicitantur. l. 13. c. 12.
Guassani Apostolicè adeuntur. l. 4. c. 6.
Guati panem Divini verbi petunt. l 10. c. 19.
Guembe fructus notabilis. l. 3. c. 30.
Guenoæ spem dant conversionis. l. 7. c. 35.
Guiraqueraïus in Petrum Romerum conspirationem conflat, l. 14. c. 17; Ad occidendos Socios progreditur. c. 18
Guiravera homo ferox, l. 8. c. 8; Bellum movet, c. 12; Conjurat, *ibid.* Ad Fidem sollicitatur, l. 8. c. 38; Cum Sociis colloquitur, *ibid.* Utcumque conciliatur, *ibid.* Sociis obsistit, l. 9. cap. 10; Perniciosè conspirat, c. 11; Reprimitur, *ibid.* Iterum furit, *ibid.* Iterum refrænatur, *ibidem.* Baptizatur, *ibid.* Inconstanter agit, *ibid.* Ortas suspiciones dissipat. l. 9. c. 19.
Guispiræ Apostolicè adeuntur. l. 12 c. 12.

H.

Hæreticus sacrorum Agnorum contemptor morte multatur, lib. 1 c. 28. Alter in sacrosanctam Hostiam involans ab Hispanis trucidatur. l. 4. c. 22.
Heredia in captivitate herum mactat, lib. 2. c. 27. Ejus filius crematur. *ibid.*
Hispani per Americam Fidem Christianam propa-

gant, l. 1. c. 1; Americam Auſtralem ſubjugant, *ibid.* feliciter pugnant, c. 5; in auxilium Urvaïcenſium veniunt, l. 12. c. 16; eorum fortitudo commendatur, l. 2. c. 10.
Hollandi portui Boni-aëris metum incutiunt, l. 8. c. 17; pernicioſos libros important, *ibid.*
Horatius Bechius Araucanos adit, & excolit, l. 3. c. 14; multa facit memoratu digna, c. 15; ad Chilenos rebelles mittitur, l. 4. c. 21; ab Aganamone occiditur, *ibid.* virginitatem totâ vitâ conſervat, c. 23; erga MARIAM Virginem piè afficitur, *ibid.* mortis ſuæ modum præſentit, *ibid.* Alexandrum Septimum ſanguine attingit, *ibid.* Ejus dotes, *ibid.* cadaver ab avibus intactum, *ibid.*
Horatius Morellius Calchaquinos pacificat, l. 3. c. 27; ſacella erigit, *ibid.* multos baptizat, *ibid.* à Virgine MARIA juvatur, *ibid.* ter vallem luſtrat, *ibid.* Saltenſem agrum excolit, *ibid.* Guapachas Hiſpanis reconciliat, *ibid.* Ejus patria, l. 13. c. 14; indoles, *ibid.* miſſiones, *ibidem*; mors, *ibid.*
Hoſtiæ conſecratæ aſpectu perditæ vitæ homo convertitur, l. 6. c. 7. Hoſtiæ conſecratæ in manus hæreticorum deveniunt, l. 12. c. 41; recipiuntur, *ibid.*
Huillorum regio, l. 6. c. 9; domus *ibid.* barbaries, *ibid.* cicuratio, *ibid.*
Hyacinthus de Laris in aurum Urvaïcenſe inquirit, l. 14. c. 3; falſâ ſpe alitur, *ibid.* calumniatorem examinat, *ibid.* mendacii convictum punit, *ibid.*
Divus Hieronymus Sanctæ Fidei urbis patronus, l. 4. c. 2.
Hieronymus Cabrera urbem Cordubenſem in Tucumania fundat, l. 2. c. 15.
Hieronymus Cabrera junior in Calchaquinos movet, l. 10. c. 2; fortiter agit, *ibid.*
Hieronymus Porcellus peſte afflatis adeſt, l. 11 c. 16 & multos baptizat, *ibid.* & *alibi.*
Hieronymus Portillus primus Peruviæ Provincialis, l. 3. c. 1; Franciſci Borgiæ faciem ſplendentem videt, *ibid.*

I.

D. IACOBUS Hiſpanis præliantibus favet, l. 1. cap. 13.
Jacobus Rançonierius Guaïraniæ tranſmigratores juvat, l. 9. c. 42; primus Itatinenſem provinciam explorat, l. 10. c. 17; ad necem deſignatur, *ibid.* vindicatur, *ibid.* Itatinenſi expeditioni præficitur, *ibid.* cum Sociis quatuor oppida fundat, c. 18; Païguas in amicitiam admittit, cap. 19; Itatinenſes ad defenſionem animat, c. 22; pro ovibus multa pericula ſpernit, c. 25; vitæ diſcrimen adit, *ibid.* duo Itatinenſium oppida reædificat, c. 38. Ejus patria l. 11. c. 28; parentes, *ibid.* navigatio, *ibid.* excurſiones, *ibid.* virtutes, *ibid.* mors, *ibid.* dotes, *ibid.*
Jaguapinius Urvaïcam turbat, l. 7. c. 17; capitur, *ibid.* convertitur, *ibid.*
Jaguapuanum oppidum conſtruitur, lib. 5. cap. 14; excolitur, *ibid.* deſtruitur, *ibid.*
Jaguaraïtienſes Socios JESU admittunt, l. 7. c. 35; oppidum condunt, *ibid.* Divo Xaverio conſecrant, *ibid.* deſeritur, l. 9. c. 9.
Japeivienſes coloniam ædificant, lib. 7. cap. 35; Tribus Regibus dedicant, *ibid.* plures mactantur, l. 11, c. 16; Ethnicos reducunt, l. 13. c. 19.
Januarienſis portus turbatur, l. 12. c. 42; ſedatur, *ib.*
Januarienſium ſociorum religioſa liberalitas.
Jaroſii explorantur, l. 7. c. 7; eorum mores & obſtinatio, *ibid.*
Ibapirius conjurationem conflat, l. 9. c. 27; Vincitur, *ibid.* bellum reparat, *ibid.* iterum profligatur. *ibid.*
Ibiaënſes in Chriſtophorum Mendoçam conjurant, l. 11. c. 21; cum mactant, *ibid.* rurſum conſpirant, c. 24; multos trucidant, *ibid.* præliantur, *ibid.* ſuperantur. *ibid.*
Ibiraïarum mores, l. 1. c. 35; peſtis, *ibid.* baptiſmus. *ibid.*
Ibitirambetani ad Fidem fruſtra ſollicitantur, l. 6. c. 29; rurſum adeuntur, l. 7. c. 11; Divi Xaverii coloniam ædificant, *ibid.* Antropophagos detegunt, c. 23; à Mamalucis in captivitatem abducuntur. l. 9 c. 40
Ibitiraquanorum fidelitas, l. 8. c. 31; Ibitirunæ mortis accolæ in Guaïrania Socios exoptant, l. 8. c. 40; oppidum condunt, *ibid.* bis mille reduntur, *ibid.*
Ibitirunæ ſylvæ incolæ in Tapenſi provincia Socios JESU expetunt, l. 10. c. 12.
Iguacaporvus in Mendoçam conſpirat, l. 11. c. 20.
JESU-Mariana colonia in Guaïrania conſurgit, l. 9, c. 10; ab Mamalucis vaſtatur, c. 16; reſtauratur, c. 30.
JESU-Marianum oppidum apud Tapenſes conditur, l. 10. c. 37; ab Mamalucis deſtruitur, l. 11; c. 30.
Divi Ignatii cubiculum ornatur, l. 3. c. 6; primum ſacellum c. 26; colonia ad Paraquarium, c. 34; aliud in Guaïrania, c. 32; tertium apud Itatinenſes, l. 13. c. 27; ejuſdem Beatificationis celebritas, l. 4. c. 3; & Canonizationis, l. 7. c. 3; Miracula l. 4 c. 3; imaginis ſudor, lib. 9. c. 39; Crucifixus l. 13. c. 21; lemures ab eo fugati, c. 20.
Ignatius Abiaru contra Mamalucos feliciter pugnat, l. 13. c. 7; multos à captivitate liberat, c. 10.
Ignatii Loiolæ Divi Ignatii abnepotis generoſum facinus, l. 11. c. 13; mors, c. 13; virtutes, *ibid.*
Ignatius Martines in Guaïraniam mittitur, lib. 8. c. 40; tranſmigratores Guaïraniæ juvat, lib. 9. c. 42; ſubmergitur, c. 47, emergit, *ibidem.* in Itatinenſi regione SS. Angelorum oppidum fundat, l. 10. c. 18; vitâ periclitatur, c. 21; fortiter ſe gerit, *ibid.* Sanctæ Annæ initia apud Tapenſes promovet, c. 34; ad Chiriguanas deſtinatur, l. 11. c. 2; eos excolit, *ibid.*
Ignatius Medina Ocloïs præficitur, l. 12. c. 12; ad Omaguacas iter arripit, l. 13. c. 23; fruſtra Chaquenſem provinciam tentat, *ibid.* Mataguaïas ad Fidem ſollicitat, *ibid.*
Iguaſuani præcipitii deſcriptio, l. 7. c. 29.
Iguaſuani pervicaciter agunt, l. 7. c. 29; reducuntur, *ibid.* fugitivi è fuga retrahuntur; l. 9. c. 5; Guaïraniæ tranſmigratores juvant, lib. 10. c. 5;

ab tygribus infestantur, c. 6; transmigrant, l. 10. c. 29; non pauci perverruntur, l. 11. c. 45; converruntur, *ibid.*
Iivisenses oppidum Societati fundant, lib. 8. c. 20; Joannem Castillium mactant, c. 28; ad occidendos Socios Piratinienses convolant, c. 30; fugantur, *ibid.* castigantur, *ibid.*
Ildephonsus Figueroa cæditur, l. 1. c. 9.
Immaculatæ Virginis numisma Socium servat indemnem, l. 11, c. 30; statuæ ejusdem honorificè collocantur, l. 13. c. 21.
Imperialis urbs fundatur, l. 1. c. 17; à rebellibus obsidetur, l. 2. c. 10; divinitùs cives adjuvantur, *ib.*
Imprecator malâ morte multatur, l. 4. c. 4.
Incantatores Neophytis nocent, l. 6. c. 3; Sociis nocere non possunt, *ibid.*
Incarnationis oppidi in Guairania fundatio, l. 7. c. 22; perversio, l. 9. c. 20; conversio, *ibid.* desertio, c. 32.
Inianenses Paranæ populi reducuntur, l. 6. c. 28; oppidum constituunt, *ibid.*
Iniahenses Guairaniæ populi coloniam ædificant, l. 8. c. 8; ab Mamalucis in servitutem abiguntur, l. 9. c. 32.
Institoris ad Societatem notabilis vocatio, l. 3. c. 5; mors, *ibid.*
S. Joachimi colonia fundatur, l. 10. c. 36; augetur, l. 11. c. 18; destruitur, l. 12. c. 5.
Joannes Abregus Socios cum vitæ periculo ad Barbaros comitatur, l. 2. c. 9, *& seqq.*
Joannes Arcos in Tucumaniam venit, l. 2. c. 14.
Joannes Aguila moritur, & laudatur, l. 2. c. 5.
Joannes Atiensa Provincialis primos Socios in Tucumaniam mittit, l. 1. c. 24.
Joannes Baltodanus Societatem ingreditur, l. 14. c. 23; inter Indos egregiè laborat, *ibid.* innocentiam conservat, *ibid.* Christum spectare meretur, *ibid.* moritur, *ibid.*
Joannes Baptista Ferrufinus ad Chiloënses mittitur, l. 3. c. 19; eos excolit, c. 20; in Procuratorem provinciæ eligitur, l. 10. c. 1; de morte Rochi Gonsalvii & sociorum scribit, l. 8. c. 33; subsidiarios ex Europa advehit, l. 11. c. 26; Chilensis Viceprovincialis fit, *ibid.* & subinde Paraquariæ provincialis, *ibid.*
Joannis Baptistæ generosum factum, l. 6 c. 18; mors, l. 10. c. 2; patria & studium linguæ Calchaquinæ, *ibid.*
Joannes Cardenas ab Mamalucis vulneratur, l. 11. c. 30.
Joannes Castillius Assumptionis oppidum apud Iivisenses condit, l. 8. c. 20; quadringentas familias reducit, *ibid.* ad necem designatur, c. 22; trucidatur, c. 28. Ejus interfectores castigantur, c. 31; cadaver recuperatur, *ibid.* virtutes *ibid.* patria, *ibidem.*
Joannes Cereçeda Quimilpæ rupes & Catamarcanam vallem Apostolicè excolit, l. 9. c. 34; item Cordubensem & Esterensem tractum, l. 10. c. 1; moritur & laudatur, l. 12. c. 30.
Joannes Darius Cordubensi sedi præficitur, l. 2. c. 14; Calchaquinam vallem adit, lib. 3. c. 27; incolas pacificat, *ibid.* instruit, *ibid.* ter vallem lustrat, *ibid.* è valle abit, & repetit, *ibid.* Salcenses excolit, *ibid.* Diaguitas ad pacem inducit, l. 4. c. 6; docet & baptizat, *ibid.* Esterenses Societati reconciliat, *ibid.* Prætorem item Episcopo, *ibid.* ad Guassanos, Malleos, Huachasses & Andalgalas excurrit, *ibid.* Ejus ortus, l. 10. c. 25; patria, *ibid.* studia, vocatio ad Religionem, missio ad Indos, & erga Divos pietas, l. 10. c. 26. Illustrationes, pia sensa, corporis afflictatio, eleëmosynæ, erga Deum fiducia multiplex, & erga miseros caritas, l. 10. c. 27. Conciones, demissio animi, præfagia, mors & pompa funebris, *ibid.*
Joannes Dias Ocania per Cordubensem tractum excurrit, l. 10. c. 1; puer vovet virginitatem, l. 13. c. 22; liberalitatem exercet, *ibid.* pauperes defendit, *ibid.* piè moritur, *ibid.*
Joannes Dominguesius in Europam sine facultate renavigat, l. 4. c. 1; castigatur, *ibid.* resipiscit, *ibid.*
Joannes Fontius Tucumaniæ Sociis præficitur, l. 1. c. 40; Frontones adit, c. 41; eorum infantes baptizat, *ibid.* ad Calchaquinos penetrat, *ibid.* quinque pagorum infantes sacro Fonte abluit, *ibid.* Peruviam repetit, l. 2. c. 1.
Ioannes Franciscus Oloris moritur, & laudatur, l. 13. c. 23.
Joannes Gamarra Franciscanus laudatur, l. 7. c. 18; auxilia Sociis periclitantibus submittit, l. 8. c. 32.
Ioannes Garaïus Sanctæ Fidei urbem fundat, l. 4. c. 2.
Ioannes Garaïus junior Caracaras rebellantes domat, l. 12. c. 33.
Ioannes Gomesius Zurita Londinum urbem fundat, l. 1. c. 20.
Ioannes Guardia linguæ Æthiopicæ utiliter dat operam, l. 6. c. 23.
Ioannes Ignatius Baisama moritur & commendatur, l. 12. c. 45.
Joannes Lugo Cardinalis ad Pontificem refert de Matrimoniis Guaranorum, l. 10. c. 15.
Joannes Meneses pro recuperando Venerabili Sacramento fortiter agit, l. 12. c. 41.
Ioannes Oïola Prætor à Païaguis occiditur, l. 1. c. 9.
Ioannes Ortis Sarate auxilia Hispanorum in Paraquariam inducit, l. 1. c. 15.
Ioannes Osorius occiditur, l. 1. c. 6.
Ioannes Pastor utiliter ad Cuioënses excurrit, l. 3. c. 23; quatuor ædiculas apud eos erigit, *ibid.* Mendoçinæ sedi præficitur, l. 4. c. 4; Ethnicos sacro Fonte immergi curat, *ibid.* Mataranos instruit, l. 13. c. 4; ad Abipones penetrat, c. 5; gentem instruit, *ibid.* revocatur, *ibid.* Procurator provinciæ eligitur, l. 14. c. 11.
Ioannes Porras Acaraïenses ad transmigrationem animat, l. 10. c. 10; juvat transmigrantes, *ibid.*
Ioannes Quaracius Itatinenses decipit, lib. 7. c. 18; Paranam turbat, *ibid.* capitur, *ibid.* laqueo vitam finit, *ibid.*
Ioannes Rocas primus Tucumaniam armatus adit, l. 1. c. 20; mactatur, *ibid.*
Ioannes Romerus Tucumaniæ Paraquariæque Sociis præficitur, l. 2. c. 1; Assumptionis urbem

excolit, l. 2. c. 3; multa agit memoratu digna, *ibid.* urbem Sanctæ Fidei egregiè procurat, c. 5; Diaguitarum oppida Apostolicè percurrit, l. 2. c. 19; inter pericula intrepidè agit, *ibid.* ad portum Boni-aëris excurrit, l. 2. c. 24; Cordubensi sedi præficitur, l. 3. c. 9; primus Provinciæ Procurator eligitur, c. 10; in portu Boni-aëris sedem Societatis inchoat, c. 12; in Hispaniam navigat, *ibid.* subsidiarios Socios in portum Boni-aëris invehit, l. 4. c. 1; Boni-aëris sedi præficitur, *ibid.* apud Chilenos Rector rem Christianam prudenter tractat, lib. 7. cap. 4. Ejus vitæ initia, Religionis tyrocinium, navigatio, l. 7. c. 25; gesta in procuratione Romana, c. 26; linguarum peritia, *ibid.* conciones, c. 27; præter ordinem naturæ facta, *ibid.* mors, commendatio & pompa funebris, *ibid.*

Joannes Salas sorte decernit Societatis ingressum, l. 3. c. 8; Guarambaræis excolendis dat operam, l. 4. c. 31; Arapizanduvium reducit, l. 5. c. 15; alapâ percutitur, *ibid.* calumniam patitur & vindicatur, *ibid.* Sanctæ Theresiæ oppidi initia promovet, l. 10. c. 36; oppidi sui ruinam perspicit, lib. 2. cap. 6.

Joannes Salonius è Brasilia venit, l. 1. c. 28; à piratis capitur, *ibid.* vexatur, *ibid.* ad Salsi fluminis accolas excolendos vadit, c. 31; primus Societatem in Paraquariam inducit, c. 32; ingentem multitudinem peste grassante baptizat, c. 34; & octoginta Guaicuræos sub furcâ, c. 37; unus pluribus par est, *ibid.* adverso Paraquario Apostolicè excurrit, l. 2. c. 2; vitæ periculum adit, *ibid.* Guairaniam lustrat, c. 4; insignem præstigiatorem, & alios, convertit, *ibid.* moritur, c. 22; Reginam Cœlorum in morte spectasse creditur, *ibid.* Ejus funus, *ibid.* virtutes, *ibid.*

Joannes Sanabria Paraquariæ Prætor, lib. 1. c. 15.

Joannes Sebastianus Parricius Provincialis primos Socios in Chilenum regnum mittit, lib. 1. c. 45. Ejus vaticinatio, l. 2. c. 10.

Joannes Solierius moritur, l. 12. c. 41; laudatur, *ibid.* in mari sepelitur, *ibidem.*

Joannes Suarius Sancti Ioachimi fundamenta ponit, l. 10. c. 36; in Guairania generosè agit, lib. 9. c. 32; utiliter excurrit, l. 11. c. 18; mulierem sepultam baptizat, *ibid.* & multos alios, *ibidem.* vitæ periculum adit, l. 14. c. 5.

Joannes Vasæus in Guairaniam mittitur, l. 6. c. 3; Musicam Neophytos docet, *ibid.* Ejus patria, artis Musicæ peritia, labores Apostolici, mores integri, virtutes & mors, *ibid.*

Joannes Viana in Tucumaniam venit, lib. 2. cap. 1; Tonocotanos excolit, c. 28; necnon Sancti Michaëlis ditionem & Lullos, c. 20; cœlestibus deliciis affluit, *ibid.* Procurator Provinciæ eligitur, l. 4. c. 33; delectum Sociorum impetrat, l. 5. c. 19; patriam ingredi renuit, *ibid.* subsidiarios feliciter in portum invehit, *ibid.* à pupertate commendatur, *ibid* per Cordubensem tractum excurrit, l. 6. c. 1; fit Rector Cordubensis, *ibid.* Ejus patria, l. 7. c. 2; linguarum peritia, *ibid.* virtutes, *ibid.* mors, *ibidem.*

Joannes Villegas fructuosè laborat in vinea Domini, lib. 1. cap. 26.

Joannes Ulasquius Valverdius Senator in aurum Urvaicense inquirit, l. 14. c. 5; auri delatoribus diem dicit, *ibid.* mendacii convictos multat, *ibid.* sententiam pronunciat, *ibid.*

Jodocus Paemin moritur & laudatur, l. 12. c. 45.

S. Josephi imago sudat, l. 9. c. 39; ei oppidum in Guairania dedicatur, l. 7. c. 20; & aliud apud Itatinenses l. 10. c. 19; tertium denique apud Tapenses, c. 32.

Josephus Acosta in Brasilia liberaliter Paraquarienses Socios excipit, l. 12. c. 44.

Josephus Anchieta Socios in Tucumaniam mittit, l. 1. c. 28; Brasilicè scribit, l. 14. c. 9. Ejus Reliquiæ salutares, l. 9. c. 39.

Josephus Cataldinus naufragatur, lib. 2. cap 29; in Paraquaria latè excurrit, *ibid.* Guairaniæ expeditioni præficitur, l. 4. c. 13; Paranapanæi, Pirapi & aliorum fluviorum pagos ad Fidem sollicitat, lib. 4. cap. 13; duo oppida fundat, *ibidem.* Indorum abactores insequitur, libr. 5. cap. 8; multos è captivitate liberat & baptizat, *ibidem.* ad Piropoënses expeditionem suscipit, l. 5. c. 16; comites animat, *ibid.* ipse cælitùs animatur, *ibid.* Aveneiram & septingenta capita reducit, *ibidem.* inter vitæ pericula & labores patienter agit, *ibid.* reductos Piropoënses in alium locum reducit, lib. 5. cap. 17; nongentos Tucutienses non sine vitæ periculo congregat, l. 6. c. 6; frustra Ibitirambetanos ad Fidem sollicitatum it, l. 16. c. 29; insignem ariolum castigat, c. 3; sylvas utiliter excutit, lib. 6. c. 20; apud Ibitirambetanos cum vitæ periculo oppidum condit, libr. 7. cap. 11; Ariolorum veneratores carpit, l. 9. c. 20; apud Gualachos Sancti Petri coloniam incipit, l. 9. c. 22; transmigratores Guairaniæ juvat, c. 45; apud Tapenses Sancti Iosephi coloniam construit, l. 10. c. 32; multos reducit & baptizat, *ibid.* intentatam necem vix evadit, lib. 12. c. 7; Tapensis provinciæ transmigratoribus auxilio est, lib. 12. cap. 18; Sociis Paranensibus & Urvaicensibus præficitur.

Josephus Domenecus arioforum cadavera pernicioso cultui subducit, l. 9. c. 20; per Iuvisenses excurrit, l. 12. c. 37; naufragatur, *ibid.* ad Villaricanos expeditionem suscipit, l. 13. c. 28; ejus mors, *ibid.* studia, *ibid.* missiones.

Josephus Oregius Guaicuræorum ducem baptizat, l. 6. c. 19; barbaram parentationem impedit, *ib.* Caaroënsi oppido præficitur, l. 9. c. 8; multos baptizat, *ibid.* & l. 10. c. 30, Peste afflatis adest, *ibid.* ejus fides asseritur, l. 9. c. 37.

Ipaneënses pervicaciter agunt, l. 1. c. 13; pugnant, *ibid.* vincuntur. *ibid.*

Itapaïus Socios Jesu petit, l. 10. c. 34; oppidum fundat. *ibid*

Itapuani Rochum Gonsalvium admittunt, l. 5. c. 4. crucem defendunt, *ibid.* oppidum construunt, *ib.* Guairaniæ transmigratores juvant, lib. 10. c. 5; sæculum nostrum celebrant, lib 13. c. 16.

Itaquatiani oppidum fundant, l. 10. c. 32.

Itatinensis provinciæ descriptio, l. 1. c. 16; incolarum mores, *ibid.* primi exploratores, *ibid.* Itatinensium fortitudo, c. 17. & c. 23.
Juli Indorum in Peruvia oppidum, l. 3. c. 4.
Justus Vansurkius in Guairaniam mittitur, l. 8. c. 40; Sancti Michaëlis oppidi initia promovet, *ibid.* vitæ periculum adit, l. 9. c. 15. Mamalucos usque in Brasiliam prosequitur, c. 18; frustra captivos reposcit, c. 29; à Mamalucis vexatur, *ibid.* ad Itatinenses mittitur, c. 48; oppidum apud eos fundat, l. 10. c. 18; ad Tepotium, oppidi fundamenta ponit, c. 38; oppidum transfert, l. 12. c. 23; vitæ periculum adit, *ibid.* utiliter excurrit, l. 13 c. 27; ultra Paraquariam mittitur, c. 16.

L.

Labradilli Sebastianum Alarçonium trucidant, l. 12. c. 26.
Laurentius Gradus Episcopus de vestigiis Sancti Thomæ testatur, l. 6. c. 4.
Lauretanum sacellum, l. 3. c. 12; Lauretanæ Virginis ope mulier liberatur, *ibid.* ejusdem statua à Neophytis Guairaniæ populis piè culta, l. 7. c. 10, Lauretani oppidi origo, l. 3. c. 32; transmigratio, l. 9. c. 45; status. *ibid.*
Leno punitus, l. 9. c. 31.
Leonardus Arminius à piratis vexatur, l. 1. c. 28.
Leonora Texeda Monasterium & religionem vovet, l. 5. c. 11; fundat, *ibid.* vacillat, *ibid.* confirmatur. *ibid.*
Leonum memorabilis pugna, l. 3. c. 6.
Lovo castrum Chilense excolitur, l. 4. c. 24.
Liecuræi pacem admittunt, l. 4. c. 19.
Linga vallis excolitur, l. 13. c. 13.
Londinum urbs ædificatur, l. 1. c. 20.
Lopesii Peniæ liberalitas, l. 3. c. 22.
Lopii Salazarii vita & mors, l. 1. c. 45.
Lucia Miranda constanter pudorem defendit, l. 1. c. 4; crematur. *ibid.*
Ludovicus Cespedes rempublicam remissè tractat, l. 9. c. 13.
Ludovicus Ernotus Guairaniæ transmigratoribus auxilio est, l. 9. c. 44; Sancti Thomæ oppidum fundat apud Tapenses, l. 10. c 11; multos reducit, *ibid.* & baptizat, *ibid.* & l. 11. c. 7, & c. 18; Itaquatianos juvat, l. 10. c. 11; Tapensibus transmigratoribus adest, l. 12. c. 18; & oppidum eis reædificat, *ibid.*
Ludovicus Gongora Prætor subsidiarios Socios benevolè excipit, l. 2 c. 29.
Ludovicus Leiva primus Sancti Michaëlis sedi præest, l. 3. c. 2.
Ludovicus Valdivia ad Chilenum regnum mittitur, l. 1. c. 45; linguas Barbarorum facilè discit, *ibid.* magnâ utilitate, *ibid.* rursum ad Chilenum regnum navigat, l. 2. c. 25; Barbaros allicit, *ibid.* Tucapelanos conciliat, l. 2. c. 26; cum rebellibus colloquitur, *ibid.* confarat, *ibid.* rursùm rebellium fines ingreditur, *ibid.* militiæ duces ad partes trahit, *ibid.* Marcellam Gragalem baptizat, c. 27; in Peruviam navigat, *ibid.* in Hispaniam à Prorege delegatur, c. 28; apud Regem pro Indis orat, l. 4. c. 17; Episcopatum recusat, *ibid.* Chileni regni inspector constituitur, *ibid.* eò cum subsidiariis Sociis renavigat, cap. 18; ad rebelles pergit, *ibid.* interiores populos pacificat, c. 19; Socios ad pacificandos & excolendos rebelles mittit, c. 20; quatuor Societatis sedes stabilit, c. 24; sexcentos baptizat, *ibid.* decem millia Chilenorum in libertatem vindicat, c. 25; calumniam patitur & vindicatur, *ibidem*; multos Regi conciliat, l. 5. c. 10; vexatur, c. 20; multa facit memoratu digna, l. 6. c. 7; quater mille capita cum Sociis baptizat, *ibid.* in Europam renavigat, c. 21; ab Rege laudatur, *ibid.* Senatoris dignitatem renuit, *ibid.* Ejus patria, dotes, linguarum Indicarum peritia, scripta, mors, *ibid.*
Lulli Barbari excoluntur, l. 1. c. 39; baptizantur, *ibid.* refinguntur, l. 2. c. 20.
Luxuria morte repentinâ castigata, l. 7. c. 14, & l. 9. c. 1; caligatione punita, l. 10. c. 1; deformitate corporis coërcita, c. 13. Luxuriæ horror in Crucifixi imagine, l. 11. c. 12; & l. 8. c. 7, & *alibi.*

M.

Maendius Sociorum mores explorat, lib. 8. c. 9; baptizatur, c. 10; pugnat, *ibid.*
Mallei populi excoluntur, l. 4. c. 6.
Maldonata leænæ obstetricatur, l. 1. c. 8; feris exponitur, *ibid.* ab leæna liberatur, *ibid.*
Mamaluci in Guairaniam veniunt, lib. 8. cap. 38; Christophorum Mendoçam vulnerant, *ibidem*; eorum origo, l. 9. c. 12; confœderati, *ibidem*; depopulationes, *ibid.* copiæ, c. 13. Mamaluci oppidum Divi Antonii depopulantur, cap. 14; & Sancti Michaëlis, c. 15; necnon Sancti Pauli, c. 32; Incarnationis coloniam concutiunt, *ibid.* Sancti Xaverii oppidum destruunt, c. 40; Sancti Josephi incolas abigunt, *ibid.* Taiobæ terras invadunt, c. 42; per Gualachorum regionem Neophytos insequuntur, cap. 43; oppida eorum vexant, *ibid.* Sancti Josephi coloniam apud Itatinenses devastant, lib. 10. c. 20; & Angelorum, c. 21; necnon Divorum Petri & Pauli, cap. 22; mortem Nicolao Enartio intentant, cap. 20; & Ignatio Martines, *ibid.* Jesu-Marianum oppidum obsident, l. 11. c. 30; diripiunt, *ibidem*; pugnant, *ibid.* Sanctæ Theresiæ incolas in servitutem abigunt, l. 12. c. 6; & Visitationis oppidi, *ibid.* Sancti Caroli & Sanctorum Petri & Pauli colonias destruunt, l. 12. c. 13; pugnant infeliciter, c. 14; variâ fortunâ præliantur, lib. 12; c. 15; Sancti Nicolai oppido potiuntur, *ibidem*; ab Neophytis fugantur, c. 16; Itatinensem provinciam invadunt, c 23; prædâ spoliantur & puniuntur, *ibid.* Didacum Alfarum mactant, cap. 31; vincuntur, *ibid.* captivantur, *ibidem*; ad Bororeum pugnant & superantur, lib. 13. cap. 7; fugantur, *ibid.* multas clades accipiunt, *ibid.*

Mangora conſpirationem in Hiſpanos conflat, l. 1. c. 14. Nunium Laram cum commilitanibus occidit, *ibid.* occiditur. *ibid.*
Maracana divinitatis uſurpatorem ſubmergit, l. 4. c. 13, ab Sociis deficit, c. 30, morte punitur. *ibid.*
Manragoa Rochum Gonſalvium mactat, l. 8. c. 23; è funeſta arbore ſuſpenditur. c. 32.
Maranion fluvius. l. 6. c. 3.
Marcellus Lorençana in Tucumaniam venit, l. 2. c. 1. adverſo Paraquario Apoſtolicè excurrit, l. 2. c. 2, De vita periclitatur, *ibid.* Guairaniam luſtrat, c. 4. multos ſacro Fonte abluit. *ibid.* è Paraquaria revocatur, c. 21; eam poſtliminiò repetit, l. 2. c. 29; patienter agit. *ibid.* Indos defendit, *ibid.* Sancti Ignatii ad Paraquarium oppidum fundat, l. 3. c. 34; vitæ periculum adit, *ibid.* Barbaros ad bellum animat, c. 35; in mediis periculis conſtans eſt, *ibid.* oppidum reædificat, c. 26; hoſtibus reſiſtit, *ibid.* & multa patitur, *ibid.* Ignatianos inſtruere pergit, l. 4. c. 15; Rochum Gonſalvium ad Paranam mittit, *ibid.* Guairaniæ Socios inſpicit. l. 5. c. 17; prudenter agit, l. 6. c. 17; ejus patria, nobilitas, ſtudia, navigatio, virtutes, mors. l. 10. c. 3.
Marcelli Mãendii vigilantia. l. 9. c. 37.
Marcella Gragalis captivatur, l. 2. c. 27; cum filio fugit. *ibid.*
Marchio Fontium clarorum Societati favet. l. 4. c. 9.
Marcus Antonius Dejotarus moritur & laudatur, l. 14. c. 11.
Marcus Marinus vitâ fungitur & commendatur, l. 7. c. 14.
Maria barbara mulier ſexum mentita pugnando ferocem Tupicum mactat. l. 11. c. 30.
Maria Virgo mulierem ab ſubmerſione liberat, l. 3. c. 13; Ethnicorum debellatrix appellatur, l. 4. c. 26; in templo noſtro præſentem ſe ſiſtit, l. 5. c. 8; domum noſtram circuit, c. 9; ei ſedes apud Calchaquinos ponitur, c. 22; & apud Iguaſuanos, l. 7. c. 29; Venerabile Sacramentum cohoneſtat, l. 9. c. 22. in imagine ſudat & claret miraculis. l. 11. c. 14; Mariæ Virginis icuncula fracta integritati reſtituitur, l. 8. c. 7; portentoſæ ejus lacrymæ, l. 12. c. 6; & miracula, c. 36. Virgo Maria ſuſpendium impedit. l. 13. c. 15. Æthiopē de ſuſcipiēdo Baptiſmo monet. l. 14. c. 12.
Marianæ Neophytæ prædicatio, l. 9. c. 12.
Martinus Aranda ad Araucanos mittitur, l. 3. c. 14; Araucanos milites excolit, *ibid.* Libipangum fruſtra ſollicitat, *ibid.* tandem utcumque conciliat, *ibid.* Sanctæ Mariæ inſulanos inſtruit, & baptizat, c. 17; ad Chilenos rebelles delegatur, l. 4. c. 21; à Liecureis amicè recipitur, *ibid.* ab Aganamone mactatur, *ibid.* Ejus patria, l. 4. c. 22; nobilitas, militiæ præfectura, equeſtris dexteritas, Religionis tyrocinium, ſtudia, ad Chunos expeditio, magnanimitas, cæteræ virtutes, *ibid.* cadaver intactum, c. 23; præfectura, *ibid.* ante initam Societatem Riobambenſibus ſtemma dat, *ibid.* in tyrocinio à Prorege viſitatur, *ibid.*
Martinus Guaicuræorum dux baptizatur, l. 6. c. 19.
Martinus Loïola Chileni regni Prætor fit, lib. 1. cap. 17; in Chilenum regnum Societatem accerſit, cap. 45; ab rebellibus trucidatur, lib. 2. cap. 10.
Martinus Soſa ad explorandam Auſtralem Americam mittit, l. 1. c. 2.
Martinus Xaverius Urtaſum in Guairaniam multos ſacro Fonte abluit, l. 14. c. 14; peſte graſſante egregiè laborat, l. 4. c. 29. Ejus patria, parentes, divitiæ, navigatio, labores, morbus, virtutes, mors, apparitiones, l. 4. c. 29.
Mataguoiæ ſollicitantur ad Fidem, l. 13. c. 23.
Mataranorum gentis mores, l. 1. c. 42; numerus, *ibid.* Baptiſmus, *ibid.* cultura, l. 13. c. 4.
Matthæus Fernandes ante mortem Societati mancipatur, l. 14. c. 18; mactatur, *ibid.*
Matthæus Stephanus ad Chiloënſes navigat, lib. 4. cap. 5; Valdivianos ad Fidem ſollicitat, *ibidem*; Chiloënſes excolit & baptizat, *ibid.*
Medrani equitis mors funeſta, l. 1. c. 7.
Melchior Maldonatus Epiſcopus Societatem Regi commendat, l. 12. c. 2; Oſorium & Riparium honorat, lib. 12. cap. 27; Sociis favet, lib. 13. cap. 3: in ſæcularibus Societatis ludis orat, cap. 16.
Melchior Vanegas ad Chiloënſes mittitur, lib. 2. c. 19; eos excolit, c. 20; Valdivianis Chriſti Fidem prædicat, l. 4. c. 5; Chiloënſes luſtrat & baptizat, *ibid.* multa ſacella excitat, *ibid.* Chiloënſes inſulas inſpicit, l. 5. c. 10: in Peruviam navigat, *ibid.* Chiloënſes excolere pergit, l. 6. c. 18; ad Chunos navigationem inſtituit, l. 6. cap. 10; multos ſacro Fonte immergit, *ibid.* Ejus patria, lib. 7. cap. 5; educatio & virtutes. *ibid.*
Mendoçæ civitatis fundatio, l. 3. c. 22.
Mendoçinæ ſedis origo, *ibid.* regionis conditio, *ibid.* cultura, *ibid.* & l. 5. c. 21.
Menepes rebellant, l. 12. c. 33; vincuntur, *ibid.*
Michaël Ampuerus oppido Sancti Xaverii primus præficitur, l. 7. c. 35.
Michaël Gomes magnam Barbarorum multitudinem Chriſtianam facit, l. 11. c. 7; ad Tapenſes reliquias indagandas mittitur, l. 11. c. 36; multos è latebris educit, *ibid.* ad Villaricanam expeditionem ſe accingit, lib. 13. c. 28; ob immenſos labores ægrotat, *ibid.*
S. Michaëlis civitas fundatur, reſtauratur, obſidetur, liberatur, l. 3. c. 2.
S. Michaëlis oppidum fundatur, lib. 10. cap. 10; tranſmigrat, l. 12. c. 18.
Millalpoa urbs à rebellibus capitur, l. 2. c. 10.
Mogoſnarum crudele factum & rebellio, l. 1. c. 44.
Monialis in conſervando pudore conſtantia, lib. 2. cap. 10.
Monialium Monaſterium Sociis faceſſit negotium, l. 5. c. 11.
Monſtri deſcriptio, l. 1. c. 14.
Motius Vitelleſcus Provinciis ſubſidia imperat, l. 5. c. 19; jus Viceprovinciæ Chileno regno concedit, lib. 7. c. 24; Rochi Gonſalvii cor dono accipit, lib. 8. c. 33; Crucifixum Sancti Ignatii Paraquariæ donat, l. 5. c. 19.

N.

NATIVITATIS Virgineæ oppidum apud Acaraïenſes fundatur, l. 7. c. 16.
Nativitatis Virgineæ colonia apud Tapenſes ponitur, l. 10 c. 33; tranſmigrat, l. 12. c. 18.
Neophytus in cauſa Virginis mactatur, l. 8. c. 11; devoratur. *ibid.*
Neophyti tardè communicant, l. 6. c. 5.
Nianduabuſuvius mutat perſonam, l. 10. c. 18; capitur à Mamalucis, c. 22; redimitur, c. 23; ad Païaguas transfugit, c. 39; iterum ſe reducit, *ibid.* Socios iudibrio habet, l. 14. c. 14; turbas movet, *ibid.* exulat, *ibid.* reſipiſcit.
S. Nicolai oppidum fundatur, l. 7. c. 30; deſeritur, & rurſum alibi ædificatur, l. 12. c. 16.
Nicolaus Durandus Maſtrillus Provincialatum init, l. 7. c. 1; Saltenſe Collegium inſtituit, *ibid.* Calchaquinas ſedes deſerit, *ibid.* Guaïcuræos adit, *ibid* largè donat & allicit, *ibid.* Paranæ oppidum inſpicit, l. 7. c. 32; in Guairaniam per præcipitium penetrat, *ibid.* Socios luſtrat, cap. 33; Villaricanis ſedem Societatis concedit, *ibid.* tria oppida in Guairania fundari jubet, *ibid.* Indos largè donat, *ibid.* Acaraïenſes ariolos arguit, cap. 34; Guaïcuræos deſerendos pronunciat, *ibid.* tumultuantes ſedat, c. 35. Ejus patria, lib. 8. c. 43, nobilitas, navigatio, miſſiones, officia, virtutes, mors, *ibid.* Geſta ſub illo in Paraquaria, *ibid.*
Nicolaus Enartius JESU-Marianum oppidum utcumque reſtaurat, lib. 9. c. 30; Divi Joſephi oppidum fundat, lib. 10. c. 18; Xereſianos excolit, l. 10. c. 19: Mamalucos arguit, l. 10. c. 20: mortem pro ovibus ſpernit, *ibid.* præſagit, *ibid.* Nianduabuſuvium redimit, l. 10. c. 23: oppidorum reædificationi intendit, l. 10. c. 39. Ejus patria, nobilitas, navigatio, facta Apoſtolica, virtutes, mors, l. 12. c. 9.
Nicolaus Nienguirus rem belli fortiter agit, l. 8. c. 31, & l. 12. c. 16: moritur & laudatur, *ibid.*
Niczuvius utcumque devincitur, lib. 8. cap. 19. oppidum condit, c. 20: cum Potirava conſpirat, c. 23: necem Rochi Gonſalvii & ſociorum mandat, *ibid.* de Sociorum nece inſoleſcit, lib. 8. c. 18: Joannem Caſtillium mactari imperat, *ibid.* ad occidendos Piratinienſes Socios mittit, c. 29: fugit, c. 31: fruſtra indagatur, l. 9. c. 4.
Nunies infelix exitus, l. 10. c. 39.
Nunius Lara fortiter pugnans occiditur, l. 1. c. 4.

O.

OCLOÏÆ oppido ab Societate includuntur, l. 12. c. 12: traduntur Franciſcanis Patribus: cap. 25
Oloïanus lacus, l. 1. c. 9.
Omaguacarum mores, l. 2. c. 16: converſio, *ibid.* pacificatio l. 2. c. 7: Baptiſmus, c. 8.
Oregius Cardinalis ſacra dona fratri ſuo mittit, l. 12. c. 41.
Oſorni obſidio & direptio, l. 2. c. 10.

P.

PAÏAGUARUM perfidia l. 1. c. 9: fuga, *ibid.* cædes, *ibid.* Païaguæ ſpem oſtendunt converſionis, lib. 10. cap. 19: Itatinenſes perturbant, lib. 11. cap. 27.
Pampæ campeſtres Indi excoluntur, l. 13. c. 12.
Parana fluvius deſcribitur, l. 5. c. 3: ligna in lapides vertit, *ibid.*
Paranenſes arma movent, lib. 3. cap. 6: Ignatianos Neophytos infeſtant, *ibid.* Primùm adeuntur, l. 4. c. 15: immaturi Evangelio reperiuntur, *ibid.* baptizantur, l. 6. c. 20.
Paranapanæ Guairaniæ fluvii accolæ reducuntur, lib. 3 cap. 32.
Paraquarium flumen l. 1. c. 11: Paraquarii nominis origo, *ibid.* Ejus cum Parana concurſus notabilis, *ibid.*
Paraquariæ deſcriptio, lib. 1. cap. 16: herba, *ibid.* colonorum nobilitas, *ibid.* ſtatus, l. 1. c. 32.
Paraquariæ Societatis JESU Provinciæ initium, l. 3. c. 2: ſtatus ſub Didaco Torres, l. 4. c. 33: ſub Petro Oniato, l. 6. c. 31: ſub Nicolao Durando, lib. 8. cap. 43: ſub Franciſco Truxillio l. 10. c. 39: ſub Didaco Boroa, l. 13. c. 1.
S. Pauli oppidum apud Inianenſes conditur, l. 8. c. 8: devaſtatur, l. 9. c. 32.
Paulus Bennavidius Sancti Michaëlis initia adjuvat, lib. 10. cap. 10: Multos baptizat, c. 31. & l. 11. c. 18: tranſmigratoribus auxilio eſt, l. 12. c. 8: Tapenſes reliquias indagat, l. 12. c. 36: plures reducit, *ibid.*
Pauli Quinti Diploma, l. 5. c. 12: bona apprecatio, c. 19: de Paraquariæ Sociis dictum honorificum, l. 6. c. 29.
Paulopolitani expellunt Societatem, l. 12. c. 43.
Petrus Agnaſcus in Tucumaniam venit, l. 1. c. 40; Varias linguas diſcit, c. 43; Mataranos excolit, c. 44; multos baptizat, l. 2. c. 8; Omaguacas Apoſtolicè percurrit, *ibid.* & Sancti Jacobi ditionem, c. 9: Virginem MARIAM corporeis oculis meretur ſpectare, l. 2. c. 31; tygridem innoxiè palpat, *ibid.* Ejus obedientia, demiſſio, heroïca facta, linguarum peritia, mors.
S. Petri apud Gualachos colonia fundatur, lib. 9. c. 22; deſeritur, c. 43.
Sanctorum Petri & Pauli oppidum conditur, lib. 9. c. 35; deſtruitur, l. 12. c. 13.
Petrus Albornoſius Diploma Pontificium promulgari jubet, l. 12 c. 42, & c. 43.
Petrus Alvarez ad Caaïguas pergit, lib. 9. cap. 25; fame pænè moritur, l. 10. c. 6; apud Araricanos oppidum fundat, l. 10. c. 33; octingentas familias reducit, *ibid.* multos baptizat, *ibid.* ad Chiriguanas mittitur, l. 11. c. 2; eos excolit, *ibid.*
Petrus Boſquerus ad Paranam mittitur, lib. 6. c. 1; Ei venenum in Sacrificio miſcetur, l. 12. c. 40.
Petrus Delco Baptiſmum pro filio petit, l. 6. c. 9.; Socios recipit, *ibid.* ſuos baptizari curat, *ibid.* popularium & Huillorum mores deſcribit, *ibid.*
Petrus Helgueta Æthiopibus utilem navat operam, l. 6. c. 23; Æthiopicè ſcribit, *ibid.*

Petrus Herrera ad Pullares excurrit, lib. 11. cap. 13; & per Tucumaniam, l. 14. c. 11.
Petrus Hortensius Savellonius Apostolicam expeditionem suscipit, l. 10. c. 2.
Petrus Lugo Prætor Hispanos milites adversus Mamalucos ducit, l. 12. c. 31; indulgenter nimiùm agit, *ibid.*
Petri Marini inconstantia plectitur, l. 7. c. 1.
Petri Marques patria, l. 13. c. 25; innocentia, *ibid.* inquieti manès, *ibid.*
Petrus Martines ad fluvios Dulcem & Salsum utiliter excurrit, l. 11. c. 1.
Petrus Mola Sancti Antonii oppidi fundamenta ponit, l. 8. c. 40: latronibus fit supplex, l. 9. c. 14: bis vitâ periclitatur, *ibid.* multos baptizat, *ibid.* ad necem quæritur, *ibid.* prius præest Sancti Caroli oppido, l. 9. c. 35: Apostolicas expeditiones suscipit, l. 10. c. 13: egregiè laborat, c. 30. ad necem quæritur, cap. 14: multos sacro fonte lavat, l. 11. c. 6: Tapenses sylvas excutit, lib. 12. c. 21: reliquias transmigratorum indagat, lib. 12. c. 36: plurimos Barbaros reducit, *ibid.*
Petrus Mora tumultum Januariensem sedat, lib. 12. cap. 42.
Petrus Oniatus Provincialis scriptis Theologicis claret, l. 5. c. 1; in provinciam venit, *ibidem*: Socios adhortatur, *ibid.* Paranam inspicit, l. 6. c. 11: Urvaicensem provinciam tentari imperat, *ibid.* Socios disparat, *ibid.* laudatur, l. 6. c. 31.
Petrus Patricius ad Calchaquinos mittitur, lib. 13. c. 3: gentem instruit, *ibid.* sacella exstruit, *ibid.* vallem lustrat, *ibid.* necis periculum adit, *ibid.* è valle abit, *ibid.* sedem ponit, *ibid.* egregiè laborat, l. 13 c 24. multos baptizat, c. 25, bis Calchaquinam vallem inspicit, l. 14. c. 12; non sine periculo, *ibid.*
Petrus Romerus Guaicuræos instruit, lib. 4. c. 16: è Guaicuræis retrahitur, *ibid.* iis restituitur, l. 4. c. 27: latè excurrit, *ibid.* Guaicuritios primus adit, lib. 4. c. 28: primitias eorum consecrat, *ibid.* veneficam ad Fidem reducit, *ibidem*: Guaicuræis peste afflatis servit, c. 18: infantem cum vitæ periculo Christianum facit, *ibid.* palabundos reducit & sacro Fonte immergit, *ibidem*: inferiorem Paranæ partem inspicit, lib 6. c 11: Jaguapuam primus regit & auget, c. 12: alapâ percutitur, *ibid.* apud Inianenses Corporis Christi oppidum fundat, c. 28: & factis excursionibus auget, *ibid.* Jarosios explorat, lib. 7. cap. 7: ad Guaicuræos redit, & eos excolit, c. 8: apud Japeiviscnses oppidum ædificat, c. 35: & numero amplificat, *ibid.* apud Caasapaminienses coloniâ ponit, lib. 8. c. 4: ad necem quæritur, cap. 27: Paranensibus & Urvaicensibus Sociis præficitur, l. 9. c. 5: Caaroënses reconciliat, lib. 9. cap. 7; Neophytos ad præliandum animat, lib. 9. c. 27: duo oppida fundanda designat, *ibid.* & his Socios præficit, c. 35: Tapensem provinciam explorat, c. 36: Guairaniæ transmigratoribus auxilium adfert, l. 9. c. 42: Sancti Michaëlis & Sancti Thomæ oppidorum fundamenta adjuvat, l. 10. c. 10: Iguasuanis transmigrantibus adest, *ibid.* Sanctæ Annæ fundamenta ponit, cap. 34: necnon Sanctorum Cosmæ & Damiani, c. 37: Jesu-Marianæ coloniæ initia disponit, *ibidem*: ei præficitur, l. 11. c. 30: obsessus à Mamalucis vix necem evasit, l. 12, c. 7: Tapensibus transmigrantibus opem fert, c. 18: Neophytos adversus Caracaras euntes comitatur, cap. 33: & etiam adversus Calchaquinos, c. 39: Itatinensibus præficitur, l. 14. c. 15: ultra Paraquarium facem Evangelicam infert, *ibid.* Divæ Barbaræ oppidi fundamenta designat, c. 16: neci destinatur, c. 27: multa vulnera accipit, c. 18: mactatur, *ibid.* Ejus cadaver componitur, c. 19: honoratur, *ibid.* Ejus puritia, c. 20: studia, ad Religionem vocatio, vota, vexandi corporis cura, virginitas, animi demissio, c. 22, tolerantia, caritas, zelus, *ibid.*
Petrus Spinosa Taiaobæ oppido præficitur, lib. 8. c. 12; Simoni Maçetæ periclitanti adest, lib. 9. c. 11; frustra Jesu-Marianis succurrere satagit, lib. 9. c. 17; periculoso casu pænè exanimatur, *ibid.* Guairaniæ transmigratores juvat, l. 9 c. 42; multos sacro Fonte abluit, l. 10. c. 30, & l. 11. c. 4; à Barbaris trucidatur, c. 9. Ejus parentes, patria, virtutes, apparitio, *ibid.* comites mactantur, *ibid.*
Petrus Ternande insolescit, lib. 3. cap. 17; reprimitur, *ibid.*
Peruana Societatis provincia dividitur, lib. 3. c. 1; ejus laus, c. 8; Heroës, *ibid.*
Philippus Albornosius Calchaquinos reprimit, l. 9. c. 2, 3; Societati excolendos assignat, l. 13. c. 3.
Philippus Guevara moritur, l. 10. c. 1.
Philippus Pipirius continentiam conjugalem morte asserit, l. 6. c. 29.
Philippus Quartus Rex Catholicus subsidiarios Socios liberali viatico instruit, *in Epistola dedicatoria*, & l. 6. c. 30; Cordubensi & Sancti Jacobi Collegiis jus Academiæ concedit, *ibid.* ab munificentia commendatur, lib. 8. c. 15; Indos à serviciis eximit, lib. 10. c. 38; Diploma facit Indis favorabile, l. 12. c. 3; multa in Indorum commodum constituit, *ibid.* arma Neophytis dari imperat, c. 31; viaticum & navim Paraquariæ Sociis concedit, c. 41, contra Mamalucos multa decernit, *ibid.* laudatur, cap. 44. Ejus de auri Urvaicensis fabulæ delatoribus judicium, lib. 14, c. 5, in Indos amor, *ibid.* Religionis amplificandæ studium, *ibid.* Regia liberalitas, *ibid.* *vide multa alia in Epistola dedicatoria.*
Philippus Secundus Societatem in Peruviam induci jubet, *in Epistola dedicatoria*, & Societatem Indorum curæ adhiberi, *ibid.* ad Didacum Torres scribit, l. 3. c. 5; jubet Sancti Michaëlis urbem restaurari, lib. 3. c. 20; Indorum abactores exagitat, l. 9. c. 12.
Philippus tertius Rex Catholicus à pietate commendatur, l. 3. c. 6; suis sumptibus aliquot socios Jesu in Paraquariam transportari jubet. *in Epist. dedicatoria*, &, l. 3. c. 8: & etiam alios, c. 11, & aliis viaticum terrâ mariquè concedit, l. 4. c. 1: in Societatem affectum prodit, c. 9: litteras Societati faventes expedit, *ibid.* liberaliter agit, *ibid.* Indis paternè favet, *ibid.* benignè Valdiviam audit, *ibid.* frustra ei Episcopatum offert, *ibid.*

offensivum bellum prohibet, *ibid.* personalis servitii malum usum abrogat, *ibid.* subsidiarios Socios assignat & alit, *ibid.* Ludovicum Valdiviam Chilensis regni inspectorem creat, *ibid.* sumptibus suis quatuor Societatis sedes sustentari jubet, l. 4. c. 24: socios sæpè viaticum & navim concedit, c. 35: Sancti Jacobi domum liberaliter juvat, *ibid.* vinum, oleum, pharmaca Sociis JESU concedit, *ibid.* commeatum Joanni Vianæ & sociis dari imperat, l. 5. c. 19: Socios inter Calchaquinos nutrit, l. 5. c. 22.
Philippus Viverus Barbaros ad Fidem sollicitat, l. 10. c. 12: per Caasapaguaçuensem agrum utiliter excurrit, c. 13: transmigratorum reliquias indagat, l. 12. c. 21; veneno hausto valetudinem recuperat. *ibid.*
Picoënsis vallis excolitur, l. 3. c. 20.
Pilcomaius fluvius l. 3. c. 37.
Pillan Chilenorum Deus exploditur, l. 2. c. 26.
Piltipico religioni Christianæ conciliatur: l. 2. c. 7, in vinculis habetur, c. 8, convertitur & moritur. *ibid.*
Pindovius Socios JESU petit, l. 7. c. 22: oppidum condit. *ibid.*
Piragua Chiloënsis Archipelagi navigii genus, l. 3. c. 18.
Piraïvi Neophyti virtus singularis, l. 6. c. 6.
Piraquatia baptizatur, l. 8. c. 10: pugnat & evadit. *ibid.*
Piratinienses oppidum ædificant, l. 7. c. 30.
Piravera ad Fidem cum suis convertitur, l. 7. c. 29.
Plani moribus barbari excoluntur, l. 13.
Potirava in Socios conspirat, l. 7. c. 35, fugit. *ibid.* rursum conspirat, l. 8. c. 22; laqueo vitam finit, c. 32.
Potosium urbs Peruviæ, l. 3.
Prada moritur & laudatur, l. 6. c. 24.
Psittaci magni pro diis habiti, l. 5. c. 3.
Puanquensis vallis excolitur, l. 5. c. 20.
Pullares Societatis sedem postulant, l. 14. c. 1. 2.
Purificatæ Virginis oppidi initium, l. 8. c. 4.
Pygmeorum natio, l. 10. c. 19.

Q

QUADRAGESIMÆ violator punitur, l. 11. c. 16.
Quaracipotius Evangelio resistit, l. 5. c. 24.
Quaracipucutius solemni pompa baptizatur, l. 7. c. 3.
Quarareus Christianis partibus afficitur, l. 9. c. 36.
Quarobaïus pro Caaroënsibus supplicat, l. 9. c. 7.
Quillota vallis excolitur, l. 3. c. 13; & l. 5. c. 20.
Quiloasa fluvius, l. 4. c. 2.
Quimilpæ rupes excoluntur, l. 9. c. 34.
Quitensis urbs, l. 3. c. 4.
Quitenses tumultuantur, l. 3 c. 5; sedantur. *ibid.*
Quitensis Societatis JESU provinciæ fundatio, l. 3. c. 7.

R

REGUM Trias in Guaïcuræorum patronos eligitur, l. 5. c. 9; & in Japeïvienſium, l. 7. c. 35.
Regum Catholicorum pietas & Religionis zelus commendatur, l. 1. c. 15 l. 3. c. 2; necnon prudentia & pietas, l. 14. c. 33; *vide multa passim in Epistola dedicatoria.*
Resquinus in subsidium Sociorum auxilia adproperat, l. 3. c. 36.
Rioca urbs conditur, l. 1. c. 41.
Ripennium oppidum excolitur l. 2. c. 9.
Rochus Gonsalvius tyro ad Guaicuræos mittitur, l. 3. c. 38; non sine vitæ periculo sedem apud eos figit, l. 3. c. 39; & Apostolicè laborat, *ibid.* primus Paranenses adit, l. 4. c. 1. 5; & aliquousque mansuefacit, *ibid.* Divi Ignatii oppidum gubernat, *ibid.* Paranensibus Christo domandis insistit, l 5. c. 3; inferiorem Paranæ partem explorat, l. 3. c. 4; Apuppennæ paludis accolas ad Fidem sollicitat, *ibid.* ab Itapuanis admittitur, *ibid.* Itapuanum oppidum fundat, l. 5. c. 5; vexatur, *ibid.* Sanctæ Annæ oppidum condit, l. 5. c. 6; Franciscanis tradit, *ibid.* Prætorem ab armorum consilio avocat, c. 13; Jaguapuani oppidi fundamenta jacit, *ibid.* Tabacambium & multos alios Barbaros ad Fidem convertit, *ibid.* superiorem Paranæ partem explorat, l. 5. c. 24; & inferiorem, l. 6. c. 11; Urvaïcensem provinciam primus aggreditur, c. 14; Conceptionis oppidum condit, c. 15; discriminibus se opponit, *ibid.* frustra inferiorem Urvaïcæ partem lustrare contendit, l. 6. c. 26; ad mortem quæritur, *ibid.* secundum oppidum ad Urvaïcam fundare tentat, l. 6. c. 27; Apostolicè venatur, *ibidem*, Sancti Nicolai oppidi fundamenta designat, l. 7. c. 30; bino periculo perfungitur, *ibid* inferiorem Urvaïcæ partem excurrit, *ibid.* Urvaïcensium primitias Regi Catholico subjicit, *ibid.* Japeïvienſis & Jaguaraitiensis oppidorum fundamenta ponit, c. 35; Ibicuitenses & Tapenses incassum reducere conatur, l. 8. c. 3; Iiviſenses & Caaroënses utcumque conciliat, lib. 8. c. 19; apud Iiviſenses oppidum condit, c. 20; in Caaroënsi agro coloniam fundat, c. 21; ad necem quæritur, cap. 22; mactatur, c. 23. Ejus cadaver deformatur, c. 24; recuperatur, c. 26; cor ejus loquitur, cap. 25; transfigitur, *ibid.* de ejus interfectoribus supplicium sumitur, *ibid.* & c. 31, & 32. Ejus exuviæ honorantur, c. 33. Ejus parentes, officia, virtutes, c. 34: oppida ab eo fundata, *ibid.* ipsi publici honores petuntur, l. 9. c. 8.
Rodericius Quiroga Chileni regni Prætor, l. 1. c. 1. 7.
Ruisius Mosquera castrum in Brasiliæ finibus construit, l. 1. c. 51 Gallicam navim intercipit, *ibid.* Lusitanos prælio vincit, *ibid.* se retrahit. *ibid.*

S

SALTA Tucumaniæ civitas Societatis sedem ponit, l. 7. c. 1.
Sanctorum oppidum in Brasilia perniciosè turbatur, l. 12. c. 43.
Sanavirones excoluntur, l. 9 c. 1.
Sebastianus Alarçonius à barbaris trucidatur, l. 12. c. 26.

Sebastianus Gavotus naves ab Cæsare accipit, l. 1. c. 2; in flumen Argenteum & Paraquarium invehitur, *ibid.* castrum Sancti Spiritûs fundat, *ibid.* in Hispaniam argenti vanâ spe plenus renavigat, *ibid.* Hispanos & Carolum Quintum ad Paraquariam occupandam animat, c. 6.
Sebastiani Hurtadi prudentia, lib. 1. c. 4; cruenta mors, *ibidem.*
Senatus Chilensis Indis favet, l. 6. c. 2.
Senatus Chuquisacensis Paranensibus Neophytis favet, l. 9. c. 33; & Itatinensibus, lib. 11. c. 27; arma concedit, l. 12. c. 20.
Senatus Regius Indicus Paraquariensem Societatem ampliſſimis Diplomatibus defendit & fovet, l. 4. c. 35; eidem favet, l. 11. c. 25, *& sparsim alibi*: Neophytis nostris arma concedit, l. 12. cap 20; *vide alia multa in Epistola dedicatoria.*
Servitium personale describitur, l. 3. c. 21; compescitur, l. 4. c. 7.
Sylverius Pastor in Guairaniam mittitur, l. 8. c. 40; aliquot captivos ab Mamalucis recuperat, lib. 9. c. 40; in tutum recipi curat, *ibid.*
Simon Alvarus Sancti Antonii coloniam depopulatur, l. 9. c. 14.
Simon Maçeta Guairaniam adit, l. 3. c. 31; duorum oppidorum fundationi insistit, *ibid.* aliquot fluviorum littora Apostolicè excutit, *ibid.* vitam asperam & Apostolicam agit, l. 5. c. 17; Sancti Josephi coloniæ apud Tucutienses fundamenta ponit, l. 7. c. 20; multorum pagorum incolas reducit, *ibid.* apud Inianenses Guairaniæ populos oppidum numerosum condit, l. 8. c. 8; ad mortem designatur, *ibid.* Jesu-Marianum oppidum fundat, lib. 9. c. 10; Guiraveræ fortiter & pluries resistit, cap. 11; Guiraveram convertit, *ibid.* pænè vitam perdit, lib. 9. cap. 16; Jesu-Marianæ coloniæ ruinam perspicit, *ibid.* Mamalucos usque in Brasiliam prosequitur, cap. 18; non sine multiplici periculo, *ibid.* à Brasiliæ Sociis benevolè excipitur, *ibid.* aliquot captivos liberat, *ibid.* frustra Neophytos in Brasilia reposcit, l. 9. c. 29; à Paulopolitanis afflictatur, *ibid.* in Guairaniam redit, *ibid.* Jesu-Marianum oppidum restaurat, l. 9. c. 30; Guairaniæ transmigratores egregiè juvat, lib. 9. c. 42; oppidis reædificandis insistit, l. 9. c. 7.
Siripus in Hispanos conjurat, lib 1. c. 4; castrum Sancti Spiritûs inflammat, *ibid.* præliatur, *ibid.* occiditur, *ibid.*
Societas Jesu magneti comparatur, lib. 1. c. 24; vexatur, c. 21, & 25, & l 4. c. 10, l. 7. c. 3; l. 9. c. 48: Tucumaniæ Metropoleos sedem deserit, l. 3. c. 25; ei restituitur, lib. 4. cap. 10; sæculum suum celebrat, lib. 13. c. 16, & 17; de reperto ad Urvaicam auro expostulatur, lib. 14. cap. 2. *& seqq.*
Sociorum non Hispanorum commendatio, lib. 14. cap. 6.
Soli dicata domus destruitur, lib. 2. c. 1. 8; & alia crematur, l. 6. c. 1.
Stephanus à Matrito moritur & laudatur, lib. 5. cap. 22.
Stephanus Avila Prætor in aurum Urvaicense inquirit, l. 14. c. 2; calumniam explodit, *ibid.*
Stephanus Paës Visitator de Sociis Tucumaniæ & Paraquariæ ad Collegia retrahendis agitat, l. 2. c. 21; in Tucumania relinquit, *ibid.* è Paraquaria revocat, *ibid.* Peruviæ divisionem designat, lib. 3. c. 1.
Sues exoticæ, l. 3. c. 30.

T.

Tabacambius junior Evangelio resistit, lib. 5. cap. 24.
Tabacambius senior ferocit, lib. 5. cap. 13; reducitur, *ibidem.*
Tabativienses oppidum fundant, l. 9. c. 9.
Taiaoba in Hispanos odium concipit, lib. 7. c. 12; furit, *ibid.* obstinatè agit, *ibid.* Zurubam & ejus asseclas mactat, c. 22; Antonium Ruisium recipit, l. 8. c. 9; oppidi fundamenta jacit, *ibidem*; baptizatur, *ibid.* pugnat, *ibid.* oppidum reædificat, *ibidem.*
Taiani Neophyti Religionis propagandæ zelus, lib. 7. cap. 36.
Taiatienses oppidum condunt, l. 7. c. 22.
Taguingastæ excoluntur, l. 14. c. 12.
Tapensis provinciæ descriptio, lib. 10. c. 9: incolarum mores, *ibid.* transmigratio, l. 12. c. 16.
Tataguacuvius oppidum erigit, l. 11. c. 11.
Tataurana Guairanicæ depopulationis occasio, lib. 9. cap. 14.
Theresianum Monialium Monasterium erigitur, l. 3. c. 7; facessit negotium, l. 5. c. 11.
Sanctæ Theresiæ oppidi principia, lib. 10. cap. 35; destructio, l. 12. c. 6.
Sancti Thomæ Apostoli per Americam Australem vestigia, l. 6. c. 4: itinera, *ibid.* cœmeterium, l. 8. c. 41: oppidum in Guairania, *ibid.* & aliud apud Tapenses, l. 10. c. 11: hujus transmigratio, l. 12. c. 18, & reædificatio, *ibid.*
Thomas Fiklius à piratis capitur, & vexatur, l. 1. c. 28: in Guairania egregiè laborat, cap. 33: in Paraquaria multos sacro Fonte abluit, cap. 34: peste afflatis servit, *ibid.* Apostolicè Barbaros procurat, l. 2. c. 4: multos baptizat, *ibidem*: Guairaniam ingenti fructu excolere pergit, c. 13. Ejus virtutes & mors, l. 9. c. 19.
Thomas Urvenia ad Paranenses mittitur, l. 6. c. 12: Jaguapuanos excolit, *ibidem*: & Acaraienses, lib. 7. cap. 16.
Timbusii in Hispanos rebellant, l. 1. c. 4.
Titiaca Peruviæ palus, l. 6. c. 4.
Tonitrui derisores plectuntur, l. 7. c. 13
Tonocotæ excoluntur, l. 2. c. 8; & l. 9. c. 1.
Torribius Archiepiscopus Limensis ædiculam Divi Thomæ memoriæ construit, l. 6. c. 4.
Trinitati Divinæ honor asseritur, l. 9. c. 20.
Tucambius Petrum Romerum opprimit, l. 14. c. 18.
Tucandæ furor, l. 8 c 29.
Tucapel Chilensis regni vallis, l. 3. c. 18.
Tucumaniæ descriptio, l. 1. c. 19; Indigenæ, *ibid.* repertores, c. 20; urbes, *ibid.* status, c. 25.
Tucutienses multi reducuntur, l. 5. c. 6; oppidum fundant, l. 7. c. 20.

Tupicorum ferocitas, l. 8. c. 13.
Tygrides mactandi modus, l. 3. c. 26; earum natura notabilis. l. 6. c 17.

V

VALDIVIÆ urbis fundatio, l. 1. c. 17; direptio, l. 2. c. 10.
Valdiviani in duram servitutem abiguntur, l. 2. c. 10.
Venerabile Sacramentum ab Dominicano Sacerdote servatum, l. 1. c. 10; ab hæretico violatum, c. 22. ab Hispanis defensum, *ibid.* Riobambensibus pro stemmate datum, *ibid.* Tumultuantibus oppositum, l 3. c. 5; & l. 12 c. 43; ejus aspectu perditæ vitæ homo convertitur, l. 6. c. 17.
Villarica urbs Guairaniæ excolitur, l. 1. c. 31; Sociis JESU templum condit. l. 2. c. 4.
Villaricanæ sedis stabilimentum. l. 7. c. 33.
Vincentius Badia Iguazuanos excolit. l. 9 c. 5; transfugas ad ovile retrahit, *ibid.* Divorum Petri & Pauli coloniæ primus præest, l. 9. c. 35; apud Itatinenses multa agit & patitur. l. 14.
Vincentius Griffius apud Guaicuræos vitæ periculo exponitur, l. 3. c. 38. peste afflatos juvat, *ibid.* Guarambaræos instruit, l. 4. c. 31; ad Franciscanos tranit, *ibid.* piè moritur, *ibid.*
Vincentii Japuii Neophyti caritas, l. 9. c. 37.
Vincentius Modolellus excurrit Apostolicè, l. 6. c. 24; & l. 4. c. 24; periculum vitæ aut servitutis adit. *ibid.*
Vindictæ Divinæ singulare exemplum, l. 1. c. 15.
Ulmeni Chilenorum primores, l. 4. c. 18.
Urbani Octavi responsum de Guaranorum Matrimoniis, l. 10. c. 15; laus, l. 12. c. 44; Diploma contra Mamalucos, *ibid.* dona, *ibid.*
Urablamæ ferocia, lib. 4. c. 19; conciliatio, *ibid.* in Hispanos odium, *ibid.* dona, *ibid.*
Ursi formicarii, lib. 5. c. 3.
Urvaïcæ fluvius primæ magnitudinis, lib. 6. c. 13; ejus repertores, *ibid.* accolæ, *ibid.*
Urvaïcensis provinciæ descriptio, l. 6. c. 12.
Urvaïcenses Apotheosim SS. Ignatii & Francisci Xaverii celebrant. l. 7. c. 3.

X.

XERESIUM Paraquariæ urbs. l. 1. c. 16.
Xeresiani cives Societatis sedem non impetrant, lib. 4. c. 4; ut impetrent, authoritatem Senatûs & Episcopi interponunt, lib. 10. c. 19; nullo successu. *ibid.*

Z.

ZAGUARIUS insignis veterator exploditur, l. 9. c. 21; resipiscit, *ibid.*
Zapitilingæ populi feroces adeuntur, lib. 8. c. 15; eorum linguam Gaspar Osorius discit, *ibid.*
Zelus animarum à principio fermè operis usque ad ultimum caput.

FINIS.

LEODII,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA JOANNIS MATHIÆ HOVII,
Ad insigne Paradisi Terrestris.
M DC LXXIII.

Th
400 a


P
N del
Techo
Histor
Paraqua
S V
6